Sc.19.Pl.6.

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
37
29 B
9

1506

Digitized by Google

HONORATI
TOURNELY
Prælectiones Theologicæ
DE GRATIA CHRISTI.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆLECTIONES
THEOLOGICÆ,
DE
GRATIA CHRISTI,
Quas in Scholis Sorbonicis habuit

HONORATUS TOURNELY

SACRÆ FACULTATIS PARISIENSIS Doctor, Socius Sorbonicus, Regius & Emeritus Profeſſor, Sacroſanctæ Capellæ Regii Palatii Pariſienſis Canonicus.

VENETIIS,
Apud NICOLAUM PEZZANA.

MDCCXXVIII.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

THEOLOGIÆ CANDIDATIS

PRÆFATIO.

MIRUM fortè nonnullis videbitur, dilectiſſimi Candidati, quòd noſtras de rebus Theologicis Prælectiones ab intricatiſſimo & omnium difficillimo de Gratia Chriſti argumento auſpicemur. Dicam quod res eſt, non meditato conſilio, ſed fortuitò planè id contigit. Animus nobis fuerat propter intimam materiæ connexionem ſimul proferre in lucem quæ de Deo & divinis Attributis, & quæ de ſcientia & voluntate Dei, de Prædeſtinatione ac Reprobatione, & quæ de Gratia Chriſti in Scholæ noſtræ umbraculis dictaveramus.

Et verò ſimul prælo ea commiſſa fuere, at Typographorum diſpari longè diligentia. Vix quippe ad dimidiam partem prior de Deo ac divinis Attributis Tomus perductus fuerat, cùm alii duo de Gratia Chriſti abſoluti ſunt & prælo ſubducti. Expectandum ego cenſebam, neque priùs evulgandum opus, quàm integrum & omnibus ſuis quaſi partibus completum prodire poſſet, ut ſimul unitæ ac collectæ eam, quam ſperabamus, mutuam ſibi opem ac lucem conferrent.

Non ita viſum eſt iis quorum judicio & auctoritati non parere religioni duco. Obſequendum quantociùs, ajebant, votis, ac deſideriis Theologiæ Candidatorum, qui jam diu iſtas de Gratia concertationes efflagitant; quas manu ſcriptas, ſed multis deformatas erroribus ſollicitè quærunt, ac longè majori, quàm par ſit, pretio ſibi comparant. Quin & ipſam temporum, in quibus verſamur, rationem poſtulare contendebant, ut Candidatos, quorum utilitati hic unicè ſervire volumus, de hiſce controverſiis, quæ tanto animorum ardore jam diu agitantur, edoceamus, & adverſùs omnes novitatis fallacias & æquivocationes, cautè præmunia-

Digitized by Google

mus. Addebant, nihil periculi timendum, imò commodi non parum ex iſta prævia de auxiliis divinæ gratiæ Tractatione ſperandum eſſe, quòd tam aſpera & ſalebroſa quæſtionum intricatiſſimarum, quæ hic occurrunt, multitudine ac varietate, ſemel fractus ac ſubactus Candidatorum animus, abſtruſas aliorum Myſteriorum Fidei difficultates faciliùs ſit ſuperaturus.

His ego rationibus victus, ultrò ſum paſſus ut ſeparatim prodiret in lucem præſens de Gratia Chriſti diſputatio.

Arduum profectò ac plenum ſcopulis aggredimur diſputationis argumentum; tot ſummorum ingeniorum naufragio famoſum, ut propiùs accedentibus timorem incutiat. Suavitate quidem ſua mortalium animos Gratia demulcet; at circumfuſa terret obſcuritate: blanditur officiis, ſed pungit aculeis. Si beneficam Gratiæ indolem, ſi derivata in nos ipſius innumera commoda ſpectaveritis, nihil ad cognoſcendum Gratia ſalubrius, jucundius nihil. Eſt illa cœleſtis auræ particula, qua benignè afflati, ac divinæ naturæ participes facti, Dei filii nominamur & ſumus. Eſt fons aquæ vivæ ſalientis in vitam æternam. *Sine illa vel operante, ut velimus, vel cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. Quid iucundius debet eſſe*, ait Auguſtinus, *vel infirmis gratia qua ſanantur, vel pigris gratia qua excitantur, vel volentibus gratia qua iuvantur?*

S. Aug. L. de Gr & Lib. arb cap. 17 n 33 T. 10 p 735. F.

Si verò gratiæ vim internam, ſi operandi modum, ſi menſuram diſtributionis, vel cum humana libertate concordiam inſpicere propiùs ac rimari tentaveritis, quàm tenebroſa, quàm humanæ menti impervia & inacceſſa divinorum arcanorum Majeſtas! O altitudo! *Occultum eſt*, exclamat S. Auguſtinus, *altum eſt, inacceſſibili ſecreto ab humana cogitatione ſecluſum eſt, quemadmodum Deus, & damnet impium, & iuſtificet impium.... Quantò convenientiùs, quantò accomodatius eſt modulo noſtro, expaveſcere ubi Paulus expavit, & exclamare, O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm inſcutabilia ſunt judicia eius, & inveſtigabiles viæ eius? Quæſtio iſta*, dicebat idem ſtrenuus Gratiæ Chriſti vindex, Auguſtinus, *ubi de arbitrio voluntatis, & Dei gratia diſputatur, ita eſt ad diſcernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem aſſeritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.*

Ep. 186. al. 106 c. 12. n. 39. T. 2. p 677. A L. 21. cõtra Fauſ. c. 3 T. 8 p 352. F.

Rom. 12. v. 33.

L. de Gr c. 47. nu. 52. T. 10 p. 250. G.

Creſcit ac mirè implicatur diſputationis obſcuritas, non ſolùm ex variis & extremè contrariis hæreticorum erroribus, ſed etiam ex concertationibus inter Catholicos ſubortis. Omnes quidem media & Regia via incedere nituntur: quia tamen illam arctam & anguſtam hæretici reddiderunt, vix poſſunt iter peragere, quin ad dexteram vel ad ſiniſtram declinare videantur; maximè verò cùm nonnulli privata ſua ſenſa velut totidem Fidei decreta liberiùs obtru-

tru-

Digitized by Google

trudendo, ſeſe mutua cenſura miſerè diſcerpunt ac dilacerant.

Extrema hæc ut cautiùs declinetis, dilectiſſimi Candidati, tutamque ab omni prolapſione in tam lubrico loco conſtituti viam teneatis, diligenter obſervate, inter iſtas de Gratia Chriſti diſceptationes, alias pertinere ad dogma Fidei, alias verò ad opiniones Scholæ, quibus Eccleſiæ dogma exponitur & illuſtratur. De quibus S. Auguſtinus L. 2. de pecc. orig. c. 23. dicebat. *Salva fide qua Chriſtiani ſumus, aut ignoratur quod verum eſt, aut aliter quàm eſt, infirma ſuſpicione conjicitur.* T. 10 p. 254 C.

Rurſus in iis quæ ſpectant æternam hominis ſalutem per auxilia divinæ gratiæ obtinendam, aliqua eſſe ita obſcura & arcana, ut ſciri à nobis nuſquam poſſint; alia ita manifeſta, ut nunquam debeant ignorari. Cavete ne iſta confundatis, quæ tanto à ſe invicem diſtant intervallo. In dogmate Fidei, unitas perfecta; in opinionibus Scholæ, integra libertas. Hinc varietas, inde verò concordia, rem Catholicam mirum in modum promovet ac illuſtrat.

Ad hoc quippe nati ſunt Scholæ Theologi, in eo tota eorum verſatur induſtria, ut ſalva Fidei veritate ac majeſtate, pro modulo mortalibus conceſſo, abditiſſima Religionis myſteria exponant & elucident. *O Doctor*, ait eleganter ac verè Vincentius Lirinenſis, *ſi te divinum munus idoneum fecerit, ingenio, exercitatione, doctrina, eſto ſpiritualis Tabernaculi Beſeleel, pretioſas divini dogmatis gemmas exſculpe, fideliter coapta, adorna ſapienter, adjice ſplendorem, gratiam, venuſtatem. Intelligatur te exponente illuſtriùs, quod antea obſcuriùs credebatur.... Eadem tamen quæ didiciſti, doce, ut cùm dicas novè, non dicas nova.* Atque hinc tam felix ſtudiorum æmulatio, ac Scholę noſtræ exercitatio tam utilis, tam fęcunda. Procul ergo qui aut Scholę methodum ſuperbè deſpiciunt, aut quas Eccleſia permittit varias ac diſcrepantes circa modum explicandi vim & efficaciam gratiæ opiniones, damnant ac ſtylo cenſorio inverecundè configunt, Judicio & auctoritati Eccleſiæ non minùs injurioſi, quàm ſibimetipſis contrarii, qui qua frui volunt ſentiendi libertate, alios ſpoliare nituntur. In commonit. cap. 27. Bibl. PP. T. 7 p. 18 col. 2. E.

Non ea profectò mens ac ſententia fuit S. P. Cœleſtini in Epiſtola, quam ad Epiſcopos Gallię ſcripſit; ubi poſt enumerata, quę certa ſunt ac rata Eccleſię circa gratiam decreta, addit: *Profundiores verò difficilioreſque partes incurrentium quæſtionum, quas latiùs pertractarunt, qui hæreticis reſtiterunt, ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus ea adſtruere.* Tom 1. Conc. p. 1617. E.

Ea animi moderatione & ęquitate excipienda vobis ſunt & expendenda, dilectiſſimi Canditati, tam varia, quę ad exercitium ingeniorum & Fidei elucidationem circumferuntur Theologorum, qui in Scholis docent, opinamenta: nec invidendum, ſed laudandum magis,

gis, ſi quod prę ceteris ſyſtema fuerit, quo res Catholica minùs ſaltem obſcurè & implicatè intelligatur. *Per te poſteritas intellectum gratuletur, quod antè vetuſtas non intellectum venerabatur.*

Vinc. Lirin. in Commonit pag. 258 col. 2. E.

Quamquam ad reprimendum humanę mentis faſtum ac tumorem, fateri neceſſe ſit, in qualibet, inter tot diſcrepantes, ſententia, eſſe ſemper aliquid ita reconditum & ab omni cognitione noſtra remotum, ut cum Apoſtolo exclamandum ſit; *O altitudo! Cur illum adjuvet, illum non adjuvet; illum tantum, illum autem non tantum... penes ipſum eſt & æquitatis tam ſecretæ ratio, & excellentia poteſtatis*, ait S. Aug. *Petrus negat*, ait rurſus S. Doctor, *latro credit. O altitudo divitiarum! Hoc nos putas perſcrutari poſſe quod Apoſtolus expavit!..... Quæris tu rationem, egò expaveſco altitudinem.... Tu ratiocinare, ego mirer; tu diſputa, ego credam; altitudinem video, ad profundum non pervenio. O altitudo! Nemo quærat à me occultorum rationem.*

L. 2. de pecc. mer. & rem. c. 5. nu. 6. T. 10. p. 43. C. Serm. 27. aliàs 20. de Verbis Apoſt. T. 5. p. 146. A.

Etſi verò iſtud divina providentia ſapienter ordinatum ſit, ut in Oeconomia humanę ſalutis multa voluerit arcana eſſe & obſcura, quę ignorare nobis utile, curioſiùs autem ſcrutari velle crimen eſt, ſunt aliunde clara & manifeſta, quę ad ſalutem animarum certò aſſequendam, ad firmitatem ſpei Chriſtianæ, conſcientię pacem, morumque formam abundè ſufficiunt, quę ignorare, vel negligere, periculoſum. Sis-ne æterno Dei conſilio prędeſtinatus vel non? obſcurum eſt, arcanum eſt uni Deo reſervatum. Noli inquirere. *Quis enim cognovit ſenſum Domini? Aut quis conſiliarius ejus fuit?* Tibi ſufficiat quod eſt apertiſſimè declaratum, ac plenum ſolatii: *Deus vult omnes homines ſalvos fieri. Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra. Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Hęc ſi ad finem uſque divina opitulante gratia conſtanter ſervaveris, pro certo habendum te de numero eſſe prędeſtinatorum. Quapropter meritò S. Petrus, *Fratres, ſatagite ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.* Et S. Paulus, *Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini.*

Rom. 11. v. 34. 1. ad Tim. 2. v. 4. Ad Theſ. 4 v. 3. Mat. 19. v. 17. Ep 2. c. 1. v. 10. Philip. 2. v. 12.

Pariter quę ſit temporalis donorum gratię certa diſtributio, quę definita pro unoquoque fidelium menſura, obſcurum eſt, arcanum eſt. *Spiritus ubi vult, ſpirat. Deus eſt qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate. Cujus vult, miſeretur. Quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle judicare, ſi non vis errare*, ait Auguſtinus. Verùm ſecurus eſto, iſtud certum & exploratum ſatis tibi ſit, neminem à Deo deſeri, niſi prius deſertus ab illo fuerit: Deum nolle ut pereat peccator, ſed magis ut convertatur & vivat: paratam omnibus & oblatam à Chriſto Salvatore gratiam. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos... Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve. Quid debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci? Sto ad oſtium & pulſo.* Ipſemet Auguſtinus ſtatim poſt verba

Joan. 3. v. 8. Philip. 2. v. 13. Rom 9. v. 18. Tr. 26. in Joan. n. 2 T. 3. 2. p. pag. 494. E. Ezec. 33. v. 11. Mat. 11. v. 28.

Digitized by Google

ba mox laudata, *Semel accipe & intellige*, ait, *Nondum traheris? ora ut traharis*. Nemo igitur Deo, ſed ſibi unicè perditionis ſuæ cauſam imputet. *Perditio tua Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum*. *Ex eo quòd non accepit, nullus reus eſt*, ait egregiè S. Auguſtinus, *ex eo verò quòd non fecit quod debet, juſtè reus eſt. Debet autem, ſi accepit & voluntatem liberam & ſufficientiſſimam facultatem*.

Denique quibus præcisè modis Deus vi gratiæ ſuæ præpollente, integra & illæſa remanente libertate noſtra, bonas in nobis voluntates operetur, cordis duritiam emolliat, ac frangat contumaciam, obſcurum eſt, arcanum eſt. *Miris & ineffabilibus modis*, exclamat Auguſtinus. *Si tibi proponam quæſtionem*, ajebat alloquens Petilianum, *quomodo Deus Pater attrahat ad Filium homines, quos in libero dimiſit arbitrio, fortaſſis eam difficilè ſoluturus es. Quomodo enim attrahit, ſi dimiſit, ut quis quod voluerit, eligat? Et tamen utrumque verum eſt, ſed intellectu penetrare pauci valent*.

Iſ. 5. v. 4. Apoc. 3. v. 20. Oſee 13. v. 9. L. 5. de Lib. arb. c. 16. nu. 45. T. 1. p. 629 B. L. 2. cõt. Lit. Petil. c. 84. n 180 T. 9 p. 270. B.

Quantùm ergo ad Catholici dogmatis ſubſtantiam attinet, viro Catholico ſatis eſt, ſi agnoſcat ac fateatur: Primò, ſummè potentem eſſe vim gratiæ cœleſtis ad inclinanda, quò Deus voluerit, hominum corda. Secundò. Vim illam ſeu virtutem gratię à Deo eſſe auctore ac parente. Tertiò. Sub ea dominatrice liberam ſemper remanere hominis voluntatem, ut ipſi obſequatur, vel reſiſtat. Quartò. Humanam voluntatem divina gratia excitatam & adjutam activè cum eo concurrere ad opus bonum, cooperari, & in ſocietatem ſeu communionem meriti venire. Quintò. Denique, indiviſam eſſe, non partitam gratię & libertatis quoad opus bonum actionem. *Quod à ſola Gratia cœptum eſt*, ait S. Bernardinus, *pariter ab utroque perficitur: ut mixtim, non ſigillatim; ſimul, non viciſſim, per ſingulos profectus operentur. Non partim gratia, partim liberum arbitrium, ſed totum ſingula opere individuo peragunt. Totum quidem hoc, & totum illa; ſed ut totum in illo, ſic totum ex illa*.

Tract. de gratia & lib. arb. c. 14. T. 1. p. 621. F.

S. Proſper de variis, quę circa gratiam ſciri, vel ignorari debent, quęſtionibus, hęc ſtatuit cauſę noſtrę pręſenti maximè opportuna & accommodata. *Cùm*, inquit, *de gratiæ profunditate & altitudine diſputatur, tribus illis ſaluberrimis & veraciſſimis definitionibus ſimus innixi. Quarum una profitetur æternum & proprium divinæ eſſe bonitatis, ut omnes homines ſalvos fieri velit, & in agnitionem veritatis venire. Alia ſimul prædicat, omnem hominem qui ſalvus fit, quique in agnitionem veritatis venit, Dei auxilio iuvari & regi, ut que in fide, que per dilectionem operatur, permaneat, cuſtodiri. Tertia verò temperanter & ſobriè proteſtatur, non omnem voluntatis Dei comprehendi poſſe rationem, & multas divinorum operum cauſas ab humana intelligentia eſſe ſubductas* ..... *His rectè pertractatis*, pergit, *nullius ſupereſt cau-*

L. 2. de Vocat. gent. c. 30. pag. 918. A. Ibid. D.

ſa certaminis, *neque ultrà neceſſe eſt nos interminabilibus quæſtionibus occupari*.

Utinam tam cauta ſapientiſſimi Doctoris regula accuratè obſervata fuiſſet! jam diu depoſita omni diſputationis acerbitate reſpiraremus, ac quiſque pro libertate ſibi ab Eccleſia conceſſa, in ſua proponenda & tuenda opinione placidè conquieſceret, abſque ulla offenſione, & invidioſa cenſuræ nota.

Vos igitur, dilectiſſimi Candidati, in dogmate Fidei, quod eſt Eccleſiæ Judicio ac ſententia definitum, firmi ac conſtantes ſtate: in liberis verò Scholæ opinionibus, modeſti ac ſobrii, & ſine pertinacia refellere, & ſine iracundia refelli parati eſtote. Quæ Eccleſia damnat, cum ea pariter damnate: quæ probat, vel patitur, probate, ſuſtinete. Ea nos cauſa & ratio adduxit, ut in præcipuis quæſtionibus, quæ ſalva Fide inter Theologos contentioſiùs diſputantur, rem in utramque partem verſaremus, propoſitis hinc & inde momentis, ut æqua lance libratis, partem, quæ magis placuerit, eligatis. Si quid verò in animo firmitatis ac conſtantiæ vobis fuerit, totum illud conferatis in defenſionem Catholici dogmatis adversùs Novatorum errores, non verò ad incertarum propugnationem opinionum.

Duplicem hic famoſam hæreſim extremè contrariam impugnandam potiſſimùm habetis, Pelagianam, & Janſenianam. Illa gratiam Dei; iſta hominis libertatem evertit. Illa naturæ integras vires ſupponit; iſta omnino deperditas. Illa ſemoto morbo, inutilem medicum reddit, Crucis beneficium evacuat, innatam hominis nutrit ac fovet ſuperbiam; iſta verò fructum Sanguinis Chriſti, ac effuſam Dei pro ſalute omnium voluntatem plùs æquo reſtringit ac coarctat; Spei Chriſtianæ fundamentum convellit; in ſocordiam adducit, vel deſperationem. Diverſa quidem & oppoſita hinc & inde hæreſis: ſed eadem utrobique hæreſis indoles, ingenium idem, ſuperbum, contumax, ſinuoſum: eædem fallendi artes, fucata pietate, ſimulata modeſtia, ambigua verborum ſignificatione, ſuperbo aliorum contemptu, audaci legitimæ auctoritatis deſpicientia.

Mirus doli ac fraudis artifex erat Pelagius. Sub verbis ambiguis ac in ſpeciem Catholicis errorem ſuum ſic callidè & argutè involvebat, ut penè deceptus ipſemet fuerit Auguſtinus mortalium ſagaciſſimus. Fatebatur ille, *Dei eſſe quod poſſumus omne bonum facere, dicere, cogitare. Nos indigere ſemper Dei auxilio, qui nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cœleſtis illuminet, atque oculos cordis noſtri aperiat. Gratiam ad ſingulos actus dari, nec ſecundùm merita noſtra. Sine illa nos nihil boni facere poſſe*. Imò & eam in nobis operari velle & perficere. *Operatur*, inquiebat, *velle quod bonum eſt, velle quod ſanctum eſt .... dum revelatione ſapientiæ in deſiderium Dei ſtupentem*

L. de Gr. Ch. c. 4. nu. 5. T. 10. pag. 232. C. — *Ibid. p. 233. G.* — *Ibid. p. 231. C.* — *Ibid. p. 230. C.* — *Ibid. p. 235. B.*

ſuſci-

ſuſcitat voluntatem, dum nobis ..... ſuadet omne quod bonum eſt.

Quiſquis hæc audit, & ſenſum ejus ignorat, dicebat Auguſtinus, *omnino eum putat hoc ſentire quod veritas habet. In his tamen omnibus*, pergit S. Doctor, *non receſſit à commendatione legis atque doctrinæ.... ſub ambigua generalitate quid ſentiret, abſcondens, gratiæ tamen vocabulo frangens invidiam, offenſionemque declinans.*

Ibid p. 230. A
Ibid p. 233. G.
Ibid. p. 246. F. G.

Accedebat agendi ratio ad fallendum mirè compoſita. *Hæ*, inquit Commentator Marii Mercatoris, *Pelagio artes erant hæreſim diſſeminanti: Nihil de ſuis myſteriis apertè vulgo credere, ſed fidis tantùm auribus. Si quid dogmatum emanaſſet in publicum; negare palàm, quod in cubiculis doceret. Si apertè proponendus error, alienam inducere perſonam; ſi ſuo nomine loqui cogeretur, dubitantis more, timideque aſſerere, de quo ſimularet ſe velle doceri. Si ex Libris argueretur cujuſdam aſſertionis, Libros cauſari vel non eſſe ſuos, vel priùs ſubreptos, quàm emendarentur. Si ex confeſſis urgeri contingeret, ſententias interpretari verbis perplexis & in ſpeciem Catholicis. Si neceſſitas foret, Eccleſiæ nonnulla damnanti conſentire, damnare libenter omnia; ſed, ut aiebat, Eccleſiæ ſenſu, id eſt, eo, quem poſtea fingeret ad arbitrium.*

P. Garner. pag. 134.

Hæ ferè ſunt artes omnes quibus Janſeniana hæreſis animos occupavit, & illuſit Catholicis. Retento capitali Magiſtri ſui errore circa delectationem relativè, ſeu per gradus ſuperiorem ac victricem; aſſumpta Thomiſtarum larva; & vel unius vocis, *potentiæ*, ambigua ſignificatione tecti Iprenſis diſcipuli deliteſcunt, verbis nobiſcum concordes, ſenſu longiùs remoti. Si juſtis aſſerenda mandatorum Dei poſſibilitas, & gratia qua ipſis poſſibilia fiant? Ultro aſſerere. At intelligunt poſſibilia eſſe abſolutè dumtaxat, præciſis actualis & ardentioris oppoſitæ terrenæ delectationis circumſtantiis, non relativè ad illas. *Vigente enim delectatione carnali*, ait Janſenius L. 4. de Gr. c. 9. *impoſſibile eſt ut virtutis & honeſtatis conſideratio prævaleat.* In ea etiam gratia, quam illi parvam, alii ſufficientem appellant, libenter agnoſcere ad opus bonum potentiam *perfectiſſimam, ſufficientiſſimam, proximam, completiſſimam*. At pace dixerim, dolus eſt & completiſſima fraus. Completiſſimam quippe ajunt hujus gratiæ potentiam abſolutè & abſtractè, ſpectata dumtaxat natura gratiæ in ſe & abſolutè, non relativè ad præſentes ſubjecti diſpoſitiones: in conflictu enim delectationis cœleſtis inferioris, cum terrena ſuperiori, impedita eſt hìc & nunc, & quaſi vinculo conſtricta gratiæ inferioris poteſtas; quia fieri nuſquam poteſt à minori delectatione majorem vinci ac ſuperari: quomodo fieri non poteſt ut pondus gravius, à leviori trahatur. Si interroges an gratię interiori in pręſenti naturę lapſę ſtatu reſiſtatur? Heu! exclamabunt, quàm ſępe reſiſtitur? Verùm ſubintelligunt, quantùm ad effectum, quem illa abſolutè, &

Ed. Rot. T. 3. p. 183. col. 2. B.
Paulus Irenaus Diſq. 3. art. 22.

in alis circumſtantiis habere poſſet; non relativè: gratię quippe propriè & accuratè loquendo non reſiſtitur, niſi reſpectu illius effectus quem illa poteſt aſſequi; ſed gratia inferior relativè ad ſuperiorem cupiditatem effectum ſuum plenum ac perfectum aſſequi nunquam poteſt. Si quæſieris an ad merendum vel demerendum neceſſitatem excludant; aut ſi voluntas, movente gratia, libera ſit & expedita ad actum oppoſitum? Ultro affirmabunt: ſed quo ſenſu? Neceſſitatem excludendo abſolutam, naturalem, fixam & immutabilem; non verò neceſſitatem ſimplicem, relativam, tranſitoriam ac mutabilem. Pariter libenter affirmabunt voluntatem ſub motione gratię liberam eſſe ad actum oppoſitum, in ſenſu, ut ajunt Thomiſtæ, diviſo, non in ſenſu compoſito. At fallunt: ſenſus enim compoſitus Thomiſtarum excludit dumtaxat ſuſpenſionem actus propter quem datur phyſica præmotio; at non excludit ipſam potentiam ſeu actum primum. E contra verò, delectatio ſuperior Janſeniana ipſammet immediatè afficit facultatem ſeu potentiam; dat enim ſimul actum & T. 3. p. 41. col. 1. A. potentiam. *Hoc ipſo quòd datur*, ait Janſenius, *ſimul uſus ejus & influxus poteſtatis datur. Eſt enim hoc ipſum quod ſuaptè efficacia facit influere facultatem.... Dat enim ſimul & poſſe & operari.*

Neque etiam negabunt Deum velle omnes homines ſalvos fieri, & Chriſtum pro omnibus eſſe mortuum; ſed doloſè omninò ac fraudulenter: quia ſcilicet Deus paratus eſt dare gratias innocentis naturæ, ſi earum uſui diſpoſitam reperiret hominis lapſi voluntatem. At quomodo diſpoſita eſſet illa lapſi hominis voluntas, ſi ea tantùm ipſi gratia concedatur, quæ *propter virium defectum*, nonniſi abſolutam & abſtractam conferre poteſt ad opus bonum potentiam, non relativam nec præſenti naturæ conditioni proportionatam?

Denique, ſi quinque Janſenii Propoſitiones ab ipſis damnandæ proponantur, damnare non recuſabunt: verùm in obvio verborum ſenſu, non in ſenſu Janſenii. Imò conteſtabuntur ſe illas damnare in eo omni ſenſu quo ſunt ab Eccleſia damnatæ: at non omnem earum ſenſum, illum nempe qui Janſenii eſt, & ab Eccleſia proſcriptus, damnabunt.

L. de pec. orig. c. 18 n. 10. *Videte*, Dilectiſſimi Canditati (Auguſtini verba ſunt) *latebras ambiguitatis falſitati præparare refugia, offundendo caliginem veritati.* T. 10. p. 261. E. Vel unius vocis æquivocatione, tanquam peſtifero quodam afflatu, Janſeniani corrumpunt & inficiunt quæcumque in ſpeciem ſana & Orthodoxa dicere videbantur. Hac infauſta vocis *potentiæ abſolutæ vel relativæ* ambiguitate, totius Janſeniani ſyſtematis quaſi medulla, & ultimæ veluti fibræ ac radices reconduntur: illa velut involucro tecti, Catholicis illudunt, ac cenſuris Eccleſiæ ſubducuntur.

Qui hæc Janſenianorum myſteria ignorant, vix certo ac ſecuro pe-

de

Digitized by Google

de cum illis congredi poſſunt; in mediis tenebris veluti palpando ambulant, & Andabatarum more clauſis pugnant oculis. Intereſt autem plurimùm ad vim diſputationis, noſſe quæ ſit indoles, quæ doctrina, quę artes, argutię & ęquivocationes eorum cum quibus concertatio inſtituitur; ne fortè vaga & tota in ancipiti & incerto diſputatio verſetur. Quàm multa enim in Catholicis Scriptoribus ſana & innoxia ſunt, quę in viris ſuſpectis noxia meritò damnantur, ob pravam eorum, à quibus proferuntur, interpretationem? *Quæ veraciter & Catholicè dicta ſunt*, ait Sanctus Auguſtinus, *imò in divinis Libris veraciter ſcripta, ab iſto* (Juliano) *Catholicè dicta non ſunt, quia non intentione Catholici pectoris dicta ſunt.* L. 2 de Nupt & Conc. c. 4 T. 10 p. 307.C.

Omnes Janſeniani ſyſtematis ſinus ac receſſus, fallacias, effugia, argutias, ęquivocationes, quantùm nobis datum eſt, pervaſimus, excuſſimus: ſenſum Janſenii in quinque famoſis Propoſitionibus proprium ac germanum, qui ſub immenſa voluminum mole obſcuratus, ac velut oppreſſus diu jacuit, ita nos aperuiſſe confidimus, ut latere ampliùs non poſſit; ſitque iſtud omnibus manifeſtum, non inane quoddam, ut pertendunt, erroris phantaſma & ſimulacrum, Eccleſiam per tot annos inſecutam fuiſſe, ſed verum ac realem errorem, quo Eccleſię & Imperii Gallicani pax atque tranquillitas jam diu infeliciter turbatur.

Fruſtra Auguſtini auctoritatem ac nomen illi reclamant: fruſtra ex Janſenio multa colligunt, quę Catholicę doctrinę conſentire prima fronte videntur. Quaſi vel ipſomet Judice Janſenio, non iſte foret *mos ſolemnis omnium hæreticorum, ut falſis vera miſceant, miſcendoque perturbent omnia, quò venenum quaſi melle circumlitum ab incautis cum ſecuritate hauriatur.* L.8.c 21. T.3.pag. 370 col. 2.C. Quaſi venerandum in Eccleſia Auguſtini nomen, & ſummo apud omnes in loco non foret ejus auctoritas? Verùm de mente ac doctrina ſanctiſſimi Doctoris unicè lis hìc movetur, non de auctoritate. Auguſtinum totum ſuum eſſe gloriantur Lutherus & Calvinus. Unam Auguſtini doctrinam ſe in Libro ſuo expreſſiſſe confidentiùs Iprenſis Antiſtes jactitat. At vel unico iſto ſimplici momento luce meridiana clariùs demonſtramus, Auguſtini doctrinam toto cœlo diſtare à Janſeniana. Eccleſia ſcilicet Auguſtini doctrinam circa Gratiam ſemper probavit ac ſummis exornavit laudibus: è contra, eadem Eccleſia doctrinam Janſenii quinque famoſis Propoſitionibus contentam proſcripſit ac graviſſima confixit cenſura, ergo doctrina Auguſtini toto cœlo diſtat à Janſeniana.

Ex his omnibus intelligitis, opinor, Dilectiſſimi Candidati, quanti momenti ſit, quàm operoſa & difficilis pręſens de Gratia Chriſti tractatio, quàm attento & ab omni pręjudicata opinione libero animo ſit à vobis expendenda. Eodem, quęſo, animo

Digitized by Google

eam ſuſcipite, quo vobis eam offerimus: non contentioſo, non ſuperbo, novitatis aut rixarum avido, ſed placido, modeſto; unius veritatis inquirendæ, ac ſervandæ Scholarum libertatis ſtudioſo. Non aliud huic Opellæ noſtrę pręſidium, quàm à veritate accerſitum volumus; nec alium hic fructum ſperamus, quàm veſtrum in rebus Theologicis progreſſum. Valete: Et apud Patrem luminum, à quo deſcendit omne datum optimum, & omne donum perfectum, mei memoriam habete.

Jacobi 1. v. 17.

CENSURA.

PRælectiones Theologicas de Gratia Chriſti à Viro Celeberrimo *Honorato Turnelio Doctore & ſocio Sorbonico, nec non ſacræ Theologiæ Regio Profeſſore nunc emerito*, in Scholis Sorbonicis olim habitas magna animi tum attentione, tum voluptate perlegi, & in eis non modò nihil à Catholica Fide boniſve moribus alienum aut diſſonum deprehendi, ſed potius Baji, Janſenii ac Quenellii errores ad hoc argumentum pertinentes nervosè ſimul ac dilucidè confutatos penituſque profligatos, & à Theologorum Orthodoxorum inter ſe diſcrepantium opinionibus ſapientiſſimè diſcriminatos inveni. Auctoris eruditionem præclaram, incenſum doctrinæ ſanæ ſtudium, maximam in dicendo facundiam, ac denique cautam in dijudicandis aliarum Catholicarum Scholarum à quibus ipſe nonnunquam modeſtè diſſidet ſententiis moderationem ſuſpexi. Nullus proinde miror has Prælectiones in Galliis fuiſſe tam avidè paſſim expetitas, ut, antequam typis vulgarentur, exemplarium dena facilè millia inter ſtudioſorum manus verſata fuiſſe ferantur. Ut fas ſit ſperare, Inclytam Nationem Germanicam, ſi modò ejus alumni Janſeniſmi negotium percallere voluerint, hunc tractatum pari ſtudio parique alacritate excepturam; utpote qui Latinè ſcriptus & parabilis omnia penè tam ad Novorum iſtorum Dogmatiſtarum hiſtoriam, quàm doctrinam ſpectantia, quæ in ſexcentis libris Gallicis ſparſa operosè conquiſieris, operoſiùs intellexeris, in unum veluti cumulum congeſta, & quaſi in epitomen redacta complectatur. Quapropter digniſſimum eum cenſeo qui typis noſtratibus ad plurimorum utilitatem recudatur, cæteris ejuſdem Auctoris meritiſſimi Theologicis Tractatibus, quos nos ſperare jubet, promulſidis inſtar futurus. Dabam Coloniæ Agrippinæ 21. Auguſti Anno 1725.

BARTHOLOMÆUS DES BOSSES è Soc. JESU, ſacræ Theologiæ Doctor & Profeſsor publicus, nec non Sereniſſimi Archi-Epiſcopi & Electoris Colonienſis Examinator Synodalis m. pp.

A P.

Digitized by Google

APPROBATIO CENSORIS ORDINARII.

PRælectiones Theologicæ de Gratia Chriſti in Scholis Sorbonicis ab Eximio Ampliſſimoque Domino HONORATO TOURNELY SS. Theologiæ Univerſitatis Pariſienſis Regio Profeſſore nunc Emerito, Regiique Palatii Pariſienſis ſacræ Capellæ Canonico citra omnem Fidei ac morum offenſam habitæ, plurimorum eruditioni doctiſſimè elaboratæ, typi beneficio publicandæ cenſentur.

Datum Coloniæ 30. Aug. 1725.

JO. GEORG. MOLITORIS SS. Theol. Doctor, Perilluſtris S. Gereonis Canon. Sereniſſimi Principis Electoris Colon. Conſiliarius Eccleſiaſticus, ejuſdemque per Civitatem ac Archi-Diœceſim Colonienſem Librorum Cenſor ordinarius m. pp.

NOI RIFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOVA.

HAvendo veduto per la Fede di reviſione, & approbazione del P. F. Tommaſo Maria Gennari Inquiſitore nel Libro Intitolato: *Prælectiones Theologicæ de Gratia Chriſti Auctore Honorato Tournely*, non v'eſſer cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Atteſtato del Secretario Noſtro; niente contro Prencipi, & buoni coſtumi, concedemo Licenza à Nicolò Pezzana, che poſſi eſſer Stampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, & preſentando le ſolite Copie alle Publiche Librarie di Venezia, & di Padova.

Dat. li 17. Giugno 1727.

✠ *Carlo Ruzini Kav. Proc. Rif.*
✠ *Alviſe Piſani Kav. Proc. Rif.*
✠ *Zam-Piero Paſqualigo Rif.*

Agoſtino Gadaldini Segr.

4. Luglio 1727.
Regiſtrata nel Magiſtrato Eccellentiſſimo degli Eſſecutori contro la Beſtemia.

Antonio Canal Nodaro.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
QUÆSTIONUM
PRIMÆ PARTIS.

QUÆSTIO PRIMA.

De nomine, definitione, ac diviſione gratiæ. Pag. 1.
Varia nominis gratiæ ſignificatio. Ibid.
Definitio gratiæ. 3
Multiplex diviſio gratiæ. 4.

QUÆSTIO SECUNDA.

De variis humanæ naturæ ſtatibus in ordine ad gratiam. 9.
ARTICULUS PRIMUS. *De ſtatu naturæ innocentis.* 10.
CONCLUSIO. *Homo in ortu ſuo juſtitiam originalem, ſanctitatem, immortalitatem &c. à Deo accepit.* 11.
Solvuntur Objectiones. 14.
An juſtitia originalis, ſanctitas & immortalitas fuerit homini naturalis vel ſupernaturalis. 16.
CONCLUSIO. *Juſtitia originalis, ſanctitas & immortalitas primi hominis, ſupernaturalis fuit, non verò naturalis.* 17.
Quodnam gratiæ ſeu auxilii genus datum & neceſſarium fuerit Adamo innocenti, ad benè agendum & perſeverandum. 19.
CONCLUSIO. *Adamus innocens opus non habuit ad benè agendum & perſeverandum, aut gratia phyſicè præmovente, aut adjutorio* quo *ſeu efficaci; ſed cum adjutorio* ſine quo *ſeu ſufficienti perſeverare in bono potuiſſet, ſi voluiſſet.* 23.
Solvuntur Objectiones. 27.
ARTICULUS SECUNDUS. *De ſtatu naturæ lapſæ, & per Chriſtum reparatæ.* 34.
ARTICULUS TERTIUS. *De ſtatu naturæ puræ, an ſit poſſibilis.* ibid.
CONCLUSIO. *Status naturæ puræ poſſibilis eſt, ac nulla ex parte, ſive hominis, ſive Dei repugnat.* 36.
Prima probatio. Ibid.
Secunda probatio. Ex ſancto Auguſtino. 37.
Refelluntur evaſiones, quibus adverſarii S. Auguſtini teſtimonia eludere conantur. 38.
Solvuntur Objectiones contra poſſibilem naturæ puræ ſtatum. 41.
Objectiones ex ordine hominis ad Deum, tanquam ad ſuum finem ultimum. 42.
Objectiones ex parte ignorantiæ. 48.
Objectiones ex parte concupiſcentiæ. ibid.
Objectiones ex parte miſeriarum quibus homo ſubjacet. 58.
ARTICULUS QUARTUS. *De aliis naturæ ſtatibus poſſibilibus.* 61.

QUÆ-

QUÆSTIO TERTIA.

De variis circa gratiam erroribus. ibid.
Qui erraverint circa neceſſitatem gratiæ. ibid.
Qui ante Pelagium gratiæ neceſſitatem negaverint. ibid.
De Pelagio. Ejus patria, profeſſio, ingenium, mores. 63.
Errores Pelagii. 65.
Utrum Pelagius gratiæ alicujus interioris neceſſitatem aliquando tandem agnoverit? 70.
Quæ fuerit illa gratia de qua tam diuturna exarſit contentio inter S. Auguſtinum Eccleſiæ partes agentem, & Pelagianos? 74.
Utrum Pelagiani admiſerint gratiam interiùs ſanctificantem ſeu habitualem, & virtutes infuſas? 79.
Error Pelagii ab Eccleſia proſcriptus. 82.
Diſcipuli Pelagii. Cæleſtius, Julianus & Annianus. 87.
De Semipelagianis. Origo, progreſſus & exitus Semipelagianiſmi. 89.
Qui fuerit Semipelagianorum error. An interioris gratiæ neceſſitatem ad initium fidei negaverint vel admiſerint? 92.
CONCLUSIO. *Semipelagiani omnes gratiæ interioris prævenientis neceſſitatem ad initium fidei conſtantiſſimè negaverunt.* 94.
Solvuntur Objectiones Janſenii & diſcipulorum ejus. 102.
De erroribus circa modum agendi gratiæ. 111.
De Prædeſtinatianis. ibid.
De Luthero & Calvino. 129.
De Michaele Bajo. 133.
Bullæ Summorum Pontificum in cauſa Baji. 138.
Auctoritas Bullarum adversùs Bajum. 139.
Expenduntur ac diluuntur alia momenta, quibus Baji & Janſenii diſcipuli, Bullarum Pii V. Gregorii XIII. & Urbani VIII. auctoritatem deprimere ac eludere conantur. 144.
Momenta ex parte materiæ Bullarum adversùs Bajum. ibid.
Momenta ex parte formæ Bullarum adversùs Bajum. 150.
De Janſenio. 156.
Synopſis Hiſtorica Janſeniſmi. ibid.
Epocha prima. 157.
Perſona Janſenii. ibid.
Liber Janſenii cui titulus, Auguſtinus, *& quale de ipſo Janſenii judicium.* 158.
Liber Janſenii Urbano VIII. denunciatur, & ab ipſo prohibetur. 161
Pariſiis Habertus & Syndicus Facultatis Theologicæ contra novam Libri Janſenii doctrinam inſurgunt. 165.
SECUNDA EPOCHA. *De Canonico examine ac Judicio Romano quinque Propoſitionum Janſenii.* 169.
Inſtitutio & forma Congregationis. ibid.
Theologorum ex utraqua parte deputatorum Romam adventus, geſta, Scripta. 170.
Quinque Propoſitionum in Romano examine ſenſu Janſenii facta diſcuſſio. 179.
Judicium Romanum de quinque Janſenii Propoſitionibus. 183.
Conſtitutionis Innocentii X. æquitas vindicata. 185.

EPO-

Digitized by Google

EPOCHA TERTIA. *De iis quæ ſubſecuta ſunt Innocentii X. de quinque Janſenii Propoſitionibus Judicium.* 192.
Janſeniani excogitata diſtinctione juris & facti Innocentii Conſtitutionem eludunt: Epiſcopi Gallicani Librum Janſenii iterum ad examen revocant, ac de nova contentione monent Innocentium ejuſque ſucceſſorem Alexandrum VII. ibid.
Quinque Janſenianorum Articuli. 197.
Epiſtola Epiſcoporum Galliæ ad Alexandrum VII. Deliberatio Sacræ Facultatis Pariſienſis circa formulam fidei Cleri Gallicani. Breve Alexandri ad eoſdem Epiſcopos. Conſtitutio & formula fidei ejuſdem Alexandri VII. 202.
Varia Janſenianorum circa ſubſcriptionem Formularii ſententia. 205.
Varia Janſenianorum de quinque Propoſitionibus ſententia. 211.
Quatuor Gallicani Præſules, facta limitatione, ſubſcribunt formulæ Alexandri VII. Eam ob rem iis ſubinfenſus S. Pontifex Clemens IX. tum placatus, & qua ratione? 216.
Nonnulli Duacenſes Doctrinæ Janſenii defenſores occulti deteguntur. 220.
Additio facta Formulario per aliquos Belgii Epiſcopos ab Innocentio XII. improbata. 221.
Quatuor Propoſitiones circa Janſeniſmum à Clero Gallicano in Comitiis generalibus anni 1700. proſcriptæ. Famoſus conſcientiæ Caſus. Bulla Clementis XI. adversùs illum caſum. 223.
Syſtema doctrinæ Janſenii. 229.
Janſenianæ doctrinæ circa delectationem victricem ac ſuperiorem brevis ac contracta delineatio. 230.
Natura delectationis. 231.
Neceſſitas delectationis. 232.
Modus agendi delectationis relativè per gradus. 233.
Janſeniani duplicem poteſtatem diſtinguunt, unam abſolutam, alteram relativam. Quæ diſtinctio communis clavis eſt qua omnes eorum fallaciæ & æquivocationes in uſurpandis Catholicorum loquendi modis, referantur ac deteguntur. 235.
Delectatio ſuperior ſeu relativè victrix, Janſeniani ſyſtematis baſis ac fundamentum eſt. 242.
Quinque famoſæ Propoſitiones ex delectatione ſuperiori relativa velut à fonte ac radice à Janſenio derivantur. ibid.
PRIMA PROPOSITIO. *Aliqua Dei præcepta &c.* 244.
Propoſitio ex Janſenio legitimè extracta. ibid.
Prima Propoſitio cum delectatione ſuperiori connexa unde à Janſenio eruitur. ibid.
Quis ſit verus ac germanus primæ Propoſitionis ſenſus apud Janſenium. 246.
Senſus alieni & extranei qui primæ Propoſitioni malignè affingi poſſunt, quos tamen legitimè ſumpta non habet. 248.
Senſus Catholicus errori primæ Propoſitionis oppoſitus. 252.
SECUNDA PROPOSITIO. *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.* 257.
Propoſitio ex Janſenio legitimè extracta. ibid.
Secunda Propoſitio cùm delectatione ſuperiori connexa, unde à Janſenio eruitur. 258.
Verus ac germanus ſecundæ Propoſitionis Janſenii ſenſus. 261.
Senſus alieni & extranei qui ſecundæ Propoſitioni Janſenii malignè affingi poſſunt, quos tamen legitimè ſumpta apud Janſenium non habet. 262.
Senſus Catholicus errori ſecundæ Propoſitionis oppoſitus. 264.

TER-

Digitized by Google

TERTIA PROPOSITIO. *Ad merendum & demerendum, &c.* 267.
Tertia Propoſitio ex Janſenio legitimè extracta. ibid.
Tertia Propoſitio cum delectatione ſuperiori connexa, unde à Janſenio eruitur. 272.
Verus ac germanus tertiæ Propoſitionis Janſenii ſenſus. 273.
Senſus alieni & extranei, qui tertiæ Propoſitioni Janſenii malignè affingi poſſent, quos tamen legitimè ſumpta apud Janſenium non habet. 274
Senſus Catholicus errori tertiæ Propoſitionis Janſenii oppoſitus. 289.
QUARTA PROPOSITIO. *Semipelagiani admittebant, &c.* 290.
Propoſitio ex Janſenio legitimè excerpta. ibid.
Quarta Propoſitio cum delectatione ſuperiori ac relativa connexa, unde à Janſenio eruitur. 291.
Verus ac germanus quartæ Propoſitionis ſenſus. 292.
Senſus alieni & extranei, qui quartæ Propoſitioni Janſenii malignè affingi poſſent, quos tamen legitimè ſumpta apud Janſenium non habet. 293.
Senſus Catholicus errori quartæ Propoſitionis Janſenii oppoſitus. 294.
QUINTA PROPOSITIO. *Semipelagianum eſt dicere, &c.* 296.
Propoſitio ex Janſenio legitimè excerpta. ibid.
Quinta Propoſitio cum delectatione ſuperiori ac relativa connexa, unde à Janſenio eruitur. 297
Verus ac germanus quintæ Propoſitionis Janſenii ſenſus. 298.
Senſus alieni & extranei, qui quintæ Propoſitioni Janſenii malignè affingi poſſent, quos tamen legitimè ſumpta non habet. ibid.
Senſus Catholicus errori quintæ Propoſitionis Janſenii oppoſitus. 300.
Diſcrimen gratiæ victricis per delectationem ſuperiorem relativam ſenſu Janſenii, tum à præmotione phyſica Thomiſtarum, tum à gratia efficaci per delectationem ſimpliciter victricem ſenſu quorumdam aliorum Theologorum. ibid.
Magnum eſt diſcrimen inter modum explicandi efficaciam gratiæ per phyſicam Thomiſtarum præmotionem, & per delectationem relativè ſuperiorem Janſenii. 301.
Magnum eſt diſcrimen inter modum explicandi gratiam à ſe efficacem per delectationem ſimpliciter victricem ſenſu aliquorum Theologorum, & delectationem gradibus relativè ſuperiorem ſenſu Janſenii. 309.
Expenduntur cauſæ diſcriminis quas nonnulli proferunt inter delectationem ſuperiorem ac relativam, quam tuentur, & Janſenii ſententiam. 313.
Circa primam Propoſitionem. ibid.
Circa ſecundam Propoſitionem. 319.
Circa tertiam Propoſitionem. 321.
Circa quartam Propoſitionem. 324.
Circa quintam Propoſitionem. 328.
Expenduntur alia nonnulla generalia momenta. 331.

FINIS INDICIS I. PARTIS.

Digitized by Google

INDEX QUÆSTIONUM II. PARTIS.

QUÆSTIO QUARTA.

DE *neceſſitate gratiæ.* Pag. 337.

ARTICULUS PRIMUS. *Utrùm abſque gratia poſſit homo aliquod verum cognoſcere.* 338.

PRIMA CONCLUSIO. *Homo poteſt ſine ſpeciali gratiæ auxilio cognoſcere aliquas veritates naturales, tum ſpeculativas, tum practicas.* 339.

SECUNDA CONCLUSIO. *Homo ſine gratia non poteſt potentia morali cognoſcere omnes omnino veritates naturalis ordinis, ſeu collectivè, ſeu diſtributivè ſumptas: poteſt tamen phyſica potentia, modò objectum ſit naturale, tum ex parte ſui, tùm ex parte medii.* 341.

TERTIA CONCLUSIO. *Non poteſt homo verum ſupernaturale apprehendere ſine revelatione externa: nec illud certò cognoſcere ac credere ſine gratia ſupernaturali.* 342.

Solvuntur objectiones adversùs Concluſiones præcedentes. 343.

ARTICULUS II. *Utrum abſque gratia poſſit homo bonum facere aut velle.* 347.

Utrum poſſit homo bonum aliquod ſupernaturale, quod ad ſalutem pertineat, velle aut facere ſine gratia. ibid.

PRIMA CONCLUSIO. *Sine ſpeciali gratiæ interioris adjutorio, neque fides, neque ipſius initium haberi poteſt.* 348.

SECUNDA CONCL. *Sine ſpeciali gratiæ interioris adjutorio, nullum poteſt homo bonum opus morale ſupernaturale pertinens ad ſalutem velle aut perficere.* 352.

Solvuntur objectiones Pelagianorum & Semipelagianorum. 354.

Utrùm abſque gratia poſſit homo bonum aliquod morale naturalis ordinis velle aut facere. 364.

Utrum abſque fide ſupernaturali ſeu Theologica fieri poſſit aliquod opus bonum morale: ſeu, utrum omnia infidelium opera vera ſint peccata? ibid.

Errores & opiniones. 366.

CONCLUSIO. *Fieri poſſunt abſque fide aliqua opera moraliter bona; nec conſequenter omnes infidelium actiones vera ſunt ac propriè dicta peccata.* 369.

Prima probatio. Ex Scripturis. ibid.

Secunda probatio. Ex S. Auguſtino. 372.

Tertia probatio. Ex ſummis Pontificibus. 375.

Quarta probatio. Ex rationibus Theologicis. 376.

Solvuntur Objectiones ex Scripturis. 378.

Solvuntur Objectiones ex S. Auguſtino. 384.

Utrum ſine habituali ſeu ſanctificante gratia poſſit homo aliquod bonum opus morale perficere? 397.

CONCLUSIO. *Poteſt homo ſine habituali ſeu ſanctificante gratia, bonum aliquod opus morale, ordinis non tantùm naturalis, ſed etiam ſupernaturalis, per gratiam actualem perficere.* ibid.

Utrum ſine actuali gratia poſſit bonum aliquod opus morale naturalis ordinis perficere? 401.

PRIMA CONCLUSIO. *In ſtatu naturæ innocentis & integræ, potuiſſet homo quodlibet bonum naturalis ordinis operari ſine ſpeciali auxilio gratiæ.* 403.

SECUNDA CONCLUSIO. *Homo lapſus non poteſt quodlibet bonum morale ordinis*

Digitized by Google

dinis naturalis etiam quoad ſubſtantiam operari; adeoque nec univerſa legis na turæ præcepta implere ſine ſpeciali auxilio gratiæ. 404.
TERTIA CONCLUSIO. *Poteſt homo lapſus aliquod bonum opus morale naturalis ordinis facere ſine ſpeciali auxilio gratiæ, quando nulla ſaltem gravis urget tentatio.* 405.
Solvuntur Objectiones contra tertiam Concluſionem. 406.
ARTICULUS III. *Utrùm abſq; gratia poſſit homo Deum diligere ſuper omnia.* 417.
PRIMA CONCLUSIO. *Poteſt homo ſine ſpeciali auxilio gratiæ, diligere Deum ut auctorem naturæ, amore ſaltem imperfecto & inchoato.* 419.
SECUNDA CONCLUSIO. *Homo lapſus non poteſt ſine ſpeciali auxilio gratiæ diligere Deum ſuper omnia ut auctorem naturæ, amore aut affectivo aut effectivo.* 420.
Solvuntur Objectiones. 422.
ARTICULUS IV. *Utrum abſque gratia poſſit homo ſolis naturæ viribus præcepta legis obſervare ac tentationes ſuperare?* 425.
PRIMA CONCLUSIO. *Homo in ſtatu naturæ integræ potuiſſet omnia & ſingula legis naturalis præcepta quantùm ad ſubſtantiam obſervare ſine ſpeciali gratia. Non poteſt verò etiam phyſica potentia in ſtatu naturæ lapſæ.* 426.
SECUNDA CONCLUSIO. *Non poteſt homo ſine ſpeciali gratia ſuperare graves tentationes: poteſt verò leviores aliquas, quantùm ad ſubſtantiam operis moralis naturalis ordinis.* 429.
Solvuntur Objectiones. 431.
ARTICULUS V. *Utrum ſine gratia homo poſſit mereri vitam æternam.* 438.
ARTICULUS VI. *Utrum homo poſſit ſe ad gratiam præparare ſine gratia.* 439.
CONCLUSIO. *Non poteſt homo ſe ullo pacto præparare ad gratiam ſine gratia.* ibid.
ARTICULUS VII. *Utrum homo abſque gratia reſurgere poſſit à peccato?* 443.
CONCLUSIO. *Non poteſt homo ſine adjutorio gratiæ reſurgere à peccato.* ibid.
ARTICULUS VIII. *Utrum homo ſine gratia poſſit non peccare.* 444.
PRIMA CONCLUSIO. *Homo juſtus poteſt cum gratia ordinaria, ſaltem ad breve aliquod tempus, vitare omnia peccata venialia.* 445.
SECUNDA CONCLUSIO. *Homo juſtus non poteſt toto vitę ſuę tempore cum auxiliis gratię ordinariis vitare omnia peccata venialia.* ibid.
TERTIA CONCLUSIO. *Homo juſtus poteſt ex privilegio ſpeciali & auxiliis gratię extraordinariis, omnia vitare peccata venialia.* 447.
QUARTA CONCLUSIO. *Nullus homo purus, pręter B. Virginem, abſtinuit unquam ab omni peccato veniali.* ibid.
Solvuntur Objectiones adversùs pręcedentes Concluſiones. 448.
ARTICULUS IX. *Utrum qui jam conſecutus eſt gratiam, per ſeipſum poſſit operari bonum, & vitare peccatum abſque auxilio gratiæ.* 453.
CONCLUSIO. *Homo juſtus pręter habitualem ſeu ſanctificantem gratiam, indiget actuali ab bonum ſupernaturale operandum.* ibid.
ARTICULUS X. *Utrum homo in gratia conſtitutus indigeat auxilio gratię ad perſeverandum.* 454.
PRIMA CONCLUSIO. *Parvulis, qui ſuſcepto Baptiſmo moriuntur, datur ſpeciale donum perſeverantię.* 455.
SECUNDA CONCLUSIO. *Juſtus ſine ſpeciali divinę gratiæ auxilio non poteſt in accepta juſtitia perſeverare uſque ad finem vitæ.* ibid.
Solvuntur Objectiones. 457.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO QUINTA.

De eſſentia ſeu natura gratiæ. pag. 460.
ARTICULUS PRIMUS. *Utrùm gratia ponat aliquid in anima.* ibid.
CONCLUSIO. *Gratia ponit aliquid in anima.* ibid.
ARTICULUS II. *Utrum gratia ſit qualitas animæ.* 461.
ARTICULUS III. *Utrùm gratia ſit idem quod virtus; ſeu utrum differat à charitate.* 462.
CONCLUSIO. *Gratia ſanctificans realiter non diſtinguitur à charitate, ſed virtualiter tantùm.* ibid.
Solvuntur Objectiones. 463.
ARTICULUS IV. *Utrum gratia ſit in eſſentia animæ tanquam in ſubjecto.* 465.
CONCLUSIO. *Gratia ſanctificans immediatè recipitur in voluntate, tanquam in ſubjecto inhæſionis.* ibid.

QUÆSTIO SEXTA.

De variis gratiæ diviſionibus. ibid.
ARTICULUS I. *De diviſione gratiæ in gratum facientem & gratis datam.* ibid.
PRIMA CONCLUSIO. *Legitima eſt diviſio gratiæ, in gratum facientem & gratis datam.* 466.
SECUNDA CONCLUSIO. *Apoſtolus 1. Cor. 12. v. 8. & ſequentibus legitimè aſſignat ſpecies gratiæ gratis datæ &c.* 467.
TERTIA CONCLUSIO. *Gratia gratum faciens dignior eſt gratia gratis data.* 568.
ARTICULUS II. *De diviſione gratiæ in operantem & cooperantem.* 469.
CONCLUSIO. *Gratia operans rectè definitur, indeliberatus motus intellectus & voluntatis cœlitùs immiſſus, per quem Deus incipit bonum opus in nobis. Cooperans verò rectè definitur, concurſus ſupernaturalis Dei, quo nobiſcum concurrit ad omnes & ſingulos pietatis actus ſupernaturales ac liberos.* 471.
ARTICULUS III. *De diviſione gratiæ in prævenientem & ſubſequentem.* 472.
ARTICULUS IV. *De diviſione gratiæ in excitantem & adjuvantem.* 474.
ARTICULUS V. *De diviſione gratiæ in ſufficientem & efficacem.* 475.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De gratia ſufficiente. ibid.
ARTICULUS PRIMUS. *Quæ ſit eſſentia ſeu natura gratiæ ſufficientis; & quid per illam Eccleſia intelligat.* ibid.
Novatorum error. 476.
Opiniones Scholæ circa naturam & vires gratiæ ſufficientis. 478.
CONCLUSIO. *Nomine gratiæ ſufficientis eam Eccleſia intelligit, quæ expeditam, proportionatam & relativam ad præſentes ſubjecti circumſtantias confert voluntati ad opus bonum potentiam, ac vires pares & æquales ſuperandæ oppoſitæ concupiſcentiæ; nec aliter etiam intelligit gratiæ interiori reſiſti, quàm quòd eo privatur effectu quem relativè ad oppoſitam actualem concupiſcentiam, ex ordinatione ac voluntate Dei, hic & nunc habere poteſt.* 485.
Solvuntur objectiones adversùs præcedentem Concluſionem. 496.
ARTICULUS II. *De neceſſitate ſeu exiſtentia gratiæ ſufficientis.* 509.
CONCLUSIO. *Admittenda eſt in præſenti ſtatu gratia verè ac propriè ſufficiens.* ib.
Prima Probatio ex Scripturis. ibid.
Secunda Probatio ex Conciliis. 513.
Tertia Probatio ex SS. Patribus. 514.
Solvuntur Objectiones ex Scripturis. 519.

Digitized by Google

Objectiones ex S. Auguſtino. 521.
Objectiones ex variis rationum momentis. 530.
ARTICULUS III. *An & in quo gratia parva Janſenii differat à ſufficiente Thomiſtica. Et utrum ad declinandam omnem Janſeniani erroris circa ſufficientem gratiam, ſuſpicionem, ſatis ſit affirmare, quòd ſi gratiæ ſufficienti homo non reſiſteret, efficacem certiſſimè haberet.* 535.
ARTICULUS IV. *An gratia ſufficiens ſine novo Dei auxilio præveniente ſuum aliquando effectum conſequatur.* 542.
Status quæſtionis. 543.
PRIMA CONCLUSIO. *Sententia Janſenii circa gratiam ſufficientem ſeu parvam, quæ plenum ac perfectum ſuum effectum non aſſequitur, propter virium defectum & potentiæ relativè ad præſentes ſubjecti circumſtantias, erronea eſt ac rejicienda.* ibid.
SECUNDA CONCLUSIO. *Rejicienda gratia ſufficiens ad ſenſum Molinæ, quæ nempe ſufficit ad ſingulos pietatis actus immediatè exercendos.* 544.
TERTIA CONCLUSIO. *Non placet gratia ſufficiens, quæ nunquam immediatè ſuum effectum ſortitur defectu gratiæ efficacis phyſicè prædeterminantis.* ibid.
QUARTA CONCLUSIO. *Nec admittenda quoque videtur nobis gratia ſufficiens Congruiſtarum.* 552.
QUINTA CONCLUSIO. *Admittenda eſt gratia ſufficiens, quæ ita immediatè ſufficiat, ſeu ad facilia quædam implenda, ſeu ad impetrandum per orationem uberius Dei auxilium quo difficiliora impleantur, ut aliquando ſuum de facto producat effectum.* ibid.
Prima Probatio ex Scripturis. ibid.
Secunda Probatio ex S. Auguſtino. 553.
Tertia Probatio ex Scholæ Doctoribus. 556.
Quarta Probatio ex rationum momentis. 559.
Solvuntur Objectiones. 561.

QUÆSTIO OCTAVA.

De diſtributione gratiæ ſufficientis. 571.
An dentur omnibus ad ſalutem conſequendam gratiæ ſufficientes. ibid.
ARTICULUS I. *Utrùm omnibus juſtis, inſtante præcepto, dentur gratiæ ſufficientes ad præceptum implendum?* ibid.
Calvini & Janſenii error. ibid.
Status quæſtionis. 572.
CONCLUSIO. *Juſtis omnibus, urgente præcepto, confertur à Deo gratia verè ſufficiens, per quam relativè ad eorum actualem ac præſentem concupiſcentiam, poſſunt aut tentationes ſuperare, & mandata hic & nunc obſervare; aut ſaltem uberius per orationem impetrare auxilium quo ſuperentur tentationes ac præcepta obſerventur.* 573.
Prima Probatio ex Scripturis. ibid.
Secunda Probatio ex Concilio Tridentino. 574.
Tertia Probatio ex S. Auguſtino. 578.
Quarta probatio ex SS. Pontificibus, & Cenſura ſacræ Facultatis Pariſienſis. 582.
Solvuntur Objectiones. 585.
Objectiones ex gratia efficaci, ſine qua juſtus nihil poteſt. 586.
Ex Scripturis. ibid.
Ex Conciliis. 591.

Digitized by Google

Ex Summis Pontificibus. Pag. 592.
Ex S. Auguſtino. 593.
Ex Doctoribus Scholæ. 598.
Objectiones ex impotentia relativa nonnullorum juſtorum ad obſervanda Dei mandata. 599.
Objectiones ex lapſu S. Petri. 609.
ARTICULUS II. *Utrùm dentur omnibus fidelibus gratiæ ſufficientes, tum ut peccata caveant, tùm ut à peccato reſipiſcant.* 614.
CONCLUSIO. *Omnibus fidelibus dantur gratiæ ſufficientes quibus & peccata cavere, & à peccatis, ſeu immediatè, ſeu mediatè reſipiſcere poſſunt.* 615.
Solvuntur Objectiones. 619.
ARTICULUS III. *Utrum infidelibus dentur ſufficientes gratiæ, quibus ad fidem mediatè ſaltem adduci poſſint.* 622.
CONCLUSIO. *Infidelibus dantur quædam gratiæ ſufficientes veræ ſeu propriè dictæ, quibus mediatè ſaltem & fidem & ſalutem obtinere poſſint.* ibid.
Solvuntur Objectiones. 627.
ARTICULUS IV. *Utrum dentur gratiæ quædam ſufficientes excæcatis & obduratis.* 633.
CONCLUSIO. *Excæcati & indurati non omni penitùs privantur auxilio gratiæ ſufficientis.* 635.
Solvuntur Objectiones. 638.
ARTIC. V. *An ipſis etiam infantibus ſufficientia ſalutis media conferantur.* 641.
CONCLUSIO. *Deus omnium infantium ſalutem non tantùm verè ac ſincerè vult voluntate antecedente, ſed etiam media ipſis præparavit, ac de illis applicandis ſufficienter quantùm eſt ex ſe providit.* 642.
Solvuntur Objectiones. 643.

QUÆSTIO NONA.

De gratia efficaci. 645.
ARTICULUS I. *De neceſſitate ſeu exiſtentia gratiæ efficacis. An ſit admittenda gratia ex ſe ſeu natura ſua efficax.* ibid.
Quid ſit, gratiam à ſe ſeu natura ſua efficacem eſſe? Status quæſtionis. Variæ ſententiæ. ibid.
CONCLUSIO. *Admittendam eſſe gratiam efficacem, quæ certò ac infallibiliter dat velle & operari, certa eſt ac indubitata fidei doctrina. An verò ad ſenſum Scholæ efficax illa ſit ex ſe ſeu ex natura ſua, vel non, ad Scholæ opinionem pertinet, quam liberè in utramque partem agitari ac defendi Eccleſia permittit.* 647.
Proponuntur momenta, quibus probatur gratiam à ſe ſeu natura ſua efficacem eſſe. ibid.
Probatur 1. ex Scripturis. 648.
Probatur 2. ex S. Auguſtino. 649.
Probatur 3. ex rationum momentis. 653.
Proponuntur momenta, quibus probatur gratiam à ſe ipſa ſeu natura ſua efficacem non eſſe, ſeu non habere infallibilem & eſſentialem cum ſuo effectu connexionem. 656.
ARTICULUS II. *Unde repetenda ſit vis & efficacia gratiæ?* 662.
Variæ ſententiæ. ibid.
CONCLUSIO. *Vis & efficacia gratiæ repeti non debet ex delectatione ſuperiori ſed per gradus relativè victrice.* 665.
Solvuntur Objectiones. 680.

FINIS INDICIS II. PARTIS.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ DE GRATIA CHRISTI.

QUÆSTIO PRIMA.

De nomine, definitione, ac diviſione Gratiæ.

Varia nominis Gratiæ ſignificatio.

1. Significat elegantiam ſeu venuſtatem, tum oris, tum ſermonis. Hoc ſenſu, *Pſalm.* 44. v. 3. dicitur: *Specioſus forma præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis*. Proverb. ultimo v. 30. *Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo*. Et Lucę 4. v. 22. de Chriſto dicitur: *Omnes teſtimonium illi dabant, & mirabantur in verbis gratiæ*. Hoc eſt, mirabantur ſuavitatem, ſapientiam, ac vim verborum ejus. Quamquam verba gratiæ dici meritò poſſunt; quòd nempè gratiam ſalutis annuntiarent ac efficerent: quomodo dixit Apoſtolus, Epheſ. 4. v. 29. *Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat: ſed ſi quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus*. Hæc prima nominis Gratiæ ſignificatio, aliena prorſus eſt à præſenti noſtro inſtituto.

2. Significat amorem, favorem ſeu benevolentiam, qua quis alteri gratus & acceptus eſt. Ita Gen. 39. v. 4. Joſeph dicitur *inveniſſe gratiam coram Domino ſuo*. Et Cap. 30 v. 27. Laban ait ſocero ſuo: *Inveniam gratiam in conſpectu tuo*. Ac beatiſſimæ Virgini, Lucæ 1. v. 30. Angelus: *Ne timeas Maria, inveniſti enim gratiam apud Deum*. Neque etiam hæc Gratiæ ſignificatio, hujus loci propria eſt; niſi amor ille ac benevolentia, ad finem ſupernaturalem referatur. Quo ſenſu, amor Dei, de quo di-

citur Joan. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret*, verè gratia dicitur, imò radix ac cauſa omnium gratiarum, quibus ad æternam ſalutem promovemur. Eſt autem diſcrimen inter amorem Dei, & amorem hominis; quòd homo amore ſuo, meritum ſupponat in objecto quod amat; Deus verò, meritum illud faciat: unde dona ſua ipſe coronat, cùm meritis noſtris mercedem rependit.

3. Significat gratitudinem & gratiarum actionem, pro acceptis beneficiis. Lib. 2. Regum cap. 2. v. 6. David dicit: *Nunc retribuet vobis quidem Dominus miſericordiam & veritatem: ſed & ego reddam gratiam, eò quòd feciſtis verbum iſtud*. Et Apoſtolus 1. ad Corinth. 10. v. 30. *Si ego cum gratia participo, quid blaſphemor pro eo quod gratias ago?* Et ad Coloſſenſes 3. v. 16. idem Apoſtolus ait: *Verbum Chriſti habitet in vobis abundanter, in omni ſapientia; docentes & commonentes voſmetipſos, pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus, in gratia* (hoc eſt gratiarum actione) *cantantes in cordibus veſtris Deo*. Porrò, hæc quoque nominis Gratiæ ſignificatio, ad præſentem noſtrum tractatum non pertinet; niſi fortè quatenus noſtra in Deum beneficum gratitudo, cœleſtis gratiæ auxilio excitatur. Gratitudo enim ipſa in ſe ſpectata, eſt peculiaris virtus; vel ſpecialis actus virtutis Religionis, de qua alibi Theologi.

4. Appoſitè & accommodatè ad præſens noſtrum inſtitutum, Gratiæ nomine intelligitur quodcumque donum ſeu beneficium gratis conceſſum; hoc eſt, ex mera Dei benignitate, non ex juſtitia & præviis ex parte noſtri meritis. *Si gratia*, inquit Apoſtolus, Rom. 11. v. 6. *jam non ex operibus: alioquin gratia jam non eſt gratia*. Et Cap. 4. v. 4. dixerat: *Ei qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum*. Inde igitur gratia dicta, quòd gratis detur. Sub illa generali & ampla gratię ſignificatione, creatio, conſervatio, liberum arbitrium, ceteraq; naturalis ordinis Dei beneficia comprehendi poſſunt: gratis quippe nobis à Deo conceduntur, non autem præviis noſtris meritis. Quid enim fecimus, ut crearemur à Deo, ut tali ingenio, indole &c. inſtructi naſceremur? Quapropter Sapientiæ 16. v. 25. providentia divina quæ rerum conſervationi invigilat, gratia nuncupatur. *Propter hoc & tunc in omnia transfigurata, omnium nutrici gratiæ tuæ deſerviebat*.

T. 2. pag. 624. F. G. Hinc S. Aug. Epiſt. 177. aliàs 95. ad Innoc. S. Pontif. num. 7. ait: *Quadam non improbanda ratione dici gratiam Dei qua creati ſumus, ut nonnihil eſſemus, nec ita eſſemus aliquid ut cadaver quod non vivit, aut arbor quæ non ſentit, aut pecus quod non intelligit, ſed homines, qui & eſſemus, & viveremus, & ſentiremus, & intelligeremus; & de hoc tanto beneficio Creatori noſtro gratias agere valeamus*. Cur autem hæc & ſimilia, gratiæ nomine donari poſſint, ſtatim aperit ſanctus Doctor: *Quia non præcedentium aliquorum bonorum operum meritis, ſed gratuita Dei bonitate donata ſunt*. Pag. 625. A.

Fatendum tamen, communi ac recepto Scripturæ & Eccleſiæ uſu, nomine gratiæ, non naturam intelligi, ſed donum ſupernaturale gratuitum, naturæ ſuperadditum. Quapropter mirum videri non debet, Pelagium ambiguitate vocis, Patribus Palæſtinis turpiter illuſiſſe. Interrogatus enim an gratiæ neceſſitatem admitteret; reſpondit ſe admittere: at ſubdolus ille, per gratiam intelligebat naturam & liberum arbitrium. Illi autem Catho-

Catholici Epiſcopi, ut erant ſimplices & fraudis ignari, *Nullam aliam Dei gratiam intelligere potuerunt*, ait ſanctus Auguſtinus Epiſtola mox citata, *niſi quam in libris Dei legere, & populis Dei prædicare conſueverunt. Eam utique ..... qua juſtificamur ab iniquitate, & qua ſalvamur ab infirmitate, non qua creati ſumus.* Unde monet S. Aug. eam à Pelagio exigendam eſſe confeſſionem gratiæ, quam doctrina *chriſtiana demonſtrat, & prædicat eſſe propriam Chriſtianorum, quæ non eſt natura, ſed qua ſalvatur natura. Quæ naturam non auribus ſonante doctrina vel aliquo adjumento viſibili fovet, ſicut plantator quodammodo & irrigator extrinſecus, ſed ſubminiſtratione ſpiritus & occulta miſericordia.* *Ib. pag. 623. A.* *Ib. pag. 624. F.*

Propriè igitur, nomine Gratiæ hic intelligimus donum quodcumque, ſeu beneficium ſupernaturale creaturæ rationali gratis conceſſum, quo ad finem ſupernaturalem aſſequendum adjuvatur. Hoc ſenſu Pſal. 83. v. 12. dicitur: *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Joan. 1. v. 17. *Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Jeſum Chriſtum.* Rom. 3. v. 24. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius.* Et Cap. 7. v. 24. *Infelix ego homo*, exclamat Apoſtolus, *quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum.*

Definitio Gratiæ.

Gratia vulgò definitur, donum ſupernaturale creaturæ rationali gratis à Deo conceſſum intuitu paſſionis & meritorum Chriſti, ordinatum ad vitam æternam.

Dicitur 1. donum: quæ vox tenet locum generis; convenit quippe donis tum naturalis, tum ſupernaturalis ordinis.

Dicitur 2. ſupernaturale: hoc eſt, ſupra naturæ debitum & exigentiam; ut diſtinguatur à donis naturalibus, quæ nonniſi lato & improprio ſenſu gratia dicuntur.

Dicitur 3. creaturæ rationali conceſſum: quibus verbis ſubjectum gratiæ capax, Angelus ſcilicet & homo, deſignatur.

Dicitur 4. gratis conceſſum: quæ particula *gratis*, excludit omne debitum ſeu obligationem ex parte dantis; & omnem exigentiam, jus, ac meritum ex parte recipientis, ſive perſonæ illud ſit, ſive naturę. Primò excludit omne debitum ex parte dantis: quia Deus nulla lege abſolutè tenetur & obligatur ad gratiam conferendam. Secundò excludit omnem exigentiam, jus ac meritum ex parte recipientis, tum naturæ, tum perſonę: quia ſi gratia perſonæ operibus debita foret, jam non eſſet gratia. *Rom.* 11. v. 6. Si etiam debita foret naturali hominis conditioni, & ad exigentiam naturę daretur, eo ipſo ſupernaturalis planè dici non poſſet, quæ ſuppoſita hominis creatione, ipſi jure creationis deberetur. Hanc planè gratuitam gratiæ conditionem evertunt, qui cum Bajo & Janſenio docent, impoſſibilem eſſe puræ naturæ ſtatum, in quo homo ſine peccato & gratia conderetur. Neceſſe enim eſt ut aſſerant, gratiam ad exigentiam & connaturalem creaturæ rationalis ſtatum concedi; adeoque integritatem primæ creationis, non fuiſſe indebitam humanæ naturæ exaltationem, ſed naturalem ejus conditionem: quæ re ipſa 27. eſt Propoſitio inter Bajanas, à SS. Pontificibus Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. proſcriptas.

Dicitur 5. donum à Deo conceſſum intuitu paſſionis ac meritorum Chriſti: quibus verbis deſignatur cauſa, tum efficiens gratiæ, nimirum Deus; tum meritoria, nempe Chriſtus mediator. Quo pacto gratia ſtatus innocentis naturæ à nonnullis diſtinguitur à gratia naturæ lapſę & reparatę; quòd illa gratis à Deo conceſſa fuit independenter à meritis Chriſti, iſta verò tota fundatur in illis meritis. *Nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri*. Act. 4. v. 12. *In quo* (Chriſto) *habemus redemptionem per Sanguinem ejus, remiſſionem peccatorum*. Epheſ. 1. v. 7.

Dicitur denique, donum ordinatum ad vitam æternam: ut nempe finalis gratiæ cauſa denotetur. *Gratia enim eſt*, ait S. Aug. Epiſt. jam citata 177. alias 95. *qua prædeſtinati vocamur, juſtificamur, & glorificamur*. T. 2. pag. 625. A.

Multiplex diviſio gratiæ.

Varias Gratiæ diviſiones, ex profeſſo ad ſextam hujus Tractatus quęſtionem fuſiùs expoſituri, ſummatim dumtaxat ac ſtrictim eas hic attingemus; ut non tam de rebus ipſis, quàm de verborum ſignificatione, quibus in decurſu hujus Tractatus uſuri ſumus, agere videamur. Itaque

1. In gratiā Dei & Chriſti. Gratia dividitur 1. in gratiam Dei, & gratiam Chriſti, de qua mox dictum fuit, juxta mentem nonnullorum Theologorum.

2. In gratiam externā & internam. 2. In gratiam externam & internam. Externa dicitur ea quæ eſt extra hominem; ſeu quę hominem exteriùs afficit, & multis eſt communis: ut lex, doctrina ſeu prædicatio Evangelii, miracula, exempla Chriſti &c. Ipſe pariter amor, quo Deus ſic ab æterno mundum dilexit, ut pro eo unigenitum Filium ſuum daret; prædeſtinatio &c. aliquo ſenſu externæ ſunt gratię, ſed æternæ & increatæ; ex quibus, velut ex cauſis, defluunt in tempore, quęcumque auxilia ſupernaturalia quibus homo ad finem ſuum aſſequendum juvatur. Interna verò dicitur gratia, quę hominem interiùs afficit; ſive inhęrendo, qualis eſt gratia habitualis & ſanctificans; ſive movendo tantùm, per illuminationem mentis & excitationem voluntatis, qualis eſt gratia actualis. De hac interna gratia Apoſt. Rom. 5. v. 5. ait: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis*. Charitas diffuſa, hoc in loco, eſt gratia interna, inhærens, creata: Spiritus verò ſanctus qui datus eſt nobis, eſt gratia increata, interna; non inhærens, ſed ſpeciali modo aſſiſtens, habitans, regens, movens & adjuvans hominem.

3. In gratiam gratum facientem & gratis datam. 3. Dividitur Gratia, in gratum facientem & gratis datam.

Gratia gratis data, dicitur ea quæ per ſe ac primariò, non in propriam recipientis, ſed in aliorum utilitatem ac commodum conceditur: de qua dicit Apoſtolus 1. Corinth. 12. v. 7. *Unicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem*, ſcilicet aliorum. Cujus quidem gratię, novem ſpecies ibid. denumerat à v. 8. ad 11. *Alii quidem*, inquit, *per ſpiritum datur ſermo ſapientię: alii autem ſermo ſcientiæ, ſecundùm eundem ſpiritum: alteri fides in eodem ſpiritu: alii operatio virtutum: alii prophetia: alii diſcretio ſpirituum: alii genera linguarum: alii interpretatio ſermonum*.

Quamvis autem omnis gratia ſit gratis data, aliàs non eſſet gratia, *Rom.* 11. v. 6. uſu tamen communi invaluit, ut nomine gratię gratis datę, intelligatur ea, qua quis ſaluti alterius cooperatur. Cujus duplex adduci ſolet ratio: prima,

Digitized by Google

ma, quia Chriſtus Dominus hujus generis gratias Apoſtolis conferens, expreſsè monuit eas & gratis acceptas eſſe, & gratis concedendas. Matth. 10. v. 8. *Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones ejicite; Gratis accepiſtis, gratis date*. Secunda ratio eſt, quia vulgò ſolet nomen generis ignobiliori ſpeciei accommodari: gratia porrò gratis data, ignobilior eſt gratia gratum faciente. Hæc enim Deo immediatè conjungit, eique hominem gratum & acceptum reddit; non ita gratia gratis data. Inde eſt quòd Chriſtus Lucę 10. v. 19. dicat Apoſtolis ſuis: *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia ſpiritus vobis ſubjiciuntur: gaudete autem, quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.*

Gratia gratum faciens, eſt donum ſupernaturale gratis à Deo conceſſum ad propriam & ſpiritualem uniuſcujuſq; ſalutem primariò & per ſe ordinatum; quo quis Deo gratus & acceptus redditur, ſive formaliter, ſi ſit gratia habitualis ſanctificans, ſive diſpoſitivè ac pręparatoriè, ſi ſit gratia actualis. Inde naſcitur

Quarta diviſio Gratiæ, in habitualem & actualem. 4. In gratiam habitualē & actualem.

Habitualis ſeu permanens dicitur ea, quę per modum habitus ſeu qualitatis fixę & permanentis conceditur; de qua Chriſtus Joan. 14. v. 23. ait: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. Eſt hęc gratiæ ſpecies perfectiſſima, per quam homo unus fit cum Deo ſpiritus; dicente Apoſtolo 1. Corinth. 6. v. 17. *Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt*. Talem inhęrentem & habitualem gratiam dari, manifeſtè oſtendit exemplum parvulorum qui baptizantur. Non enim aliam recipere illi poſſunt, qua juſtificentur, gratiam, pręter eam, quę per modum habitus & qualitatis ipſis infundatur & inhęreat. Hujus habitualis gratię duplicem effectum diſtinguit hic Sanctus Thomas 1. 2. q. CXI. art. 2. unum formalem, alterum effectivum. Prior in eo eſt, ut hominem Deo gratum & acceptum faciat: poſterior, ut eum inclinet ad opera bona; pro naturali ſcilicet conditione omnium habituum, qui ſemper inclinant ad actus ſibi conformes. Ratione prioris effectus, ait S. Doctor, dicitur gratia operans: ratione poſterioris, gratia cooperans.

Gratia actualis dicitur ea, quę per modum actus ſeu motionis Dei tranſeuntis conceditur. Unde à SS. Patribus vocatur Dei motio, inclinatio, auxilium, quo Deus intellectum veri cognitione illuſtrat; & voluntatem boni amore accendit. *Sicut enim*, ait S. Aug. Lib. de natura & gratia Cap. 26. n. 29. *oculus corporis pleniſſimè ſanus, niſi candore lucis adjutus non poteſt cernere; ſic & homo etiam perfectiſſimè juſtificatus, niſi æterna luce juſtitiæ divinitùs adjuvetur, rectè non poteſt vivere*. Et Lib. de gratia Chriſti Cap. 12. gratię actualis varios effectus enumerans, ait: *Qua gratia agitur, non ſolùm ut facienda noverimus, verùm etiam ut cognita faciamus; nec ſolùm ut diligenda credamus, verùm etiam ut credita diligamus.* T. 10. p. 140. A. B. Ibid pag. 236. D.

Hujuſmodi actualis gratię auxilium neceſſarium eſt ad eas omnes hominis actiones, quę vires ipſius naturę ſuperant; ſeu ad omnes pietatis actus. *Tribus autem modis*, ait Bellarminus lib. 1. de gratia & libero arbitrio Cap. 2. T. 4. pag. 167. Col. 2. G.

Cap. 2. *operatio aliqua vires naturæ ſuperare poteſt. Primò ſimpliciter & abſolutè, ut ſi ex genere ſuo operatio ſit ordinis altioris, quàm ſunt res naturales, quales ſunt actus virtutum Theologicarum, Fidei, Spei & Charitatis, quæ non acquiruntur per iteratos & frequentes actus, ſed divinitus in animam infunduntur. 2. Non ſimpliciter, ſed ratione ſtatus peccati: quemadmodum enim homo ægrotus movere non poteſt ingentem aliquam molem, niſi juvetur ab alio, quam ipſe idem, ſi ſanus eſſet, ſolus movere potuiſſet; ſic homo per peccatum debilitatus, multa non poteſt ſine auxilio ſpeciali efficere, quæ in ſtatu innocentiæ, ſine tali auxilio, facilè effeciſſet. 3. Ratione modi, temporis, perſonæ, aut alterius circumſtantiæ. Sæpe enim accidit, ut id, quod neque ex genere ſuo, neque ratione ſtatus, vires naturæ ſuperat, eaſdem tamen ſuperet ratione circumſtantiæ; ac, ut in exemplo poſito perſeveremus, poterit homo ſanus per ſe, molem quamdam loco movere, non tamen poterit ſine alterius auxilio, ſi alteram manum tantùm adhibere cogatur, aut ſi loco parum commodo vel moles, vel ipſe ſit conſtitutus. Ita poterit homo juſtus præceptum aliquod decalogi facilè adimplere, ſi nulla extrinſecus diabolica tentatio accedat:, ſi verò tentatio ejuſmodi accedat, ſine ſpeciali auxilio id facere non poterit.* Hactenus Bellarminus.

5. In gratiam operantem & cooperantem. *T. 10. p. 735. E. Philipp. 1. v. 2.*

5. Dividitur Gratia actualis in operantem & cooperantem. Utramque hanc gratiæ ſpeciem deſcribit S. Auguſt. Lib. de gratia & libero arbitrio Cap. 17. his verbis: *Quis iſtam etſi parvam dare cœperat charitatem*, (ſancto Petro de quo hìc loquitur) *niſi ille qui præparat voluntatem & cooperando perficit, quod operando incipit? Quoniam ipſe ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens*. Propter quod ait Apoſtolus: *Certus ſum, quoniam qui operatur in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem Jeſu Chriſti. Ut ergo velimus, ſine nobis operatur; cùm autem volumus, & ſic volumus ut faciamus, nobiſcum operatur: tamen ſine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.*

De eadem diviſione S. Thomás 1. 2. q. CXI. art. 2. in corpore ait: *Operatio alicujus effectus non attribuitur mobili, ſed moventi: In illo ergo effectu, in quo mens noſtra eſt mota & non movens (ſolus autem Deus movens) operatio Deo attribuitur: & ſecundùm hoc dicitur gratia operans. In illo autem effectu, in quo mens noſtra & movet & movetur, operatio non ſolum attribuitur Deo, ſed etiam animæ: & ſecundùm hoc dicitur gratia cooperans.*

Gratia igitur operans dicitur ea, quam Deus in nobis ſine nobis operatur: qualis eſt omnis illuſtratio mentis, & voluntatis ad bonum ſubita excitatio, quam Deus primò, ſeu, ut loquitur S. Auguſtinus, *incipiens* in nobis operatur. Sine nobis autem hanc operari dicitur, non quidem ſine nobis activè concurrentibus, (quandoquidem ſunt actiones vitales, quæ à principio interno neceſſariò debent oriri) ſed ſine nobis liberè concurrentibus; quia ſunt ſubiti & indeliberati motus, qui à noſtra non pendent voluntate.

Gratia cooperans dicitur ea, per quam Deus facit, ut quod voluerimus, impleamus: cooperans dicitur, quia ſimul cum humana libertate ad bonum faciendum cooperatur. *Gratia Dei mecum*: ait Apoſt. 1. Corint. 15. v. 10.

T. 4 Con. p. 1669. B. ibid. p. 1670. C.

De utraque illa gratia, tum operante, tum cooperante, loquitur Concilium Arauſicanum 2. Can. 9. & 20. In priori ait: *Quoties bona agimus, Deus in nobis & nobiſcum ut operemur, operatur.* In poſteriori: *Multa Deus facit in*

homi-

homine bona, quæ non facit homo: nulla verò facit homo bona, quæ non præſtet Deus ut faciat homo. Quæ verba ſunt Auguſtini Lib. 2. contra duas Epiſtolas Pelagianorum Cap. 8.

6. Gratia dividitur in excitantem & adjuvantem; quæ diviſio in mox expoſitam coincidere videtur. Gratia quippe operans, etiam excitans, ſicut & cooperans, adjuvans appellatur: quia illa nos quaſi à ſomno peccati excitat, per illas ſubitas & indeliberatas ad bonum motiones; hæc verò excitatos ad efficacem boni proſecutionem adjuvat. Utramque hanc gratiam à Deo poſtulat Eccleſia, cùm ait: *Actiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præveni, & adjuvando proſequere.* (6. In gratiam excitantem & adjuvãtem.)

7. Dividitur gratia in prævenientem, conſequentem, & concomitantem. Hanc diviſionem nonnulli confundunt cum præcedente gratiæ operantis ſeu excitantis, & cooperantis ſeu adjuvantis. (7. In gratiam prævenientē, ſubſequentē & concomitantem.)

Verùm, diſtinctione opus eſt: namque gratia præveniens & ſubſequens ita poteſt appellari, vel per reſpectum ad liberum voluntatis conſenſum; vel per reſpectum ad invicem. Si gratia præveniens & ſubſequens dicatur comparatè ad liberum voluntatis conſenſum, rurſus diſtinguendum eſt: vel enim gratia illa præveniens & ſubſequens, voluntatis conſenſum includit, vel non: ſi prius; gratia præveniens diſtinguitur à gratia operante, ſicut & ſubſequens à cooperante: ſi poſterius; non diſtinguitur. Porrò hìc per prævenientem & ſubſequentem gratiam, intelligimus eam, quæ voluntatis conſenſum includit. Utramque hanc gratiæ prævenientis & ſubſequentis ſpeciem agnoſcit S. Aug. in Enchiridio ad Laurentium Cap. 32. *Præcedit*, inquit, *bona voluntas hominis multa Dei dona, ſed non omnia: quæ autem non præcedit ipſa, in eis eſt & ipſa. Nam utrumque legitur in ſanctis eloquiis; &, Miſericordia ejus præveniet me; &, Miſericordia ejus ſubſequetur me. Nolentem prævenit, ut velit, volentem ſubſequitur, ne fruſtra velit.* (T. 6 pag. 208. F.)

Cùm verò gratia præveniens non includat voluntatis conſenſum, neceſſe eſt admittere in hac diviſione tertium aliquod membrum, ſeu genus gratiæ, quæ concomitans dicatur, quia voluntatem comitatur & adjuvat, ut bonum efficaciter velit. Cùm enim ille voluntatis actus, quo conſentit ſeu vult bonum, ſit à gratia Dei, neque includatur in præveniente aut in ſubſequente gratia, neceſſe eſt ut ſit à gratia concomitante. Hanc triplicem gratiam deſignare videtur Concilium Trid. Seſſ. 6. Cap. 16. *Quæ virtus*, inquit, (nempe Chriſti) *in ipſos juſtificatos jugiter influit, bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur.* (T. 14. Con. pag. 763. D.)

Si verò gratia præveniens & ſubſequens, comparatè ad ſe invicem conſiderentur; tunc, præveniens gratia dici debet prima gratia, per quam homo ad bonum excitatur: ſubſequens verò, quæ primam illam ſequitur. Hoc ſenſu gratiam explicaſſe videtur S. Aug. Lib. de natura & gratia Cap. 31. *Miſericordia ejus*, inquit, *prævenit nos. Prævenit autem ut ſanemur, quia & ſubſequetur ut etiam ſanati vegetemur; prævenit ut vocemur, ſubſequetur ut glorificemur: prævenit ut piè vivamus, ſubſequetur ut cum illo ſemper vivamus: quia ſine illo nihil poſſumus facere.* (T. 10. p. 142. C.)

Sanctus Thomas q. jam citata CXI. art. 3. docet gratiam in prævenientem & ſubſequentem dividi per ordinem ad diverſos effectus. *Sicut gratia*, inquit,

Digitized by Google

dividitur in operantem & cooperantem ſecundùm diverſos effectus, ita etiam in prævenientem & ſubſequentem ... ſunt autem quinque effectus gratiæ in nobis, quorum primus eſt ut anima ſanetur: ſecundus, ut bonum velit: tertius eſt, ut bonum quod vult, efficaciter operetur: quartus eſt, ut in bono perſeveret: quintus eſt, ut ad gloriam perveniat. Et ideo gratia ſecundùm quod cauſat in nobis primum effectum, vocatur præveniens reſpectu ſecundi effectus: & prout cauſat in nobis ſecundum, vocatur ſubſequens reſpectu primi effectus. Et ſicut unus effectus eſt poſterior uno effectu, & prior alio, ita gratia poteſt dici præveniens & ſubſequens ſecundùm eumdem effectum, reſpectu diverſorum. Ita S. Thomas, qui ſententiam hanc ſuam confirmat ex S. Aug. loco mox citato ex Cap. 31. Lib. de natura & gratia.

8. Gratia dividitur in gratiam ſimpliciter, & gratiam pro gratia.

Gratia ſimpliciter ea dicitur, quæ conceditur à Deo ex meritis Chriſti, abſque ullo ex parte hominis præcedente merito etiam ex gratia.

Gratia verò pro gratia ea dicitur, quæ datur propter meritum præcedens, quod ex ipſa gratia oritur. Talis eſt gloria ſeu vita æterna, quæ ſimul & merces & gratia dicitur: merces, quia meritis rependitur: gratia, quia merita hæc ex gratia profluunt. Tale pariter eſt augmentum gratiæ in homine juſtificato, quod impetrat bonis ſuis operibus ex gratia elicitis. De quo auxilio gratiæ dicit Regius Pſaltes Pſalmo 7. v. 11. *Juſtum adjutorum meum à Domino, qui ſalvos facit rectos corde.* Diviſionem hanc agnoſcit S. Aug. Lib. de gratia & libero arbitrio Cap. 8. his verbis: *Si vita bona noſtra nihil aliud eſt quàm Dei gratia, ſine dubio & vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia eſt: & ipſa enim gratis datur, quia gratis data eſt illi, cui datur. Sed illa, cui datur, tantummodo gratia eſt: hæc autem quæ illi datur, quoniam præmium ejus eſt, gratia eſt pro gratia, tanquam merces pro juſtitia.* (T. 10. p. 728. B. C.)

Dividitur ultimò gratia in ſufficientem & efficacem: quæ diviſio, omnium celeberrima eſt propter diſſidentes Theologorum, circa utrumque ipſius membrum, opiniones.

Gratia ſufficiẽs & efficax.

Sufficientis gratiæ idea & notio varia eſt, pro diverſo ipſius apud Theologos uſu.

Qui ad nativam & obviam ſignificationem ſufficientis gratiæ attendunt; eam intelligunt, quæ ſola ſufficit ab bonum operandum, abſque ullo novo ſuperaddito auxilio: ac conſequenter, voluntas pro ſua innata libertate illa gratia utitur vel non utitur, ut operetur bonum vel non operetur. Unde fit, ut ab efficaci gratia ſufficiens non diſtinguatur, niſi ſolo eventu ſeu actione, non autem propria & interna natura: adeoque una & eadem gratiæ entitas & natura in uno efficax eſt, in alio merè ſufficiens: efficax, in eo qui cum illa gratia bonum operatur; merè ſufficiens in alio qui non operatur: quod diſcrimen ex ſola hominis libertate naſcitur.

Apud alios gratia ſufficiens ſola ſufficit ad actus dumtaxat faciles, cùm nempe nulla urget tentatio; non verò ad actus difficiliores, ſeu ex objecto, ſeu ex circumſtantiis, tentatione, habitu, exemplo &c. Atque in ea opinione, qui gratia ſufficiente benè utuntur in facilibus, efficacem in arduis ac difficilioribus à Deo impetrant. Differt autem ac diſtinguitur gratia ſufficiens ab efficaci, juxta defenſores hujus opinionis, in eo, quòd efficax certò ac infallibiliter effectum ſuum ſemper aſſequatur, non ita ſufficiens.

Alii

Digitized by Google

Alii gratiam ſufficientem nomine tenus dumtaxat agnoſcunt: qui re ipſa, nonniſi efficacem in præſenti naturæ lapſæ ſtatu dari arbitrantur; ac ſufficientem appellant eam parvam ac debilem, quæ ad infirmos quoſdam ac debiles pietatis motus excitandos à Deo deſtinatur, quos cùm ſemper excitet & obtineat, eo reſpectu ſemper eſt efficax: reſpectu verò operis boni, pleni atque perfecti, eſt verè inſufficiens, *propter defectum virium*, ait Janſenius L. 3. de Grat. Ch. C. 13. Hoc eſt, quia illa prava gratia, viribus ſeu gradibus inferior eſt oppoſita concupiſcentia.

Alii verò, gratiam ſufficientem definiunt, eam quæ veram, propriam & expeditam, relativè ad oppoſitam cupiditatem ſuperandam & bonum operandum, potentiam confert, tametſi nuſquam illud efficiat, niſi novo ex parte Dei accedente auxilio efficaci. Gratia igitur ſufficiens dat poſſe agere: gratia verò efficax dat ipſum agere.

Additur in ea definitione, vox iſta *relativè*, ad præcavendam ſcilicet fraudem & æquivocationem Janſenianorum, qui potentiam gratiæ ſufficientis nobiſcum appellant veram, propriam, perfectam, completam, imò perfectiſſimam, completiſſimam &c. at non ſine dolo ac fraude. Perfectiſſimam enim eam dicunt & intelligunt, abſolutè & præciſis omnibus circumſtantiis; non verò relativè ad oppoſitas præſentis concupiſcentiæ ſuperioris vires. Sed de hoc argumento, quod eſt totius ſyſtematis Janſenii veluti medulla, pleniùs ſuo loco differemus.

Gratia efficax, prout ſufficienti opponitur, ea dicitur, quæ ſuum effectum certò ac infallibiliter ſemper aſſequitur.

QUÆSTIO SECUNDA.

De variis humanæ naturæ ſtatibus in ordine ad Gratiam.

NOmine ſtatus, aliud intelligitur in Jure Civili & Canonico, aliud apud Morales & Scholaſticos Theologos.

Status in Jure Civili, ſignificat certam perſonæ conditionem, ſecundùm quam ſui vel alieni juris eſt; ſerva, vel ingenua & libera.

Status in Jure Canonico, ſignificat genus illud vivendi, cui immobiliter homo eſt alligatus; ut ſtatus Matrimonii, Religionis, & ſacrorum Ordinum.

Status, apud Theologos Morales, generatim ſignificat hanc uniuſcujuſque privatam conditionem, ſecundùm quam vel eſt in ſtatu gratiæ, vel in ſtatu peccati.

Denique apud Scholæ Theologos, & appoſitè ad præſens de gratia Chriſti argumentum, ſtatus ſignificat certam conditionem, ſeu modum ſe habendi totius humanæ naturæ, in ordine ad ſuum finem ultimum, ſecundùm legem Divinæ providentiæ. Sicque quia generatim duplex eſt ordo hominis ad ultimum finem, quo nempè vel jam fruitur, vel ad quem tendit; idcircò duplex generatim diſtinguitur humanæ naturæ ſtatus: unus termini ſeu fruitionis

nis

nis & patriæ, qui proprius eſt beatorum in cœlis degentium: alter viæ ſeu tendentiæ ad terminum. De hoc poſteriori hìc agimus.

Status autem ille viæ duplex rurſus diſtinguitur: unus qui de facto fuit, & adhuc ex parte exiſtit; alter qui nuſquam fuit, ſed videtur poſſibilis.

Status naturæ qui de facto fuit, triplex diſtinguitur.

Primus naturæ innocentis, in quo primi parentes conditi fuere. Secundus naturæ lapſæ, in quo ſunt omnes Adæ poſteri ante baptiſmum. Tertius naturæ lapſæ & reparatæ per Chriſtum, in quo ſunt omnes homines per merita Chriſti redempti.

Status naturæ qui nuſquam fuit, ſed videtur poſſibilis, iterum triplex diſtinguitur. Primus naturæ puræ, in quo homo fuiſſet ſine peccato & gratia, obnoxius tamen iiſdem infirmitatibus, quibus nunc premitur. Secundus naturæ integræ, in quo homo eſſet ſine peccato & gratia, ſaltem habituali ſeu ſanctificante, at non ſine auxilio quodam ſive naturali, ſive ſupernaturali, quo immunis redderetur ab iis infirmitatibus, quibus nunc ſubjacet. Tertius naturæ lapſæ non reparatæ, aut non reparandæ, in quo fuiſſet homo poſt peccatum, ſi Deus ex infinita ſua miſericordia eum non liberaſſet. De his omnibus ſtatibus breviter hìc diſſerendum: ac primò de iis qui exiterunt; tum de poſſibilibus.

ARTICULUS PRIMUS.

De ſtatu naturæ innocentis.

TRia hìc ſunt expendenda.

1. An homo in ortu ſuo juſtitiam originalem, ſanctitatem & immortalitatem à Deo acceperit.

2. An hæc originalis juſtitia, ſanctitas & immortalitas fuerit homini naturalis, vel ſupernaturalis.

3. Quodnam gratiæ ſeu auxilii genus datum & neceſſarium fuerit Adamo innocenti, ad benè agendum & perſeverandum.

An homo in ortu ſuo juſtitiam originalem, ſanctitatem & immortalitatem à Deo acceperit.

Negarunt Pelagiani, contendentes talem hominem jam naſci, qualis primùm conditus fuerat, ſine peccato & gratia. *Ut ſine virtute, ita & ſine vitio procreamur*, inquit Pelagius apud S. Aug. Lib. de peccato originali Cap. 13. Item: *Adæ peccatum ipſi ſoli obfuit, & non generi humano: & infantes, qui naſcuntur, in eo ſtatu ſunt, in quo fuit Adam ante prævaricationem.* Ibid. T. 10. p. 258. F.

Sociniani, qui omnes ferè veteres hæreſes jam diu extinctas, rurſus excitant ac revocant, fatentur quidem Adamum abſque corruptione peccati, quæ nunc eſt, conditum fuiſſe; at eum ſapientem, juſtum & ſanctum fuiſſe pernegant: ita ut innocentia quidem & carentia peccati tribui illi poſſit, non verò juſtitia. Quo ſemel jacto fundamento, faciliorem ſibi parant viam

ad

ad impugnandum dogma peccati originalis, quod illi cum Pelagianis pariter negant. Ita Socinus prælectionum Cap. 3.

Nonnulli Scholæ Magiſtri, ſicut obſervat S. Th. 1. parte q. 95. art. 1. diſtinguunt juſtitiam originalem à gratia ſanctificante: illam reponunt in rectitudine quadam, & ſanitate tum corporis tum animæ, qua poterat homo facillimè ea quæ ſunt naturalis ordinis, adimplere; ac contendunt, priùs in illa originali juſtitia conditum hominem fuiſſe; tum verò illum à Deo ſanctificantem gratiam accepiſſe. Hugo Victor. L. 2. de Sacramentis: Alenſis 2. parte ſummæ Q. 96.

Quantum verò ad immortalitatem primi hominis in ſtatu innocentiæ, omnes quidem noſtri fatentur, eum liberum quidem fuiſſe à lege, ſeu neceſſitate moriendi, quæ nonniſi per peccatum inducta fuit; verùm, exiſtimant aliqui, eum non ita fuiſſe hoc in primo ſtatu immortalem, quin mori abſolutè potuiſſet, ſi ferro, igne, vel alio quocumque modo, vis ejus corpori illata fuiſſet ab aliquo qui innocentiam primam deſeruiſſet: nihilominus nihil tale eventurum fuiſſe, eò quòd Deus per ſuam providentiam omne periculum avertiſſet. Addit Scotus, primum hominem omneſque ejus poſteros naturæ neceſſitate tandem morituros fuiſſe, idque propter elementorum pugnam ac contrarietatem, ex quibus compoſitum eſt corpus humanum; niſi Deus antequam illud accideret, eos transferret ad ſtatum immortalitatis; atque mortem hujuſmodi, ſi accidiſſet, non magis homini, quàm beſtiis pœnalem futuram fuiſſe, ſed utriſque naturalem. Scotus in 2. Sentent. diſt. 29. Eſtius in L. 2. Sent. diſt. 18. §. 2.

Communis Theologorum ſententia eſt, Adamum à Deo primitùs conditum fuiſſe rectum, juſtum, immortalem; non eo tantùm ſenſu, quòd immunis ſeu liber fuerit à lege & neceſſitate moriendi; ſed etiam quòd non potuerit mori, non quidem abſolutè & ſimpliciter, quaſi aliter condi à Deo homo non potuerit, ſed in ſenſu compoſito, ſeu conjunctò juſtitiæ originalis: in ſenſu enim diviſo, ut peccare potuit, ita & mori. Qua ex parte, diſcrepat immortalitas Adami præterita, à futura beatorum in cœlis: iſti enim, ut à ſua felicitate excidere nuſquam poſſunt; ita nec ab immortalitate. E contra, primus homo peccando, & innocentiam perdidit & immortalitatem.

CONCLUSIO.

Homo in ortu ſuo juſtitiam originalem, ſanctitatem immortalitatem &c. à Deo accepit.

Probatur. Quia homo à Deo conditus fuit rectus & perfectus, tum in anima, tum in corpore. Hæc autem perfectio, neceſſariò includit ex parte animæ plenam rerum omnium cognitionem in intellectu, & gratiam in voluntate: ex parte appetitus inferioris, ſubjectionem & obedientiam rationi: ex parte denique corporis, immortalitatem & immunitatem ab omni miſeria, in quibus poſita erat juſtitia originalis.

Primò quidem, Adamum ea omni rerum naturalium cognitione inſtructum fuiſſe, quæ ſuæ conditioni congruebat, ſignificat Scriptura, cùm de primis parentibus ait, Eccleſiaſtici 17. v. 5. & ſeq. *Diſciplina intellectus replevit illos. Creavit illis ſcientiam Spiritus, ſenſu implevit cor illorum: & mala & bo-*

& bona oſtendit illis. Poſuit oculum ſuum ſuper corda illorum, oſtendere illis magnalia operum ſuorum.

Non tantùm verò naturali, ſed & ſupernaturali, per fidem, cognitione myſteriorum donatum fuiſſe Adamum, inde maximè conſtat, quòd, pronunciante Apoſtolo Hebr. ii. v. 6. *Sine fide impoſſibile ſit placere Deo: & accedentem ad Deum credere oporteat, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.*

II. Quantùm ad voluntatem, gratiam habuit tum habitualem ſeu ſanctificantem, tum actualem.

Habitualem deſignant hæc Scripturæ verba. Eccleſiaſtes 7. v. 30. *Fecit Deus hominem rectum, & ipſe ſe infinitis miſcuit quæſtionibus.* Seu, ut vertunt 70. *Et ipſi quæſierunt cogitationes multas*: aut, ut habet Symmachus; *ipſi operati ſunt curioſi tatem.*

Hæc autem rectitudo, non mera eſt carentia peccati, & injuſtitiæ negatio, ut Socino placet, ſed poſitiva rectitudo, ſeu juſtitia & innocentia interior; per quam primus homo Deo gratus erat, ac ſupremæ legi conformis. Unde Apoſt. Epheſ. 4. v. 23. hortatur ut eam primam reparemus gratiam, in qua primus homo conditus fuerat, & quam peccando amiſit. *Renovamini*, inquit, *ſpiritu mentis veſtræ; & induite novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis.*

T. 10. p. 140. A. B. Actualem quoque gratiam accepit, qua indigebat ut bonum opus ſupernaturale exerceret. *Sicut enim*, ait S. Aug. Lib. de natura & gratia Cap. 26. n. 29. *oculus corporis etiam pleniſſimè ſanus niſi candore lucis adjutus non poteſt cernere; ſic homo etiam perfectiſſimè juſtificatus, niſi æterna luce juſtitiæ divinitùs adjuvetur, rectè non poteſt vivere.*

T. 4. Cõc. p. 1670. B. Utrumque hoc gratiæ genus humanæ naturæ primitus in ortu ſuo conceſſum fuiſſe agnoſcit Conc. Arauſicanum 2. Can. 19. his verbis: *Natura humana, etiamſi in illa integritate, in qua condita eſt, permaneret, nullo modo ſe ipſam, Creatore ſuo non adjuvante, ſervaret: unde cùm ſine Dei gratia ſalutem non poſſit cuſtodire quam accepit, quomodo ſine Dei gratia poterit reparare quod perdidit?*

T. 14. Conc. p. 751. Et Concilium Trid. Seſſ. 5. in decreto de peccato originali Can. 10. ſic ſtatuit. *Si quis non confitetur primum hominem Adam, cùm mandatum Dei in paradiſo fuiſſet tranſgreſſus, ſtatim ſanctitatem & juſtitiam, in qua conſtitutus fuerat, amiſiſſe &c. anathema ſit.* Et Can. 12. *Si quis Adæ prævaricationem ſibi ſoli, & non ejus propagini aſſerit nocuiſſe, & acceptam à Deo ſanctitatem & juſtitiam, quam perdidit, ſibi ſoli, & non nobis etiam eum perdidiſſe .... anathema ſit.*

Conſtans hæc eſt SS. Patrum doctrina; tum eorum qui exponentes iſtud Geneſeos: Factus eſt homo *ad imaginem & ſimilitudinem* Dei, diſtinguunt inter imaginem & ſimilitudinem; illam in donis naturalibus, iſtam in ſupernaturalibus reponunt. Ita SS. Irenæus Lib. 5. Cap. 6. Baſilius Hom. 10. in Exameron. Chryſoſt. Hom. 9. in Gen. Damaſcenus Lib. 2. de Fide Orthodoxa Cap. 12. Bernardus ſerm. 1. de Annuntiatione: tum eorum qui apertè declarant Adamum in ortu ſuo gratiam à Deo accepiſſe: ita imprimis

T. 10. p. 766. B. Pag. 767. F. Sanctus Auguſtinus Lib. de correptione & gratia Cap. XI. n. 29. *Quid ergo*, inquit, *Adam non habuit gratiam? Imò verò habuit magnam.* Et poſtea n. 32.... *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem, in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum.* Bona autem voluntas in phraſi Auguſtiniana eſt charitas, ſi-

cut

cut ipſe docet Lib. 1. de gratia Chriſti Cap. 21. *Quaſi verò*, ait, *aliud ſit bona voluntas quàm charitas, quam Scriptura nobis eſſe clamat ex Deo, & à Patre datam, ut filii ejus eſſemus.* Ib. p. 239. G.

Et Lib. 12. de Civitate Dei Cap. 9. docet non Angelis tantùm, ſed etiam hominibus diffuſam fuiſſe charitatem in cordibus, per Spiritum ſanctum qui datus eſt eis. Atque cùm velit parem fuiſſe hominis & Angelorum conditionem in donis creationis, de Angelis autem pronuntiet, Deum in illis condidiſſe naturam & largitum fuiſſe gratiam; procul dubio contendit, primis parentibus in ortu ſuo conceſſam à Deo gratiam fuiſſe.

III. Appetitus Adami inferior, ita perfectè ſubditus fuit ejus rationi, ut nuſquam in hoc felici ſtatu, contra vel præter ejus præſcriptum moveretur: hoc enim poſtulabat primi ſtàtus rectitudo; ut quamdiu anima Deo mancipata & ſubdita remaneret, ipſi pariter animæ appetitus & aliæ facultates perfectè obtemperarent.

Hanc ergo (obedientiam) *priuſquam violaſſent*, ait S. Aug. Lib. 2. de peccat. merit. & remiſ. Cap. 22. *placebant Deo, & placebat eis Deus; & quamvis corpus animale geſtarent, nihil inobediens in illo adversùm ſe moveri ſentiebant. Faciebat quippe hoc ordo juſtitiæ, ut quia eorum anima famulum corpus à Domino acceperat, ſicut ipſa eidem Domino ſuo, ita illi corpus obediret, atque exhiberet vitæ illi congruum ſine ulla reſiſtentia famulatum. Hinc & nudi erant, & non confundebantur.* T. 10. p. 59. C.

Et Lib. 4. contra Julian. Cap. ult. n. 82. *Gratia Dei magna ibi erat*, inquit, *ubi terrenum & animale corpus beſtialem libidinem non habebat.* Et Lib. 5. Cap. 5. n. 22. *Abſit ut credamus, aliquid fuiſſe unde ſenſum noſtrum, ſive intrinſecùs ſive extrinſecùs aut dolor pungeret, aut labor fatigaret, aut pudor confunderet, aut ardor ureret, aut algor ſtringeret, aut horror offenderet.* Ib. p. 625. C. Ib. p. 640. D.

IV. Denique. Adamum immortalem à Deo conditum fuiſſe liberum ab omni miſeria, patet 1. quia moriendi neceſſitas eſt pœna peccati, quam Deus ipſe primis parentibus interminatus fuerat. Gen. 2. v. 17. *In quocunque die comederis, morte morieris.* Hinc Apoſtolus Rom. 5. v. 12. *Per unum hominem*, ait, *peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors.*

2. *Quia Deus mortem non fecit.* Sapientiæ 1. v. 13. & Cap. 2. v. 23. *Deus creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum. Invidia autem diaboli, mors introivit in orbem terrarum.*

Ineptè prorsùs ad citatum Geneſeos textum reponebant Pelagiani, intelligi eum debere de morte animæ, non verò corporis: nam, ut rectè arguit S. Aug. Lib. 1. de peccat. meritis & remiſſ. Cap. 2. pœna quam Deus hìc comminatur, de eo intelligitur de quo Deus ait Gen. 3. v. 17. *Quia audiſti vocem uxoris tuæ, & comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes .... in ſudore vultus tui veſceris pane, donec revertaris in terram de qua ſumptus es: quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* An verò de anima hæc dici poſſunt, quæ planè immortalis eſt?

3. Ex definitione Conciliorum: Milevitani ſecundi Can. 1. ubi dicitur. *Placuit .... ut quicunque dicit, Adam primum hominem mortalem factum, ita ut ſive peccaret, ſive non peccaret, moreretur in corpore, hoc eſt, de corpore exiret, non peccati merito, ſed neceſſitate naturæ, anathema ſit.* T. 2. Conc. p. 1538. B. C.

Arauſicani ſecundi Can. 2. *Si quis ſoli Adæ prævaricationem ſuam, non & ejus* T. 4. Conc. p. 1667. B. C.

ejus propagini, aſſerit nocuiſſe; aut certè mortem tantùm corporis, quæ pæna peccati eſt, non autem & peccatum quod mors eſt animæ, per unum hominem in omne genus humanum tranſiſſe teſtatur, injuſtitiam Deo dabit, contradicens Apoſtolo dicenti: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccaverunt. His ſimilia leguntur in Concilio Tridentino Seſſ. 5.

4. Denique, ex S. Aug. ut alios omittamus, qui Lib. 14. de civitate Dei Cap. 26. eximiè deſcribit primævam hominis dignitatem ac felicitatem his
T. 7. p. 376. D. E. verbis. *Vivebat*, inquit, *ſine ulla egeſtate, ita ſemper vivere habens in poteſtate. Cibus aderat, ne eſuriret; potus, ne ſitiret; lignum vitæ, ne illum ſenecta diſſolveret. Nihil corruptionis in corpore vel ex corpore ullas moleſtias ullis ejus ſenſibus ingerebat. Nullus intrinſecùs morbus, nullus ictus metuebatur extrinſecùs. Summa in carne ſanitas, in anima tota tranquillitas. Sicut in paradiſo nullus æſtus aut frigus, ita in ejus habitatore nulla ex cupiditate vel timore accedebat bonæ voluntatis offenſio. Nihil omnino triſte, nihil inerat inaniter lætum &c.*

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. ſanctum Gregorium Nyſſenum Oratione prima in hæc verba: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*; ubi docet priùs hominem conditum fuiſſe ad imaginem ſecundùm naturalia, tum ad ſimilitudinem ſecundùm ſupernaturalia.

Reſp. Quidquid ſit de eo diſcrimine quod nonnulli veteres reponunt inter imaginem & ſimilitudinem Dei, ad quam homo factus eſt; negamus S. Gregorium Nyſſenum aſſeruiſſe hominem priùs prioritate temporis creatum fuiſſe in puris naturalibus, tum ſupernaturalibus donis inſtructum & ornatum à
Edit. Rigalt. p. 131. Deo fuiſſe: ſimul enim & naturam & gratiam accepit.

Objicies 2. S. Cyprianum Epiſt. 74. ad Pompejum, ubi ſic loquitur: *Non per manus impoſitionem quis naſcitur quando accipit Spiritum ſanctum, ſed in Baptiſmo; ut ſpiritum jam natus accipiat, ſicut in primo homine Adam factum eſt: Antè enim Deus eum plaſmavit, & tunc inſufflavit in faciem ejus flatum vitæ. Nec enim poteſt accipi ſpiritus, niſi priùs fuerit qui accipiat.*

Propoſitum S. Doctoris eo loci, eſt oſtendere ſanctificationem per Baptiſmum, debere tempore præcedere plenitudinem Spiritus ſancti, quæ in Confirmatione datur; idque probat exemplo Adami, qui priùs à Deo conditus fuit, quàm ſpiritum vitæ acceperit: quo in exemplo, neceſſe eſt S. Doctorem prioritatem temporis intellexiſſe; aliàs, fruſtra illud fuiſſet. Favet & ratio quam ſubjicit, nempe ſpiritum accipi non poſſe, niſi ab eo qui jam eſt. Qua ipſa ratione uſi ſunt nonnulli ex noſtris Scholaſticis, ut oſtenderent neceſſe fuiſſe, ut priùs Adamus crearetur, quàm juſtitiam & ſanctitatem à Deo acciperet.

Reſp. Ad intentum S. Cypriani ſatis eſſe, quòd aliqua prioritate ſeu temporis, ſeu tantùm naturæ, creatio Adami præceſſerit ejus ſanctificationem, vel animæ infuſionem. Comparatio quippe qua utitur, duobus modis poteſt intelligi: primò, ut loquatur, non de ſanctificatione Adæ, ſed de animatione per infuſionem animæ rationalis; quo in exemp'o, vera eſt temporis prioritas, & comparatio videtur perfecta. Sicut enim priùs tempore

cor-

corpus Adami conditum fuit, quàm ſpiritum vitæ acceperit; ita priùs tempore homo per Baptiſmum renaſcitur, quàm plenitudinem Spiritus ſancti accipiat per Confirmationem. Secundò, ut loquatur de ſanctificatione Adami per gratiam: quam ejus creatio præceſſit, non prioritate quidem temporis, ſed tantùm naturæ: qua ex parte, paritas manca eſt & imperfecta. Porrò S. Doctor vim non facit in ordine temporis, neque ad hoc paritatem inſtituit; ſed tantùm ad declarandum ordinem præſuppoſitionis, ſeu diſtinctionis inter actiones, quarum una ſupponit effectum alterius; ſive ordo ille ſit temporis, ſive naturæ: hoc enim ad cauſam, quam agebat, nihil conferebat. Ad rationem verò quam ſubjicit, facilè reponitur, ſufficere prioritatem naturæ, quam non negamus; neceſſariam verò non eſſe prioritatem temporis.

Objicies 3. S. Auguſtinum tribus maximè in locis docere, Adamum in primo creationis inſtanti non recepiſſe ſpiritum gratiæ, ſed ſolùm ſpiritum animæ rationalis.

Lib. 13. de Civitate Dei Cap. 24. adductis his S. Pauli verbis 1. Corinth. 15. v. 45. *Factus eſt primus homo Adam in animam viventem, noviſſimus Adam in ſpiritum vivificantem: ſed non priùs quod ſpiritale eſt, ſed quod animale: poſtea quod ſpiritale*, ait: *Primus homo de terra terrenus, in animam viventem factus eſt, non in ſpiritum vivificantem, quod ei per obedientiæ meritum ſervabatur*. T. 7. p. 341. F.

Libro 2. de Geneſi contra Manichæos Cap. 8. n. 10. expreſsè aſſerit, Adamum gratia donatum non fuiſſe, niſi poſtquam in paradiſum translatus eſt. *Nondum*, inquit, *ſpiritalem hominem debemus intelligere, qui factus eſt in animam viventem, ſed adhuc animalem. Tunc enim ſpiritalis effectus eſt, cùm in paradiſo, hoc eſt, in beata vita conſtitutus, præceptum etiam perfectionis accepit; ut verbo Dei conſummaretur*. T. 1. p. 668. F.

Denique Lib. de correptione & gratia Cap. 10. n. 27. ait: *Deum ſic ordinaſſe Angelorum & hominum vitam, ut in ea priùs oſtenderet, quid poſſet eorum liberum arbitrium; deinde quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium, juſtitiæque judicium*. Ergo ſupponit primum hominem cum ſolo naturali liberò arbitrio conditum ſtatim fuiſſe; tum deinde gratiam accepiſſe. T. 10. p. 765. A.

Reſp. ad primum, ex Lib. 13. de Civitate Dei Cap. 24. S. Doctorem de gratia ſanctificante Adamo conceſſa nullatenus hic agere; ſed de dotibus ſeu conditionibus corporis immortalis & glorioſi, quas primus parens in ortu ſuo non accepit: non enim ſic factus ille fuit, quin poſſet mori, cùm re vera mortuus fuerit; ſed quas merito obedientiæ, poſt generalem corporum reſurrectionem aſſecuturus erat: tunc enim planè impaſſibilia, immortalia ac glorioſa futura ſunt corpora Sanctorum. *In corpore ergo animali*, ait ſanctus Doctor eo loci, primum hominem factum, ſic Apoſtolus loquitur, *Volens à ſpiritali quod in reſurrectione futurum eſt, hoc quod nunc eſt animale, diſcernere*. T. 7. p. 343. E.
Antea dixerat: *corpus Adami cibo & potu eguiſſe, ne fame afficeretur ac ſiti, & non immortalitate illa abſoluta atque indiſſolubili; ſed ligno vitæ à mortis neceſſitate prohiberetur, atque in juventutis flore teneretur*. Ibid p. 342. F.

Ad 2. loquitur S. Doctor de omnimoda perfectione ſtatus innocentiæ; non autem de ſola juſtitia ſeu gratia ſanctificante, qua anima Adami ornata ſtatim à creatione fuit. Mens igitur illius eſt, Adamum in beata vita, hoc

eſt,

eſt, in omnibus, quibus affluere debebat, corporis & animæ deliciis, priùs conſtitutum non fuiſſe, quàm translatus fuerit in paradiſum.

Ad 3. Non ſpectat eo loci S. Doctor, nudum ſeu omni dono gratiæ deſtitutum Angelorum & Adami liberum arbitrium; ſed eo tantùm dono, quod appellat auxilium *Quo*, ſeu auxilium efficax perſeverantiæ: ac contendit, Adamo innocenti datum auxilium dumtaxat ſufficiens, ſeu *ſine quo*, cum quo perſeverare quidem poterat, ſed quod ipſam non dabat perſeverantiam: homini verò lapſo, neceſſarium eſſe auxilium *Quo*, ſeu efficax perſeverantiæ. Verùm de hoc argumento mox occurret amplior dicendi locus.

Objicies 4. Vix intelligi poteſt qua ratione homo primus peccaverit, ſi ſtatim ab ortu ſuo tam perfectus, tam juſtus & innocens conditus fuit.

Reſp. facilè intelligi hominem, qui liber conditus eſt ac dominus viarum ſuarum, à gratia quam accepit, potuiſſe peccando excidere. Imò, ſi gratiam, qua poterat non peccare, & quæ neceſſaria prorſus eſt ad non peccandum, non accepiſſet, haud dubiè non peccaſſet. Juſtitia ſcilicet originalis, nec fuit in ipſo impotentia abſoluta peccandi, nec impeccantia ſimpliciter; ſed potentia non peccandi ex juſtitia mutabili, quæ peccandi quidem voluntatem, quamdiu ſtabat, ſed non facultatem auferebat. Omnis etenim creatura, cùm ſit ex nihilo, deficere poteſt. *Cur*, inquit S. Auguſt. Lib. 14. de Civ.
T. 7. p. 371. G. Dei Cap. 27. *non permitteret* (Deus) *ut ab illo* (Angelo malo) *primus homo qui rectus, hoc eſt, bonæ voluntatis creatus fuerat, tentaretur? Quandoquidem ſic erat inſtitutus, ut ſi de adjutorio Dei fideret bonus homo, malum Angelum vinceret: ſi autem creatorem atque adjutorem Deum ſuperbè ſibi placendo deſereret, vinceretur.*

Quæres, an ſit de fide primum hominem in primo creationis ſuæ inſtanti, ſanctificantem gratiam à Deo habuiſſe?

Reſp. eſſe quidem de fide, primis parentibus ante lapſum collatam fuiſſe juſtitiam originalem; an verò in ipſo præcisè creationis momento, an paulò poſt eam acceperint, de fide non eſſe. Namque, ut ait Suarez Lib. 3. de hominis creatione ac ſtatu innocentiæ Cap. 17. prius, eſt apertè definitum; poſterius, non ita certum: quia nec ſatis expreſsè in Scripturis continetur, nec definitum invenitur. (In Tractatu de opere ſex dierum.)

An Juſtitia originalis, ſanctitas & immortalitas fuerit homini naturalis, vel ſupernaturalis.

Obſervandum, multis modis aliquid naturale dici poſſe. 1. quod à nativitate ipſa obtinetur ſeu conceditur. 2. quod eſt naturæ conſentaneum, quam nempe ornat & perficit. 3. quod tametſi donum ſit gratuitum, naturam tamen juvat & perficit in operibus naturalibus, neque eam elevat ad ulla opera ſupernaturalia: quo ſenſu, juſtitia originalis, ſi diſtincta foret à gratia ſanctificante, donum naturale dici poſſet.

His modis, naturale hìc non uſurpamus. Verùm, naturale illud dicimus, quod vel eſt pars naturæ, vel fluit ex principiis naturæ, atque debitum eſt & ſecundùm naturæ exigentiam; ſine quo manca illa foret & imperfecta: vel quod eſt rationi ac æquitati conſentaneum, quodque Deus ex juſtitia, bonitate, ſapientia & providentia, naturæ denegare non poteſt.

Hoc

Hoc duplici poſteriori ſenſu, juſtitiam originalem naturæ Adami primitùs ante peccatum conditæ debitam fuiſſe ac planè naturalem, docent Novatores Lutherani & Calviniſtæ. *Statuamus*, ait Lutherus, Commentario in 3. Cap. Gen. *juſtitiam non fuiſſe quoddam donum, quod ab extra accederet, ſeparatum à natura hominis, ſed fuiſſe verè naturalem; ut natura Adæ eſſet diligere Deum, credere Deo, agnoſcere Deum. Hæc tam naturalia fuere in Adamo, quàm naturale eſt, quòd oculi lumen recipiunt.* Et infrà. *Porrò*, inquit, *hæc probant, originalem juſtitiam eſſe de natura hominis: ea autem per peccatum amiſſa, non manſiſſe integra naturalia, ut Scholaſtici delirant.* Calvinus pariter Lib. 1. Inſtitut. Cap. 15. nulla alia, quàm naturalia, in primis parentibus dona videtur agnoſcere: non quidem ita durè ac Lutherus; ſed ſenſu in ſpeciem molliori. Nempè, divinæ juſtitiæ ac bonitati repugnare, primitùs hominem creari ſine juſtitia originali ejus naturæ debita. Atque hinc colligunt Novatores, 1. hominem per peccatum in donis naturalibus læſum fuiſſe; libero imprimis arbitrio, cujus nonniſi vanum in nobis relictum eſt nomen. 2. luctam illam carnis ac ſpiritus, quam vel ipſi Sancti experiuntur, verum ac proprium eſſe peccatum. 3. hominem non potuiſſe talem initio creari, qualis nunc naſcitur: quia videlicet ſemper ac neceſſariò ex ipſa ſui inſtitutione peccaſſet; unde ſequeretur, ejus peccata in Deum naturæ auctorem refundenda fuiſſe. *Bellar. de gratia primi hominis Cap. 1.*

Ad hanc Novatorum doctrinam acceſſit Michael Bajus Doctor Lovan. cujus multas propoſitiones proſcripſerunt SS. Pontif. Pius V. Greg. XIII. & Urb. VIII. inter quas hæc eſt 26. *Integritas primæ creationis, non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio.* 78. *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, ſed naturalis conditio.* Et 79. *Falſa eſt Doctorum ſententia, primum hominem potuiſſe à Deo creari & inſtitui ſine juſtitia originali.*

Hac SS. Pontificum cenſura ſtatim commotus Janſenius, faſſus eſt ſe hærere; at collectis ſubinde animis & factus audacior, Baii ſententiam impavidè defendit.

Omnes Orthodoxi contendunt, originalem juſtitiam, ſanctitatem & immortalitatem primi hominis, ſupernaturalem fuiſſe, non verò naturalem, nec ullo titulo. Sit itaque

CONCLUSIO.

Juſtitia originalis, ſanctitas & immortalitas primi hominis, ſupernaturalis fuit, non verò naturalis.

Prob. Quia quod naturæ nec debitum eſt, nec ſecundùm ejus exigentiam, illud verè ſupernaturale dicitur, atqui talis fuit juſtitia originalis: hæc quippe gratiam ſanctificantem includebat quæ naturæ profectò debita non eſt; alias gratia non eſſet, ſicut arguit Apoſt. Rom. 11. v. 6.

Immortalitas pariter primo homini data, ſupernaturalis fuit; hoc eſt, ſupra naturæ ipſius interna principia, quæ ſine dono ſuperaddito, mortem peperiſſent. Donum illud ex una parte, fuit optima humorum temperies; ex altera, lignum vitę, cujus virtute reparabatur abundè, quidquid

Digitized by Google

naturalis calor depaſcebat: & ſingularis Dei providentia, quæ omne externum periculum amovebat. Id ita eſſe apertè ſignificat Scriptura Geneſ. 3. ubi Deus Adamo poſt peccatum dicit v. 19. *In ſudore vultus tui veſceris pane, donec revertaris in terram, de qua ſumptus es: quia pulvis es & in pulverem reverteris.*

Amiſſo ſcilicet dono immortalitatis, natura ſibi permiſſa morti obnoxia eſt, cujus in ſe cauſam habet ac nativum principium, compoſitionem ſcilicet ex contrariis. Unde Eccleſiaſt. 40. v. 11. dicitur: *Omnia quæ de terra ſunt, in terram convertuntur.* Fuit igitur ex ſingulari Dei privilegio, quòd Adamus innocens, perſeverante innocentia, liber fuerit à neceſſitate ſeu lege moriendi, in quam incidit per peccatum. Atque inde eſt, ut pro varia ipſius conditione, ſeu pro vario ſtatu aut innocentiæ, aut peccati, immortalis, vel mortalis dicatur. Immortalis, privilegio creatoris; mortalis, conſtitutione naturæ.

Hanc eſſe manifeſtam S. Aug. doctrinam, patet ex L. 6. de Gen. ad litteram Cap. 25. ubi ſic loquitur. *Illud* (nempe corpus Adami) *ante peccatum,*
T. 3. p. 1 p. 210. C. *& mortale ſecundùm aliam, & immortale ſecundùm aliam cauſam dici poterat: id eſt mortale, quia poterat mori; immortale, quia poterat non mori. Aliud eſt enim non poſſe mori, ſicut quaſdam naturas immortales creavit Deus: aliud eſt autem poſſe non mori, ſecundùm quem modum primus creatus eſt homo immortalis; quod ei præſtabatur de ligno vitæ, non de conſtitutione naturæ: à quo ligno ſeparatus eſt cùm peccaſſet, ut poſſet mori, qui niſi peccaſſet poſſet non mori. Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio Conditoris. Si enim corpus animale, utique mortale, quia & mori poterat .... Neque enim immortale quod mori omnino non poſſit, erit niſi ſpiritale, quod nobis futurum in reſurrectione promittitur.*

T. 7. p. 341. A. Et Lib. 13. de Civ. Dei Cap. 20. loquens de immortalitate primorum hominum: *Quiſtatus*, inquit, *eis de ligno vitæ, quod in medio paradiſi cum arbore vetita ſimul erat, mirabili Dei gratia præſtabatur.* Quod illuſtrat S. Doctor, Lib. 1. de pec. merit. & rem. Cap. 4. comparatione veſtimentorum & calceamentorum Iſraelitarum, quæ Deo providente per tot annos detrita non fuerunt.

Deinde ſi immortalitas naturalis foret appendix hominis conditionis, ea per peccatum privatus non fuiſſet, ſicut ſua immortalitate privati non fuere propter ſuam prævaricationem Angeli mali. Quid ita? quia natura ſua immortales ſunt: naturalia verò poſt peccatum integra permanſerunt.

Denique, ſi immortalitas & juſtitia originalis eſſet homini ante lapſum debita, ſequeretur eum abſolutè creari à Deo non poſſe in ſtatu puræ naturæ, hoc eſt ſine peccato & gratia, obnoxium tamen morti, cæteriſque miſeriis & infirmitatibus, quæ ex natura ipſa conſequuntur: atqui paulò ante appellati SS. Pontifices, ſententiam hanc damnarunt, ut inferiùs data opera oſtendemus. Inde eſt quòd vel ipſemet Eſtius ſcribens in 2. Lib. Sent. diſt. 19. §. 9. fateatur, *Propoſitionem illam, qua dicitur, immortalitatem primi ho-*
Pag. 172. D. *minis non fuiſſe gratiæ beneficium, ſed naturalem conditionem, meritò à Sede Apoſtolica improbatam fuiſſe; maximè ſi ſenſus ejus ſit, immortalitatem ita eſſe debitam naturæ humanæ, ut Deus non potuerit eum creare mortalem. Hoc enim*: inquit: *conſtat eſſe falſiſſimum.*

Dices:

Digitized by Google

Dices: Quod eſt ſecundùm naturæ exigentiam, naturale dici debet: atqui immortalitas corporis eſt ſecundùm naturæ exigentiam. Namque forma immortalis, qualis eſt anima rationalis, naturaliter exigit uniri materiæ ſeu corpori immortali: aliàs, per totam æternitatem à corpore ſuo avulſa, in ſtatu violento futura eſſet; nec conſequenter ſuam aſſequi poſſet naturalem beatitudinem.

Reſp. nego 1. & 2. minorem propoſitionem. Ad probationem, nego ſequelam.. Anima enim in eo ſtatu illud dumtaxat naturaliter appeteret, quod naturaliter conſequi poſſet: cùm ergo ſui corporis immortalitatem non poſſet naturaliter aſſequi, eam non expeteret, nec conſequenter foret in ſtatu violento, & omni ſua naturali beatitudine privata, ſi à corpore ſuo ſeparata & avulſa remaneret. Verùm de hoc argumento paulò poſt fuſiùs dicturi ſumus, ubi de poſſibili ſtatu naturę purę.

Quadnam Gratiæ ſeu auxilii genus datum & neceſſarium fuerit Adamo innocenti, ad benè agendum & perſeverandum.

Vel in ipſo hujus Tractatus limine, Janſenianę doctrinę fundamentum, quod diſtinctione adjutorii *Quo* & *ſine quo non*, continetur, aggredi nos adigit ſubjecta de ſtatu naturę innocentis diſputatio. Ne verò rerum inferiùs dicendarum ordo prępvertatur, atque ut quęſtionis pręſentis ſtatus dilucidè aperiatur, nonnulla priùs ſunt obſervanda.

Obſervandum I. multiplicem diſtingui poſſe gratiam, qua homo poteſt indigere ad benè agendum & perſeverandum. 1. Eſt habitualis ſeu ſanctificans gratia. 2. conſervatio illius. 3. cooperatio Dei cum homine, ſeu gratia actualis neceſſaria, ut habitualis in actum erumpat. 4. eſt ſingularis Dei motio ſeu gratia movens & excitans, quę voluntatem hominis, vel certiſſimè ad agendum impellit, & dicitur gratia efficax; vel non certò nec infallibiliter movet ad agendum, quamquam plenam & perfectam conferat ad opus bonum perficiendum potentiam, & dicitur gratia ſufficiens. 5. denique eſt gratia perſeverantię finalis, quę vel interna eſt, ſeu actuoſa illa & efficax gratia, per quam in accepta juſtitia quis perſeverat; vel externa, &, ut ita dicam otioſa, *qua finit homo vitam iſtam, antequam ex bono mutetur in malum*, ait S. Aug. Lib. de corrept. & grat. Cap. 9. Illa gratia donantur, quot- *T. 10. p.*
quot nihil tale cogitantes, repentina morte oppreſſi ex hac vita tum rapiun- *761. F.*
tur, cùm ſunt in ſtatu gratię. *E.*

Obſervandum II. controverſiam hìc non moveri de triplici primo gratię auxilio. Apud omnes enim certum & exploratum eſt 1. Adamo in primo creationis inſtanti conceſſam fuiſſe gratiam ſanctificantem ſeu habitualem. 2. neceſſe fuiſſe, ut Deus gratiam hanc in ipſo conſervaret. *Neque* *T. 3. p. 1.*
enim, ait S. Aug. Lib. 8. de Gen. ad litteram Cap. 12. n. 25. *tale aliquid eſt ho-* *p. 234. F.*
mo, ut factus deſerente eo qui fecit, poſſit aliquid agere benè tanquam ex ſe ipſo. 3. neceſſariam ipſi fuiſſe gratiam actualem, ſeu cooperationem Dei, ut gratia, nempe habitualis, in actum erumpere poſſet. *Sicut enim*, ait idem S. Aug. Lib. de natura & gratia Cap 26. nu. 19. *oculus corporis etiam pleniſſi-* *T. 10. p.*
mè ſanus, niſi candore lucis adjutus non poteſt cernere; ſic & homo etiam *140. A.*
B.

perfectiſſimè juſtificatus, niſi æterna luce juſtitiæ divinitùs adjuvetur, rectè non poteſt vivere.

Præſens igitur controverſia verſatur circa auxilium gratiæ efficacis, vel ſufficientis, & circa perſeverantiam: an nempe Adamus innocens indiguerit ad benè agendum, & ad perſeverandum in bono, gratia efficaci, ſeu auxilio *quo*; vel gratia dumtaxat ſufficiente, ſeu auxilio *ſine quo*.

Cui quidem controverſiæ, & diſtinctioni auxilii *quo* & *ſine quo*, locum dedit S. Aug. Lib. de correp. & grat. Cap. 12. nu. 34. ubi ſic loquitur. *Ib. p. 769. A.* *Ipſa adjutoria diſtinguenda ſunt. Aliud eſt adjutorium, ſine quo aliquid non fit; & aliud eſt adjutorium, quo aliquid fit. Nam ſine alimentis non poſſumus vivere; nec tamen cùm adfuerint alimenta, eis fit ut vivat qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimentorum eſt ſine quo non fit, non quo fit ut vivamus. At verò beatitudo, quam non habet homo, cùm data fuerit, continuò fit beatus. Adjutorium eſt enim non ſolùm ſine quo non fit, verùm etiam quo fit propter quod datur. Quapropter hoc adjutorium & quo fit, eſt, & ſine quo non fit: quia & ſi data fuerit homini beatitudo, continuò fit beatus; & ſi data nunquam fuerit, nunquam erit. Alimenta verò non conſequenter faciunt ut homo vivat: ſed tamen ſine illis non poteſt vivere.* Hæc S. Aug. ex quibus colligit, adjutorium perſeverantiæ Adamo conceſſum, adjutorium fuiſſe *ſine quo*; illud verò, quod Sanctis in regnum Dei prædeſtinatis modò tribuitur, eſſe adjutorium *quo*.

Janſenius Lib. de gratia primi hominis & Angelorum Cap. 17. ſcribit diſtinctionem auxilii *quo* & *ſine quo*, eſſe baſim ac fundamentum, quo tota Auguſtini de gratia doctrina ſubſtruitur; *Ed. Rot. 1643. T. 2. p. 69. col. 1. C.* *clavim, qua aditus in ſcripta ejus aperitur; & ſine qua, qui ea molitur ingredi, velut cæcus palpabit in meridie. Eſſe filum, ſine quo è labyrintho ſcriptorum ejus* expedire ſe ac extricare nemo poterit. Quapropter, ubique ferè diſtinctionem hanc obtrudit; & ſeptuagies ſupra centies, citatum ex Lib. de corrept. & gratia locum inculcat ac revocat.

At nemo non ſuſpicabitur, fraudis & inſidiarum aliquid latere in eo Janſenii conſilio, qui cogitaverit, diſtinctionem illam auxilii *quo* & *ſine quo*, ſemel tantùm ab Auguſt. in fine vitæ, poſt devictos Pelagianos uſurpatam fuiſſe. Ergone totos viginti annos, quibus S. Doctor cum Pelagianis congreſſus eſt, clavim illam Catholicos celavit, qua aditus in ſcripta ſua aperiendus eſt? Ergone Chriſtianos carere tandiu eo filo paſſus eſt, ſine quo è labyrintho ſcriptorum ſuorum extricare ſe nemo poterat? Quid illis, amabò, factum eſt, qui fervente cum Pelagianis bello, S. Auguſtini opera perlegebant? Eos velut cœcos palpaſſe in meridie, nec doctrinæ Auguſtinianæ caliginem diſcutere potuiſſe, fateatur neceſſe eſt Janſenius. Atque ex hac una obſervatione ſatis intelligi poteſt, diſtinctionem adjutorii *quo* & *ſine quo*, Auguſtinianæ de gratia doctrinæ baſim ac fundamentum non eſſe, quomodo exiſtimat Janſenius, qui hac diſtinctione, duo erroris ſui capita ſtabilire omni arte conatur.

Obſervandum III. nihil in Janſenio reprehendendum fore, quantùm ad præſens inſtitutum, ſi per famoſam diſtinctionem auxilii *quo* & *ſine quo*, hoc unum contenderet, Adamum ſcilicet innocentem opus dumtaxat habuiſſe ad benè agendum & perſeverandum, auxilio gratiæ ſufficientis, ſeu *ſine quo*; non verò auxilio gratiæ efficacis, ſeu *quo*. Si intra hos limites ille ſe continuiſſet, ab omni cenſuræ nota liber fuiſſet. Verùm in multis hìc maximè aberrat. 1. Quòd ex diſcrimine gratiæ naturę innocentis & lapſę, ſeu auxilii *quo* & *ſine quo*, in-

terat,

Digitized by Google

ferat, non aliam in præſenti naturæ lapſæ ſtatu dari gratiam, quàm efficacem, ſeu auxilium *quo*; ſufficientem verò quæ ſit ab actu perfecto ſejuncta, planè rejiciendam. 2. Quòd doceat per gratiam efficacem induci in homine lapſo benè agendi neceſſitatem antecedentem, ineluctabilem & inſuperabilem: eo quod ſemper conjunctam habeat præviam & indeliberatam ac relativè ſuperiorem delectationem, ſecundùm quam hominem ſemper agere neceſſe ſit. Quæ duo, præcipua ſunt totius ſyſtematis Janſeniani fundamenta. 3. Quòd auxilium *ſine quo*, ſeu ſufficiens, confundat cum adjutorio poſſibilitatis, de quo tamdiu Catholicos inter ac Pelagianos certatum fuit. Namque certum eſt, Pelagium nuſquam admiſiſſe auxilium poſſibilitatis quod daret ſimpliciter poſſe agere, ſed tantùm illud quod neceſſarium dicebat ad faciliùs operandum. S. verò Aug. loquens de Pelagio, adjutorium poſſibilitatis, ſeu auxilium *ſine quo* & ſufficiens, illud intelligebat, quod erat neceſſarium, non tantùm ad faciliùs, ſed ad benè agendum ſimpliciter & abſolutè. *Vult intelligi*, ait S. Aug. Lib. de Grat. Chriſti Cap. 28. *ad hoc eſſe auxilium, ut faciliùs fiat per gratiam, quod etſi minùs facilè, tamen putat fieri præter gratiam*. 4. Ex eodem diſcrimine gratiæ utriuſque ſtatus colligit Janſenius Lib. citato Cap. 16. gratiam, & perſeverantiam ita in libero Adami innocentis arbitrio poſitas fuiſſe, ut nec merita, nec perſeverantia, fuerint in ſtatu naturæ innocentis ſpecialia Dei dona: quæ doctrina, ea ipſa videtur eſſe, quæ in Bajo proſcripta fuit, cujus hæc eſt prima Propoſitio. *Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita, rectè vocantur gratia*. Tertia verò Propoſitio hæc eſt. *Et bonis Angelis & primo homini, ſi in ſtatu illo perſeveraſſet uſque ad ultimum vitæ; felicitas eſſet merces non gratia*. T. 10. p. 243. D.

Hæc porro omnia Janſeniani dogmatis conſectaria fuſiùs hìc non proſequemur, de quibus ſuus erit in decurſu hujus Tractatus aptior dicendi locus. In una jam hæremus diſtinctione adjutorii utriuſque ſtatus, ſepoſitis in præſentiarum, quos inde Janſenius colligit, erroribus.

Unum obiter obſerva, duobus ſcilicet modis ſumi poſſe adjutorium *quo* aliquid fit: nimirum, vel pro cauſa efficiente, vel pro formali. Fingit Janſenius, S. Aug. primo ſenſu illud ſumpſiſſe; adeoque contendit, eum agere de actuali gratia, quam Deus Sanctis impertitur ad ſuſcipiendam perſeverandi voluntatem, vel potius qua ipſam perſeverandi voluntatem certò & efficaciter in eis operatur. Benè multi è contra Theologi exiſtimant S. Doctorem ſecundo ſenſu illud ſumpſiſſe: pro ipſa nimirum perſeverantia formali, qua nempe homo formaliter fit perſeverans; quemadmodum per beatitudinem, formaliter fit beatus. Quo exemplo ipſemet utitur S. Aug. citato Cap. 12. Lib. de corrept. & gratia: vel, ut alibi loquitur in Pſalm. 147. nu. 22. ſicut *calidus calore caleſcit, frigidus frigore frigeſcit, velox velocitate velox fit*. Quæ omnia, de cauſa formali longè melius, quàm de efficiente intelliguntur. Quo ſenſu, per perſeverantiam fit aliquis formaliter perſeverans. T. 4. pag. 1666. F.

Obſervandum denique, circa propoſitam quæſtionem tres maximè circumferri Theologorum opiniones.

Prima eſt Thomiſtarum, qui cùm præmotionis phyſicæ neceſſitatem repetant ex naturali ſubordinatione & dependentia cauſæ ſecundæ à prima, conſequenter arbitrantur, in ſtatu naturæ innocentis neceſſariam fuiſſe gratiā phy- Sententia Thomiſtarum,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EM.

ſicè præmoventem; totumque diſcrimen gratiæ utriuſque ſtatus in eo collocant, quòd in præſenti naturæ lapſæ ſtatu, duplici titulo neceſſaria ſit gratia præmovens, nempe titulo dependentiæ, & corruptionis: in ſtatu verò naturæ innocentis, titulo dumtaxat dependentiæ neceſſaria fuerit.

Quid de prædeterminatione phyſica ſentiat Janſenius. T.3 pag. 344. Col. 2. D. Ibid. E. Pag. 345 c. 1. C.

Janſenius, qui Thomiſtarum larvam, ut ſimplices fallat, ſæpiùs induit, hanc Thomiſtarum ſententiam ſugillat Lib. 8. de gratia Chriſti Cap. 2. *Prædeterminatio phyſica*, inquit, *neceſſaria ſtatuitur omnibus agentibus ex vi cauſæ ſecundæ, quæ eſſentialiter tam in operari, quam in eſſe ſuo ſubordinatur primæ, à qua ad agendum præmoveri debet*. Addit paulò poſt: *Prædeterminatio phyſica in agentibus liberis inſuper exigitur, propter naturalem indifferentiam voluntatis, quam, ut aliquid agere poſſit, prædeterminare debet*. Quid porro de ejuſmodi opinione ſentiat, ſubjungit in hæc verba. *Qui medicinalem Chriſti Salvatoris gratiam ſic defendere conantur, ut eam in talem prædeterminationem phyſicam transforment, magis profectò Ariſtotelici, quàm Auguſtiniani ſunt. Nam talis prædeterminatio ſic aſſerta, non ſolùm nullo teſtimonio ejus probari poteſt, ſed potiùs univerſam doctrinam ejus innumeris locis traditam inexplicabili confuſione perturbat. Tollit enim differentiam integræ læſæque voluntatis: tollit neceſſitatem duplicis adjutorii quo, & ſine quo non, cum quorum altero Adamus velle ſtareque potuit, & Angeli re ipſa voluerunt ſteteruntque: lapſi homines velle aut ſtare non poſſunt. Tollit obſcuratque veram radicem neceſſitatis gratiæ medicinalis; nec ſinit intelligere veram naturam ejus, dum æqualiter ſtatuit illam prædeterminationem omnibus neceſſariam. Denique cogitur inferre non exiguam vim Scripturis ſacris, quæ ſingularem Dei gratiam actus noſtros bonos operantem prædicant*. Ita Janſenius de ſententia Thomiſtarum, quorum tamen nomine & patrocinio gloriatur.

2. ſententia.

Secunda opinio eorum eſt, qui, rejecta phyſica Thomiſtarum præmotione, ſentiunt Adamo & Angelis in ortu ſuo datum ac neceſſarium fuiſſe auxilium *quo*, ſeu gratiam efficacem ad primum illum amoris Dei actum eliciendum, in quo boni creati ſunt; ad ſubſequens verò bonos actus, & ipſammet in bono perſeverantiam, ajunt Angelis quidem bonis conceſſum auxilium *quo* ſeu efficax, non autem Adamo, qui reipſa non perſeveraverit, ſed perſeverare potuiſſet, ſi voluiſſet, cum auxilio gratiæ ſufficientis, ſeu *ſine quo*. Totum ergo diſcrimen gratiæ utriuſque ſtatus in eo reponunt illi Theologi, quòd nimirum gratia innocentis naturæ ſolam includeret mentis illuſtrationem; gratia verò naturæ lapſæ, præter illam illuſtrationem mentis exigat prævium voluntatis excitationem ac motionem, qua ſana voluntas originali gratia inſtructa non indigebat.

3. ſententia.

Tertia denique opinio eorum eſt, qui Adamo & Angelis ſolum auxilium *ſine quo non*, ſeu gratiam ſufficientem verſatilem datam ac neceſſariam fuiſſe arbitrantur. In aſſignanda verò ratione diſcriminis utriuſque naturę ſtatus, innocentis, & lapſę, non omninò conſentiunt. Janſenius cum ſuis diſcrimen illud in eo reponit, quòd in pręſenti ſtatu non aliud detur auxilium gratię, quàm efficax, ſeu *quo*; in ſtatu verò innocentię, non aliud fuerit, quàm ſufficiens ac verſatile libero arbitrio permiſſum. Alii verò ſentiunt, in pręſenti ſtatu utrumque auxilii genus ſufficiens & efficax dari ac neceſſarium eſſe: diverſi autem ſunt inter ſe circa naturam auxilii ſufficientis; quod datum eſt naturę innocenti. Alii putant, auxilium illud in ſola mentis illu-

illuſtratione poſitum fuiſſe: alii verò, in illuſtratione mentis ſimul & motione voluntatis. His poſitis ſit

CONCLUSIO.

Adamus innocens opus non habuit ad benè agendum & perſeverandum, aut gratia phyſicè præmovente, aut adjutorio *quo* ſeu efficaci; ſed cum adjutorio *ſine quo*, ſeu ſufficienti, perſeverare in bono potuiſſet, ſi voluiſſet.

Probatur prima pars, non iis tantùm communibus argumentis, quibus Philoſophi & Theologi benè multi, phyſicam præmotionem generatim impugnant velut inutilem, creatæ libertati noxiam, ſanctitati divinæ parum conſentaneam &c. verùm, propriis & præſenti noſtro inſtituto accommodatis ex doctrina S. Aug. momentis.

1. Si natura innocens opus habuit gratia phyſicè præmovente, ad benè agendum & perſeverandum, ruit funditùs diſcrimen quod S. Aug. ſtatuit eſſe inter gratiam naturæ lapſæ & innocentis: par enim & æqualis omninò fuit in utroque ſtatu phyſicæ præmotionis neceſſitas.

Antecedens oſtenditur. Quia in mente & doctrina Thomiſtarum, phyſica prædeterminatio ejus naturæ eſt, ut ea ſuppoſita, certò creaturæ ſequatur actio; ea verò non ſuppoſita, non ſequatur. At in mente S. Aug. natura innocens opus non habuit eo adjutorio, quo poſito, actio certiſſimè poneretur, non poſito, non poneretur: ſed eo dumtaxat indiguit adjutorio, ſine quo bona fieri non poterat actio. *Primo homini*, ait S. Doctor Lib. de correp. & grat. Cap. 12. nu. 34. *datum eſt adjutorium perſeverantiæ, non quo fieret ut perſeveraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet.* *T. 10. p. 769. B, C.*

2. Stante præmotione phyſica & in ſenſu illius compoſito, liberum non eſt creatæ voluntati eam rejicere, ſed voluntas ſemper & invictè facit id, ad quod phyſicè præmovetur: at, S. Aug. teſte, adjutorium Adæ & Angelorum ejuſmodi non fuit; utpote quod eorum libero relictum fuerit arbitrio; ac cum illo re ipſa perſeveraverint boni Angeli, Adamus verò non perſeveraverit. *Nec ipſum* (hominem) ait S. Aug. citato Lib. Cap. 11. nu. 31. *Deus eſſe voluit ſine ſua gratia, quam reliquit in ejus libero arbitrio.* *Ib p. 767. C.*

3. Phyſica prædeterminatio nuſquam à creata voluntate deſeritur; quin potiùs ipſa efficit, ut nuſquam à voluntate deſeratur: at tale profectò non fuit adjutorium Adami innocentis. *Quod adjutorium*, ait S. Aug. Cap. 11. mox citato, *ſi homo ille per liberum non deſeruiſſet arbitrium, ſemper eſſet bonus, ſed deſeruit, & deſertus eſt. Tale quippe erat adjutorium, quod deſereret, cùm vellet, & in quo permaneret, ſi vellet; non quo fieret ut vellet.* *Ibid. D.*

4. Si Adamo innocenti ad benè agendum & perſeverandum neceſſaria fuiſſet phyſica præmotio, à culpa meritò potuiſſet excuſari, quòd nec benè egerit, nec perſeveraverit: quia nempe abſque ullo ſuo præcedente vitio caruiſſet eo auxilio, quod planè neceſſarium ſupponitur, ut quis benè agat & perſeveret. Dicant enim adverſarii, quid cauſæ fuerit, cur Deus Adamo innocenti, & ante omne ipſius peccatum, tale auxilium ſubtraxerit? Cur Adamum priùs deſeruerit per ſubtractionem hujus auxilii, quàm ab ipſo per

Digitized by Google

peccatum deſertus fuerit? Hoc ipſum eſt S. Aug. ratiocinium, Lib. citato,
Ib. p. 768. A. Cap. 11. n. 32. *Si*, inquit, *hoc adjutorium vel Angelo vel homini cùm primùm facti ſunt, defuiſſet; quoniam non talis natura facta erat, ut ſine divino adjutorio poſſet manere ſi vellet, non utique ſua culpa cecidiſſent: adjutorium quippe defuiſſet, ſine quo manere non poſſent.*

Fruſtra reponeres, S. Aug. hic loqui de auxilio *ſine quo non*, ſeu ſufficiente, quod ſi Adamo denegatum fuiſſet, non utique ſua culpa cecidiſſet; non verò de auxilio *quo*, ſeu efficaci, quo etiam denegato, adhuc homo reus eſt peccati, quia ſufficiens habet adjutorium, cum quo poteſt agere. Namque 1. auxilium gratiæ efficax non denegatur à Deo, niſi in pœnam præcedentis peccati: quomodo igitur Adamus innocens, ante quodlibet peccatum eo auxilio privatus eſt? Quomodo deſertus à Deo antequam ipſum deſeruerit? 2. Gratia ſufficiens, in principiis Thomiſtarum, nunquam in actum erumpit niſi accedente phyſica præmotione: ad quid igitur Adamo innocenti utilis eſſe potuiſſet gratia illa ſufficiens, per quam abſolutè quidem benè operari poterat, ſed quæ præmovente Dei auxilio deſtituta, & quidem abſque ullo prævio hominis demerito, nuſquam actum ſecundum aſſecutura erat?

5. Neceſſitatem auxilii, quo creata voluntas ad bonum infallibiliter inclinatur, unicè repetit S. Aug. ex infirmitate & corruptione naturæ lapſæ: non ergo ex neceſſitate phyſicæ præmotionis. *Ut ergo*, ait S. Doctor, Cap.
Ib. p. 770. F. 12. n. 37. Lib. de corrept. & grat. *non acciperet hoc donum Dei, id eſt, in bono perſeverantiam primus homo, ſed perſeverare vel non perſeverare in ejus relinqueretur arbitrio, tales vires habebat ejus voluntas, quæ ſine ullo fuerat inſtituta peccato, & nihil illi ex ſe ipſo concupiſcentialiter reſiſtebat, ut dignè tantæ bonitati, & tantæ benè vivendi facilitati perſeverandi committeretur arbitrium....... Nunc*
Ib. p. 771. A. *verò poſteaquam eſt illa magna peccati merito amiſſa libertas, etiam majoribus donis adjuvanda remanſit infirmitas.*

Secunda pars concluſionis, nempe adjutorium *quo*, ſeu efficacem gratiam Adamo innocenti neceſſariam non fuiſſe, nec ipſi à Deo conceſſam

Probatur 1. argumentis mox expoſitis, quæ non minùs efficacem ſimpliciter gratiam, quàm phyſicè præmoventem excludunt à ſtatu naturæ integræ & innocentis.

2. S. Aug. Lib. citato de Corrept. & grat. Cap. 12. nu. 34. poſtquam, verbis antea citatis, expoſuit diſtinctionem adjutorii *quo*, & *ſine quo non*; ac
Ib. p. 766. B. C. exemplis alimentorum & beatitudinis eam illuſtravit, ſic pergit: *Primo itaque homini, qui in eo bono quo factus fuerat rectus, acceperat poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe ipſum bonum non deſerere, datum eſt adjutorium perſeverantiæ, non quo fieret ut perſeveraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet. Nunc verò Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædeſtinatis non tale adjutorium perſeverantiæ datur, ſed tale ut eis perſeverantia ipſa donetur: non ſolùm ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint, verùm etiam ut per hoc donum nonniſi perſeverantes ſint.* Cujus quidem diſcriminis cauſam & rationem colligit, ex diverſa naturæ integræ vel lapſæ conditione, ſicut n. 5. mox retulimus.

Ib. p. 766. B. Et Cap. 11. ejuſdem Lib. jam ſcripſerat: *Quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam? Imò verò habuit magnam, ſed diſparem..... Ille opus non habebat eo adjutorio, quod implorant juſti cùm dicunt: Video aliam legem in membris meis*

repu-

Digitized by Google

*repugnantem legi mentis meæ..... Iſtam gratiam non habuit homo primus, qua
nunquam vellet eſſe malus: ſed ſanè habuit, in qua ſi permanere vellet, nun-* Ib. pag.
quam malus eſſet; & ſine qua etiam cum libero arbitrio bonus eſſe non poſſet. Et 767. C.
infrà: *Dederat adjutorium, ſine quo non poſſet permanere ſi vellet*, (in ea ſcili-
cet bona voluntate in qua creatus eſt) *ut autem vellet, in ejus reliquit arbi-* Ibid F.
trio.....ſed quia noluit permanere, profectò ejus culpa eſt, cujus meritum fuiſſet, Ibid pag.
ſi permanere voluiſſet: ſicut fecerunt Angeli ſancti, qui cadentibus aliis per li- 768. A.
berum arbitrium, per idem liberum arbitrium ſteterunt ipſi.

Dixerat etiam Cap. 10. n. 27. *Saluberrimè confitemur, quod rectiſſimè credi-* Ibid pag.
mus, Deum ...ſic ordinaſſe Angelorum & hominum vitam, ut in ea priùs oſten- 764. G.
deret quid poſſet eorum liberum arbitrium, deinde quid poſſet gratiæ ſuæ beneficium, & 765.
juſtitiæque judicium. Cùm ait S. Doctor, Deum voluiſſe primùm oſtendere A.
quid poſſet hominis & Angeli liberum arbitrium, omnem ab eis non excludit
gratiam, ſed eam dumtaxat efficacem ac robuſtam qua indiget homo lapſus.

Denique Lib. de dono perſev. Cap. 17. n. 13. de gratia qua perſevera- Ibid pag.
tur, ait: *Non eſt hoc omninò in viribus liberi arbitrii, quales nunc ſunt:* 818. C.
fuerat in homine antequam caderet.

Ex his omnibus, luce meridiana clariùs efficitur, amplum illud diſcri-
men, quod S. Aug. ſtatuit eſſe inter adjutorium gratiæ naturę lapſę, & adju-
torium naturę ſanæ & integrę, in eo unicè reponi, quòd innocenti & inte-
grę naturę datum ſolummodò fuerit adjutorium *ſine quo non*, ſeu gratia ſuf-
ficiens & poſſibilitatis; quia ea ſola indigebat, cùm ſuas integras vires ha-
beret ex juſtitia originali. E contra verò, natura per peccatum vitiata ac
multùm depreſſa, uberiori jam opus habet auxilio, ſeu adjutorio *quo*, &
gratia efficaci, per quam non tantùm poſſit benè agere & perſeverare ſi
velit; ſed etiam, per quam velit reipſa benè agere ac perſeverare.

3. Neceſſitatem adjutorii *quo* ſeu gratiæ efficacis in pręſenti ſtatu, repe-
tit S. Aug. ex noxia concupiſcentia; ex corruptione & infirmitate natu-
ræ per peccatum vitiatę; ex prævia & indeliberata, qua indiget, ut ad
bonum certò inclinetur, motione, delectatione ac ſuavitate gratiæ victri-
cis. Atqui ejuſmodi cauſę & rationes, locum non habuere in ſtatu na-
turę innocentis & integrę. Quapropter gratiam ſanitatis nuſquam S. Aug.
appellat nomine delectationis, voluptatis, pręvię ſuavitatis aut motio-
nis & excitationis victricis, quemadmodum gratiam medicinalem ſępius
appellat. Imò Lib. de nat. & grat. cap. 48. ait, eam fuiſſe *tanquam lumen
ſanis oculis, quo adjuti videant.* In mente igitur S. Doctoris, gratia inno- Ibid pag.
centis naturę ſolam includebat mentis illuſtrationem; cui, pro præſenti 150. G.
ſtatu, ſemper opponit gratiam voluntatis.

Antecedens patet ex S. Aug. citato jam toties Lib. de corrept. & grat. cap. Ibid pag.
11. *Adamus*, inquit, *non opus habebat eo adjutorio, quod implorant juſti cùm* 766. C.
dicunt: Video aliam legem &c. Rationem ſubjicit: *Quoniam*, inquit, *in eis* D.
*caro concupiſcit adversùs ſpiritum, & ſpiritus adversùs carnem; atque in tali
certamine laborantes ac periclitantes, dari ſibi pugnandi vincendique virtutem
per Chriſti gratiam poſcunt. Ille verò nulla tali rixa de ſe ipſo adversùs ſe ipſum
tentatus atque turbatus, in illo beatitudinis loco ſua ſecum pace fruebatur.* Et
Serm. 42. aliàs 29. ex hom. 50. n. 3. quærens quomodo te à te liberat Deus? T. 5. pag.
reſpondet: *Dando tibi vires pugnandi adverſus concupiſcentias tuas, inſpirando* 210. E.

virtu-

Digitized by Google

T.6 pag. *virtutem, dando menti tuæ cœleſtem delectationem.* Et Lib. de continentia Cap.
301. C. 3. *Contra ſuavitatem noxiam,* inquit, *qua vincebat concupiſcentia, Dominus dat ſuavitatem beneficam.* Denique Lib. 2. de peccat. merit. & rem. Cap. 19. n. 32. de gratia medicinali verba faciens, tum mentis illuſtrationem, tum voluntatis ſuavitatem ac delectationem in ea includi affirmat. *Intelligamus,* inquit, *ſi poſſumus, Dominum Deum bonum, ideo etiam ſanctis*
T. 10. p. 57. A. *ſuis alicujus operis juſti aliquando non tribuere vel certam ſcientiam, vel victricem delectationem, ut cognoſcant non à ſe ipſis, ſed ab illo ſibi eſſe lucem, qua illuminentur tenebræ eorum, & ſuavitatem, qua det fructum terra eorum.*

Ibid pag. 152. A. Confirmatur ex eo quòd Pelagio affirmanti, *ipſam non peccandi poſſibilitatem, non tam in arbitrii poteſtate, quàm in naturæ neceſſitate eſſe,* reſpon-
Ibid. C. det S. Aug. L. de natura & gratia cap. 51. n. 59. *Si iſte qui hunc Librum ſcripſit, de illa hominis natura loqueretur, quæ primò inculpata & ſana condita eſt, utcumque acceptaretur hoc dictum.* Quod etiam paulò antè cap. 49.
Ibid. pag. 151. D. familiari comparatione explicuerat. Nam inculcanti Pelagio, *non peccandi poſſibilitatem, velimus, nolimus, inſitam eſſe naturæ;* in hæc verba reſponderat: *De homine ſanis pedibus tolerabiliter dici poteſt, velit, nolit, habet ambulandi poſſibilitatem: Confractis verò, & ſi velit, non habet. Vitiata eſt natura de qua loquitur.* Obſerva iſtas particulas imminuentes, *utcumque, tolerabiliter;* quibus utitur S. Aug. His quippe innuit, hanc Pelagii poſſibilitatem non peccandi, admitti nequidem poſſe in natura innocente ſine gratia. In mente igitur S. Auguſtini, natura ſana & integra eam habebat non peccandi poſſibilitatem, quam Pelagius agnoſcebat in natura lapſa & per peccatum vitiata: at poſſibilitas illa non peccandi, quam admittebat Pelagius, ſolam includebat mentis illuſtrationem, ſeu revelationem Spiritus ſancti, nullam verò voluntatis motionem & præviam excitationem: aut ſaltem nomine poſſibilitatis putabat S. Doctor, eam à Pelagio intelligi, quam Catholici fatebantur, quæ nempe gratiam habitualem includeret. Exiſtimabat igitur S. Auguſtinus, Adamum innocentem habuiſſe dumtaxat gratiam poſſibilitatis, ſeu adjutorium *ſine quo non* poterat benè agere & perſeverare; non autem gratiam actionis, ſeu auxilium *quo* certò & infallibiliter benè ageret & perſeveraret.

Ergo, inquies, Pelagianum dogma, ad ſtatum innocentiæ traducimus?

Fatemur, illam Pelagiani dogmatis partem, quæ motionem voluntatis, ſeu delectationem cœleſtem præviam & indeliberatam ad benè agendum neceſſariam eſſe pernegabant, in natura integra locum habuiſſe: verùm in tribus maximè hìc diſtat noſtra ſententia, ab errore Pelagianorum.
Triplex diſcrimen ſententiæ noſtræ à Pelagiana. Primò, contendimus neceſſariam fuiſſe Adamo ad benè agendum, habitualem gratiam, quam naturalis ejus poſſibilitas complectebatur; ſicut vel ipſe agnoſcit ac demonſtrat Janſenius Lib. de gratia primi hominis cap. 9. At verò Pelagiani funditùs iſtud inficiabantur, ut idem Janſenius oſtendit L. 2. de hæreſi Pelagiana cap. 7. Secundò, affirmamus nòn potuiſſe Adamum benè agere, ſaltem ſine vero & interno adjutorio cognitionis: Pelagiani verò, etſi adjutorium illud ad faciliùs operandum concederent, negabant tamen abſolutè neceſſarium eſſe: ut conſtat ex ſancto Auguſtino, L. de gratia Chriſti, cap. 40. & 41. Tertiò, volebant Pelagiani, propter merita

natu-

Digitized by Google

naturæ, gratiam interioris illuſtrationis concedi; nos verò gratiam planè gratuitam eſſe, nulliſque noſtris meritis debitam fatemur.

Totum igitur diſcrimen gratiæ naturæ innocentis & lapſæ ſpectat 1. perſeverantiam, quæ jam donum eſt ſingulare, quo fit ut quis in bono finaliter perſeveret, atque ex hac vita rapiatur cùm eſt in ſtatu gratiæ: in ſtatu verò innocentis naturæ, libero Angelorum & hominis arbitrio relicta fuerit. Hinc exiſtimant benè multi, S. Auguſtinum in Lib. de Corrept. & Gratia cap. 11. & 12. de ſolo illo dono perſeverantiæ, qua quis formaliter perſeverat, non autem de gratia actuali interiori ad ſingulos actus bonos neceſſaria, intelligendum eſſe; quam controverſiam ſuo loco agitabimus. Spectat 2. adjutorium *quo*, quod quidem in præſenti ſtatu neceſſarium eſt præter auxilium ſine *quo non*; in ſtatu verò naturæ innocentis neceſſarium non fuit, cui ſatis erat auxilium *ſine quo non*.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. auctoritatem S. Aug. L. 12. de Civitate Dei cap. 9. ubi manifeſtè docet omnes Angelos in bona voluntate, ſeu amore caſto conditos à Deo fuiſſe: bonos in eo perſeveraſſe, ampliori auxilio gratiæ adjutos; malos verò ab eo defeciſſe, quia minorem acceperunt divini amoris gratiam.

Iſtam, (bonam voluntatem) inquit, *quis fecerat, niſi ille qui eos cum bona voluntate, id eſt, cum amore caſto, quo illi adhærerent, creavit, ſimul eis & condens naturam, & largiens gratiam? Unde ſine bona voluntate, hoc eſt, Dei amore, numquam ſanctos Angelos fuiſſe, credendum eſt. Iſti autem, qui cùm boni creati ſunt, tamen mali ſunt, mala propria voluntate ..... aut minorem acceperunt amoris divini gratiam, quàm illi qui in eadem perſtiterunt; aut ſi utrique boni æqualiter creati ſunt, iſtis mala voluntate cadentibus, illi ampliùs adjuti, ad eam beatitudinis plenitudinem, unde ſe numquam caſuros certiſſimi fierent, pervenerunt: ſicut jam etiam in Libro, quem ſequitur iſte, tractavimus.* Hoc eſt in Libro 11. de Civitate Dei cap. 13. ubi dixerat: *Reſtat, ut aut impares fuerint; aut ſi pares fuerunt, poſt iſtorum ruinam illis certa ſcientia ſuæ ſempiternæ felicitatis acceſſerit.* Audis aſſerentem S. Doctorem, Angelos, qui propria voluntate mali facti ſunt, vel minorem divini amoris gratiam accepiſſe; vel bonos ampliori auxilio adjutos fuiſſe. Amplius autem illud adjutorium, eſt donum ſingulare perſeverantiæ, quod ab Auguſtino L. de Correptione & Gratia cap. 12. dicitur *adjutorium quo*. In mente igitur hujus S. Doctoris, boni Angeli acceperunt amplius, præ malis, gratiæ adjutorium, quo reipſa in amore caſto perſeverarunt.

T. 7. pag. 308. A.

Ibid. pag 283. B.

Reſp. nego ant. Amplius quippe illud adjutorium quod acceperunt Angeli boni, non fuit adjutorium viæ, ſeu ad perſeverandum conceſſum, ſed adjutorium patriæ & termini; ipſa ſcilicet plenitudo beatitudinis, ſeu certa ſcientia, qua cognoverunt ſe nuſquam a beatitudine caſuros: quæ quidem perpetuæ beatitudinis certitudo ac ſecuritas, ipſis à Deo conceſſa fuit, in præmium ſuæ in bono perſeverantiæ. Hanc eſſe S. Doctoris mentem, apertè declarant vel iſta ipſius verba citata: *illi ampliùs adjuti, ad eam beatitudinis plenitudinem, unde ſe numquam caſuros certiſſimi fierent, pervenerunt.*

Quæ

Quæ quidem S. Doctoris ſententia, ut penitiùs introſpiciatur, altiùs repetenda eſt. Scilicet Lib. 11. de Gen. ad Litteram cap. 17. & ſequentibus, quæſtionem iſtam moverat S. Aug. an boni Angeli præſcii fuerint æternę ſuę beatitudinis; & mali, ſui caſus ac futuræ damnationis. Ratio dubitandi hæc erat, quòd omnes beati pariter conditi fuerunt: ſtare autem & conciliari non poteſt illa beatitudo, vel cum ſcientia futuræ damnationis, vel cum anxietate felicitatis æternùm duraturę. Hanc verò quęſtionem, citato in Libro non ſolvit, ſed in ſuſpenſo reliquit; quam rurſus agitat Lib. 11. de Civitate Dei cap. 13. ubi anceps adhuc & dubius ait: *Aut impares fuiſſe in donis gratiæ Angelos; aut ſi pares fuerunt, poſt malorum ruinam, bonis certam ſcientiam ſuæ ſempiternæ felicitatis acceſſiße.*

Demum, lib. de Correptione & Gratia c. 10. eamdem quęſtionem revocans & affirmatè diſſolvens, docet 1. Angelos bonos nunc certos eſſe ſe perpetuò beatos fore. 2. malos Angelos ignoraſſe ſe in miſeriam caſuros, antequam reipſa caderent. 3. Angelos bonos certiores factos fuiſſe de ſua æterna beatitudine, in præmium ſuæ in bono perſeverantię; atque tum primùm completè ac plenè beatos fuiſſe, cùm antea plenitudinem beatitu-
T. 10. p. dinis non magis habuerint quàm ipſimet mali. *Angeli quidam*, ait S. Doctor
765. B. L. de Corrept. & Gratia cap. 10. n. 27. *quorum princeps eſt qui dicitur diabolus, per liberum arbitrium à Domino Deo refugæ facti ſunt ..... Cæteri autem per ipſum liberum arbitrium in veritate ſteterunt, eamque de ſuo caſu numquam futuro*
Ibid. D. *certiſſimam ſcire meruerunt.* Et poſtea. *Diabolus verò & Angeli ejus, etſi beati erant antequàm caderent, & ſe in miſeriam caſuros eſſe neſciebant, erat tamen quod eorum adhuc adderetur beatitudini, ſi per liberum arbitrium in veritate ſtetiſſent, donec iſtam ſummæ beatitudinis plenitudinem, tanquam præmium ipſius permanſionis acciperent, id eſt, ut magna per Spiritum ſanctum data abundantia charitatis Dei, cadere ulteriùs omnino non poſſent, & hoc de ſe certiſſimè noſſent. Hanc plenitudinem beatitudinis non habebant: ſed quia neſciebant ſuam futuram miſeriam, minore quidem, ſed tamen beatitudine ſine ullo vitio fruebantur. Nam ſi ſuum caſum futurum noſſent æternumque ſupplicium, beati utique eſſe non poſſent, quos hujus tanti mali metus jam tunc miſeros eſſe compelleret. Sic & hominem fecit cum libero arbitrio, & quamvis ſui futuri caſus ignarum, tamen ideo beatum, quia & non mori, & miſerum non fieri in ſua poteſtate eſſe ſentiebat.* Hæc S. Auguſtinus, ex quibus liquidò intelligitur, in Libris de Civitate Dei 11. cap. 13. & 12. cap. 9. cum loqui de ampliori adjutorio, non quod daret ipſam perſeverantiam, ſed quod eſſet perſeverantiæ merces ac pręmium; ſeu de adjutorio termini & patriæ, non de adjutorio viæ ac certaminis: tale verò adjutorium patriæ, fuit plena ſecuritas ac certitudo beatitudinis æternùm poſſidendæ. Id ita eſſe, patet vel ex eo maximè, quòd locis citatis ex cap. 13. Libri undecimi, & ex cap. 9. Libri duodecimi de Civitate Dei, aſſerat omnes Angelos ęqualiter beatos conditos fuiſſe; atq; ampliùs illud bonorum Angelorum adjutorium, ipſis, non niſi poſt malorum ruinam, conceſſum eſſe. Sed tale adjutorium, patriæ fuit, non viæ: tum quia, ſi viæ fuiſſet, falsò ſupponeret Aug. omnes Angelos æqualiter beatos conditos fuiſſe, quandoquidem, qui perſeverarunt, ampliori auxilio adjuti, perſeverantiam accepiſſent in adverſa ſententia: tum quia, eodem inſtanti mali Angeli à gratia, in qua creati fuerant; per

liberum

liberum arbitrium exciderunt ac damnati ſunt, quo boni in accepta gratia per liberum arbitrium perſeverantes, pervenerunt ad illud amplius adjutorium, hoc eſt, ad beatitudinem, per quam certi facti ſunt ſe nuſquam ea privandos fore. At adjutorium quod datur poſt bonorum Angelorum perſeverantiam in bono, & ruinam malorum, non eſt adjutorium perſeverantiæ ſeu viæ, ſed patrię & termini; quod, ut dictum eſt ſæpiùs, conſiſtit in ea plena ſecuritate ac certa ſcientia, qua boni Angeli ſe nunquam à beatitudine caſuros eſſe cognoverunt; de qua una quæſtionem moverat S. Aug. in libris citatis de Gen. ad Litteram, & de Civitate Dei.

Inſtabis 1. Si hoc adjutorium, quo beati Angeli dicuntur adjuti in mente S. Aug. eſſet ipſa beatitudo, ſenſus S. Doctoris redderetur ineptus: ſcilicet Angelis collatam eſſe beatitudinem, qua ad beatitudinem pervenirent. Hæc quippe verba, *ampliùs adjuti pervenerunt*, ſatis indicant loqui S. Doctorem de adjutorio quo adjuti ſunt ad perſeverandum; non verò de cognitione futuræ beatitudinis æternę, quam accepere poſtquam pervenerunt: aliàs non dixiſſet; *amplius adjuti pervenerunt*, ſed potiùs, *poſtquam pervenerunt, amplius adjuti ſunt*.

Adde S. Doctorem toto hoc capite diſputare de cauſa efficiente bonæ, melioris, & perſeverantis voluntatis in rationali creatura, maximè in Angelis, quam cauſam concludit eſſe Deum: ergo loquitur de adjutorio dato ad perſeverandum, non autem de adjutorio dato poſt perſeverantiam.

Reſp. ad 1. Nego ineptum eſſe verborum S. Aug. ſenſum; neque verò ille eſt quem fingit Eſtius, quaſi beatitudine adjuti Angeli, ad beatitudinem perveniſſent; eſſet enim identica, ut dicunt, propoſitio: at ſenſus eſt, ipſa beatitudine tanquam ampliori auxilio adjuti boni Angeli pervenerunt ad certam ſcientiam æternæ ſuæ felicitatis, de qua una diſputaverat S. Doctor in citatis Libris de Geneſi ad Litteram, & de Civitate Dei. *In primū diſt. 41. parag. 15.*

Ad 2. Negandum eſt S. Auguſt. loqui de ampliori adjutorio, quod fuerit cauſa efficiens perſeverantiæ bonorum Angelorum: hanc enim perſeverantiam ad eorum refert liberum arbitrium divina gratia inſtructum. Loquitur ergo de cauſa formali perſeverantiæ, ſeu de ipſa perſeverantia, qua quis fit formaliter perſeverans; quemadmodum ipſa beatitudine fit formaliter beatus: atque contendit perſeverantiam, qua quis in præſenti naturæ lapſæ ſtatu fit perſeverans, eſſe donum Dei ſingulare, quo nempe ſic hominis vitam Deus dirigit ac diſponit, ut hono opportunè eam finiat, quando gratia ſanctificante inſtructus eſt; in ſtatu verò naturę innocentis, perſeverantiam relictam fuiſſe libero Angelorum & Adami arbitrio.

Inſtabis 2. Adjutorium quo pervenitur ad terminum, eſt adjutorium viæ: atqui adjutorio quo Angeli boni amplius adjuti ſunt, pervenerunt ad terminum; ergo fuit adjutorium viæ ſeu perſeverantiæ.

Reſp. Diſtinguo maj. Adjutorium quo pervenitur ad terminum, hoc eſt ſimpliciter ad beatitudinem, eſt adjutorium viæ, concedo: quo pervenitur dumtaxat ad certam ſcientiam beatitudinis æternùm poſſidendæ, nego. Diſting. min. Adjutorio quo boni Angeli amplius adjuti ſunt, pervenerunt ad certam illam cognitionem, qua ſecuri facti ſunt ſe æternùm beatos fore, concedo: pervenerunt ſimpliciter ad beatitudinem, nego.

Inſtabis 3. Securitas nuſquam excidendi à beatitudine, eſt formaliter ipſamet

Digitized by Google

met beatitudo: neque enim ille verè beatus eſſe poteſt, quem metus amittendę beatitudinis miſerum reddit & excruciat, teſte S. Auguſt. L. de Corrept. & Gratia cap. 10. Ergo eo ipſo, quo boni Angeli perſeverando ad beatitudinem pervenerunt, etiam pervenerunt ad illam ſecuritatem felicitatis numquam finiendę, adeoque auxilium quo dicuntur amplius adjuti perveniſſe, non poteſt eſſe beatitudo, ſed ipſummet perſeverantię donum prorſus ſingulare.

Reſp. nego ant. Formalis enim beatitudo in viſione Dei intuitiva & amore conſiſtit; cui, tanquam effectus conſequens, annexa eſt plena illa ſecuritas ac certitudo nuſquam excidendi à beatitudine.

Inſtabis 4. Securitas ſeu certa ſcientia æternę felicitatis, in mente S. Aug. eſt plenitudo beatitudinis: atqui amplius illud adjutorium, quo boni Angeli adjuti pervenerunt ad illam beatitudinis plenitudinem, eſt perſeverantia; ergo perſeverantia eſt adjutorium illud amplius, quo boni Angeli pervenerunt ad ſecuritatem ſeu certam ſcientiam felicitatis æternæ.

Reſp. nego min. Perſeverando quidem, Angeli boni pervenerunt ad plenitudinem beatitudinis; at perſeverantia non fuit donum illud majus, quo Lib. de Civitate Dei 12. cap. 9. S. Aug. ait bonos Angelos adjutos fuiſſe: perſeverantiam enim illam non fuiſſe tunc donum ſingulare, quale jam eſt, ſed libero Angelorum & Adami arbitrio permiſſam, diſertè affirmat. Quamquam igitur in pręmium ſuę perſeverantię, boni Angeli pervenerint ad illam certam ſcientiam beatitudinis æternùm permanſurę, perſeverantia tamen non fuit in illis donum ſingulare, neque etiam fuit amplius illud adjutorium, quo adjuti ad illam ſcientiam pervenerunt; ſed adjutorium illud, ex dictis, fuit ipſamet beatitudo formalis, ſeu Dei aperta fruitio.

Inſtabis 5. Adjutorium, quo boni Angeli amplius adjuti ad beatitudinis plenitudinem pervenerunt, eſt, in doctrina S. Aug. citato Lib. de Corrept. & Gratia cap. 10. *abundantia charitatis data per Spiritum ſanctum*: ſed abundantia illa charitatis eſt ipſummet perſeverantię adjutorium; ergo &c.

Reſp. nego min. Abundantia enim illa charitatis eſt ipſamet beatitudo, quę eſt conſummata ac perfecta charitas, qua beati in Cœlis perfunduntur, ubi Deus ſine fine videtur, ſine faſtidio amatur, ſine fatigatione laudatur.

Inſtabis 6. S. Auguſt. Lib. 12. de Civitate Dei cap. 9. docet, Angelos bonos accepiſſe à Deo gratiam quę efficeret velle: gratia porro illa fuit adjutorium *quo*.

Antecedens patet; quia docet, Angelos accepiſſe à Deo bonam volunta-
T. 7. pag. tem, & conditos in amore caſto. *Iſtam*, inquit, *quis fecerat, niſi ille qui eos cum*
308 A. *bona voluntate, id eſt, cum amore caſto, quo illi adhærerent, creavit, ſimul eis &*
Ibid pag. *condens naturam & largiens gratiam?* Et antea..... *profectò & bonam voluntatem,*
307. F. *qua meliores eſſent, niſi operante adjutorio Creatoris habere non poſſent.*

Reſp. diſtinguo ant. S. Aug. docet, Angelos bonos accepiſſe à Deo gratiam quę efficeret ipſum velle; id eſt, ſine qua non potuiſſent illi benè velle, aut agere, concedo: id eſt, quę certò & infallibiliter dederit & velle, & agere, nego. Duas citato in loco S. Doctor opiniones proponit; quarum altera, Angelos amore caſto numquam caruiſſe; altera, ſine eo aliquamdiu illos fuiſſe, contendebat. Tum ex utraque illud certum colligit ac demonſtrat, volun-

tatem

tatem ſcilicet bonam, nonniſi à Deo eſſe; neque enim Angeli ex propriis ſuæ naturę viribus Deum amore illo caſto dilexerunt, ſed ex gratia naturę ſuperaddita. Qualis verò fuerit illa gratia, an efficax an ſufficiens, ibi non expendit S. Doctor, ratus ſatis ſibi eſſe, ſi demonſtraſſet neceſſariam fuiſſe charitatem in Angelis diffuſam, per quam Deum amore caſto diligere poſſent. Perinde autem nobis eſt, ſi nomine bonę voluntatis, intelligatur aut ipſamet bona volitio, ſeu voluntas in actu ſecundo gratia actuali adjuta; aut voluntas habitualis, ſeu in actu primo, inſtructa ſcilicet gratia ſanctificante: utraque enim gratia, & Angeli & Adamus opus habuere. Modò tamen obſerves, gratiam illam actualem neceſſariam, non fuiſſe auxilium *quo*, ſeu efficax, quod certò & infallibiliter daret velle & agere; ſed fuiſſe dumtaxat auxilium *ſine quo non*, ſeu ſufficiens, ſine quo non potuiſſent ſive Angeli, ſive primus homo, benè agere, & cum quo poterant.

Inſtabis 7. Idem S. Aug. Concione in Pſal. 32. Enarr. 3. n. 5. docet, Angelos, quos ibi Cœlorum nomine deſignatos fuiſſe ait, *à Deo firmatos & ſolidatos fuiſſe in virtute. Verbo Domini*, inquit, *Cœli ſolidati ſunt. Quid eſt autem ſolidatos eſſe, niſi habere ſtabilem & firmam virtutem?* Ergo ſup- T. 4. p. 197. F.
ponit S. Doctor, Angelos bonos à Deo ampliori gratiæ auxilio firmatos, in accepta gratia ſanctificante perſeveraſſe.

Reſp. diſtinguo ant. Docet, Angelos à Deo firmatos & ſolidatos fuiſſe per auxilium gratiæ *ſine quo*, ſeu ſufficiens; *ſine quo* nec benè velle, nec benè agere potuiſſent, concedo: per auxilium *quo*, ſeu efficax, nego. Non alius eſt eo loci S. Doctoris ſcopus, quàm ut oſtendat, Angelos opus habuiſſe divina gratia, non tantùm habituali, ſed etiam actuali: *Neque enim*, ait ibidem, *aliquid ex ſe ipſis habuerunt*. Et, ut loquitur L. de natura & gratia cap. 26. *ſicut oculus corporis etiam pleniſſimè ſanus, niſi candore lucis adjutus, non poteſt cernere: ſic & homo etiam perfectiſſimè juſtificatus, niſi æterna luce juſtitiæ divinitus adjutus, rectè non poteſt vivere:* Et Synodus Arauſicana Can. 19. *Natura humana*, inquit, *etiamſi in illa integritate, in qua condita eſt, permaneret, nullo modo ſe ipſam, Creatore ſuo non adjuvante, ſervaret*. Qualis porro fuerit ea gratia, non exponit S. Auguſtinus citata Concione in Pſalm. 32.
T. 10. p. 140. A. B.
Tom. 4. Conc. p. 1670. B.

Inſtabis 8. Ad Angelos non minùs quàm ad homines, hæc Apoſtoli verba, *Quis te diſcernit? quid habes quod non accepiſti?* pertinere docent SS. Anſelmus & Auguſtinus. Primus, Libro de caſu diaboli cap. 1. quærenti diſcipulo, *an illud Apoſtoli, Quid habes quod non accepiſti? hominibus tantùm dicatur, an & Angelis? reſpondet: Nulla creatura habet aliquid à ſe. Quod enim ſe ipſum à ſe non habet, quomodo habet à ſe aliquid?* Inde colligit cap. 2. ideo Angelos perſeverantiam habuiſſe, quia acceperunt; & ideo accepiſſe, quia Deus dedit. S. pariter Aug. Lib. 11. de Gen. ad litt. c. 8 n. 10. ait, omnem creaturam nonniſi in Domino gloriari debere: *cùm cognoſcit non ſuum, ſed illius eſſe, non ſolùm ut ſit, verùm etiam ut nonniſi ab illo benè ſibi ſit, à quo habet ut ſit*. Et Enarratione in Pſ. 70. Serm. 2. n. 5. *Ne putes*, inquit, *hominem ſolum pertinere ad gratiam Dei. Quid erat Angelus antequam fieret? quid eſt Angelus, ſi deſerat qui creavit?* Ergo ſupponit illos ſingulare accepiſſe perſeverantiæ donum.
Ed. Gerb p. 62. A.
T. 3. par. 1. p. 279. D.
T. 4. pag. 737. D.

Reſp. Nego conſeq. Nulla quippe creatura poteſt in ſe ipſa gloriari, quæ ex ſe

ex ſe ipſa nihil prorſus habet. Tota igitur diſcretio in gratiam Dei refundi debet, ſine qua nihil omnino boni, quod ad ſalutem pertineat, homo poteſt operari. Et quamquam gratia libero ipſius permittatur arbitrio ut ipſi conſentiat, vel non conſentiat, etiam cùm ipſi conſentit, altero reluctante, à ſe ipſo non diſcernitur, ſed per gratiam, quæ boni totius cauſa eſt principalis. *Neque enim*, ait S. Aug. L. 12. de Civitate Dei c. 9. *Angeli ſe ipſos meliores fecerunt, quàm à Deo facti ſunt, ſed in eadem bona voluntate permanſerunt, in qua primùm conditi fuere.* (T. 7. pag. 307. E.)

Inſtabis 9. Ex dictis inter probationes noſtræ concluſionis, auxilium *quo* includit motionem voluntatis, per quam illa ad opus bonum certiſſimè inclinatur: atqui S. Aug. docet, gratiam quæ Adamo conceſſa eſt, re ipſa conjunctam habuiſſe voluntatis motionem. *Si* (Adami) *voluntas*, inquit, L. 14. de Civitate Dei cap. 13. *in amore ſuperioris immutabilis boni, à quo illuſtrabatur ut videret, & accendebatur ut amaret, ſtabilis permaneret, non inde ad ſibi placendum averteretur*, &c. Ergo S. Doctor exiſtimat gratiam illam fuiſſe auxilium *quo*. (Ibid pag. 364. F.)

Reſp. diſtinguo min. Atqui S. Aug. docet, gratiam quæ Adamo conceſſa eſt, conjunctam habuiſſe voluntatis motionem; id eſt, gratiam actualem neceſſariam ut habitualis in actum erumperet, quæ libero Adami arbitrio relicta fuit, concedo: id eſt, motionem præviam, ſeu indeliberatam illam delectationem, quæ voluntatem ad opus bonum certiſſimè & infallibiliter inclinat, & quæ ab Auguſtino vocatur auxilium *quo*, & gratia victrix, nego. Talem quippe gratiam non habuit homo primus, qui reipſa in accepta bona voluntate non perſeveravit; ſed talem habuit, ſine qua perſeverare non potuiſſet, & cum qua perſeveraſſet, ſi voluiſſet.

Inſtabis 10. S. Aug. L. 12. de Civitate Dei cap. 9. & Concione in Pſalm. 70. docet, bonam Angelorum & Adami voluntatem, in qua conditi ſunt, ac perſeverantiam bonorum Angelorum, fuiſſe ſpecialia Dei dona. Et Lib. De Correptione & Gratia cap. 10. de Adamo in ſtatu innocentiæ ait; *non habuit perſeverantiam; & ſi non habuit, non utique accepit*. Supponit igitur S. Doctor, Adamum opus habuiſſe ſingulari dono perſeverantię, eumque idcirco non perſeveraſſe, quia tale donum non accepit. Econtra, perſeveraſſe bonos Angelos, quia ſpeciale illud donum à Deo acceperunt. (T. 10. pag. 764. F.)

Reſp. ad 1. diſtinguo ant. Docet, bonam illam voluntatem ac perſeverantiam, fuiſse dona Dei ſpecialia; hoc eſt, fuiſse gratiam gratuitam, ſine qua nec bona voluntas, nec perſeverantia in ipſis eſse potuiſſet, concedo: fuiſse ſpecialia Dei dona, qualia ſunt in pręſenti ſtatu naturę corruptę; hoc eſt, gratiam efficacem & victricem, ſeu auxilium quo certò & infallibiliter datur & benè agere & perſeverare, nego. Atque inde eſt, quòd S. Doctor aſserat perſeverantiam, quę in ſtatu innocentię futura erat merces meriti Adami, nunc planè gratuitum eſse ac ſpeciale divinę miſericordię donum. *Quæ*, inquit cap. 11. n. 32. Lib. de Corrept. & Gratia, *futura erat & homini ſicut facta eſt Angelis ſanctis, merces meriti: nunc autem per peccatum perdito bono merito, in his qui liberantur, factum eſt donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.* (Ibid. pag. 768. D.) Et cap. 106. Enchiridii: *Hanc*, inquit, *acceptura eſt per gratiam, quam fuerat, ſi non peccaſſet, acceptura per meritum: quamvis ſine gratia nec tunc ullum meritum eſſe potuiſſet*. Quę S. Doctoris ſententia, non eſt ad ſenſum Baii & Janſeni (T. 6. pag. 236. E.)

ſeni

Digitized by Google

ſenii ſic intelligenda, quaſi perſeverantia in ſtatu innocentiæ non fuiſſet gratuitum divinę gratię donum: *Neque enim tunc*, ait Aug. mox citatus, *nullum ſine gratia meritum eſſe potuiſſet*; atque in gratiam ipſam, tanquam in nobiliorem cauſam, referri ſemper debuiſſet perſeverantis à non perſeverante diſcretio: Sed hoc ſenſu debet intelligi, quòd cùm hæc gratia fuerit dumtaxat auxilium *ſine quo*, permiſſum libero voluntatis Adami arbitrio, nec ullam prçviam & indeliberatam motionem ac delectationem voluntatis adjunctam habuerit, qua non indigebat integra & ſana natura; idcirco non dicitur ſingulare ac ſpeciale donum fuiſſe, quale nunc eſt; ac merces meriti, potiùs quàm gratuitum, hoc eſt, ſpeciale donum appellatur. Quapropter in ſtatu innocentiæ, voluntas per ſuum liberum arbitrium gratia divina elevatum, dicebatur agere: nunc verò dicitur Deus in ea agere, non quòd voluntas nihil agat, aut gratiæ moventi non cooperetur (procul tale Calvini impium figmentum!) ſed quòd ſpeciali & efficaci Dei auxilio indigeat, ut bonum operetur, quo Adamus innocens non indigebat.

Ad 2. ex cap. 10. Lib. de Corrept. & Gratia, Reſpondeo, ex ipſa lectione textus manifeſtum eſſe, citata verba continere objectionem S. Aug. propoſitam, non verò propriam ipſius ſententiam. Sæpiùs quippe repetit eo in libro, Adamum cum eo adjutorio gratiæ, quod acceperat, perſeverare potuiſſe, ſi voluiſſet.

Objicies 2. auctoritatem SS. Fulgentii & Bernardi, qui docent bonos Angelos ſingulari dono perſeverantiæ adjutos, in ea bona voluntate permanſiſſe, in qua conditi fuerant.

S. Fulgentius L. 2. ad Traſimundum cap. 2. *Profectò*, inquit, *cognoſcitur, uniformi cunctos* (Angelos) *opprimi potuiſſe ruinæ conſortio, niſi quos vellet, à caſu pravitatis virtus illa defenderet*. Et c. 3. *Non alia ſtantem Angelum à ruina potuit cuſtodire, niſi illa, quæ lapſum hominem poſt ruinam potuit reparare. Una eſt in utroque gratia operata; in hoc, ut ſurgeret; in illo, ne caderet: in illo, ne vulneraretur; in hoc, ut ſanaretur.* *Ed. Par. 1684. p. 90.*

S. Bernardus ſerm. 22. in Cantica n. 6. *Qui erexit*, inquit, *hominem lapſum, dedit ſtanti Angelo ne laberetur: ſic illum de captivitate eruens, ſicut hunc à captivitate defendens.* *T. 1. pag. 1336. B.*

Reſp. teſtimonia hæc, ſi ad rigorem litteræ urgeantur, plùs efficere, quàm ipſi velint adverſæ opinionis patroni. Efficerent ſcilicet, nullum eſse diſcrimen inter gratiam utriuſque ſtatus; ac parem illius eſſe non modo neceſſitatem, ſed etiam efficaciam ac modum agendi. Atqui tamen diſcrimen aliquod eſſe, in confeſſo eſt apud omnes.

Laudata igitur teſtimonia evincunt dumtaxat, gratiam, quoad ſubſtantiam, æqualiter neceſſariam eſſe ad benè agendum & perſeverandum naturæ innocenti & lapſæ; quod unum procul dubio volunt SS. Fulgentius & Bernardus. Quantùm verò ad vim & efficaciam, ſeu agendi modum illius, diſparem fuiſſe non negant illi; quamquam eò loci non exponant qua in re diſcrimen illud poſitum fuerit.

Inſtabis. Ea gratia ęqualis fuit, quoad efficaciam & modum agēdi pro utroque ſtatu, quę conceſſa fuit à Deo, ex ſpeciali voluntate diſcernendi bonos à malis: atqui talis fuit gratia Angelis conceſſa, ex S. Fulgentio; ergo &c.

Reſp. nego min. Gratia enim omnibus Angelis conceſſa fuit, ut cum ea

perſeverarent in bono, ſi vellent; & ſine qua perſeverare non potuiſſent: cum qua boni reipſa perſeverarunt; mali verò, perſeverare noluerunt. Neque verò ex laudatis S. Fulgentii verbis effici poteſt, Deum ex ſpeciali voluntate bonis majorem contuliſſe gratiam, qua certò ad perſeverandum inducti ſunt: ſcopus enim S. Doctoris iſte unus eſt, ut probet gratiam quoad ſubſtantiam planè Angelis & Adamo neceſſariam fuiſſe; ſine qua, omnes æquali ruinæ conſortio involvi & opprimi potuiſſent.

ARTICULUS SECUNDUS.

De ſtatu naturæ lapſæ, & per Chriſtum reparatæ.

Duos illos ſtatus naturæ, utpote conjunctos, conjungimus: de quibus, cùm toto hujus Tractatus decurſu, ex profeſſo dicturi ſimus, obſervaſſe hìc ſufficiat; ſtatum naturæ lapſæ illum eſſe, in quo verſamur poſt lapſum Adami, in quo omnes peccaverunt, ac naſcuntur filii iræ & indignationis, obnoxii peccato, morti, cæteriſque hujus vitæ miſeriis, quas quiſque proprio ſenſu & experientia meliùs percipit, quàm verbis exprimere valeat. Unde Eccleſiaſtici 40. v. 1. dicitur. *Grave jugum ſuper filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, uſque in diem ſepulturæ in matrem omnium*. Statum verò naturæ per Chriſtum reparatæ illum eſſe, in quo per merita Chriſti liberamur à noxa peccati originalis cæteriſque actualibus, atque reſtituimur primævo illi juri quod habebamus ad vitam æternam, ex quo per peccatum primi parentis excideramus. In hoc ſtatu reparatæ naturæ, non omnia per peccatum Adami inflicta vulnera ſanantur; ſed omnes ferè pœnalitates, ad agonem & virtutis exercitium in nobis remanent. *Virtus enim in infirmitate perficitur*. 2. Cor. 12. v. 9.

ARTICULUS TERTIUS.

De ſtatu naturæ puræ, an ſit poſſibilis?

Status naturæ puræ ille dicitur, in quo naſceretur homo ſine gratia, & ſine peccato; obnoxius tamen morti, cæteriſque miſeriis, quę naturam ipſam conſequuntur.

Diſtinguitur ſtatus ille à ſtatu innocentiæ, quia careret omni dono ſupernaturali: à ſtatu naturæ lapſę, quia nullum in eo eſſet peccatum naturę ſeu originis; à ſtatu naturę integrę, quia nullum eſſet auxilium ordinis naturalis, quo natura in officio contineri poſſet: denique, à ſtatu naturę lapſę non reparatæ, vel etiam non reparandæ: 1. Quia finis hominis in ſtatu naturæ purę, eſſet merè naturalis; non ita in ſtatu naturæ lapſæ non reparatæ, vel etiam nuſquam reparandę. 2. Quia in ſtatu naturę purę, naſceretur homo ſine peccato. 3. Quia in ſtatu naturę purę, carentia gratię eſſet per modum ſimpli-

ſimplicis negationis; in ſtatu verò naturę lapſę, per modum privationis, quia privatur homo eo dono quo antea ornatus fuerat: & diſcrepat uterque ille ſtatus, ſicut homo nudus à ſpoliato; hic nempe amiſit, quod alter nondum habuit. 4. denique, quia ignorantia, concupiſcentia, mors, & alię naturę noſtrę miſerię, in ſtatu naturę purę non eſſent effectus & pœnę peccati, ſicut in ſtatu præſenti; ſed eſſent appendices naturę humanę: ſeu, ut loquitur S. Auguſt. poſtea laudandus, primordia naturalia.

Homo igitur in eo ſtatu, eas omnes haberet perfectiones, quas ejus natura exigit, ſimul & imperfectiones, quæ ex natura ipſius conſequuntur.

Quæſtio eſt, utrùm ſtatus ille ſit poſſibilis, vel non? an repugnet ex parte hominis, vel ex parte Dei?

Cujus quidem quęſtionis ſtatus, ut clarè ac dilucidè intelligatur; revocandum eſt quod ſuperiùs jam fuit obſervatum: nempe, pluribus modis rem aliquam dici poſſet naturalem.

1. Quia ab ipſa nativitate conceditur. 2. Quia naturę conſentanea eſt, quam ornat & perficit. 3. Quia eſt rei ipſius eſſentia ſeu natura; vel ſaltem ejus proprietas, & quædam appendix naturam ipſam conſequens. 4. Quia eſt rationi & æquitati conſentanea; ita ut ſine læſione rationis atque juſtitiæ denegari non poſſit.

De duobus prioribus modis hìc quæſtio non movetur. Certum enim eſt, hoc duplici ſenſu, juſtitiam originalem dici poſſe homini naturalem.

Senſus igitur præſentis controverſiæ duplex dumtaxat fingi poteſt.

Primus. Juſtitia originalis eſtne homini hoc ſenſu naturalis, ut ſit vel ejus eſſentia, vel ſaltem pars ſeu proprietas & appendix eſſentiæ ipſius? quomodo ad naturam hominis pertinet, ut ſit animal mente ac ratione præditum; & ad ejus proprietatem, ut ſit animal riſibile.

Secundus. Suppoſito quòd juſtitia originalis ſit homini adventitia & extranea, poteſtne Deus, ex potentia virtutibus juſtitię, ſapientię, bonitatis, ac providentię temperata, hominem creare innocentem, & tamen obnoxium morti, doloribus, ac omnibus miſeriis quibus ſubjacemus? eſtne iſtud contrarium ejus juſtitię, ſanctitati ac providentię? Si ita eſt; prorſus impoſſibile judicari debet: Deus enim *ſe ipſum negare non poteſt*: 2. ad Timot. 2. v. 13. nec quidquam moliri quod ſuę juſtitiæ, ſanctitati, cæteriſque virtutibus adverſetur. *In Deo*, ait S. Anſelmus L. 1. cur Deus homo c. 10. *quantumlibet parvum inconveniens ſequitur impoſſibilitas*. En ſtatus quæſtionis, circa quam errarunt

1. Pelagiani, qui ſtatum illum, de quo diſputamus, non tantùm poſſibilem, ſed reipſa extitiſſe voluerunt, in quo naſcimur omnes ſine gratia & ſine peccato. Illos ſtrenuè ac invictè repreſſit S. Aug. tum auctoritate Scripturæ, quæ docet hominem à Deo rectum eſſe conditum, omnibus juſtitię originalis donis ac prærogativis ornatum: tum ex ipſis hujus vitę miſeriis, ignorantia, concupiſcentia, morte &c: quę in præſenti rerum ſtatu, qualem Deus inſtituit, effectus ſunt & pœnæ peccati originalis. *Per unum hominem*, ait Apoſt. Rom. 5. v. 12. *peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*. Fruſtra Janſenius multa ex Aug. colligit congeritque teſtimonia, quibus id efficiat quod nullus inficiatur Catholicus. Agit quippe S. Doct. ex hypotheſi (quam demonſtrat) præſentis naturę ſtatus, in quo certiſſimum eſt, miſerias, quibus ſubjacemus, *Ed. nov. p. 79. col. 1. C.*

pœnas eſſe noxæ originalis. Quęſtio verò quam hic verſamus, eſt de ſtatu poſſibili, in quo miſerię illæ forent hominis primordia naturalia; nec haberent pœnæ ſeu punitionis ac vindictæ rationem.

2. Lutherus loco antea citato in 3. caput Geneſeos, juſtitiam originalem homini tam naturalem fuiſſe contendit, quàm naturale eſt oculo ut lumen percipiat. Verba ſuperiùs relata ſunt.

3. Durum loquendi modum Lutheri temperavit ac emollivit Calvinus. Is enim repugnantiam ſtatus puræ naturę, in quo primitiùs homo conderetur ſine originali juſtitia, unicè repetere videtur ex juſtitia, bonitate ac providentia Dei. *In contumeliam Dei recideret*, ait ille L. 1. Inſtit. c. 15. n. 1. *ſi quid vitii naturæ ineſſe probaretur*. Et Lib. 2. c. 1. n. 6. *Minimè conſentaneum eſt, Deum fieri mortis auctorem*. Fatendum eſt, quotquot impoſſibilem aſſerunt naturę purę ſtatum, eos non alio, quàm Calvini ſenſu, id aſſeruiſſe.

4. Hic ipſe fuit Baii Doctoris ac Cancellarii Lovanienſis ſenſus, hæc ſententia, ſicut & Janſenii, qui Tomo 2. tribus Libris integris, præſens verſat argumentum; ac fusè oſtendere conatur, ſtatum illum naturæ puræ, pugnare cum juſtitia, providentia & bonitate Dei: qua fit, ut homo creari aliter à Deo non potuerit, quàm cum gratia & ordinatione ad finem ſupernaturalem; additque, contrariam ſententiam unum fuiſſe ex pręcipuis erroris Pelagiani capitibus, atque ad Manichæiſmum pertinere.

5. Sunt inter Theologos nonnulli, qui metaphyſica & ſubtili quadam abſtractione, divinam omnipotentiam à cæteris perfectionibus Dei pręſcindentes, ajunt; reſpectu quidem divinæ omnipotentię, non repugnare ſtatum naturę purę, ſed tantùm habita ratione divinæ juſtitiæ, bonitatis ac providentiæ. Verùm, jam obſervavimus nihil ea diſtinctione abſurdius hìc fingi poſſe. Impoſſibile enim eſt, etiam metaphyſicè loquendo, Deum aliquid velle, aut poſſe, quod vel minimùm divinis ſuis perfectionibus repugnet ac contrarium ſit. His ita præmiſſis, ſit

CONCLUSIO.

Status naturæ puræ poſſibilis eſt, ac nulla ex parte, ſive hominis, ſive Dei repugnat.

Probatur 1. Quia ex dictis, ſtatus naturę purę ille eſt, in quo primitùs homo à Deo crearetur ſine peccato, & gratia, cęteriſque donis ejus naturę indebitis; obnoxius tamen morti, omnibuſque hujus vitæ miſeriis: atqui poſſibilis eſt ſtatus ille, nec repugnat ſive ex parte hominis, ſive ex parte Dei.

1. Non repugnat ex parte hominis. Tum quia gratia & juſtitia originalis titulo naturę ſeu creationis ipſi debita non eſt: quod enim ordinis eſt ſupernaturalis ac purè gratuitum, quo ſublato, natura in integro ſubſiſteret, naturę debitum dici non poteſt; aliàs, gratia non eſſet, ſicut arguit Apoſtolus Rom. 11. v. 6. Atqui gratia & juſtitia originalis gratuita eſt, & ordinis ſupernaturalis; eaque ſublata, natura in integro ſubſiſteret; ergo naturę hominis non eſt debita. Hinc meritò à SS. Pontificibus Pio V. Greg. XIII. & Urbano VIII. proſcripta fuit iſta Baii Propoſitio n. 27. *Integritas primæ creationis, non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio*. Tum quia natura humana ex ſeſe capax eſt doloris ac triſtitiæ, perinde ac gaudii & voluptatis:

Digitized by Google

tis: ergo ipſius nativis & internis principiis non repugnat, eo in ſtatu primitùs à Deo eam collocari, in quo dolori, triſtitiæ ac miſeriis ſubjaceat.

2. Non repugnat ex parte divinæ juſtitiæ, bonitatis ac providentiæ: quia abſque ullius injuria, & læſione ſuæ juſtitiæ ac bonitatis, poteſt Deus id omne denegare quod purè gratuitum eſt, quod ex mero ſuo beneplacito dependet, ac nemini debetur: atqui talis eſt originalis juſtitia; ergo &c.

Fruſtra reponerent Baii Apologiſtæ, integritatem primæ creationis, iſto dumtaxat ſenſu indebitam fuiſſe, quòd neque ſit ipſa hominis natura, neq; pars aut proprietas ipſius: quamvis alio titulo, nempe juſtitiæ ac bonitatis divinæ, debita meritò dici poſſit. Namque SS. Pontifices mox dictam Baii Propoſitionem in ſenſu ipſo Baii damnaverunt: at non ita fatuus ac ſtupidus ille fuit, ut putaverit unquam, integritatem primæ creationis homini debitam iſto titulo fuiſſe, quòd ſit vel ipſamet hominis natura, vel ſaltem illius pars aut proprietas: ergo hoc ſenſu damnata dumtaxat fuit Propoſitio, quòd integritas primæ creationis debita fuerit titulo juſtitiæ ac bonitatis divinę; quaſi Deus non potuiſſet homini, cùm primùm conditus eſt, juſtitiam originalem denegare, niſi violatis juſtitiæ ac bonitatis ſuæ juribus.

SECUNDA PROBATIO.

Ex Sancto Auguſtino.

Probatur 2. auctoritate S. Aug. Lib. 3. de libero arbitrio cap. 20. n. 56. ubi diſputat adversùs Manichæos, qui duos diſtinguebant Deos, unum bonum, alterum malum; huncque Creatorem vituperabant tanquam auctorem mali, propter illam, quam patimur, ignorantiam & benè vivendi difficultatem. Atque ut ab hac blaſphemia Deum Creatorem vindicet, quatuor ſupponit modos incarnationis, ut loquitur, animarum; hoc eſt, modos quibus animę produci poſſunt & cum corporibus conjungi, in quibus Deus peccati auctor non eſſet nec culpandus, ſed potius laudandus.

Primus modus eſt, ſi omnes animæ ex una peccatrice, via ſeminali, per carnalem propaginem traducerentur: quia in hypotheſi, *quis poteſt dicere*, inquit, n. 56. *non ſe peccaſſe, cùm primus ille peccavit?* Quatuor modi incarnationis animarũ ex S. Auguſt.

Secundus modus eſt, ſi ſingulæ animæ in ſingulis corporibus à Deo per creationem infundantur; qui modus peccatum aliquod ſupponit, vel non ſupponit: in utroque autem caſu docet S. Aug. non eſſe culpandum Deum, quòd cum ignorantia & difficultate naſcamur, ſed magis laudandum. Modus iſte apertè includit & probat noſtram de poſſibili ſtatu naturæ puræ hypotheſim, ut mox oſtendemus.

Tertius modus eſt, ſi omnes animæ in ſecreto aliquo loco priùs exiſtentes, ad informanda corpora mittantur à Deo.

Quartus, ſi ad ea corpora ſponte ſua delabantur.

Quiſnam autem ex illis modis verus ſit, ibi non definit S. Aug. *Harum*, inquit, cap. 21. n. 59. *quatuor de anima ſententiarum, utrùm de propagine veniant, an in ſingulis quibuſque naſcentibus novæ fiant, an in corpora naſcentium jam alicubi exiſtentes vel mittantur divinitus, vel ſua ſponte labantur, nullam temerè affirmare oportebit.* T. 1. pag. 634. G.

Digitized by Google

Ex quatuor illis modis incarnationis animarum, ſecundus continet hypotheſim ſtatus naturæ puræ, ejuſque probationem. Supponit enim S. Aug. aliquam animam, ante peccatum & ante omnem vitam ſuam culpabilem, talem naſci qualis naſcitur poſt peccatum; id eſt cum ignorantia, difficultate, cæteriſque vitæ hujus ærumnis: docetque tali animæ ſic naſcenti, ignorantiam atque difficultatem non fore ſupplicium peccati, ſed proficiendi admonitionem & perfectionis exordium. Audiatur S. Doctor citato Lib. 3. de libero arbitrio cap. 20. n. 56.

Ibid. pag. 632. F. *Si ergo*, inquit, *altera* (anima) *talis eſſe cæpit, non ſolùm ante peccatum, ſed ante omnem vitam ſuam, qualis alia poſt vitam culpabilem facta eſt, non parvum bonum habet, unde Conditori ſuo gratias agat; quia ipſe ortus ejus & inchoatio quovis perfecto corpore eſt melior. Non enim mediocria bona ſunt, non ſolùm quòd anima eſt, qua natura jam omne corpus præcedit; ſed etiam quòd facultatem habet, ut adjuvante Creatore ſe ipſam excolat, & pio ſtudio poſſit omnes acquirere & capere virtutes, per quas & à difficultate cruciante, & ab ignorantia cæcante liberetur. Quod ſi ita eſt, non erit naſcentibus animis ignorantia & difficultas ſupplicium peccati, ſed proficiendi admonitio, & perfectionis exordium. Non enim ante omne meritum boni operis parum eſt accepiſſe naturale judicium, quo ſapientiam præponat errori, & quietem difficultati, ut ad hæc non naſcendo, ſed ſtudendo perveniat.*

Ibid pag. 636. D. Et cap. 22. n. 64. *Ignorantia*, inquit, *& difficultas, ſi naturalis eſt, inde incipit anima proficere, & ad cognitionem & requiem, donec in ea perficiatur vita beata, promoveri.*

Ibid. pag. 638. B. Et cap. 23. docet parvulos nullius peccati reos, poſse ſubjici vitæ hujus laboribus & ærumnis, propter majoris alicujus boni compenſationem, quam illis reſervet Deus. *Quis ergo novit*, ait. n. 68. *quid ipſis parvulis in ſecreto judiciorum ſuorum bonæ compenſationis reſervet Deus, qui quamquam nihil rectè fecerint, tamen nec peccantes aliquid iſta perpeſſi ſunt?*

Refelluntur evaſiones, quibus adverſarii, Sancti Auguſtini teſtimonia eludere conantur.

Janſenius Lib. 3. de ſtatu naturæ puræ cap. 17. & ſequentibus, ejuſque diſcipuli multa reponunt, ut iſtud ex Auguſtino argumentum elevent.

1. Evaſio. Reſpondent itaque 1. hypotheſim S. Aug. è qua nos argumentum ducimus, ſupponere peccatum, & gratiam; adeoque longè alienam illam eſſe ab hypotheſi ſtatus naturę puræ.

T. 1. pag. 632. F. 1. Supponere peccatum. probant ex his verbis S. Doctoris: cap. 20. L. 3. de libero arbitrio n. 56. *Ut malum meritum prioris, natura ſit ſequentis.*

2. Supponere gratiam, ex eo oſtendunt quòd S. Aug. velit animam illam pio ſtudio poſse omnes acquirere virtutes, per quas & *à difficultate cruciante, & ab ignorantia cæcante liberetur*. Et cap. 22. n. 65. ait, Deum ideo

Ib. pag. 637. D. iſti animæ difficultate ac cæcitate naturaliter laboranti *tale exordium tribuiſſe, ut ſtudendo ac proficiendo ad frugem ſapientiæ juſtitiæque perveniat, tantùmque illi præſtitiſſe dignitatis, ut in ejus etiam poteſtate poneret, ſi vellet, ad beatitudinem tendere.*

Refellitur hæc reſponſio, quantùm ad utramque partem.

Namque

Digitized by Google

Namque S. Auguſtinum nullum in ea hypotheſi peccatum ſupponere, demonſtrant hæc ipſius verba cap. 20. n. 56. *Si ergo altera talis eſſe cœpit non ſolùm ante peccatum, ſed ante omnem vitam ſuam*. *Ib. pag. 632. F.* Deinde ſupponit ignorantiam & concupiſcentiam eſſe primordia naturalia; ergo non ſupponit ea in hypotheſi peccatum: aliàs, ignorantia & concupiſcentia non dicerentur primordia naturæ, ſed ſupplicia culpæ. Igitur, per malum illud meritum, de quo S. Doctor, non intelligitur peccatum, ſed pœna peccati ſeu mali meriti: & ſenſus eſt, ſi ignorantia & concupiſcentia, quæ in una anima eſt præcedentis pœna peccati, in altera verò anima foret naturalis, non eſſet culpandus, ſed laudandus Deus.

Nullam pariter gratiam ordinis ſupernaturalis, in ea hypotheſi S. Aug. ſupponit: quæ verò hic opponuntur de virtutibus, de fide, de beatitudine &c. non pertinent ad ſecundum modum incarnationis animarum, ex quo uno argumentum duximus, ſed ad 3. modum. Bona verò illa facultas, pium ſtudium quo ſe ipſam anima excolere poſſet, omneſque acquirere virtutes, dona, inquam, illa, non immeritò dici poſſent ordinis naturalis, non ſupernaturalis. Ait quippe S. Doct. animam illam accipere *naturale judicium, quo ſapientiam præponat errori*. *Ibid. pag. 633. A.* Quamquam etſi concederemus ea eſſe ordinis ſupernaturalis, non idcirco in mente S. Aug. ſequeretur ea tali animæ in ortu ſuo conceſſa fuiſſe, ſed in progreſſu dumtaxat vitæ ipſius. *Quamquam enim*, *Ibid.* ait S. Doct. c. 20. n. 56. *in ignorantia & difficultate nata ſit, non tamen ad permanendum in eo quod nata eſt, aliqua neceſſitate comprimitur*.

Nos verò hic loquimur de anima, quæ in primo ortu ſuo, & ante omnem vitam culpabilem, talis ſit, qualis altera poſt vitam culpabilem facta eſt.

Reſpondent II. licèt S. Aug. nullum in hypotheſi prædicta ſupponat peccatum quod animas inficiat, ſupponit tamen corpora illarum animarum deſcendere ex propagine Adami peccatoris. *2. Evaſio* Sic enim ſcribit ibid. n. 57. *Caro de propagine veniens peccatoris, venientibus ad ſe animis hanc ignorantiam & difficultatem facit*. *Ibid. D.* Atqui hoc poſito, non repugnat bonitati Dei propter Adamũ peccatorem, ſuppliciis ignorantię & concupiſcentię prolem ipſius affligere.

Verùm, adverſarii confundunt ac perturbant varias hypotheſes, quas S. Aug. diſtinguit. Quæ hic opponunt, pertinent ad 3. hypotheſim; nos verò ex ſecunda dumtaxat argumentamur.

Reſpondent III. S. Aug. ſeniorem factum, emendaſſe quæ junior ſcripſerat in ſuis de libero arbitrio Libris. *3. Evaſio* *Senex*, ait Janſenius Lib. 3. de ſtatu naturæ cap. 19. *adverſus Pelagianos puræ naturæ architectos dimicans, id quod incautiùs de parvulis contra Manichæos fuderat, emendavit*. *E. R. t. 2. pag. 397. col 2. E.* Et poſtea, *Miſerias illas naturaliter parvulis innocentibus irrogari poſſe, tunc quaſi ſuſpicando ſomniaverat*. *pag. 398. 6. 2. B.* Sic ille de tanto Eccleſiæ Doctore irreverenter & inurbanè ſcribit.

Probant verò S. Doctorem revocaſſe quæ ſcripſerat in Libro illo 3. de libero arbitrio, atque eum ex hypotheſi impoſſibili contra Manichæos egiſſe; tum ex Lib. de dono perſeverantiæ cap. 11. ubi poſtquam exſcripſit quę Libro 3. de libero arbitrio dixerat, nempe: *Etiamſi ignorantia & difficultas eſſent hominis primordia naturalia, nec ſic culpandus, ſed potiùs laudandus eſſet Deus*. *T. 10 p. 835. D.* Quo teſtimonio ipſi Pelagiani contra ipſummet Auguſt. abutebantur, ut oſtenderent, ex miſeriis hujus vitę illum malè omnino probare peccatum originale: poſtquam, inquam, hęc retulit S. Doctor, addit, diſputationem hanc ſuam va-

Digitized by Google

lere quidem contra Manichæos Scripturam aut rejicientes, aut mutilantes, non verò contra Pelagianos. Probant etiam ex ipſius Epiſtola 166. aliàs 28. n. 18. ad Hieronymum, ubi retractans quæ iu citato Libro 3. de libero arbitrio ſcripſerat de pœnis parvulorum, ſic loquitur, *Ego quidem non de ingeniis, ſed ſaltem de pœnis parvulorum, quas in hac vita patiuntur, dixi aliquid in Libris illis de libero arbitrio. Quod quale ſit, & cur mihi in iſta, quam habemus in manibus, quæſtione, non ſufficiat, intimabo.*

Refellit poſtea præcipuam, quam adversùs Manichæos protulerat rationem: nempe Deum, parvulorum cruciatus aliis bonis compenſare; aitque, id dumtaxat dici poſſe de infantibus vel pro Chriſto mortem patientibus, vel baptizatis: cæteris verò omnibus, præparatam eſſe certam damnationem, ſi ante ſuſceptum baptiſma ex hac vita diſcedant.

Refellitur hæc reſponſio: quia nuſquam S. Auguſt. legitur revocaſſe quod in citato 3. Libro de libero arbitrio cap. 20. docuerat, circa ſecundum illum incarnationis animarum modum. Imò Lib. 1. Retractationum cap. 9. agnoſcit ac confirmat quod in citato cap. 20. Lib. 3. de libero arbitrio ſcripſerat; quamquam fateatur hanc ſuam diſputationem adversùs Manichęos valere, non verò adversùs Pelagianos.

Et reipſa, longe alia erat cauſa Manichęorum, & Pelagianorum; ac diverſis armis illi impugnandi erant ab Auguſtino. Manichæi, ut oſtenderent Deum eſſe mali auctorem ac peccatorum noſtrorum cauſam, negabant eſſe in nobis originale peccatum; atque ita miſerias omnes, quibus naſcendo, abſq; ulla prævia culpa, obnoxii ſumus, in Deum mali auctorem rejiciebant. Cùm verò illi totum vetus Teſtamentum rejicerent; atque ex Novo ea omnia expugnerent teſtimonia, quæ originalis peccati fidem confirmant, coactus eſt S. Aug. confugere ad varias rationes & hypotheſes, ex quibus hoc unum certum & inconcuſſum ſemper efficiebat, Deum ſcilicet non eſſe mali auctorem, nec culpandum, tametſi ignorantia & difficultas eſſent hominis primordia naturalia. Pelagiani quoque negabant peccatum originale; atque hujus vitę miſerias dicebant eſſe hominis primordia naturalia; adeoque hominem de facto in puris naturalibus primitùs à Deo conditum fuiſſe. Cùm verò illi auctoritatem veteris & novi Teſtamenti admitterent, S. Aug. hac auctoritate illos impugnat, ex qua duo certiſſima ſunt. Primum, hominem rectum ſeu innocentem & juſtum fuiſſe à Deo conditum: ſecundum, hominem ab illo ſtatu juſtitiæ & innocentiæ peccando excidiſſe; atque omnes homines in eo peccaſſe. Quapropter, cùm iidem Pelagiani adversùs Auguſtinum contorquerent quod ipſemet contra Manichęos dixerat in Libris de libero arbitrio, meritò reponebat S. Doctor, non poſſe Pelagianos tueri ſe hujuſmodi argumentationibus: quia non ex præſenti rerum ſtatu, nec ex auctoritate Scripturę contra illos arguere poterat, ſed ex variis dumtaxat hyotheſibus & ratiociniis, quibus hoc unum ſaltem conſtabat, Deum non eſſe mali auctorem; Pelagiani verò, ex Scripturis, & ex præſenti rerum ſtatu confutabantur. Manichęos igitur ex ratione & hypotheſi poſſibili impugnat S. Doctor; Pelagianos verò, ex T. 1. pag. 15. C. Scripturis & præſenti rerum ſtatu & ordine. *Quamvis*, inquit S. Doctor Lib. 1. Retract. cap. 9. num. 6. *ignorantia & difficultas etiamſi eſſent homini primordia naturalia; nec ſic culpandus Deus, ſed laudandus eſſet..... Quæ diſputatio contra Manichæos habenda eſt, qui non accipiunt Scripturas ſanctas veteris Inſtrumenti,*

menti, in quibus originale peccatum narratur; & quidquid inde in Litteris Apoſtolicis legitur, deteſtabili impudentia immiſſum fuiſſe contendunt à corruptoribus Scripturarum tanquam non fuerit ab Apoſtolis dictum. Contra Pelagianos autem hoc defendendum eſt, quod utraque Scriptura commendat, quam ſe accipere profitentur. Inde patet, quàm falsò aſſerant adverſarii, S. Auguſtinum contra Manichæos diſputantem, agere ex hypotheſi impoſſibili: quaſi impoſſibilis ea cenſeri debeat hypotheſis, qua poſita, Deus culpandus non foret, ſed laudandus? quaſi hæreticos jure ac meritò confutare potuiſſet, ex hypotheſi quam impoſſibilem ipſe judicaſſet? Apage nugas.

Hinc etiam manifeſtum eſt, S. Doctorem Lib. de dono perſeverantiæ, & Epiſtola 166. non revocaſſe quod de poſſibili ſtatus naturæ puræ hypotheſi ſcripſerat; ſed hoc unum contendit, nempe, quod de pœnis parvulorum ea in hypotheſi dixerat, eas ſcilicet à Deo aliis bonis compenſari, intelligi dumtaxat de parvulis, qui vel martyrium pro Chriſto ſuſtinent, vel baptiſmum percipiunt. *Hoc*, inquit citata Epiſt. *non immeritò dici video de his, qui vel pro Chriſti nomine ac vera Religione tale aliquid etiam neſcientes patiuntur, vel ſacramento Chriſti jam imbuti ſunt, quia ſine ſocietate unius mediatoris liberari à damnatione non poſſunt, ut poſſit eis, etiam pro illis malis, quæ hic in diverſis afflictionibus pertulerunt, compenſatio iſta præſtari.* T. 2. p. 591. D. E.

Probatur 3. auctoritate SS. Pontificum Pii V. anno 1567. & Gregorii XIII. an. 1579. qui ſuis Conſtitutionibus, quas confirmavit Urbanus VIII. an. 1641. multas Michaelis Baii Doctoris Lovanienſis (ipſius tamen tacito nomine) Propoſitiones damnaverunt, quarum 26. hæc eſt. *Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio.*

55. *Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur.* (excepto ſcilicet peccato) neque enim damnari aliter, abſque impietate, potuiſſet iſta Propoſitio.

78. *Immortalitas primi hominis, non erat gratiæ beneficium, ſed naturalis conditio.*

79. *Falſa eſt Doctorum ſententia, primum hominem potuiſſe à Deo creari & inſtitui ſine juſtitia originali.*

His omnibus propoſitionibus ſignificabat apertè Bajus, ſtatum naturæ puræ ſibi prorſus impoſſibilem videri. Non ita viſum eſt SS. Pontificibus, à quibus dictæ propoſitiones ſolemni cenſura notatæ fuerunt. Nihil non tentarunt Baii & Janſenii ſectatores, ut hujuſce Romanæ cenſuræ vim & auctoritatem infirmarent ac eluderent: eorum momenta inferiùs, ubi de Bajo, expendemus, ac refellemus.

Solvuntur objectiones contra poſſibilem naturæ puræ ſtatum.

Quotquot adverſus poſſibilitatem ſtatus naturæ puræ proferunt adverſarii momenta, ex quadruplici capite generatim repetuntur.

1. Ex ordine hominis ad Deum, tanquam ad ſuum finem ultimum.
2. Ex natura ignorantiæ.
3. Ex turpitudine concupiſcentiæ.
4. Ex humanarum miſeriarum acerbitate.

Obje-

Digitized by Google

Objectiones ex ordine hominis ad Deum, tanquam ad ſuum finem ultimum.

Objicies 1. Gratia eſt medium homini neceſſarium ad obtinendum finem ultimum: atqui repugnat divinæ providentiæ producere hominem ſine medio neceſſario ad obtinendum finem ultimum; ergo repugnat divinæ providentiæ producere hominem ſine gratia.

Reſp. diſtinguo maj. Gratia medium eſt homini neceſſarium ad obtinendum finem ultimum ſupernaturalem, & in præſenti rerum ſtatu, concedo: finem naturalem, & in alio, quem poſſibilem defendimus, naturæ ſtatu, nego. Deus equidem clarè & intuitivè videndus, in præſenti naturæ ſtatu finis eſt hominis ſupernaturalis; abſtractivè autem videndus, & quidem per ſpecies clariores iis, quæ in via habentur, eſt finis naturalis. Utrique autem illi fini ſuus correſpondet proportionatus amor Dei, ſeu ſupernaturalis per gratiam, ſeu naturalis ſine gratia. De qua diſtinctione vide S. Thomam 1. 2. q. 109. art. 3. ad 5. & art. 5. ad 3.

Inſtabis 1. Sola Dei viſio intuitiva poteſt eſſe finis hominis ultimus: in ea quippe ſola poteſt conquieſcere ac ſatiari hominis deſiderium. *Feciſti nos ad te*, ait S. Aug. L. 1. Confeſſ. c. 1. *& inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te*. Ergo &c. (T. 1. p. 69. B.)

Reſp. diſtinguo ant. In præſenti ſtatu, ſuppoſita fide, & ordinatione hominis ad finem ſupernaturalem, concedo: in alio ſtatu, de quo hic diſputamus, nego. Ignoti nulla cupido: ſi ergo homini revelatum non fuiſſet illum ex Dei gratia ad finem ſupernaturalem eſſe deſtinatum, nullum haud dubiè pro illo ſine adipiſcendo, clara ſcilicet & intuitiva Dei viſione, in ipſo excitaretur deſiderium; atque in ſola Dei cognitione abſtractiva quieſceret.

Inſtabis 2. Bonum illud quod homo naturaliter appetit, eſt finis illius naturalis. *Omnes beatos eſſe velle* ..... ait S. Aug. L. 13. de Trinit. c. 8. nu. 11. *veritas clamat, natura compellit, cui ſummè bonus & immutabiliter beatus Creator hoc indidit*. Atqui viſio beatifica bonum eſt quod homo naturaliter appetit; ergo viſio beatifica, eſt finis hominis naturalis. (T. 8. p. 393. G.)

Major propoſitio certa eſt; minor probatur. Quia cognitio quidditativa primæ cauſæ eſt bonum quod homo naturaliter appetit. Naturaliter enim viſo effectu, deſideramus videre primam cauſam, ut ratiocinatur S. Thomas Lib. 3. contra Gentiles cap. 50. & 1. parte ſuæ Summæ q. 12. art. 1. Atqui viſio beatifica eſt cognitio quidditativa primæ cauſæ; ergo viſio beatifica eſt bonum quod homo naturaliter appetit.

Reſp. diſtinguo maj. Si bonum illud homo appetat, appetitu tum innato tum elicito; qui appetitus elicitus ſit neceſſarius & efficax, concedo: ſi bonum illud homo appetit, appetitu dumtaxat elicito, & quidem non neceſſario, ſed libero & inefficaci, nego. Etenim, quamvis homo liberè velit voluntate inefficaci toti mundo imperare; non inde tamen ſequitur, imperium totius mundi eſſe finem ultimum hominis.

Diſtinguo min. Viſio beatifica bonum eſt quod homo naturaliter appetit appetitu elicito, libero & inefficaci, ſuppoſita fide, concedo: appetitu innato, nego. Etenim appetitus innatus nihil eſt aliud, quàm propenſio rei in bonum, quod naturæ viribus conſequi homo poteſt: aliàs, fruſtra natura indidiſſet

diſſet ejuſmodi appetitum. Atqui nullus homo claram Dei viſionem naturæ viribus aſſequi poteſt; ergo nullus homo habet innatum appetitum ad viſionem beatificam. Hinc fit, ut nullus homo naturaliter deſideret deſiderio efficaci, videre Deum; quia ex appetitu innato, ſequitur efficax deſiderium & quidem neceſſarium illius boni, in quod propendet appetitus innatus. Nam ex eo quòd homo habeat appetitum innatum ad beatitudinem in communi; movetur deſiderio efficaci & quidem neceſſario in illam: hinc eſt, quòd nullus velit eſſe miſer, nec velle poſſit, ut docet S. Auguſtinus L. 13. de Trinit. cap. 3. & 5. Igitur, cùm non detur in homine nativa propenſio ad Deum clarè videndum; nonniſi ex inefficaci deſiderio natura moveri poteſt erga tantum bonum: quatenus videlicet homo rerum naturalium pulchritudine captus, iſtud exprimere poſſet deſiderium: Vellem, ſi fieri poſſet, cognoſcere eſſentiam primæ cauſæ, à qua tot ſtupendi effectus prodierunt.

Hinc patet ſolutio ad ratiocinium S. Thomæ. Viſo quippe effectu, homo naturaliter deſiderat videre primam cauſam, deſiderio elicito & inefficaci, cùm nempe illa cauſa non eſt naturaliter viſibilis, concedo: deſiderio innato ac neceſſario, nego.

Inſtabis 3. S. Thomas 1. parte q. 12. art. 1. in corpore, docet ineſſe homini naturalem appetitum videndi Deum.

Reſp. diſtinguo ant. Docet ineſſe homini naturalem appetitum ſecundùm quid, concedo: ſimpliciter & abſolutè, nego. Appetitus ille naturalis eſt ſecundùm quid, quia voluntas hominis prævio lumine fidei illuſtrata, & interiori ſimul inſpiratione afflata, connaturaliter, id eſt, modo quodam naturali, propendet in viſionem Dei beatificam; eo modo quo intellectus beatorum elevatus lumine gloriæ, Deum connaturaliter videt. Appetitus verò ille, non eſt naturalis ſimpliciter & abſolutè in mente S. Thomæ; quia talis appetitus vel eſt innatus, vel elicitus à ſola natura; atqui non loquitur S. Doctor de appetitu innato; hic enim non ſupponit præviam cognitionem, qualem ſupponit appetitus ille, quem S. Thomas ait natum eſſe ex cognitione effectuum. Non loquitur etiam de appetitu elicito à ſola natura: quia loquitur de illo deſiderio quod ſupponit ſupernaturalem fidei notitiam, quę quidem viſionis beatificæ non modò præſtantiam, ſed etiam poſſibilitatem detegit.

Inſtabis 4. Viſio beatifica vera eſt hominis beatitudo: atqui omnes homines habent naturalem inclinationem ad beatitudinem; ergo habent naturalem inclinationem ad viſionem beatificam.

Reſp. diſtinguo maj. Viſio beatifica vera eſt hominis beatitudo particularis, ad quam Deus hominem in præſenti ſtatu ex gratia evexit, concedo: eſt beatitudo in communi, nego. Diſtinguo min. Atqui omnes homines habent naturalem inclinationem ad beatitudinem in communi, concedo: in particulari, nego. Ita docet S. Thomas in 4. ſentent. diſt. 49. qu. 1. art. 3. in reſponſione ad 3. quęſtiončulam his verbis. *Quamvis ex naturali inclinatione voluntas habeat ut in beatitudinem feratur ſecundùm communem rationem, tamen quòd feratur in beatitudinem talem vel talem, hoc non eſt ex inclinatione naturæ, ſed per diſcretionem rationis, quæ adinvenit in hoc, vel in illo ſummum bonum hominis conſtare. Et ideo quandocumque aliquis beatitudinem appetit, actualiter conjungitur ibi appetitus naturalis & appetitus rationalis: Et ex parte appetitus naturalis, ſemper eſt ibi rectitudo: ſed ex parte appetitus rationalis, quandoque eſt ibi recti-* T. 10. p. 753. E.

rectitudo, quando ſcilicet appetitur ibi beatitudo, ubi verè eſt. Quandoque autem perverſitas, quando appetitur ubi verè non eſt. Et ſic in appetitu beatitudinis, poteſt aliquis vel mereri adjuncta gratia, vel demereri; ſecundùm quod ejus appetitus eſt rectus vel perverſus. Ita S. Thomas.

Inſtabis 5. Homo naturaliter inclinatur in beatitudinem etiam in particulari. Namque Platonici nonnulli ſolo luminis naturalis ductu agnoverunt, hominem non eſſe beatum niſi per fruitionem Dei: ita teſtatur S. Aug. Lib. 8. de Civitate Dei c. 8. ubi de Platonicis ait: *Non dixerunt beatum eſſe hominem* T. 7. p. 107 E. *fruentem corpore, vel fruentem animo, ſed fruentem Deo: non ſicut corpore, vel ſe ipſo animus, aut ſicut amico amicus, ſed ſicut luce oculus.* Homo igitur, ſola duce natura, appetit videre Deum tanquam ſummum bonum.

Reſp. nego ant. Ad probationem, diſtinguo: Platonici ſolo ductu luminis naturalis agnoverunt, hominem non eſſe beatum niſi per cognitionem Dei, abſtractivè ſaltem cogniti, concedo: intuitivè cogniti, nego. Nam Philoſophi Gentiles non agnoverunt viſionis beatificæ myſterium, quod ſola fide revelatur & creditur, nec ratione demonſtratur. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit quæ preparavit Deus iis qui diligunt illum*, ait Apoſtolus 1. Cor. 2. v. 9. Quo igitur ſenſu, inquies, Platonici docebant, non poſſe obtineri beatitudinem, niſi Deus ita cognoſcatur, ſicut cognoſcitur lux ab oculo?

Reſp. Similitudinem in eo poſitam fuiſſe, quòd ſicut primarium objectum oculi, eſt lumen; ſic ad beatitudinem obtinendam, primarium mentis humanæ objectum debet eſſe Deus, qui cuncta alia objecta ſua luce colluſtret, id eſt nobis manifeſtet. Hanc fuiſſe Platonicorum mentem, non obſcurè indicat S. Aug. Lib. 8. de Civitate Dei cap. 7. in fine, his verbis. *Lumen autem mentium* T. 7. p. 197. A. *eſſe dixerunt ad diſcenda omnia, eundemque ipſum Deum à quo facta ſunt omnia.* Quòd ſi Platonici, præ aliis Philoſophis, de Deo & ultimo hominis fine paulò digniùs ſenſerunt & ſcripſerunt, id delibarunt ex commercio cum Hebræis, ac lectione Scripturarum.

Inſtabis 6. Deus abſtractivè videndus non poteſt eſſe ultimus hominis finis ſeu beatitudo: tum quia non poteſt perfectiſſima Dei cognitio etiam abſtractiva obtineri; adeo varii, & multiplices ac infiniti ſunt naturales effectus: tum quia, in illa cognitione abſtractiva perfectè non conquieſceret appetitus hominis, qui claram & intuitivam Dei viſionem exoptaret: tum denique, quia homines reprobi tali cognitione abſtractiva per ſcientiam comparata frui poſſent.

Reſp. nego ant. Ad 1. probationem. E' ò non poſſit hac in vita obtineri perfectiſſima cognitio Dei abſtractiva; in altera ſaltem vita haberi poſſet per ſpecies à Deo infuſas, in præmium benè actæ vitæ prioris. Sicut enim in præſenti ſtatu, per opera ſupernaturalia finem ſupernaturalem aſſequimur; ita in altero ſtatu poſſibili, per merita naturalis ordinis homo perveniſſet ad ſuum ultimum finem naturalem. Ad 2. Homo in ſtatu naturæ puræ quieviſſet in cognitione Dei perfectiſſima abſtractiva; quia alium cognoſcendi Dei modum poſſibilem ignoraſſet. Ad 3. Qui fuiſſent in eo ſtatu naturæ puræ reprobi, ii perfectam non habuiſſent Dei cognitionem etiam abſtractivam; Deumque ſibi repræſentaſſent ultorem ac vindicem criminum, adeoque terribilem: qui verò beati fuiſſent, ii perfecta Dei cognitione donati, eum ſibi repræſentaſſent tanquam virtutis remuneratorem magnificum, benignum ac beatificantem.

Inſta-

Inſtabis 7. Homini peccatum non habenti injuſtè denegaretur viſio beatifica, quia naturaliter in eam inclinatur: ergo homo naturaliter inclinatur in viſionem beatificam.

Major oſtenditur ex S. Aug. qui Julianum arguit injuſtitiæ, quòd parvulis denegaret viſionem beatificam; cùm tamen in illis nec gratiam agnoſceret, nec culpam. Ita S. Aug. Lib. 3. contra Julianum c. 12. n. 23. *Quare*, inquit, *nihil mali merentes tot in parvulis imagines Dei, ſi non baptizentur, non admittis ad regnum Dei?* Et poſtea addit: *Qua juſtitia, quæſo, à regno Dei, à vita Dei alienatur imago Dei, in nullo tranſgreſſa legem Dei?* Atqui ſi homo nullam haberet propenſionem naturalem ad viſionem Dei, Julianus S. Auguſtino facillimè reſpondiſſet, ideo parvulis innocentibus ſe occludere regnum cœlorum, quia cùm careant gratia baptiſmi, non debetur eis beatitudo ſupernaturalis. T. 10. p. 565. A. Ibib. B.

Reſp. diſtinguo maj. Homini peccatum non habenti injuſtè denegaretur viſio beatifica, in præſenti ſtatu, concedo: in ſtatu naturæ puræ, nego. Etenim in hoc ſtatu, Deus promiſit hominibus abſque peccato ex hac vita migrantibus, viſionem beatificam, ut ipſimet Pelagiani fatebantur. Quapropter, cùm iidem Pelagiani falsò docerent nullo peccato parvulos teneri, optimè S. Aug. eos redarguit, quòd regnum cœlorum denegarent parvulis; & ſolummodò concederent vitam æternam, quam à regno cœlorum inſulsè illi diſtinguebant, ſicut oſtendit S. Doctor ſerm. 14. de verbis Apoſtoli cap. 3. At verò in ſtatu puræ naturæ, Deus non promiſiſſet homini regnum cœlorum, ſeu vitam æternam ac ſui viſionem beatificam; adeoque Deus, ſine injuſtitia, tantum bonum potuiſſet homini denegare.

Objicies 2. Homo, in quocumque ſtatu, tenetur diligere Deum: atqui non poteſt diligere Deum ſine gratia; ergo in quocumque ſtatu indiget gratia. Porrò ad divinam providentiam pertinet, dare homini quidquid ipſi neceſſarium eſt; ergo, &c.

Reſp. diſtinguo maj. Homo, in quocumque ſtatu, tenetur diligere Deum, amore naturali, vel ſupernaturali, concedo: ſupernaturali, nego. Diſtinguo min. ſine gratia non poteſt diligere Deum; amore ſupernaturali, qui ordinem dicat ad finem ſupernaturalem, nempe viſionem Dei intuitivam & beatificam, concedo: amore naturali, qui dicat ordinem ad finem naturalem, cognitionem ſcilicet Dei abſtractivam, nego. Porrò in ſtatu naturæ puræ, de quo loquimur, homo diligeret Deum amore quodam naturali; ad quem, non gratia ſupernaturalis, ſed naturale dumtaxat auxilium ſufficeret.

Inſtabis 1. Vel homo in ſtatu naturæ puræ produceretur à Deo cum mala voluntate, vel cum bona. Non 1. Quia Deus non poteſt eſſe auctor malæ voluntatis. Non 2. Nam ex S. Aug. L. de Gratia Chriſti cap. 21. n. 22. bona voluntas eſt gratia. *Quaſi verò*, ait, *aliud ſit bona voluntas quam charitas, quam Scriptura nobis eſſe clamat ex Deo, & à Patre datam.* T. 10. p. 239. G.

Porro in ſtatu puræ naturæ homo eſſet ſine gratia: ergo, &c.

Neque eſt quod reponas, hominem in ſtatu puræ naturæ producendum fore cum voluntate media, id eſt, nec bona, nec mala. Iſtud enim repugnat S. Aug. qui Lib. 2. de peccator. mer. cap. 18. nu. 30. ſic ſcribit. *Voluntas, mirum, ſi poteſt in medio quodam ita conſiſtere, ut nec bona, nec mala ſit.* Ib p. 56 B.

Reſp. nego maj. Produceretur enim cum voluntate media, quæ nec mala foret, nec bona: (bonitate ſaltem ſupernaturali) naturalem enim bonita-

tem

tem à Deo creatore acciperet. S. Aug. citato loco loquitur in hypotheſi præſenti, in qua certum eſt hominis voluntatem vel malam eſſe, vel bonam: vel enim libera eſt à peccato originali, & tunc bona eſt; vel eo infecta, & mala eſt ac perverſa.

Inſtabis 2. Vel hominis voluntas, in ſtatu puræ naturæ, juſtitiam diligeret, & tunc bona foret; vel non diligeret, & tunc foret mala.

Reſp. Voluntatem hominis, in ſtatu puræ naturæ, poſſe diligere juſtitiam naturalis ordinis, & Deum, tanquam fontem omnis virtutis moralis: non verò juſtitiam ſupernaturalem, ſeu Deum, tanquam fontem ſanctificationis: Atque hoc pacto, voluntas humana bona foret bonitate morali: non verò bonitate ſupernaturali; & ita media foret ejuſmodi voluntas moraliter tantùm bona, inter voluntatem ſupernaturaliter bonam, & ſimpliciter malam. Porrò S. Aug. agit de voluntate bona bonitate ſupernaturali, quia loquitur de voluntate diligente juſtitiam ſupernaturalis ordinis, ſeu Deum, tanquam fontem ſanctificationis. Diſputat enim adversùs Pelagianos, qui admittebant gratiam qua dimittuntur peccata, atque hoc ſenſu fatebantur, Deum eſſe ſupernaturalis ſanctificationis auctorem.

Inſtabis 3. Si poſſet homo in puris naturalibus ſine gratia diligere juſtitiam naturalis ordinis, poſſet homo à ſe ipſo fieri melior: atqui hoc repugnat S. Aug. qui L. 12. de Civitate Dei cap. 9. docet, Angelos bonam voluntatem à divina gratia nactos eſſe, nec meliores à ſeipſis fieri potuiſſe.

Reſp. diſtinguo ſequelam majoris propoſitionis. Poſſet homo à ſe ipſo fieri melior, in ordine naturali, eſto: in ordine ſupernaturali, nego. Diſtinguo min. Angeli à ſeipſis meliores fieri non potuerunt, in ordine ſupernaturali in quo conditi ſunt, concedo: in ordine purè naturali in quo condi potuerunt, nego. S. porrò Aug. non negat hominem poſſe à ſemetipſo, hoc eſt ſine auxilio gratiæ, fieri moraliter meliorem. Conſtabit, quippe ex dicendis inferiùs, hominem, ſine gratia, poſſe facere aliquod bonum opus morale naturalis ordinis, ſaltem quando nulla urget tentatio: ad opus verò ſupernaturaliter bonum homo ferri non poteſt, niſi elevetur auxilio gratiæ.

Objicies 3. Repugnat divinæ bonitati hominem in eo ſtatu condere, in quo impoſſibile ſit eum eſſe beatum: namque rebus omnibus, quædam eſt à Deo deſtinata felicitas. Atqui impoſſibile foret hominem in ſtatu puræ naturæ eſſe beatum: vel enim beatus eſſet in hac vita, vel in altera. Neutrum autem dici poteſt.

Non primum. Beatus enim ille cenſendus non eſt, qui ignorantia laborat, & benè vivendi difficultate cruciatur; qui perturbationibus animi, corporis morbis, & ultimo fato eſt obnoxius.

Non ſecundum: Nam ejuſmodi beatitudo hominis manca foret, & imperfecta: corpus enim ejus non reſurgeret; unde anima ipſius deſiderio quodam teneretur ſui corporis reſumendi, quod quidem deſiderium ſatiari numquam poſſet.

Confirmatur. Quia in ſtatu puræ naturæ, anima hominis obnoxia foret erroribus & peccatis: hæc autem duo cum beatitudine cohærere non poſſunt.
T. 7. p. 376. A. Namque ex S. Aug. Lib. 14. de Civ. Dei c. 25. *Etiam ipſe juſtus non vivit ut vult, niſi eò pervenerit, ubi mori, falli, offendi omnino non poſſit; eique ſit certum ita ſemper futurum. Hoc enim natura expetit: nec plenè atque perfectè beata erit, niſi adepta*

quod

quod expetit. Hæc porrò omnia non haberet homo in ſtatu purorum naturalium; ergo tunc non eſſet beatus: Beatus enim eſt, qui habet quod vult, & non patitur quod non vult; obſervat idem ſanctus Doctor L. 13. de Trinit. c. 7. *Tom.8. p.933.E.*

Reſp. nego min. Namque poſſet homo in altera vita conſequi ſuam perfectam beatitudinem naturalem, ſcilicet perfectiſſimam Dei cognitionem abſtractivam cum amore ipſi correſpondente; quæ quidem cognitio homini rependeretur tanquam merces bonorum operum moralium: non ſecus ac in præſenti ſtatu rependitur intuitiva Dei viſio tanquam merces operum ſupernaturalium.

Hæc autem beatitudo poſſet errorem excludere: quia perfecta foret in ſuo ordine, tum divini numinis, tum rerum naturalium atque moralium notitia. Unde poſſet pariter excludere peccatum, quod ſemper cum aliquo errore conjunctum eſt; juxta illud: *Errant qui operantur malum*. Proverb. 14. v. 22. Adde quòd amor Dei ex ejus notitia conſurgens, rectè ordinaret voluntatem hominis, eamque à peccato cohiberet. Teſte ſiquidem S. Aug. L. 15. de Civitate Dei c. 22. *Definitio brevis & vera virtutis ordo eſt amoris*. *Tom.7. p.406.D.*

Idem quoque beatus, vel eſſet perpetuò à corpore ſeparatus; & tunc quidem privaretur homo aliqua perfectione accidentaria beatitudini, nempe corporis conſortio: foret nihilominus eſſentialiter beatus, ſicut beati ſunt Sancti ante reſurrectionem: vel corpori rurſus uniretur; & tunc non corporis donum, ſed quoddam ſupernaturale donum penes modum homo acciperet. Naturale quippe foret quoad inclinationem & entitatem: etenim per reſurrectionem natura humana non elevatur ſupra conditionem ſuam; adeoque non acciperet homo gratiam propriè ac ſtrictè dictam.

Quamquam huic objectioni breviùs ſatisfieri poſſet, ſi diceremus, per illam impugnari quidem directè perpetuitatem ſtatus naturæ puræ; non verò ejus poſſibilitatem, de qua hìc tantùm diſputamus. Non enim quæritur, an homo potuerit ſemper permanere in ſtatu naturæ puræ, omni auxilio gratiæ ſemper deſtitutus; ſed an potuerit in illo ſtatu primitùs produci: illud poſtremum aſſerimus; aliud non expendimus.

Objicies 4. Res naturaliter poſſunt ſe conſervare eo in ſtatu, in quo condi poſſunt: atqui homo naturaliter conſervare ſe ipſum non poteſt in ſtatu naturæ puræ; quia ad hoc neceſſe foret, ut à peccatis ſe præſervaret; quod, niſi gratia roboratus, non poteſt.

Reſp. diſtinguo maj. Niſi obſtent extrinſeca impedimenta, concedo: ſi obſtent, nego. Ita enim homo condi poteſt ſanus, ut tamen in ſanitate ſe ipſum ſervare non valeat, ſed volens nolens incidit in morbum. Quapropter homo in ſtatu naturæ puræ non poſſet per proprias vires immunem ſe facere à morbis animi, ſcilicet à peccatis: eo quòd à concupiſcentia tentaretur, & tandem aliquando vinceretur. Poteſt tamen immunis reddi à peccato per aliquod gratuitum auxilium naturalis ordinis; nec idcirco conſtitueretur extra ſtatum naturæ puræ. Quemadmodum enim nunc per gratiam baptiſmi, homo conſtituitur in ſtatu naturæ reparatæ; neque tamen in illo remanere poteſt ſine gratiis actualibus: ita non potuiſſet homo in ſtatu puræ naturæ remanere ſine auxiliis ſaltem naturalis ordinis.

Objicies 5. Licèt gratia ſufficiens donum ſit ſupernaturale, homini tamen debetur titulo ſapientiæ ac clementiæ Dei, qui nihil præcipere homini poteſt,

poteſt, niſi ſimul ei conferat gratiam neceſſariam, ut mandatum impleat. Ergo pariter homini innocenti debetur gratia ſanctificans, tametſi donum ſit ſupernaturale.

Reſp. diſtinguo ant. Poſito quòd homo ordinetur ad finem ſupernaturalem, & ipſi impoſita ſint præcepta ſupernaturalia, concedo: abſolutè, nego. Namque potuit homo ſine illo ordine, & ſine præceptis ad finem ſupernaturalem tendentibus, produci; unde neganda conſequentia. Nam ſi deberetur homini innocenti gratia ſanctificans, deberetur abſolutè, non autem ex hypotheſi præcepti divini.

Objicies 6. In quocumque ſtatu homo viator conſtituatur, capax eſt remiſſionis peccati: atqui homo in ſtatu puræ naturæ, capax non foret remiſſionis peccati, quæ quidem ſine infuſione gratiæ obtineri non poteſt.

Reſp. nego min. Nam homo in ſtatu puræ naturæ conſequeretur remiſſionem peccati, vel per condonationem extrinſecam, vel per infuſionem alicujus qualitatis naturalis. Adde, quòd ſi pugnaciter volueris, aliter non poſſe remitti peccata, quàm per infuſionem gratiæ ſanctificantis, nihil inde aliud efficies, niſi hominem, à ſtatu puræ naturæ, migraturum ad ſtatum naturæ reparatæ.

Objectiones ex parte ignorantiæ.

Objicies. In ſtatu puræ naturæ, homo ſupponitur innocens, & tamen laborare ignorantia: atqui iſtud impoſſibile videtur. Namque ignorantia pœna eſt peccati, teſte S. Aug. pluribus in locis: maximè verò L. 3. de libero arbitrio c. 18. nu. 52. ubi ſic compendioſè ac nervoſè ſcribit: *Sunt revera omni peccanti animæ duo iſta pœnalia, ignorantia & difficultas.* Et L. 1. de peccatorum meritis & remiſſione cap. 36. n. 66. probat parvulos ſubjacere originali culpæ, quia ſubjacent ignorantiæ. Sic loquitur: *In illas igitur ignorantiæ denſiſſimas tenebras, ubi anima infantis recentis ab utero, utique anima hominis, utique anima rationalis, non ſolùm indocta, verùm etiam indocilis jacet, quare, aut quando, aut unde contruſa eſt? Si natura eſt hominis ſic incipere, & non jam vitioſa eſt iſta natura, cur non talis creatus eſt Adam?*

T. 1. p. 631. D.

T. 10. p. 37. F. G.

Reſp. nego min. Ad probationem diſtinguo. Ignorantia eſt pœna peccati; in præſenti ſtatu, in quo homo creatus eſt cum juſtitia originali, concedo: abſolutè & in ſtatu poſſibili, nego. Porrò rectè S. Aug. adversùs Pelagianos, & Julianum demonſtrabat exiſtentiam peccati originalis ex ignorantia parvulorum. Nam vel illa ignorantia hoc in ſtatu, homini naturalis eſt, vel eſt pœnalis: ſi naturalis; cur ignarus non eſt creatus Adam? ſi pœnalis; ergo peccatum ſupponit. Loquitur autem ſemper S. Doctor diſputans adversùs Pelagianos ex hypotheſi præſenti: abſolutè autem potuit ignorantia eſſe naturalis homini. In ſtatu enim puræ naturæ, *ignorantia non fuiſſet ſupplicium peccati, ſed proficiendi admonitio & perfectionis exordium*, ut loquitur S. Aug. L. 3. de libero arbitrio cap. 20. nu. 56.

T. 1. pag. 633. A.

Objectiones ex parte concupiſcentiæ.

Objicies 1. In ſtatu naturæ puræ, homo fuiſſet obnoxius concupiſcentiæ: atqui fieri non poteſt ut homo à Deo creetur obnoxius concupiſcentiæ.

Pro-

Probatur min. 1. ex S. Joanne Epiſtolæ 1. cap. 2. v. 16. *Concupiſcentia carnis*, inquit, *non eſt ex Patre, ſed ex mundo*.

2. Ex Apoſtolo Rom. 7. v. 23. ubi concupiſcentiam appellat, legem membrorum repugnantem legi mentis. *Video*, inquit, *aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati*. Et v. 20. eandem concupiſcentiam vocat peccatum: *Si*, ait, *quod nolo* (malum) *illud facio, jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me, peccatum*. Atqui nec peccatum, nec lex membrorum repugnans legi mentis poteſt eſſe à Deo: quia ejuſmodi lex, inordinatio eſt paſſiva, cujus Deus auctor eſſe non poteſt, Quidquid à Deo eſt, ordinatum eſt, docente Apoſtolo Rom. 13. v. 1.

3. S. Aug. impugnans Julianum, affirmat ſæpius concupiſcentiam non eſſe aliquod bonum, ſicut ille contendebat; ſed eſſe aliquod malum. *Hoc intereſt*, Tom. 10. inquit Lib. 3. contra Julianum cap. 21. n. 49. (inter te & me) *quòd ego dico me* p. 376. *malum frænare, tu autem te bonum: ego dico mihi malum repugnare, tu tibi bo-* D. *num*. Confirmatur objectio. Quia concupiſcentia in ſtatu purorum naturalium, vel manaret à natura, vel produceretur à Deo. Neutrum dici poteſt.

Non manaret à natura: quia concupiſcentia homini naturalis non eſt, niſi quatenus ſubjecta eſt rationis imperio: quatenus autem limites rationis tranſgreditur, vitioſa eſt, & ineſt homini contra naturam, ex S. Th. 1. 2. q. 82. art. 3. ad 1. nec à Deo produci poteſt. Non enim magis poteſt Deus producere concupiſcentiam, quàm habitum vitioſum.

Priùs quàm huic objectioni reſpondeamus, nonnulla præmitti & obſervari debent, ad majorem dicendorum lucem.

Obſervandum igitur 1. Per concupiſcentiam, hic eam nos intelligere, quę carnis eſt, non ſpiritus. Habet enim & ſpiritus ſuam concupiſcentiam; aliquando bonam, de qua loquitur David Pſal. 118. v. 20. cùm ait: *Concupivit anima mea deſiderare juſtificationes tuas*: aliquando malam, cùm nempe tendit in objectum ſpiritale inordinatùm, qualis eſt v. g. motus invidiæ, ſuperbiæ &c. De ſola carnis concupiſcentia hîc ſermo eſt, quam S. Aug. frequenter *libidinem* appellat.

Obſervandum 2. cum S. Aug. L. 4. contra Julianum c. 14. nu. 65. quatuor in concupiſcentia diſtinguenda eſſe: ſcilicet vivacitatem ſentiendi, utilitatem, neceſſitatem, & libidinem. *Vivacitas*, inquit, *ſentiendi eſt, qua ma-* T. 10. p. *gis alius, alius minùs in ipſis corporalibus rebus pro earum modo atque natura quod* 615. C. *verum eſt, percipit, atque id à falſo magis minùſve diſcernit. Utilitas ſentiendi eſt, per quam corpori vitæque quam gerimus, ad aliquid approbandum vel improbandum, ſumendum vel rejiciendum, appetendum, vitandumve conſulimus. Neceſſitas ſentiendi eſt, quando ſenſibus noſtris etiam quæ nolumus, ingeruntur. Libido autem ſentiendi eſt, de qua nunc agimus, quæ nos ad ſentiendum, ſive conſentientes mente, ſive repugnantes, appetitu carnali voluptatis impellit. Hæc eſt contraria dilectioni ſapientiæ. Hæc virtutibus inimica*.

Obſervandum 3. Concupiſcentiam conſiderari poſſe, vel in actu primo, quatenùs ſcilicet eſt potentia: vel in actu ſecundo, quatenùs eſt actualis motus tendens in bonum ſenſibile.

Concupiſcentiam in actu primo ſumit S. Aug. pluribus in locis, ſed maximè L. 6. contra Jul. cap. 18. n. 53. ubi aſſerit *eam eſſe affectionem quandam malæ* Ib. p. 691. *qualitatis, ſicut eſt languor*. Sumit autem in actu ſecundo, eodem Libro cap. G.

Digitized by Google

19.n.60. his verbis: *Ipſe quippe motus actus eſt ejus, quamvis mente non conſentiente deſit effectus.*

Ibid.p. 656.E. Utroque autem modo ſpectata concupiſcentia, ſumi poteſt, vel materialiter ac ſimpliciter, quatenùs ſcilicet eſt inclinatio in bonum ſenſibile: vel formaliter ſeu cum addito, quatenùs eſt inclinatio in bonum ſenſibile cum deordinatione; ſeu quatenùs pugnat & rebellis eſt contra rectam rationem. Priori modo, eſt facultas naturalis & legitima inclinatio naturæ in bonum corpori proportionatum: poſteriori modo, eſt vitioſa propenſio, ac propriè dicitur concupiſcentia.

Idcirco verò concupiſcentia quæ adversùs ſpiritum inſurgit, mala eſt; quia hæc rebellio perturbat rationis officia, mentem avocat à delectatione ſapientiæ, & voluntatem ab operatione juſtitiæ. Hinc S. Aug. L. 4. contra
Ib.p.620. D. Julianum c.14.n.74. ait: *Ideo in pecoribus malam non eſſe concupiſcentiam, quia non adversùs ſpiritum concupiſcit*, ſed eorum potiùs oblectat ſpiritum. Et Lib.
Ib.p.274. C. de peccato originali cap. 40. nu. 46. *Tantæ*, inquit, *excellentiæ eſt in comparatione pecoris homo, ut vitium hominis, natura ſit pecoris.* Et Lib. 4. Operis im-
T.10.p. 1167. B. perfecti adversùs Julianum c. 56. illum feſtivè ſubſannans, ita compellat. *Sic ergo & in libidine agnoſce & pecoris naturam, & hominis pœnam, ſi animam non habes aſininam.*

Obſervandum 4. duplex hìc diſtingui poſſe mali genus: aliud eſt naturale, aliud verò morale. Malum naturale, eſt privatio perfectionis naturalis; ut claudicatio, cœcitas, &c. Malum morale, eſt privatio rectitudinis, ſeu perfectionis debitæ actui libero, quę culpę imputatur: uno verbo, eſt ipſum peccatum,

Concupiſcentia aliquando eſt tantùm malum naturale; aliquando naturale ſimul & morale, cùm nempe adjunctum habet voluntatis conſenſum. Concupiſcere enim homini naturale eſt, poſt concupiſcentias verò ire, ſeu concupiſcentię conſentire, peccatum. Hoc poſteriori modo concupiſcebat ille, qui Eccleſiaſtes cap. 2. v. 1. dicebat: *Vadam, & affluam deliciis.* Priori verò modo concupiſcentiam experiebatur Apoſtolus, cùm Rom. 7. v. 23. exclamabat: *Condelector legi Dei ſecundùm interiorem hominem: Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati quæ eſt in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Igitur ego ipſe mente ſervio legi Dei: carne autem, legi peccati.*

Quandiu verò hac in mortali vita degimus, concupiſcentia malum eſt naturę: quia & quando nolumus, & quando non conſentimus, nec ei membra noſtra, ut impleat quod appetit, exhibemus, habitat tamen in eis, & men-
T.10.p. 304.B. tem reſiſtentem ac repugnantem ſollicitat. *Ut ipſe conflictus, etiamſi non ſit damnabilis quia non perficit iniquitatem; ſit tamen miſerabilis, quia non habet pacem*: ait S. Aug. L. 2. de nuptiis & concup. c. 2. n. 6.

Obſervandum 5. Rem aliquam duobus modis ad malum morale ducere ſeu inclinare poſſe: nempe vel per ſe, vel per accidens tantùm. Per ſe quidem, cùm ex nativa ſua conditione ad malum impellit: talis eſt habitus vitioſus. Per accidens, cùm nec ex intentione Creatoris, nec ex natura operis, ſed tantùm ex imperfectione ſubjecti in quo eſt, ad malum propellit: talis eſt concupiſcentia naturaliter ac phyſicè conſiderata. Hęc enim, ex intentione Creatoris,

Digitized by Google

toris, & ex natura operis, eſt tantùm inclinatio ad bonum ſenſibile corpori proportionatum: quòd verò hæc inclinatio, mentem à ſpiritualibus avertat & avocet, ex ipſa hominis conſtitutione & imperfectione naturali oritur: quia nempe plus affici poteſt & moveri rebus ſenſibilibus, quàm ſpiritualibus: qui defectus, non Creatoris eſt, ſed creaturæ. Sicut quòd voluntas hominis à gratia, quam primitùs in ortu ſuo accepit, peccando deficere potuerit, ut re ipſa defecit, defectus eſt, ſeu imperfectio ex conditione creaturæ conſequens: quæ imperfectio propriè non efficientem, ſed deficientem cauſam habet; & idcirco, non in Deum Creatorem, ſed in creaturam ipſam rejicitur.

Obſervandum denique, concupiſcentiam in præſenti naturæ lapſæ ſtatu, longè ardentiùs ac vehementiùs nos ad malum ſollicitare, quàm feciſſet in ſtatu naturæ puræ: quia jam per peccatum multùm imminutæ ſunt & inclinatæ liberi arbitrii vires ad bonum; quapropter in præſenti ſtatu, vitium concupiſcentiæ eſt pœna peccati. Cùm verò S. Aug. adversùs Pelagianos & Julianum ſemper arguat ex præſenti rerum ſtatu, in quo homo conditus eſt à Deo juſtus, innocens, & immortalis; concupiſcentiam, quam hæretici illi bonam eſſe contendebant, malam eſſe ac jam peccati pœnam rectè demonſtrabat S. Doctor. Unde, quod caput erat, probabat eſſe aliquod peccatum originale, quod omnes naſcendo contrahimus.

His prænotatis facilis, ac plana erit ad propoſitam objectionem & ſubſequentes reſponſio.

Reſp. itaque nego min.

Ad primam ejus probationem ex S. Joanne, diſtinguo: concupiſcentia carnis non eſt à Patre ſed à mundo; quatenus eſt malum morale habens adjunctum voluntatis conſenſum, concedo: quatenus eſt malum naturale, ſubdiſtinguo: non eſt à Patre, formaliter & ratione defectus ſeu imperfectionis, rebellionis & luctæ contra rationem ſeu partem ſuperiorem, quia, ut ait S. Aug. L. 1. contra Julianum cap. 8. n. 37. non poteſt *auctorem habere quod nihil eſt*. Hoc eſt, mali formaliter ſumpti non eſt cauſa efficiens, ſed deficiens, concedo: non eſt à Patre materialiter ſeu ratione entitatis, prout eſt inclinatio naturæ ſentientis in bonum ſenſibile, nego. Ad aliud teſtimonium pariter diſtinguo: lex membrorum non poteſt eſſe à Deo, ratione rebellionis, concedo: ratione entitatis, nego. T.10.p. 521.B.

Diſtinguenda pariter iſta propoſitio: Concupiſcentia, ex Apoſtolo, peccatum eſt, ſi habet adjunctum voluntatis conſenſum; qua ratione verum eſt ac propriè dictum malum morale, quod à Deo conditore eſſe non poteſt, concedo: ſi non habet adjunctum voluntatis conſenſum, iterum diſtinguo: eſt peccatum impropriè dictum, concedo: propriè, nego. Concupiſcentia igitur quæ voluntatis conſenſum antecedit, peccatum ab Apoſtolo appellatur, improprio quodam ſenſu, quia nempe eſt à peccato, & ad peccatum inclinat, ut ait Conc. Trid. ſeſſ. 5. Can. 5. poſt S. Aug. L. 1. de Nuptiis & Concupiſcentia cap. 23. Eo ferè modo, quo lingua dicitur locutio, quam facit lingua; & manus dicitur ſcriptura, quam facit manus, & frigus dicitur pigrum, eo quòd pigros facit. Non eſt verò peccatum propriè dictum: aliàs; in renatis & baptizatis, in quibus ad agonem & virtutis exercitium concupiſcentia remanet, verum eſſet peccatum, quod falſum eſſe pronuntiat Conc. Tridentinum. *Concupiſcentia*, inquit, loco mox indicato, *quam aliquando Apoſtolus*

D 2

ſtolus peccatum appellat, ſancta Synodus declarat Eccleſiam Catholicam nunquam intellexiſſe peccatum appellari, quòd verè & propriè in renatis peccatum ſit; ſed quia ex peccato eſt & ad peccatum inclinat.

Ad ſecundam ex S. Aug. Dico mentem S. Doctoris eſſe, concupiſcentiam malum eſſe naturæ: item, in præſenti ſtatu, juxta quem ſemper diſputat cum Pelagianis, eam eſſe ſupplicium culpæ: denique abſolutè potuiſſe Deum in alio ſtatu auctorem eſſe concupiſcentiæ, (non quidem ratione defectus ſeu rebellionis, ſed entitatis) quia tunc non fuiſſet ſupplicium culpæ originalis, ſed exercitium virtutis.

Quia verò S. Doctor Julianum impugnans, ex præſenti ſtatu diſputat, in quo homo conditus à Deo fuit juſtus & innocens, abſque ulla rebellione appetitus ſentientis; rectè oſtendit, in hoc ſtatu concupiſcentiam malam eſſe propter illam rebellionem quam adjunctam habet; atque Julianum redarguit, quòd non ſatis diſtingueret inter libidinem concupiſcentiæ, & appetitum boni ſenſibilis. Libidinem quidem illam, quæ repugnat legi mentis, malam eſſe ac culpæ originalis ſupplicium, rectè demonſtrat ſanctus Doctor; non verò ipſum præciſè appetitum boni ſenſibilis.

Ad confirmationem, reipſa concupiſcentia in ſtatu purorum naturalium à natura manaret. Ad probationem verò ſubjunctam, dico concupiſcentiam quæ non eſt ſubjecta rationis imperio, homini naturalem non eſſe, ſi naturale ſumatur reſpectivè ad inclinationem partis ſuperioris, concedo: ſub hoc enim reſpectu virtus eſt homini naturalis, propterea quòd pars ſuperior in virtutem propendeat ut in ſuum bonum: ſi verò naturale ſumatur reſpectivè ad inclinationem partis inferioris, nego.

Inſtabis 1. Deus non poteſt eſſe auctor illius rei, cui naturalis eſt deordinatio, & eſſentialiter annexus defectus; aliàs, poſſet eſſe auctor mendacii: atqui concupiſcentiæ naturalis eſt deordinatio, & eſſentialiter annexus defectus; ergo, &c.

Reſp. diſtinguo maj. Si defectus ſit moralis, concedo: quia Deus non poteſt eſſe auctor peccati. Si defectus ſit naturalis, ſubdiſtinguo: Deus non poteſt eſſe auctor illius formaliter ſumpti, concedo: materialiter & entitativè, nego. Uno verbo, poteſt Deus eſſe auctor rebellantis concupiſcentiæ; non poteſt verò eſſe auctor rebellionis illius. Quemadmodum Deus producit fatuos homines, nec tamen eſt auctor fatuitatis, cùm ſit ſapientiſſimus. Ita reſ-
T.10.p. pondebat Juliano S. Aug. Lib. 3. Operis adversùs ipſum imperfecti cap. 160.
1113. B. *Ejus quippe hominis*, inquit, *qui fatuus natus eſt, Deum dicimus, quamvis non dicamus ipſius fatuitatis auctorem. Quæ fatuitas non eſt natura atque ſubſtantia, quæ non naſcitur niſi creante Deo, ſed ejuſdem naturæ vitium, quod accidit ſinente Deo.* Paulò antea dixerat, hanc *fatuitatem ex accidente vitio*, (nempe originali peccato) *non ex natura, qualis primitùs inſtituta eſt, profluere.*

Diſtinguo min. ad ſenſum maj. Concupiſcentiæ eſt annexus defectus naturalis, concedo: moralis, iterum diſtinguo: per accidens & ratione ſubjecti, cùm nempe adjunctum habet voluntatis conſenſum, concedo: per ſe, nego.

Inſtabis 2. S. Aug. Lib. 4. contra Julian. cap. 14. nu. 65. docet, concupi-
Ib.p.615. ſcentiam ſeu libidinem *quæ nos ad ſentiendum, ſive conſentientes mente, ſive re-*
D. *pugnantes, appetitu carnalis voluptatis impellit, contrariam eſſe dilectioni ſapien-*

tiæ,

tiæ, & virtutibus inimicam. At, quod contrarium eſt dilectioni & virtutibus inimicum, non poteſt eſſe à Deo; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. Docet contrariam eſſe dilectioni per accidens, concedo: per ſe, nego. Diſtinguo pariter min. Quod contrarium eſt dilectioni per ſe, non poteſt eſſe à Deo, concedo. Sic habitus vitioſus avaritię, incontinentię &c. quia per ſe ac nativa ſua conditione inclinat ad actus malos, non poteſt eſſe à Deo. Quod eſt contrarium dilectioni per accidens dumtaxat, & centra intentionem operantis ac conditionem operis, nego. Porrò concupiſcentia, hoc tantùm poſteriori ſenſu dici poteſt contraria dilectioni, non priori.

Inſtabis 3. S. Aug. diſputans cum Juliano, eo ipſo ſenſu contendit concupiſcentiam eſſe malam, quo Julianus aſſerebat eam eſſe bonam: atqui Julianus aſſerebat concupiſcentiam, prout eſt inclinatio in bonum ſenſibile, eaque ratione pugnat contra ſpiritum, bonam eſſe; libidinem verò ipſam, ſeu exceſſum concupiſcentiæ eſſe malum, non diffitebatur Julianus, teſtante ipſomet S. Aug. *Quid te adjuvat*, inquit alloquens Julianum Lib. 5. adversùs ipſum, cap. 7. n. 29: *quòd reprehendere videris ejus exceſſum, cujus approbas motum? Tunc enim excedit licitum limitem, quando ejus motibus ceditur. Mala tamen eſt, & quando non ceditur; quia malo reſiſtitur, ne bonum caſtitatis intereat, ſi huic malo non reſiſtatur*. Et Lib. 4. cap. 14. versùs finem n. 73. dixerat: *Exceſſus: inquis, ejus* (nempe concupiſcentiæ) *in culpa eſt*. Et Lib. 2. de nuptiis & concupiſc. cap. 19. n. 34. Julianus dicebat: *Meritò, & in benè utentibus genus concupiſcentiæ modusque laudatur: & in turpibus, exceſſus ejus punitur*. Nimirum quia, ut ait ibidem, *concupiſcentiæ naturalis qui modum tenet, bono benè utitur; qui modum non tenet, bono malè utitur*. Modum verò illum ſeu limites in uſu concupiſcentiæ carnis, definiebant intra terminos legitimi matrimonii; ita ut exceſſum illius in ſola fornicatione & adulterio collocarent. Similiter uſum aliarum concupiſcentiarum permittere videbantur, dummodo nemini afferrent injuriam aut detrimentum. Ergo S. Aug. contendit concupiſcentiam, prout eſt ſimpliciter inclinatio in bonum ſenſibile, eſſe malam.

Ib. p. 645. A. — *Ib. p. 620. C.* — *Ib. p. 318. E.* — *Ib. G.*

Reſp. 1. Julianum non ſatis aliquando diſtinxiſſe inter concupiſcentiam & libidinem; unde utramque bonam eſſe videbatur affirmare. Quod quidem ipſi exprobrat S. Aug. Lib. 4. adversùs ipſum, cap. 14. n. 65. *Hanc*, inquit, (libidinem) *ſi voluiſſes, vel valuiſſes à ſentiendi vivacitate, utilitate, neceſſitate diſcernere, videres quàm ſuperfluò tam multa dixiſſes*.

Ib. p. 615. E.

Reſp. 2. diſtinguo maj. S. Aug. &c. in præſenti naturæ lapſæ ſtatu, concedo: in ſtatu poſſibili, de quo non diſputat S. Doctor cum Pelagianis, nego. Diſtinguo min. Julianus contendebat concupiſcentiam in pręſenti ſtatu eſſe bonam, nec eam ex originali peccato, quod negabat, defluere, concedo: in alio ſtatu poſſibili, de quo nulla tunc erat inter ipſum & S. Auguſtinum controverſia, nego. Itaque Julianus contendebat ipſam concupiſcentiam in præſenti ſtatu, quatenùs adverſatur legi mentis, bonam eſſe ac laudabilem: è contra, S. Aug. oſtendit eam eſſe malam, quia ex peccato venit. Cùm enim homo ſit à Deo conditus juſtus ac innocens, abſque ulla partis inferioris contra ſuperiorem pugna & rebellione; rectè demonſtrat concupiſcentiam, quę nos ad ſentiendum, ſive conſentientes mente, ſive repugnantes, appetitu carnalis voluptatis impellit, malam eſſe ac ſupplicium præcedentis peccati.

Reſp. 3. diſtinguo aliter maj. propoſitionem. Julianus contendebat concu-

piſcentiam eſſe bonam, ita ut in potentiali concupiſcentia nullum agnoſceret vitium, ſed ſolùm in actuali; ſicut in potentia viſiva non eſt vitium, ſed dumtaxat in viſu vel curioſo vel laſcivo, concedo: ita ut agnoſceret vitium in concupiſcentia potentiali, ſeu ipſa facultate concupiſcendi, nego. Julianus enim hanc facultatem læſam non exiſtimabat, qui vulnus originale non agnoſcebat.

Quapropter in ſententia Juliani, concupiſcentia eſt velut equus bonus, cujus equitatio nonnunquam vitioſa eſt, quando ſeſſor animus illum malè regit. At verò in ſententia S. Aug. concupiſcentia eſt equus malus; unde Julianum ſic arguit, L. 3. adversùs ipſum cap. 20. initio. *Incipis*, inquit, *diſputare de exceſſu concupiſcentiæ quem reprehenſibilem dicis: quaſi in ejus moderatione, cùm ea benè utitur conjugatus, equus ipſe qui malus eſt, & non potius ſit ejus auriga laudandus.*

Ib p. 571. E.

Nos verò fatemur, concupiſcentiam, tum potentialem, tum etiam actualem, malam eſſe quoties ratione non regitur. Dicimus, equum illum, & equitationem, dum ei pluſquàm decet, habenas laxamus, malam eſſe, ſicque noſtra doctrina longè diſtat à doctrina Juliani. Itaque Julianus ac Pelagiani, non in eo errabant quòd concupiſcentiam in ſe generatim ſumptam, prout eſt inclinatio in bonum ſenſibile, bonam eſſe dicerent, vel quòd ejus exceſſum contra rationem culparent; in utroque enim capite conſentientem ſibi habebant S. Aug. ſed in eo errabant illi:

I. Quòd in ipſa concupiſcentia, qualis nunc eſt poſt lapſum Adami, nullum defectum, nullum vitium agnoſcerent; ac difficultatem quam in bono proſequendo jam experimur, ex mala dumtaxat conſuetudine, non ex peccato primi parentis profluere affirmarent. Econtra, demonſtrabat S. Aug. difficultatem illam, ac luctam carnis & ſpiritus, eſſe pœnam originalis peccati, per quod, amiſſa naturæ integritate, Adam cum ſua poſteritate in deterius mutatus eſt, ut ait Conc. Trid. ſeſſ. 5. Can. 1. poſt Arauſicanum Can. 2.

II. Peccabant Pelagiani, in eo quòd in laudes concupiſcentiæ, præſertim verò carnalis, impudentiùs ſe ſe effunderent: quod ſæpius ipſis exprobrat S. Aug. Lib. 2. contra Jul. c. 3. & 6. Et L. 4. c. 2. Et L. 6. de Nupt. & Concup. cap. ultimo.

III. Peccabant in eo quòd difficultatem ſeu languorem, & infirmitatem naturæ tolli dicerent per baptiſmum; ac niſi fomes concupiſcentiæ extingueretur, fore, ut non tollerentur peccata, ſed tantùm raderentur, ſubinde renaſcitura capillorum inſtar, & incrementum acceptura. At è contra, oſtendebat S. Aug. 1. Concupiſcentiam illam poſt baptiſmum remanere; nec culpæ imputari, niſi cùm extra limites rationis ex conſenſu voluntatis excurrit. 2. Per baptiſmum omnia peccata penitus tolli ac deleri, cùm nihil damnationis ſit in iis qui ſunt in Chriſto Jeſu. Peccabant denique, in eo quòd nimis confuſè & indiſtinctè affirmarent, concupiſcentiam ſumptam pro potentia appetendi bonam eſſe. Quamquam enim bona illa ſit, quatenus ſimpliciter eſt inclinatio in bonum ſenſibile; attamen, quatenus ad motus inordinatos impellit ac ſollicitat, imperfecta eſt ac vitioſa: quæ imperfectio ex peccato originali profluit. Quemadmodum, quòd intellectus poſſit verum attingere, perfectio naturalis eſt: quòd autem falli poſſit & errare, imperfectionis eſt. Sanctus porrò Aug. diſputans contra Pelagianos, nomen concupiſcentiæ ſtrictiùs ſumit & in malam partem: nempe pro inclinatione ad bona ſenſibilia repugnante rectæ rationi,

Digitized by Google

tioni, & ad peccandum vehementer incitante. Quo ſenſu etiam à Pelagianis uſurpabatur, ac tanquam bona prædicabatur; quam S. Doctor malum eſſe contendebat, cùm ex malo eſſet, nempe peccato, & ad peccatum inclinaret.

Inſtabis 4. Si poſſet abſolutè homo creari cum concupiſcentia, immeritò S. Aug. adversùs Julianum inveheretur, quòd libidinem & concupiſcentiam introduceret in paradiſum.

Reſp. nego ant. S. enim Aug. arguit, ut ſæpius diximus, ex ſuppoſito præſenti rerum ſtatu & ordine, in quo homo à Deo creatus fuit in juſtitia originali abſque ulla concupiſcentia.

Inſtabis 5. Qui fatetur concupiſcentiam eſſe malum aliquod, & tamen negat eam eſſe à peccato, ille ſentit cum Manichæis, ac Deum facit auctorem mali: atqui concupiſcentia, in ſtatu puræ naturæ, eſſet malum aliquod, neque tamen eſſet à peccato; ergo &c. Ita S. Aug. Lib. 5. contra Julian. cap. ultimo n. 66. *Fatere igitur*, ait, *ingenitos eſſe homini motus malos, contra quos caſtitas dimicat. Et ne dicere cum Manichæis cogaris, alienæ mali naturæ nobis ineſſe commixtionem, noſtrum potius originalem confitere languorem.* Ib. p. 660. G. & 661. A.

Reſp. diſtinguo maj. Qui fatetur concupiſcentiam eſſe malum aliquod morale culpabile, concedo: malum naturale, non culpabile, ſubdiſtinguo: qui hoc fatetur in præſenti ſtatu, cum Manichæis ſentit, eſto: in alio ſtatu poſſibili, in quo concupiſcentia foret proficiendi admonitio, & perfectionis exordium, ut loquitur S. Aug. L. 3. de libero arbitrio cap. 20. nego.

Inſtabis 6. Malo naturali licet conſentire v. g. morbis, morti &c. at non licet conſentire motibus concupiſcentiæ; ergo motus illi non ſunt malum aliquod naturale.

Reſp. diſtinguo maj. Malo naturali licet conſentire, ſi nullum ſit peccandi periculum, concedo: ſi aliquod immineat peccandi periculum, nego. Porrò conſentire morbis, morti &c. nullum habet ex ſeſe adjunctum peccandi periculum; quia natura ab illis malis abhorret: at verò illud peccandi periculum præſens ineſt in motibus concupiſcentiæ, propter fragilitatem carnis, & propenſionem in res ſenſibiles: quapropter, ejuſmodi motibus conſenſum præbere non licet.

Objicies 2. Obex ſapientiæ & virtutis non poteſt à Deo produci, quia ſcandalum eſt, ex Sancto Th. 2. 2. q. 43. art. 1. in corpore. Atqui concupiſcentia eſt obex ſapientiæ & virtutis, ut liquet; ergo concupiſcentia non poteſt à Deo produci.

Reſp. diſtinguo maj. cum eodem S. Th. loco citato, in reſp. ad 4. Si per ſe ſit obex, vel ex intentione operantis vel ex conditione operis, concedo: ſi ſit obex per accidens tantùm; hoc eſt, præter intentionem operantis & præter conditionem operis, nego. Hoc enim veri ſcandali rationem non habere docet ibid. S. Th.

Diſtinguo etiam min. Concupiſcentia eſt obex ſapientiæ & virtutis, per accidens; hoc eſt, præter intentionem operantis & conditionem operis, concedo: per ſe, nego. Deus enim eo fine non produxit concupiſcentiam, ut ſapientiæ ac virtuti obicem injiceret: neque etiam concupiſcentia ex natura ſua tendit in ruinam ſapientiæ & virtutis; quandoquidem ex natura ſua nihil eſt aliud quàm inclinatio in bonum ſenſibile: ſed omnino per accidens contingit, tali inclinatione præpediri ſapientiam & virtutem; quia videli-

cet plerumque fit, ut mentem, quæ fertur in bonum ſpirituale, pars inferior in ſenſibile propenſa remoretur, avocet & corporea inflectat.

Objicies 3. Non poteſt Deus producere habitum vitioſum, v.g. infundere alicui habitum luxuriæ; ergo neque habitualem concupiſcentiam.

Reſp. nego conſeq. Ratio diſparitatis eſt, quòd habitus vitioſus ex ſe determinatus ſit ad malum; unde non poſſumus eo benè uti: nullus enim honeſtè luxuriari poteſt. At verò concupiſcentia non eſt facultas ad malum ex ſe determinata: ea ſiquidem benè utuntur conjugati, docente S. Aug. L. 1. contra duas Epiſtolas Pelagianorum, ad Bonifacium cap. 16. nu. 33. *Quo malo*, inquit, *propter bonum generationis filiorum, benè utuntur pudica conjugia.*
T. 10. b. 415. F. *Solius autem carnalis voluptatis cauſa libidini conſentire, peccatum eſt; quamvis conjugatis ſecundùm veniam concedatur.* Quapropter mala quidem eſt concupiſcentia, quia pugnat cum rationis inclinatione; ſed cùm Deus ea pugna uti poſſet in bonum finem, ſcilicet in exercitium bonorum operum; poſſet etiam Deus illam producere.

Inſtabis. Opus Dei non poteſt eſſe pudendum, ex S. Aug. L. 1. ad Bonifacium cap. 15. & 16. Atqui concupiſcentia, ex eodem S. Doctore, L. 1. de Nuptiis & Concupiſcentia cap. 22. eſt opus pudendum: ergo concupiſcentia non poteſt eſſe opus Dei.

Reſp. diſtinguo maj. Opus Dei non poteſt eſſe pudendum, per modum mali culpabilis, concedo; per modum mali naturalis, ſubdiſtinguo: quatenus eſt opus Dei, concedo: quatenus eſt opus creaturæ, nego. Eatenus enim, eſt opus deficiens; adeoque pudorem incutit.

Diſtinguo min. Concupiſcentia eſt opus pudendum, in ordine mali naturalis, concedo: in ordine mali moralis & culpabilis, ſubdiſtinguo: in præſenti ſtatu, concedo: in alio ſtatu, nego. Nam ſi concupiſcentia foret naturale primordium, Deus non foret culpandus, ſed laudandus, ait S. Aug. L. 3. de libero arbitrio cap. 20.

Diſtinguo conſequens. Concupiſcentia non poteſt eſſe opus Dei, quatenus eſt malum morale & culpabile, concedo: quatenus eſt malum naturale, ſubdiſtinguo: formaliter, & prout eſt deficiens, concedo: materialiter, & prout eſt inclinatio in bonum ſenſibile, nego.

Itaque, nunc erubeſcimus de concupiſcentia, & in alio quoque ſtatu erubuiſſemus, ſed diſpari modo. Nunc enim erubeſcimus de concupiſcentia, eo quòd ſit opus diaboli, opus Adami peccatoris, opus noſtrum, quod à peccato noſtro dimanat: nunc ergo erubeſcimus de concupiſcentia, tanquam de ſtigmate rebellionis. In alio verò ſtatu erubuiſſemus de concupiſcentia, tanquam de malo naturali, non ſecus ac nos jam pudet deformitatis alicujus in corpore. Neque tamen pudor ille vitium fuiſſet ingrati erga Creatorem animi, quia ortus non fuiſſet ex ipſo opere Creatoris, ſed ex defectu operi annexo; quapropter concupiſcentiæ turpitudo in Dei dedecus nullatenùs redundaſſet: ſicut quòd in enſe rubiginem ferrum contrahat, non eſt defectus opificis, qui poſſit ipſi ad vitium imputari, ſed nativa ferri conditio.

Objicies 4. Quod eſt inconveniens, fieri à Deo non poteſt: atqui concupiſcentia in homine innocente eſt aliquod inconveniens; ergo concupiſcentia non poteſt eſſe in homine innocente, nequidem divinitus.

Major

Major eſt S. Anſelmi L. 1. cur Deus homo cap. 10. ubi ſic ait. *In Deo quàmlibet parvum inconveniens ſequitur impoſſibilitas.* Ed. Gerb. p. 79. col. 1. C.

Minor eſt ejuſdem S. Doctoris, L. de conceptu virginali, cap. 13.

Reſp. diſtinguo maj. Quod eſt inconveniens, non poteſt fieri à Deo; ſi ſit inconveniens abſolutè ſeu poſitivè, concedo: quia tunc nullam habere poteſt rationem convenientiæ, ac conſequenter à Deo nunquam eſſe poteſt. Sic fieri nequit ut Deus mentiatur; quia mendacium eſt abſolutè ac poſitivè inconveniens. Si ſit inconveniens comparatè dumtaxat, ſeu minus conveniens & diminutivè, nego. Nam reparatio v. g. generis humani per ſatisfactionem puri hominis, eſt inconveniens comparatè, ſeu minùs conveniens; propterea quòd multò convenientius fuerit, humanum genus reparari per ſatisfactionem Verbi Incarnati; nihilominus tamen potuit Verbum non incarnari, & acceptare ſatisfactionem puri hominis: ergo poteſt Deus facere aliquod inconveniens comparatè.

Diſtinguo min. Concupiſcentia eſt aliquod inconveniens in homine innocente, inconveniens comparatè, concedo: quia non ita conveniens eſt, hominem innocentem pati difficultatem in bono operando, ac hominem peccatorem: inconveniens abſolutè, nego. Nam innocenti homini, concupiſcentia congenita fuiſſet ad pugnam, quæ peccatori infligitur in pœnam.

Inſtabis 1. Deus non poteſt facere illud quod eſt minus conveniens: atqui hominem innocentem produci cum concupiſcentia eſt aliquid minus conveniens, ex conceſſis; ergo Deus non poteſt hominem innocentem producere cum concupiſcentia.

Major probatur ex S. Anſelmo L. 1. cur Deus homo c. 10. *Sicut enim*, inquit, *in Deo quàmlibet parvum inconveniens ſequitur impoſſibilitas; ita quàmlibet parvam rationem, ſi majori non vincitur, comitatur neceſſitas.* Ergo Deus neceſſariò agit id quod eſt magis conveniens; adeoque præſtare non poteſt quod eſt minùs conveniens.

Reſp. nego maj. Ad cujus probat. reſp. explicando verba S. Anſelmi. Si majori non vincitur, id eſt ſi non occurrat ratio, nec major abſolutè, nec major comparatè, concedo: ſi occurrat aliqua ratio major ſaltem comparatè, ſeu relativè ad finem quem Deus operando ſibi proponit, nego. Quamvis enim pluralitas v. g. mundorum, forſan aliquid melius foret abſolutè unitate mundi, quatenus ſcilicet amplior foret divinę bonitatis communicatio ac manifeſtatio, attamen relativè ad finem quem Deus mundum creando intendit, melius eſt mundum eſſe unicum. Ita licèt ſtatus naturæ puræ ſecundùm ſe ſit minus perfectus quàm ſtatus gratię, nihilominus ſi Deus producere illum vellet, melior dicendus foret relativè ad finem quem ſibi proponeret, puta, ad manifeſtandam dignitatem animæ rationalis, quæ ita rebus corporeis excellit, ut ab eo gradu poſſit eſſe ejus ortus, ad quem alterius perductus eſt occaſus: ſic docet S. Aug. L. 3. de libero arbitrio cap. 20.

Inſtabis 2. Concupiſcentia nulli bono foret utilis in ſtatu purę naturæ, quinnimò valde noxia.

Reſp. concupiſcentiam fore cauſam pugnandi, & admonitionem non ſuperbiendi: ſicut enim in pręſenti ſtatu naturę reparatę, non penitus extinguitur in carne continentium Sanctorum illa concupiſcentia; ut, dùm pugnatur adver-

Digitized by Google

adverſus eam, periculorum ſuorum animus admoneatur, ne ſecurus inſlet, teſte S. Aug. ita pariter in ſtatu puræ naturę prodeſſe poſſet concupiſcentia, ut homo ſuę admoneretur infirmitatis, & ejus virtus in infirmitate perficeretur.
Inſtabis 3. Hæc ratio oſtendit concupiſcentiam potuiſſe etiam reperiri in Adamo ante peccatum; atqui conſequens illud falſum eſt. Siquidem S. Auguſtinus graviter Julianum increpat, quòd libidinem introduceret in paradiſum.

Reſp. nego ſequelam maj. Etenim Deus, ſingulari quadam & gratuita bonitate, Adamum fecit rectum, adeoque libidinis ſeu malę concupiſcentiæ prorſus immunem. Hęc equidem effrenata in res ſenſibiles propenſio, eſt veluti ſpiritalis quædam animę curvitas in terram; juxta iſtud Pſalmi 37. v. 7. *Miſer factus ſum, & curvatus ſum uſque in finem*. Adeoque non potuit Deus primum parentem producere cum ejuſmodi concupiſcentia: tunc enim non rectum produxiſſet, ſed curvum.

Objectiones ex parte miſeriarum, quibus homo ſubjacet.

Objicies 1. S. Aug. pluribus in locis demonſtrat contra Pelagianos, tam intimam ac neceſſariam eſſe connexionem inter miſerias quibus affligimur, & peccatum originale, ut injuſtus vel impotens foret Deus, ſi hominem abſque ullo prævio peccato iis miſeriis, quibus jam ſubjacet, obnoxium crearet; ergo cùm planè impoſſibile ſit, Deum injuſtum eſſe aut impotentem, conſequenter impoſſibile eſt Deum creare hominem, qui ſine ullo prævio peccato, obnoxius ſit iis omnibus miſeriis quibus jam premitur. Antecedens probatur verbis ipſis S. Aug.

T. 10. p. 626. C. D. Lib. 4. contra Julian. cap. ultimo n. 83. *Quid reſtat*, inquit, *niſi ut cauſa iſtorum malorum ſit aut iniquitas vel impotentia Dei, aut pœna primi veteriſq; peccati? Sed quia nec injuſtus, nec impotens eſt Deus: reſtat quod non vis, ſed cogeris confiteri, quòd grave jugum ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris eorum uſque in diem ſepulturæ in matrem omnium non fuiſſet, niſi delicti originalis meritum præceſſiſſet.*

Ibid. pag. 884. C. Et Lib. 1. Operis imperfecti n. 25. *Nullo modo*, inquit, *ſub cura omnipotentis & juſti* (Dei) *eadem tam magna miſeria naturæ irrogaretur humanæ, niſi in duobus hominibus tota de paradiſi felicitate in hanc infelicitatem peccati merito pelleretur.*

Ibid. pag. 994. A. Et Lib. 2. ejuſdem Operis n. 104. ſic Julianum negantem originale peccatum, irridet. *Quod nolens videre clauſis oculis clamas, & juſtum Dei eſſe judicium, & non eſſe originale peccatum. Quæ duo inter ſe quàm ſint contraria; procul dubio cerneres .... ſi ſanum caput haberes.*

Reſp. diſtinguo maj. In præſenti naturę ſtatu, ac ſuppoſita creatione primi hominis in juſtitia & ſanctitate originali, à qua nonniſi per peccatum excidit, & in tantam miſeriarum voraginem delapſus eſt, concedo: in alio ſtatu, qui re vera non extitit ſed poſſibilis eſt, nego. Itaque, S. Aug. ut ſæpiùs dictum fuit, contra Pelagianos diſputat, non ex hypotheſi poſſibili, quę nuſquam extitit, ſed ex pręſenti rerum ordine; hoc eſt, ſupponendo primum hominem à Deo rectum & immortalem fuiſſe conditum, iis ſcilicet omnibus

animi

Digitized by Google

animi & corporis dotibus inſtructum, quibus perfectè beatus reddebatur; à quo quidem felici ſtatu ille non excidit, tot miſeriis ac calamitatibus ſubinde obnoxius factus, niſi in pœnam ac ſupplicium peccati. Quare jure merito S. Doctor demonſtrat tam arctam & intimam eſſe in præſenti rerum ordine connexionem inter miſerias quibus affligimur, ac peccatum originale; ut injuſtus vel impotens foret Deus, ſi, abſque ullo prævio peccato, hominem, quem tot donis in ſua creatione exornaverat, in tot calamitates ac miſerias dejeciſſet. Igitur vitæ præſentis miſerias, tanquam pœnas ac ſupplicia peccati meritò conſiderat S. Aug. non verò tanquam mala naturalia. In alio autem ſtatu poſſibili, miſerias illas fore naturæ primordia, docet idem S. Doctor contra Manichæos Lib. 3. de libero arbitrio cap. 23. ubi ſcribit, parvulos ſubdi potuiſſe miſeriis, quamvis innocentes naſcerentur: *Sive quia eorum cruciatibus duritia majorum contunditur, aut exercetur fides, aut miſericordia probatur: ſive propterea quòd nemo novit quid ipſis parvulis in ſecreto judiciorum ſuorum bonæ compenſationis reſervet Deus, qui quamquam nihil rectè fecerint, tamen nec peccantes aliquid iſta perpeſſi ſunt.* Ibidem docet belluas, quæ peccato non ſunt obnoxiæ, multis affligi poſſe doloribus. Denique decretorium eſt quod ſcribit idem S. Doctor L. 6. de Geneſi ad Litt. c. 25. nempe, primum hominem creatum fuiſſe immortalem, *quod ei præſtabatur*, inquit, *de ligno vitæ, non de conſtitutione naturæ.* *T. 1. pag. 638. B.* *T. 3. par. 1. p. 210. D.*

Inſtabis 1. Si ſanctus Auguſtinus adversùs Pelagianos egiſſet ex ſuppoſitione juſtitiæ originalis, ac felicitatis Adamo primitus conceſſæ, ejus diſputatio ſophiſtica planè fuiſſet, ac perpetuò laboraſſet vitio petitionis principii: namque ſuppoſuiſſet id quod erat in controverſia poſitum.

Reſp. nego ſequelam antecedentis. Qui enim probat quod ſupponit, is non laborat vitio petitionis principii: atqui S. Aug. ſæpius probaverat, tum ex Scriptura, tum ex Traditione, primum hominem juſtum & inexterminabilem à Deo conditum fuiſſe; eumque nunquam moriturum, ſi non peccaſſet. Ex Scriptura quidem, puta ex 2. & 3. cap. Geneſeos Lib. 1. de peccatorum meritis cap. 2. ex Traditione verò L. 1. contra Julianum cap. 5. n. 20. ubi alloquens Julianum dicebat: *Habes in conſpectu, non ſolùm Occidentis, verùm etiam Orientis Epiſcopos .... Omnes uno eodemque modo credunt, per unum hominem peccatum intraſſe in mundum, & per peccatum mortem &c.* Multis aliis in locis idem argumentum tractaverat S. Doctor. Vide quæ ſuperiùs dicta ſunt art. 2. præſentis 2. quæſtionis. *T. 10. p. 3.* *Ibid pag. 508. F. G.*

Inſtabis 2. S. Aug. docet etiam ſecluſa Scripturæ auctoritate, ex ſolis vitæ hujus miſeriis colligi poſſe alicujus primævi peccati exiſtentiam; ac ipſoſmet Philoſophos Gentiles, tale peccatum ſubodoratos fuiſſe ex ſola miſeriarum, quibus homo premitur, conſideratione.

Libro 2. Operis imperfecti contra Julianum n. 119 *Cùm dicitis*, inquit, *nullum peccatum parvulis imputandum, injuſtum facitis Deum, qui eis grave jugum à die exitus de ventre matris impoſuit. Quod etſi Scriptura non diceret, quis tam cæcus eſt mente, qui non videat miſeriam generis humani à fletibus incipere parvulorum?* *Ibid. pag. 1001. B. C.*

Et Lib. 1. n. 25. dixerat. *Quid apertius quàm quod ait Apoſtolus, peccatum in hunc mundum per unum hominem intraſſe, & per peccatum mortem, & ita in omnes homines pertranſiiſſe? Quod ſi probare idem cogeretur Apoſtolus,* *Ibid pag. 884. C.*

ſtolus, ipſam humani generis miſeriam teſtem daret, quæ incipit à vagitibus parvulorum, & uſque ad decrepitorum gemitus pervenit.

Ibid pag. 626. B. Libro denique 4. contra Julianum cap. ultimo n. 93. de Philoſophis ſic loquitur. *Hujus evidentia miſeriæ gentium Philoſophos, nihil de peccato primi hominis ſive ſcientes, ſive credentes, compulit dicere, ob aliqua ſcelera ſuſcepta in vita ſuperiore pœnarum luendarum cauſa nos eſſe natos, & animos noſtros corruptibilibus corporibus, eo ſupplicio quo Hetruſci prædones captos affligere conſueverant, tanquam vivos cum mortuis eſſe conjunctos.*

Reſp. 1. Certam exiſtentiæ peccati originalis notitiam, ex una fide haberi poſſe. Ita declarat ipſemet S. Aug. L. 6. contra Julianum cap. 4. nu.

Ibid pag. 668. E. 10. ubi monet, argumentationes hominum hic conticeſcere debere. *Siti- bi* (Julianum alloquitur) *Chriſtiana fides diſplicet, apertiùs confitere: nam Chriſtianam fidem aliam non potes invenire.*

Reſp. 2. Ex miſeriis hujus vitæ tanquam ex effectibus, & in præſenti rerum ſtatu poſſe unumquemque facilè intelligere, primævum aliquod extitiſſe peccatum, in cujus pœnam ac vindictam Deus hominem tot calamitatibus ſubjecit. Quæ certè probatio facilis eſt, & unicuique obvia: cùm nemo ſit, qui propria ſua experientia calamitates illas non ſentiat: attamen decretoria omnino illa non eſſet, niſi fide edocti eſſemus, primum hominem juſtum & immortalem à Deo conditum fuiſſe; nec tam miſerum ſubinde factum, niſi in pœnam peccati, quod in omnes pertranſiit. Scripturę igitur auctoritas neceſſaria quidem non eſt, ut certi ſimus de miſeriis hujus vitæ quas experimur; ſed ut veram earum in præſenti ſtatu cauſam & originem detegamus.

Reſp. 3. Philoſophos illos Gentiles, ex conjectura dumtaxat ac ſuſpicando, primævum aliquod hominis peccatum ſubodoratos fuiſſe: ſive ex intimo quodam ac innato primævæ hominis felicitatis ſenſu ac deſiderio; ſive ex lectione Librorum Moyſis; ſive ex conſuetudine ac commercio cum Judæis. Quod verò, ex illa Gentilium Philoſophorum ſententia ducit Aug. argumentum, non palmare nec demonſtrativum eſt, ſed conjecturale dumtaxat. Solvi etenim facilè potuiſſet à Pelagianis, dicendo; Philoſophos Gentiles in illam opinionem falſa ſuppoſitione inductos fuiſſe: fingebant enim animam conditam fuiſſe ante corpus. Conjectura tamen illa appoſitè uſus eſt S. Aug. duabus de cauſis. 1. Ut Julianum comprimeret, etiam Philoſophorum Gentilium, quos ipſe in patrocinium ſui erroris laudaverat, auctoritate. 2. Philoſophi Gentiles dixerunt quidem miſerias quas patimur, ſupponere peccatum; quod veriſſimum eſt: at non dixerunt, illas ab omnipotenti Deo infligi potuiſſe innocenti creaturę in bonum finem; quia nempe de præſenti ſtatu loquebantur, non de poſſibili.

Objicies 2. Homo innocens non poteſt à Deo juſto creari dolori obnoxius. Atqui homo in ſtatu naturæ purę fuiſſet obnoxius dolori.

Reſp. nego maj. Ex nativa enim hominis conſtitutione oritur quòd ſit obnoxius dolori. Et brutę ipſę animantes nonne dolori ſubjacent abſque ulla earum culpa? Dolor quippe ille utilis eſt, hominemque admonet unitatis, ſeu intimæ conjunctionis, quam ſervare debet inter corpus ſuum & animam.

T.1. pag. 638. E. Audiatur S. Aug. L. 3. de libero arbitrio cap. 23. n. 69. *Dolor*, inquit, *quem beſtiæ ſentiunt, animarum etiam beſtialium vim quamdam in ſuo genere mirabilem laudabilemque commendat. Hoc ipſo enim ſatis apparet in regendis animan-*

mandiſque ſuis corporibus, quàm ſint appetentes unitatis. Quid eſt enim aliud dolor, niſi quidam ſenſus diviſionis vel corruptionis impatiens? Unde luce clariùs apparet quàm ſit illa anima in ſui corporis univerſitate avida unitatis & tenax.

ARTICULUS QUARTUS.

De aliis naturæ ſtatibus poſſibilibus.

PRæter ſtatum naturæ puræ poſſibilem, de quo hactenus dictum fuit, duo alii etiam poſſibiles videntur: primus, eſt naturæ integræ, in quo homo fuiſſet ſine peccato, & gratia ſaltem habituali ſeu ſanctificante; at non ſine auxilio quodam ſive naturali ſive ſupernaturali, quo redderetur immunis ab iis infirmitatibus, quibus nunc ſubjacet. Secundus, eſt naturæ lapſæ non reparatæ, vel non reparandæ. Uterque verò ſtatus omnino poſſibilis videtur; quia nulla occurrit implicantia, ut per ſe patet: nec in iis fuſiùs exponendis juvat immorari, cùm ad graviora nobis ſit properandum.

QUÆSTIO TERTIA.

De variis circa gratiam erroribus.

Errores illi ſpectant, vel neceſſitatem gratiæ, vel ejus agendi modum ſeu efficaciam, vel denique ipſius effectus, juſtificationem ſcilicet & meritum. De duobus prioribus erroribus, hìc dumtaxat verba faciemus.

Qui erraverint circa neceſſitatem gratiæ.

Pelagiani, duce Pelagio, à quo Pelagiana hæreſis nomen accepit, neceſſitatem gratiæ, quam meritis humanis deberi affirmabant, inter cæteros acriùs impugnarunt: Erroris tamen auctor ac primus aſſertor non fuit Pelagius, quem multi ante ipſum præformarunt.

Qui ante Pelagium gratiæ neceſſitatem negaverint.

I. Stoici Philoſophi, qui contendebant hominem ad optima quæque capeſcenda ſibi ſufficere, partamque ex virtute laudem, totam eſſe hominis, nec à diis ullatenùs derivari; pro qua nullę ipſis gratiæ referendę ſunt. Vitę quidem hujus commoditates à diis ſe habere profitebantur, virtutem autem nemo unquam acceptam Deo retulit, ait Tullius L. 3. de natura deorum. Inde eſt quòd ſanctus Hieronymus, initio Epiſtolę ad Cteſiphontem, aſſerat, Hæreſim Pelagianam *omnium hæreticorum venena complecti, quę de Philoſophorum, & maximè Pythagorę, & Zenonis principis Stoicorum fonte manarunt.* Ed. N. T. 4. part. 2. Ibid pag. 474.

II. Ex

II. Ex Judæis ad Chriſtum converſis, circa gratiam erratunt, tum illi qui negabant gratiam Chriſti ſine legis obſervatione ſufficere ad ſalutem: adversùs quos ſcripſit S. Paulus Epiſtolam ad Galatas; ubi probat Chriſtum gratis mortuum fuiſſe, ſi Circumciſio, cæteraque legalia neceſſaria forent: tum illi, qui de meritis Legis Moſaicæ ſuperbiùs gloriantes, gratiam Evangelii hujuſmodi meritis debitam aſſerebant; ac Gentiles ad talem gratiam vocatos fuiſſe, iniquo prorſus animo ferebant. Adversùs quos, idem ſanctus Paulus graviſſimam ſcripſit ad Romanos Epiſtolam, in qua duo demonſtrat: primum gratiam Evangelii omnibus neceſſariam eſſe: & à Deo diſpenſari, ſive Judæis, ſive Gentilibus, apud quem non eſt diſtinctio Judæi aut Græci: alterum, gratiam illam planè gratuitam eſſe, nulliſque præcedentibus meritis dari; aliàs, gratia non eſſet.

III. Origenes Pelagii errorem maximè circa neceſſitatem gratię pręformavit, teſte ſancto Hieronymo, in citata ad Cteſiphontem Epiſtola. *Doctrina tua*, inquit, alloquens Pelagium, *Origenis ramuſculus eſt*. Ibidem, Origenem vocat *Pelagiani erroris principem*. Tantùm autem Pelagiani Origeni ſuo detulerunt, ut una illius auctoritate ducerentur: quapropter idem S. Hieronymus in fine dialogorum Pelagianos increpans dicebat: *Tranſite ad Amaſium veſtrum, qui præterita in cœlis, & antiqua delicta ſolvi dicit in baptiſmo: ut cujus in cæteris auctoritate ducimini, etiam in hac parte errorem ſequamini.* Quapropter Illuſtriſſimus ac Doctiſſimus Huetius Origenianorum Lib. 2. quæſtione 7. n. 10. fatetur *Origenem nimiò plùs tribuiſſe legi naturæ, & quæ peculiari Dei auxilio debebantur, in generale auxilium tranſcripſiſſe: quod*, inquit, *omnino Pelagianum eſt*. Et n. 13. aſſerit *Origenem docere, quidquid gratiæ nobis largitur Deus, totum id noſtræ voluntatis arbitrio acceptum eſſe referendum. Quod ſi*, pergit n. 14. *gratiæ auxiliis nos egere aliquando agnoſcat, gratiam ſolùm voluntatis noſtræ pediſſequam, ad ejuſque nutum compoſitam, & pro meritis à Deo in homines erogatam; non excitantem, non gratis datam admittit*. Qui Origenis loca videre voluerit, conſulat opus jam indicatum Illuſtriſſimi Huetii.

Ib. pag. 477. — *T. 4 par. 2. p. 540.* — *pag. 110.* — *pag. 112.* — *Ibid.*

IV. Theodorus Mopſueſtiæ Epiſcopus, tres errores docuiſſe fertur. Docebat ſiquidem Chriſtum fuiſſe purum, ſimplicemque hominem, nec à reliquis diverſum, niſi quòd in eo Deus Verbum operaretur efficaciùs quàm in cęteris. Ajebat deinde, hominem illum, meritis operum ſuorum ac viribus liberi arbitrii, ad hanc tantam gratiam perveniſſe, ut filius Dei unicus diceretur. Denique negabat filium Dei veniſſe ad peccatum originale tollendum, ſiquidem nullum agnoſceret; ſed ut omnibus exemplo & magiſterio prodeſſet.

P. Garnier diſſert. 1. de primis auctoribus & defẽſor. hæreſis Pelagianæ 2. p. 120.

A primo errore purgare Theodorum fruſtra tentavit Facundus, obnitente ac contra definiente Synodo quinta generali.

Secundi verò erroris teſtis videri poteſt Marius Mercator, S. Auguſt. ætate ſuppar, qui in Collectaneis ex Libris Theodori, iſtud ab ipſo dictum refert. *Non invideo Chriſto, quòd factus eſt Deus: Quod enim ipſe factus eſt, ego ipſe factus ſum, quia meę naturæ eſt.*

Part. 2. p. 264.

Tertium denique errorem manifeſtè prodit Theodorus ipſe, totis quinque Libris adversùs S. Auguſtinum conſcriptis, quorum excerpta à Mario Mercatore accepimus cum hoc titulo. *Teodori Mopſueſteni de ſecundo codice, Libro quarto, folio decimo contra ſanctum Auguſtinum defen-*

Part. 1. Pag. 97.

Digitized by Google

dentem originale peccatum, & Adam per tranſgreſſionem mortalem factum &c.

Ipſe Marius Mercator, in Libro ſubnotationum apertè teſtatur, Pelagio præiviſſe Theodorum. *Quæſtio*, inquit, *contra Catholicam fidem apud nonnullos Syrorum, & præcipuè in Cilicia à Theodoro quondam Epiſcopo Oppidi* Ibid. pag. 30. *Mopſueſteni jam dudum mota, nunc uſque penes paucos eorum admodum occultè roditur, nec ea palam profertur; ſed ab ipſis, qui de ea cornicantur, velut Catholicis, intra Eccleſias interim retinetur.*

V. Rufinum quemdam Presbyterum, erroris Pelagiani & Cœleſtiani magiſtrum fuiſſe teſtatur ipſemet Cœleſtius apud S. Auguſtinum Lib. de peccato originali, cap. 3. Accuſatus enim à Paulino Diacono Cœleſtius coram Aurelio cæteriſque Epiſcopis in Concilio Carthaginenſi ſedentibus, dixit, ſe doctrinam de qua poſtulabatur, *à Presbyteris in Eccleſia Catholica conſtitutis accepiſſe*, præcipuè verò à Rufino. T. 10. p. 254. B. *Sanctus*, inquit, *Presbyter Rufinus Romæ qui manſit cum ſancto Pammachio: ego audivi illum dicentem quia tradux peccati non ſit.* Quis ſit ille Rufinus Presbyter, an ille Aquilejenſis, adeo famoſus; tum propter Melanię peregrinantis comitatum, & Libros editos; tum propter graves inter ipſum & S. Hieronymum contentiones; an alter natione Syrus, diſputant Critici. Emin. Cardinalis Noriſius in Hiſtoria Pelagiana L. 1. cap. 2. & cæteri, vulgò exiſtimant Rufinum illum eſſe Aquilejenſem. Doctiſſimus è contra Garnerius Marii Mercatoris editor, diſſertatione 1. c. 3. non contemnendis argumentis contendit, illum Rufinum Syrum fuiſſe, ab alio Aquilejenſi planè diſtinctum. Quam controverſiam, nos aliis dirimendam relinquimus.

Alios Pelagiani erroris præformatores appellat ſanctus Hieronymus, in Epiſtola ad Cteſiphontem: nempe Evagrium Ponticum, Sextum Philoſophum, Palladium Galatam, &c.

De Pelagio. Ejus patria, profeſſio, ingenium, mores.

Ex majori Britannia ſeu Anglia ortum duxiſſe Pelagium, teſtantur S. Aug. Epiſtola 186. ad Paulinum, aliàs 106. cap. 1. ubi ſcribit; Pelagium, ut ab alio Tarentino diſtingueretur, Britonem fuiſſe cognominatum. Natione Anglus. S. Proſper initio Carminis de ingratis; à quo, Coluber Britannus dicitur. Oroſius in Apologetico, & Marius Mercator in Commonitorio, eum pariter Britannum appellant. Ex obſcuris parentibus illum ortum fuiſſe affirmat Oroſius in Apologetico de arbitrii libertate.

Profeſſione Monachus fuit Pelagius. Ita teſtatur S. Aug. Lib. de Hæreſibus cap. 88. Profeſſione Monachus. *Pelagianorum*, inquit, *eſt hæreſis, hoc tempore omnium recentiſſima, à Pelagio Monacho exorta.* Cùm tria Monachorum genera tunc temporis diſtinguerentur, quorum alii in Monaſterio, qui Cœnobitæ; alii in T. 8. pag. 25. E. deſertis locis, qui Eremitæ ſive ſingulares; alii ſuis in ædibus vivebant, qui apud Græcos aliquando Philoſophi, apud Latinos vulgò Monachi vocabantur: Pelagius ex his poſtremis fuiſſe videtur, nec uſquam ad ſacros Ordines promotus; unde Laicus dictus eſt ab Oroſio Apologetici cap. 3. & à Zozimo Pontifice, in 2. Epiſtola ad Africanos. Quicunque enim ex Monachis non erant ſacris Ordinibus initiati, ii inter Laicos recenſebantur.

Ingenium accepit à natura *fortiſſimum, celerrimum & acutiſſimum*, ait S. Aug.

Digitized by Google

Ingeniū. Aug. Libro de natura & gratia cap. 6. & 35. fervidum ſimul ac vehemens, ut teſtantur ejus ad pietatem adhortationes, cæteraque opera, quæ in unum volumen collecta non ita pridem lucem aſpexere Antuerpiæ, hac inſcriptione: Appendix Auguſtiniana. Non minùs litigioſum, verſipelle, ſinuoſum, dolis ac fraudibus deditum illius ingenium, produnt ac manifeſtant varii illi flexus ac doli, quibus erroris ſui caput diſſimulare nitebatur.

Artes Pelagii in errore diſſeminando. *P. Garnerius p. 134.*

Hominis artem ac fraudes in errore ſuo diſſeminando, his verbis eleganter deſcribit Commentator Marii Mercatoris, diſſertatione prima quæ eſt de primis auctoribus & defenſoribus hæreſis Pelagianæ. *Hæ*, inquit, *Pelagio erant artes hæreſim diſſeminanti. Nihil de ſuis myſteriis apertè vulgo credere, ſed fidis tantum auribus. Si quid dogmatum emanaſſet in publicum; negare palam, quod in cubiculis doceret. Si apertè proponendus error, alienam inducere perſonam, ſi ſuo nomine loqui cogeretur, dubitantis more, timideque afferre, de quo ſimularet ſe velle doceri. Si ex Libris argueretur cujuſdam aſſertionis, Libros cauſari, vel non eſſe ſuos, vel priùs ſubreptos, quàm emendarentur. Si ex confeſſis urgeri contingeret, ſententias interpretari verbis perplexis & in ſpeciem Catholicis. Si neceſſitas foret, Eccleſiæ nonnulla damnanti conſentire, damnare libenter omnia, ſed, ut ajebat, Eccleſiæ ſenſu, id eſt, eo, quem poſtea fingeret ad arbitrium. Si aliquando fidem exponere deberet, copioſè proſequi plurima, de quibus non interrogaretur; de re, vel nihil, vel ambiguum quiddam eloqui, imitari ſerpentes, qui, ut ait Oroſius Apologetici c. 1. cùm tuendi ſolius capitis cauſa reliquum conciſioni atque injuriæ corpus opponunt, nihil damni arbitrantur, ea tantùm ſui parte à periculo libera, quæ multimodas venenataſque in ſe obtinet linguas, etiamſi membris omnibus amputentur.*

Mores. Quoad mores autem Pelagii attinet; eos, ſaltem ſpecie tenus, ita compoſitos & probatos habuit, ut pietatis laudem aſſecutus aliquando fuerit.
T. 10. p. 216. B. Unde S. Aug. L. de geſtis Pelagii c. 22. initio ait: *Pelagii nomen cum magna ejus laude cognovi*. Et Epiſtola 186. jam citata, initio teſtatur ſe olim *dilexiſſe Pelagium*. *T. 2. pag. 663. G.* Et L. 3. de pecc. mer. & rem. c. 1. ait, eum tanquam virum ſanctum habitum fuiſſe. *T. 10. p. 71. D.* *Poſt pauciſſimos dies*, inquit, *legi Pelagii quædam ſcripta, viri, ut audio, ſancti & non parvo profectu Chriſtiani*. Ex quibus inferes Pelagium, ſi non veram ac ſolidam, ſaltem fucatam habuiſſe virtutem.
Ed. N T. 3. pag. 577. B. S. Chryſoſtomus, Epiſtola quarta ad Olympiadem in fine, ait: *De Pelagio Monacho magno dolore affectus ſum. Cogita igitur quot quantiſque coronis digni ſint qui forti animo in acie ſteterunt; cùm viros qui tam piè ac ſanctè, tantaque tolerantia vixerunt, abripi, atque in fraudem impelli videamus.*

Suſpicantur nonnulli, Pelagium de quo S. Chryſoſtomus, alium eſſe ab eo de quo hìc loquimur. Cùm enim, inquiunt, hæc Epiſtola ſcripta ſit anno Chriſti 405. quando in exilio verſabatur Chryſoſtomus; & Pelagius adhuc fama ſanctitatis floreret anno 413. quo S. Aug. ſcripſit Libros de peccatorum meritis, poſtquam anno ſuperiore 412. Cæleſtius apud Carthaginem in Epiſcopali Judicio excommunicationem meruiſſet: ut ipſe ait L. 2. Retract. c. 33. veriſimile non eſt, Pelagium illum de quo loquitur ſanctus Chryſoſtomus, fuiſſe hunc ipſum hæreſiarcham, cujus errores tardiùs Græcis & Orientali Eccleſiæ innotuerunt.

Quidquid ſit de illa pietatis ac ſanctitatis opinione qua floruit aliquando Pelagius, ab ea certè, detracta larva, ſubinde multùm excidit. Extat enim

apud

Digitized by Google

apud Iſidorum Peluſiotam accerrima cujuſdam Pelagii Monachi reprehenſio, L. 1. Epiſtola 314. In eo carpit 1. mentis inconſtantiam, quòd gyrovagus de Monaſterio in Monaſterium ſubinde migraret. 2. ventris ingluviem & temulantiam, quòd craſſiores caminos, nidores culinarum, & menſas lautiores exploraret. 3. Adulatorium & verſipellem animum, quòd iis qui Magiſtratum gerebant, adblandiretur.

Neque etiam de Pelagio hæreſiarcha hæc dicta eſſe contendunt nonnulli, quòd temporis ratio non permittat: quia ſcilicet hæc de Pelagio jam ſeneſcente dicuntur, quaſi hæreſim ſenex dumtaxat ſparſiſſet; cùm tamen certum ſit, Pelagium hæreſiarcham diu, longè latèque peregrinatum eſſe, poſtquam hæreſes ſuas diſſeminare cœpit; adeoque ante ſenectutem, priuſquam canis aſperſum caput haberet, in eas lapſum eſſe. Cùm etiam conſtet ex S. Aug. L. de geſtis Pelagii cap. 22. & L. 3. de pecc. mer. c. 2. Pelagium etiam tunc, cùm in Occidente, ipſaque Urbe Roma errores ſuos ſcriptis Libris & Epiſtolis ſpargeret, magna laude claruiſſe, ſanctumque & non parvo provectu Chriſtianum audiviſſe.

Verùm, cùm incertum ſit quo præcisè anno hæc ſcripſerit Iſidorus, (vivebat autem etiam poſt annum 431. ſiquidem eodem Libro Epiſtola 310. ad Cyrillum, meminit Sinodi Epheſinæ eodem anno celebratæ) non eſt quòd ejus teſtimonium omnino infirmetur: præſertim cùm habeamus alterum coætaneum teſtem Oroſium, in Apologetico c. 27. qui Pelagium miniſtrum menſarum, itemque balneis, epuliſque nutritum dixit. *Sed tibi*, Inquit, *ſpecialis inde portandi oneris fortaſſe fiducia eſt, quòd balneis epuliſque nutritus, latos humeros geſtas robuſtamque cervicem; præferens etiam in fronte pinguedinem.* *Ed. Col. pag. 748.* Nimirum, ait Cardinalis Noriſius, ex illorum tunc temporis Monachorum grege erat Pelagius, de quibus hæc quidem lepidè ſcribit Hieronymus in Epiſtola ad Pammachium: *Miror, cur carni detrahentes vivant carnaliter, & inimicam ſuam foveant, & nutriant delicatè; niſi fortè implere volunt Scripturam dicentem: Amate inimicos veſtros.* *Hiſtoria Pelagiana L. 1. cap. 3.*

Errores Pelagii.

Non ferunt anguſti hujus Tractatus limites, ut per annos ſingulos digeſta Hiſtoriæ Pelagianæ capita fuſiùs proſequamur. Quas partes copiosè & accuratè perfecerunt è recentioribus, imprimis Eminentiſſimus Card. Noriſius in Hiſtoria Pelagiana, Marii Mercatoris Commentator Pariſinus; & auctores recentioris editionis Operum S. Aug. in ampla præfatione tomo decimo præfixa. Nobis hic ſatis erit Pelagii errorem, varioſque ejus flexus ac ſinus circa gratiam Chriſti paucis aperuiſſe. Unum verò hic Auguſtinum audiemus, qui propiùs errorem illum inſpexit, & cum Pelagianis congreſſus eſt.

S. igitur Aug. L. de geſtis Pelagii c. 35. compendiosè referens quæ in Dioſpolitana Synodo, Pelagio ejuſque diſcipulo Cœleſtio objecta fuerant errorum capita, quindecim articulis totam eorum doctrinam complexus eſt. *T. 10. p. 226.* Quam L. de dono perſev. c. 2. preſſiùs ad tria generatim revocat capita, totidem fidei noſtræ articulis oppoſita. *Tria ſunt*, inquit, *quæ maximè adversùs eos Catholica defendit Eccleſia. Quorum unum eſt, gratiam Dei non ſecundùm merita noſtra dari; quoniam Dei dona ſunt, & Dei gratia etiam conferuntur merita univerſa juſto-* *T. 10. p. 823. G.*

Digitized by Google

rum. Alterum eſt, in quantacumque juſtitia ſine qualibuſcumque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere. Tertium eſt, obnoxium naſci hominem peccato primi hominis, & vinculo damnationis obſtrictum, niſi reatus, qui generatione contrahitur, regeneratione ſolvatur.

Circa annum Chriſti 405. errorem ſuum diſſeminavit hæreſiarcha Pelagius, & quidem arte multiplici variiſque flexibus. Erat enim ille verſipellis mirus fallendi artifex, qui varias, pro data opportuna occaſione, formas induebat. Sed erroris illius arcana propiùs exploranti videtur, ſub diverſo verborum cortice, eundem ſemper errorem latitaſſe.

Primò itaque, vel ipſo gratiæ nomine repudiato, aut ſaltem omiſſo, ſolam naturam ſufficere dicebat ac parem ad omnia Dei mandata obſervanda, tentationes ſuperandas, pravas extirpandas conſuetudines, & ad quamdam ἀπάθειαν ſeu imperturbationem, ad ipſam denique vitam æternam aſſequendam. Ad hæc monſtra doctrinæ exhorruere Catholici. *Diſputantes contra gratiam pro libero arbitrio*, ait S. Aug. loquens de Pelagianis ſerm. 26. aliàs 11. de verbis Ap. c. 7. *fecerunt auribus piis & catholicis offenſionem. Cœperunt hor-*
T. 5. p. *reri; cœperunt ut certa pernicies devitari &c.*

139. C. 2. Ad publicam invidiam & offenſionem Catholicorum declinandam, nomen gratiæ, ejuſque neceſſitatem admittere viſus eſt Pelagius. *Vocabulo*, ait
T. 10. p. S. Aug. L. de Gr. Chriſti cap. 37. *frangens invidiam, offenſionemque declinans*. At
146. G. liberum hominis arbitrium, hoc eſt boni malique facultatem, ſubdolus ille gratiam appellabat, quam homo abſque ullis ſuis meritis à Deo in creatione gratis accepit, & pro qua gratias ipſi referre tenetur. Sic ille arguebat
T. 5. p. apud S. Auguſtinum ſerm. mox laudato c. 7. *Hoc ipſo quia liberum hominis ar-*
139. D. *bitrium defendo, & dico quia liberum arbitrium ſufficiens eſt ut juſtus ſim, non ſine gratiam Dei dico; nec contra gratiam Dei diſputo.* Sic verò probabat: *Cùm dico*
Ibid. E. *liberum hominis arbitrium; vide quia hominis dico. Quid deinde? Hominem quis creavit? Deus. Quis ei liberum arbitrium dedit? Deus. Si ergo hominem Deus creavit, & homini Deus liberum donavit arbitrium, quidquid poteſt homo de libero arbitrio, cujus gratiæ debetur, niſi ejus, qui eum condidit cum libero arbitrio?*

Ad quæ Pelagii verba feſtivè reponebat S. Aug. *Videte fratres mei, quomodo*
Ibid. F. *illam generalem gratiam prædicent, qua creatus eſt homo ..... Videte acumen, ſed vitreum: quaſi lucet vanitate, ſed frangitur veritate.*

Ibid. G. Pari fraude ac ſubterfugio poſſibilitatem non peccandi alicui gratiæ deputabat Pelagius. Verùm gratiam illam à natura non ſecernebat. *Ipſa*, inquit apud S. Auguſtinum Lib. de natura & gratia c. 51. *non peccandi poſſibilitas*
T. 10. p. *non tam in arbitrii poteſtate, quàm in naturæ neceſſitate eſt. Quidquid in na-*
152. A. *turæ neceſſitate poſitum eſt, ad naturæ pertinere non dubitatur auctorem, uti-*
B. *que Deum. Quomodo ergo abſque Dei gratia dici exiſtimatur, quod ad Deum propriè pertinere monſtratur?* Ad quæ S. Aug. *Expreſſa eſt*, ajebat, *ſententia quæ latebat, non eſt quemadmodum poſſit abſcondi. Ideo Dei gratiæ tribuit non peccandi poſſibilitatem, quia ejus naturæ auctor eſt, cui poſſibilitatem non peccandi inſeparabiliter inſitam dicit.*

Ib. pag. Cùm Pelagiani à Catholicis urgerentur ut gratiam à natura & libero ar-
87. B. bitrio diſtinctam agnoſcerent, non recuſarunt illi quidem; ſed nomine gratiæ legem atque doctrinam ſubdolè intelligebant. *Cùm urgeri cœperint*, ait S. Aug. L. de Sp. & Litt. c. 2. n. 4. *quomodo id præſumant aſſerere fieri ſine ope divina,*

Digitized by Google

vius, *reprimunt ſe*, *nec hanc vocem audent emittere*, *quoniam vident quàm ſit impia & non ferenda. Sed aiunt*, *ideo iſta ſine ope divina non fieri*, *quia & hominem Deus creavit cum libero voluntatis arbitrio*, *& dando præcepta ipſe docet quemadmodum homini ſit vivendum*; *& in eo utique adjuvat*, *quòd docendo aufert ignorantiam*, *ut ſciat homo in operibus ſuis quid evitare*, *& quid appetere debeat*, *quo per liberum arbitrium naturaliter inſitum*, *viam demonſtratam ingrediens*, *continenter & juſtè & piè vivendo*, *ad beatam eandemque æternam vitam pervenire mereatur*. Et infrà c. 8. n. 14. *Laudamus*, inquiebant, *Deum noſtræ juſtificationis auctorem*, *in eo quòd legem dedit*, *cujus intuitu noverimus quemadmodum vivere debeamus*. Ib. pagin. 92. B.

Hanc Pelagianorum fraudem ac verſutiam ſæpius memorat, ipſiſque objicit S. Aug. Lib. de gratia Ch. c. 3. n. 3. L. 4. ad Bonif. c. 5. n. 11. & alibi.

Cùm verò lex ac doctrina, niſi innoteſcat ac reveletur, juvare hominem non poſſit; Pelagius revelationem illam appellabat gratiam, qua mens reipſa illuſtratur, ſed ea non juvatur nec excitatur voluntas torpens & infirma.

Obſervat S. Aug. L. 4. ad Bonif. jam laudato cap. 5. nuſquam Pelagianos gratiæ Dei periculoſiùs inſidiatos eſſe, quàm cùm legem ac doctrinam tam magnificè commendabant. *Quam gratiam*, dicebant illi apud Auguſtinum Ibid pag. 233. E F. L. de Gratia Ch. c. 7. n. 8. *nos*, *non ut putas*, *in lege tantummodo*, *ſed & in Dei eſſe adjutorio confitemur .... Adjuvat enim nos Deus*, *per doctrinam & revelationem ſuam*, *dum cordis noſtri oculos aperit*; *dum nobis*, *ne præſentibus occupemur*, *futura demonſtrat. Dum diaboli pandit inſidias*; *dum nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cœleſtis illuminat*; & , ut, alibi addit, *dum nobis ſuadet omne quod bonum eſt*. Vera hæc quidem, at non ſufficiunt: nam præter illam gratiam, qua mens per legem ac doctrinam illuſtratur, alia neceſſaria eſt, per quam voluntas excitata & roborata ea faciat, quæ facienda Ibid. pag. eſſe lex oſtendit. *Qua gratia*, inquit S. Aug. L. de Gratia Ch. c. 12. *agitur*, *non* 236. D. *ſolùm ut facienda noverimus*, *verùm etiam ut cognita faciamus*; *nec ſolùm ut diligenda credamus*, *verùm etiam ut credita diligamus*.

4. Pelagius libero arbitrio, legi, doctrinæ ac revelationi addidit tanquam veram Chriſti gratiam, tum exempla Chriſti, tum peccatorum remiſſionem. *Dicunt etiam*, ait S. Aug. L. de gratia & lib. arb. c. 13. n. 26. *gratiam Dei*, Ibid. pag. *quæ data eſt per fidem Jeſu Chriſti*, *quæ neque lex eſt neque natura*, *ad hoc tan-* 731. D. *tùm valere*, *ut peccata præterita dimittantur*, *non ut futura vitentur*, *vel repugnantia ſuperentur*. Hanc porrò ſolam gratiam gratuitam eſſe, nec meritis retribui affirmabant Pelagiani, teſte S. Aug. eodem Lib. c. 6. n. 15. *Dicunt* Ib pag. *hanc eſſe ſolam non ſecundùm merita noſtra gratiam*, *qua homini peccata dimit-* 725. F. *tuntur*; *illam verò quæ datur in fine*, *id eſt vitam æternam*, *meritis noſtris præcedentibus reddi*.

Ad hanc peccatorum gratuitam remiſſionem, velut gratiarum cumulum addebant exempla Chriſti, quibus velut efficacioribus adjumentis, homo ad bonum impellitur & excitatur: quam quidem ſpeciem gratiæ idcirco maximè neceſſariam hoc tempore prætendebant, *Quòd*, ait S. Aug. L. de Gratia Ib. pag. Ch. c. 39. *non ſufficit ampliùs ſola lex*, *propter nimiam peccandi conſuetudinem*, *ni-* 247. G. *ſi Chriſti accedat*, *non inſpiratio charitatis per Spiritum Sanctum*, *ſed intuendum & imitandum in doctrina Evangelica virtutis ejus exemplum*.

In hac exemplorum Chriſti gratia, mirum quantam vim & efficaciam ad

 operan-

Digitized by Google

operandum bonum Pelagiani collocarent, quantumque ex ea præſidium ad errores ſuos occultandos repeterent. Hujuſce gratiæ prætextu, dicere poterant teſte S. Aug. L. de Gratia Ch. c. 2. quolibet momento nos divina gratia adjuvari. *Solent dicere*, ait S. Doctor, *nobis in eo Chriſtum ad non peccandum*
Ib.p.231. A.B. *præbuiſſe adjutorium, quia ipſe juſtè vivendo, juſteque docendo reliquit exemplum: poſſunt etiam ad hoc iſta verba coaptare, ut dicant, per ſingula momenta, per ſingulos actus neceſſariam nobis eſſe hujuſmodi gratiam, id eſt, ut in omni converſatione noſtra intueamur divinæ converſationis exemplum.*

Iſtam porrò exemplorum Chriſti gratiam, reipſa à lege ac doctrina diſtin-
Ib p.248. F.G. ctam non eſſe, probat ibidem c. 41. S. Aug. *Adjutorium autem gratiæ*, inquit, *quæ propriè gratia nuncupatur, in Chriſti eſſe arbitratur exemplo: quod nihilominus ad doctrinam pertinere perſpicitis, quæ nobis Evengelica prædicatur: ut videlicet, tanquam via demonſtrata qua ambulare debeamus, jam viribus liberi arbitrii, adjutorio nullo alterius indigentis, ſufficiamus nobis, ne deficiamus in via.*
Ib.p.236. A. *Sic latere ſe putabat Pelagius*, ut dixerat ibidem c. 9. S. Aug. *cùm aliis atque aliis locutionibus verſat ſignificationem legis atque doctrinæ.*

Obſervandum autem diligenter cum eodem S. Doctore L. de Gratia Ch. c. 3. & 4. Pelagium, ut majori arte errorem ſuum involveret, ac Catholicis il-
Ib p.231. C. luderet, cùm dicebat nos ſine Dei gratia nihil poſſe, tria diſtinxiſſe: nempe poſſibilitatem, voluntatem, & actionem. Audiatur S. Aug. *In Libris*, inquit cap. 3. *quos Pelagius edidit pro libero arbitrio, quorum mentionem facit in*
Ibid. D. *Epiſtola quam Romam miſit .... Cùm tria conſtituat atque diſtinguat, quibus divi-*
Tria diſtinguebat Pelagius: poſſibilitatem, voluntatem & actionē. Ib.F.G. *na mandata dicit impleri, poſſibilitatem, voluntatem, actionem: poſſibilitatem ſcilicet, qua poteſt homo eſſe juſtus; voluntatem, qua vult eſſe juſtus; actionem, qua juſtus eſt: horum trium primum, id eſt poſſibilitatem, datam confitetur à Creatore naturæ, nec eſſe in noſtra poteſtate, ſed eam nos habere etiam ſi nolimus: duo verò reliqua, id eſt, voluntatem & actionem, noſtra eſſe aſſerit, atque ita nobis tribuit, ut non niſi à nobis contendat.* Et cap. 4. *Sed ne quis forſitan dicat, nos vel non rectè intelligere quæ loquitur, vel malevolo animo in alium ſenſum, quæ non ita dicta ſunt, vertere, ipſa jam verba ejus accipite. Nos, inquit, ſic tria iſta diſtinguimus, & certum velut in ordinem digeſta partimur. Primo loco poſſe ſtatuimus, ſecundo velle, tertio eſſe. Poſſe in natura, velle in arbitrio, eſſe in effectu locamus. Primum illud, id eſt, poſſe, ad Deum propriè pertinet, qui illud creaturæ ſuæ contulit: duo verò reliqua, hoc eſt, velle & eſſe, ad hominem referenda ſunt, quia de arbitrii fonte deſcendunt. Ergo in voluntate & opere bono laus hominis eſt: imò & hominis, & Dei, qui ipſius voluntatis & operis poſſibilitatem dedit, quique ipſam poſſibilitatem gratiæ ſuæ ſemper adjuvat auxilio. Quòd verò poteſt homo velle bonum atque perficere, ſolius eſt.* Sic perfidus ille per *poſſibilitatem*, ſolam naturam, quæ à Deo eſt; per gratiam verò, qua poſſibilitatem noſtram adjuvari dicebat, legem, doctrinam, revelationem, pec-
Gratia neceſſaria ad faciliùs dumtaxat agē-dum ex Pelagio. catorum veniam, ac Chriſti exemplum, intelligebat.

Obſervandum 2. adjutorium gratiæ in mente Pelagii, abſolutè ac ſimpliciter neceſſarium non fuiſſe, ſed tantùm ſecundùm quid, & ad faciliùs dumtaxat agendum. Ita refert S. Aug. L. de Gratia Ch. c. 26. *Gratiam Dei*, ait, *qua charitas diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis, ſic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni ſine illa, quod*
Ib.p.243. A. *ad pietatem pertinet veramque juſtitiam, fieri poſſe non dubitet. Non quomodo iſte*

(Pe-

(Pelagius) *qui cùm dicit, propterea dari gratiam, ut quod à Deo præcipitur, faciliùs impleatur; quid de illa ſentiat, ſatis oſtendit, ſcilicet, quòd etiam ſine illa, etſi minùs facilè, fieri tamen, quod divinitus præcipitur, poteſt.* Idem ferè repetit c. 27. Et cap. 29. poſtquam iſta Pelagii verba commemoravit, *ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, faciliùs poſſint implere per gratiam.* *Tolle*, inquiebat S. Aug. *faciliùs, & non ſolùm plenus, verùm etiam ſanus eſt ſenſus ... Cùm autem faciliùs additur, adimpletio boni operis etiam ſine Dei gratia poſſe fieri, tacita ſignificatione ſuggeritur. Quem ſenſum redarguit qui dicit: Sine me nihil poteſtis facere.* Ibid. F.

Obſervandum 3. Pelagium (quamcumque tandem gratiam admiſerit) docuiſſe illam gratuitam non eſſe, ſed humanis meritis retribui. *Quamlibet ſentiat gratiam*, ait S. Aug. L. de Gratia Ch. c. 31. n. 34. *ipſis Chriſtianis ſecundùm merita dari dicit.* Tum refert iſta Pelagii verba de iis qui Chriſtiani non ſunt. *Illi* (dicebat Pelagius) *ideo judicandi atque damnandi ſunt, quia cùm habeant liberum arbitrium, per quod ad fidem venire poſſent, & Dei gratiam promereri, malè utuntur libertate conceſſa. Hi verò remunerandi ſunt, qui benè libero utentes arbitrio merentur Domini gratiam, & ejus mandata cuſtodiunt.* Quam erroneam ſententiam ſic refellit ibidem S. Doctor. *Manifeſtum eſt eum dicere gratiam ſecundùm merita dari, quamlibet eam, vel qualemlibet ſignificet ...... Nam cùm eos remunerandos dicit, qui benè utuntur libero arbitrio, & ideo mereri Domini gratiam, debitum eis reddi fatetur. Ubi ergo eſt illud Apoſtoli, juſtificati gratis per gratiam ipſius? Ubi eſt & illud, Gratia ſalvi facti eſtis? Et ne putarent per opera, addidit, per fidem. Rurſus ne ipſam fidem ſine Dei gratia ſibi putarent eſſe tribuendam; Et hoc, inquit, non ex vobis, ſed Dei donum eſt. Nempe ergo illud unde incipit omne quod merito accipere dicimur, ſine merito accipimus, id eſt, ipſam fidem. Aut ſi negatur dari, quid eſt quod dictum eſt, Sicut unicuique Deus partitus eſt menſuram fidei?*

Gratia ex Pelagio gratuita nõ eſt. Ib. pagin. 244. F. Ib. pag. 245. A.

Obſervandum denique, merita illa humana, quibus Pelagiani gratiam velut juſtitiæ titulo debitam eſſe contendebant, fuiſſe in eorum mente boni cupiditatem, fidem, & orationem. *Cùm fuerint convicti*, ait S. Aug. de gratia & lib. arb. c. 14. *non defenſores, ſed inflatores, & præcipitatores liberi arbitrii, quia neque ſcientia divinæ legis, neque natura, neque ſola remiſſio peccatorum eſt illa gratia, quæ per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum datur, ſed ipſa facit ut lex impleatur, ut natura liberetur, ne peccatum dominetur: cùm ergo in his convicti fuerint, ad hoc ſe convertunt, ut quocumque modo conentur oſtendere gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari. Dicunt enim, & ſi non datur ſecundùm merita bonorum operum, quia per ipſam benè operamur ..... tamen ſecundùm merita bonæ voluntatis datur: quia bona voluntas, inquiunt, præcedit orantis, quam præceſſit voluntas credentis, ut ſecundùm hæc merita, gratia ſequatur exaudientis Dei.* Ex hac Pelagianorum doctrina S. Aug. L. de hæreſibus cap. 88. meritò infert, Eccleſiæ orationes ab illis funditus ſubverti.

Ib. pag. 731. G. Quibus meritis gratiam debitam eſſe Pelagius contendebat. T. 8. pag. 26. C.

Hactenus de errore Pelagii circa neceſſitatem gratiæ, de quo vix ulla eſt inter Theologos diſcordia: duo verò ſuperſunt, de quibus non conſentiunt omnes.

Primum eſt, an Pelagiani neceſſitatem alicujus gratiæ interioris tandem aliquando admiſerint.

Alterum, quæ præcisè fuerit illa gratiæ ſpecies, de qua potiſſimum diſpu-

tabat, & quam prorſus ex Eccleſiæ fide neceſſariam eſſe contendebat S. Aug. Pelagianos impugnans.

Utrùm Pelagius gratiæ alicujus interioris neceſſitatem aliquando tandem agnoverit.

Duplex diſtinguenda gratia interior. Una quæ ad intellectum, altera quæ ad voluntatem pertinet. Prior eſt mentis illuminatio ſeu illuſtratio, per quam prædicatione forinſecus auribus inſonante, interiùs menti proponuntur ac revelantur quæ credenda ſunt fidei noſtræ myſteria.

Poſterior eſt motio ſeu excitatio Dei, qua voluntas ad actus veræ pietatis incitatur & juvatur. Utramque verò gratiam planè neceſſariam eſſe docet fides Catholica.

Gratia interioris illuminationis ſeu illuſtrationis ſpectari poteſt, vel ex parte tantùm objecti quod intellectui clariùs proponitur ſolis ſuis propriis viribus credendum; vel ex parte ipſius intellectus, qui ad credendum divina opitulante & adjuvante gratia determinatur. Quæ fidei gratia etiam ex parte voluntatis piam includit ac præſupponit ad credendum motionem.

Quæſtio eſt an Pelagius utramque illam propriam & interiorem gratiam tum mentis, tum voluntatis aliquando agnoverit. Sunt qui affirmant, ſunt qui negant.

Dicimus 1. Pelagium, præter externam legis ac doctrinæ propoſitionem admiſiſſe interiorem illuſtrationis & illuminationis gratiam ex parte quidem objecti meliùs propoſiti, non verò ex parte cauſæ, ſeu intellectus ad credendum divinitus excitati.

T. 10. p. 233. E. F. Probatur verbis ipſiuſmet Pelagii apud S. Aug. L. de Gratia Chriſti c. 7. *Quam gratiam*, dicebat hæreſiarcha, *non, ut tu putas, in lege tantummodo, ſed & in Dei adjutorio confitemur.... Adjuvat enim Deus nos per doctrinam & revelationem ſuam, dum cordis noſtri oculos aperit; dum nobis, ne præſentibus occupemur, futura demonſtrat; dum diaboli pandit inſidias; dum nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cœleſtis illuminat.*

Ib. pag. 248. E. Inde eſt quòd neceſſarias diceret orationes, ut Deus ea quæ credenda & facienda ſunt, nobis aperiat. *Ipſas quoque orationes*, ait S. Aug. L. de Gratia Ch. c. 41. *ad nihil aliud adhibendas opinatur, niſi ut nobis doctrina etiam divina revelatione aperiatur; non ut adjuvetur mens hominis, ut id quod faciendum eſſe didicerit, etiam dilectione & actione perficiat.* Tum addit: *Ipſum verò auxilium, quo*
Ibid. F. *poſſibilitatem naturalem perhibet adjuvari, in lege conſtituit atque doctrina, quam nobis fatetur etiam à Spiritu ſancto revelari, propter quod & orandum eße concedit.* Qui Pelagii fraudes ſatis perſpectas non haberet, iſtis, & aliis hujuſcemodi benè multis ipſius verbis fortè perſuaderetur, admiſſam ab illo veram & interiorem gratiam voluntatis & actionis: at quantùm ab illa ſemper fuerit alienus, declarat ac ſæpiſſime inculcat S. Aug. imò vel mox laudata S. Doctoris verba hæc demonſtrant. *Orationes ad nihil aliud adhibendas opinatur, niſi ut nobis doctrina etiam divina revelatione aperiatur; non ut adjuvetur mens hominis, ut id quod faciendum eße didicerit; etiam dilectione & actione perficiat.* Ergo Pelagius internam revelationis ſeu illuſtrationis gratiam admiſit ſaltem ex parte objecti meliùs ſeu opportuniùs menti ad credendum propoſiti; non au-

tem

Digitized by Google

tem ex parte ipſius ſubjecti, ſeu intellectus, quem negabat cœleſti gratia juvari ac roborari debere, ut ad credendum inclinaretur.

Dices. S. Aug. L. de Gr. Ch. c. 47. declarat nullum amplius futurum controverſiæ locum cum Pelagio, ſi fateri vellet, voluntatem & actionem gratia Dei adjuvari. *Si conſenſerit*, inquit, *etiam ipſam voluntatem & actionem divinitùs adjuvari; & ſic adjuvari, ut ſine illo adjutorio nihil benè velimus & agamus..... quantùm arbitror, inter nos nihil controverſiæ relinquetur.* Porrò ſi Pelagius non admiſiſſet veram ex parte intellectus gratiam illuminationis & illuſtrationis, ſuperfuiſſet ea ex parte controverſia: hujuſmodi quippe gratia planè requiritur, ut intellectus ad credendum moveatur & excitetur.

Reſp. iſto dumtaxat ſenſu aſſerere S. Aug. nullum amplius fore controverſiæ cum Pelagio locum, ſi fateri vellet voluntatem & actionem gratia Dei adjuvari, quia nempe ſemel admiſſa gratia voluntatis, nulla prorſus difficultas ſupereſt circa gratiam intellectus; & illa admiſſa, iſtam quoque admitti neceſſe eſt. Arguit S. Doctor quaſi à majori ad minus. Si nempe Pelagius fateri vellet gratiam eſſe neceſſariam ad bonam voluntatem & actionem, quantò magis fateretur neceſſariam illam eſſe ad credendum rebus à Deo revelatis? Credi etenim non poſſunt ſine pia voluntatis ad credendum motione & excitatione.

Dicimus 2. Pelagium reipſa veram & internam gratiam voluntatis & actionis nuſquam agnoviſſe.

Centies id teſtatur S. Aug. 1. iis in locis quibus declarat ſe veram Chriſti
gratiam in ſcriptis Pelagii, quæcumque legerat, nuſquam inveniſſe. Lib. de *Ibid. pag.*
Gratia Ch. cap. 30. *Iſtam*, inquit, *gratiam, qua juſtificamur, id eſt: qua chari-* 243. *F.*
tas Dei diffunditur in cordibus per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis, in Pelagii & Cæleſtii ſcriptis, quæcumque legere potui, nuſquam eos inveni, quemadmodum confitenda eſt, confiteri.

Et cap. 34. *Nec alicubi potui reperire*, pergit S. Doctor, *hanc eum gratiam* *Ib. pag.*
confiteri, qua non ſolùm poſſibilitas naturalis voluntatis & actionis, quam dicit 247. *B.*
nos habere etiam ſi nec volumus nec agimus bonum; ſed ipſa etiam voluntas & actio ſubminiſtratione Spiritus adjuvatur.

Et cap. 35. *An credat aliquod adjutorium benè agendi adjunctum naturæ* *Ibid. D.*
atque doctrinæ per inſpirationem flagrantiſſimæ & luminoſiſſimæ charitatis, non apparet omnino.

2. In iis ipſis Pelagii verbis, quibus tam magnificè gratiam Chriſti extollere ac commendare videtur, fraudem latere, unamque legis ac doctrinę gratiam propugnari contendit L. de Gratia Chriſti c. 7. Poſtquam Pelagii verba
retulit, quibus aſſerebat *gratiam non in lege tantummodo, ſed etiam in Dei adjuto-* *Ibid pag.*
rio ſe confiteri. Adjuvat enim nos, inquiebat, per doctrinam & revelationem 233. *E.*
ſuam, dum cordis noſtri oculos aperit; dum nobis, ne præſentibus occupemur, *F.*
futura demonſtrat, dum diaboli pandit inſidias; dum nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cœleſtis illuminat. In his omnibus, inquiebat S. Aug. *non re-*
ceſſit à commendatione legis atque doctrinæ. Egregia planè videntur ac præ- *Ibid. G.*
clara quæ idem Pelagius apud S. Aug. eodem L. de Gratia Ch. c. 10. de virtute gratiæ Dei prædicabat. *Operatur in nobis*, dicebat, *velle quod bonum eſt, velle quod ſanctum eſt, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, & mutorum more ani-*
malium tantummodo præſentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmio- *Ib. pag.*
rum pollicitatione ſuccendit; dum revelatione ſapientiæ in deſiderium Dei ſtupen- 235. *B.*

Digitized by Google

tem ſuſcitat voluntatem; dum nobis ſuadet omne quod bonum eſt. Quàm hæc in ſpeciem magnifica & orthodoxa! attamen in his nihil niſi fraudem, errorem & unam legis ac doctrinæ gratiam deprehendit pro ſua ſagacitate S.

Ibid. C. Aug. *Quid manifeſtius eſt*, inquit eodem cap. 10. *niſi aliud eum dicere gratiam, qua Deus in nobis operatur velle quod bonum eſt, quàm legem atque doctrinam? In lege namque & doctrina ſanctarum Scripturarum futuræ gloriæ atque præmiorum promittitur magnitudo. Ad doctrinam pertinet etiam quòd ſapientia revelatur: ad doctrinam pertinet, cùm ſuadetur omne quod bonum eſt. Et ſi inter docere & ſuadere, vel potius exhortari, diſtare aliquid videtur, etiam hoc tamen doctrinæ generalitate concluditur, quæ quibuſque ſermonibus vel litteris continetur.*

Ibid. p. 231. C. D. Et cap. 3. de eodem Pelagio verba faciens, *Gratiam Dei*, ait, *& adjutorium, quo adjuvamur ad non peccandum, aut in natura & libero ponit arbitrio, aut in lege atque doctrina: ut videlicet, cùm adjuvat Deus hominem, ut declinet à malo & faciat bonum, revelando & oſtendendo quid fieri debeat, adjuvare credatur; non etiam cooperando & dilectionem inſpirando, ut id quod faciendum eſſe cognoverit, faciat.*

Ib. pag. 232. E. Et c. 4. poſtquam retulit Pelagium tria diſtinxiſſe, nempe poſſibilitatem, voluntatem, & actionem, hæc addit cap. 5. *Scire debemus, quòd nec voluntatem noſtram, nec actionem, divino adjuvari credit auxilio, ſed ſolam poſſibilita-*

Ibid. F. *tem voluntatis atque operis ..... & ideo non adjuvet ut velimus, non adjuvet ut agamus, ſed tantummodò adjuvet, ut velle & agere valeamus.*

3. Denique, eam rejiciebat Pelagius gratiam, de qua cum Aug. diſputabat, quam ab ipſo ex publica Eccleſiæ fide exigebat S. Aug. Atqui de gratia voluntatis & actionis diſputabat Pelagius cum Auguſtino, iſtam ab ipſo ex Eccleſiæ fide Aug. exigebat: ergo &c. *Nos*, ajebat S. Doctor L. de Gratia Chriſti

Ib. pag. 235. D. cap. 10. *volumus eam gratiam iſte aliquando fateatur, qua futuræ gloriæ magnitudo non ſolùm promittitur, verùm etiam creditur & ſperatur; nec ſolùm reve-*

Ibid. F. *latur ſapientia, verùm & amatur; non ſolùm ſuadetur omne quod bonum eſt, verùm & perſuadetur ...... hanc debet Pelagius gratiam confiteri, ſi vult non ſolùm vocari, verùm etiam eſſe Chriſtianus.*

Ibid. p. 236. D. E. Et cap. 13. *Hæc gratia, ſi doctrina dicenda eſt, certè ſic dicatur, ut altiùs & interiùs eam Deus cum ineffabili ſuavitate credatur infundere, non ſolùm per eos qui plantant & rigant extrinſecus, ſed etiam per ſe ipſum qui incrementum ſuum miniſtrat occultus; ita ut non oſtendat tantummodo veritatem, verùm etiam impertiat charitatem.*

Ib. pag. 241. E. Cap. 24. *Legant ergo & intelligant* (Pelagiani) pergit S. Doctor, *intueantur atque fateantur, non lege atque doctrina inſonante forinſecus, ſed interna & occulta, mirabili ac ineffabili poteſtate operari Deum in cordibus hominum, non ſolùm veras revelationes, ſed bonas etiam voluntates.*

Ib. pag. 243. A. Denique cap. 26. *Gratiam Dei qua charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis, ſic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni ſine illa, quod ad pietatem pertinet veramque juſtitiam, fieri poſſe non dubitet. Non quomodo iſte, qui cùm dicit, propterea dari gratiam, ut quod à Deo præcipitur, faciliùs impleatur, quid de illa ſentiat ſatis oſtendit; ſcilicèt, quòd etiam ſine illa, etſi minùs facilè, fieri tamen poteſt quod divinitus præcipitur.*

His omnibus adde & quæ ſcribit Aug. ad Innocentium S. P. Epiſt. 177. aliàs 95. Il-

Digitized by Google

95. *Illam*, inquit, *confiteatur apertiſſimè gratiam, quam doctrina Christiana demonſtrat & prædicat eſſe propriam Chriſtianorum, quæ non eſt naturæ, ſed qua ſalvatur natura; quæ naturam non auribus ſonante doctrina, vel aliquo adjumento viſibili fovet, ſicut plantator quodammodo & irrigatur extrinſecus; ſed ſubminiſtratione ſpiritus, & occulta miſericordia.* Tom 2. p.624.E. F.

Dices 1. S. Aug. L. de gr. & lib. arb. c. 14. teſtatur Pelagianos tandem convictos agnoviſſe gratiam diſtinctam à lege, doctrina, remiſſione peccatorum &c. *Cum in his*, inquit, *convicti fuerint, ad hoc ſe convertunt ut quocumque modo conentur oſtendere, gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari: dicunt enim, Etſi non datur ſecundùm merita bonorum operum, quia per ipſam benè operamur, tamen ſecundùm merita bonæ voluntatis datur.* Ergo tandem agnovere Pelagiani neceſſariam eſſe gratiam ad benè operandum, licèt errarent in eo quòd contenderent gratuitam illam non eſſe, ſed meritis bonæ voluntatis retribui. T.10.p. 732.A.

Confirmatur ex eodem S. Doctore ſerm. 156. aliàs 13. de verbis Apoſtoli cap. 11. & 12. ubi gratulatur Pelagianis quòd ad Catholicam veritatem accedentes, adjutricem gratiam agnoverint. *Accedendo*, inquit, *proficere potuerunt, & ad id quod verè rectum eſt, pervenire. Jam ergo dicunt adjutricem eſſe gratiam Dei, ad faciliùs facienda.* Propter quam eorum confeſſionem Deum benedicit Auguſtinus: *Et benedicimus Deum*, inquit, *quia vel hoc aliquando dixerunt.* T. 5. p. 735.E.

Reſp. diſtinguo ant. Pelagiani Catholicorum argumentis victi agnoverunt gratiam diſtinctam à natura, doctrina & ſcientia legis &c. quæ in ſola interiori revelatione, ſeu illuſtratione mentis poſita foret, concedo: in excitatione, motione ac virtute quadam voluntati divinitus impreſſa, nego. Itaque præter externam Evangelicæ prædicationis gratiam auribus forinſecus inſonantem, Pelagiani agnovere neceſſariam eſſe interiorem Spiritus ſancti revelationem, ſeu illuminationem & illuſtrationem mentis, non tantùm, ut diximus antea, ex parte objecti meliùs propoſiti, ſed etiam ex parte ipſius intellectus divinitus adjuti & elevati. At gratiam voluntatis & actionis illos agnoviſſe, non probant verba citata, imò potius contrarium; ſi quidem prætenſa illa boni operis gratia, debetur meritis bonæ voluntatis. Ergo voluntas, ut bona ſit, ſpeciali Dei gratia & adjutorio non indiget. *Noſtra eſt victoria*, inquiebat Cœleſtius, *quoniam propria voluntate arma ſuſcepimus; ſicut è contrario noſtrum eſt quando vincimur, quoniam armari propria voluntate contempſimus.* Atque inde eſt, quòd Pelagiani motus indeliberatos gratiæ blandientis, dicerent occaſiones eſſe quibus voluntas excitata, propriis ſuis viribus agere poterat, vel non agere. *Voluntati*, ajebat Julianus apud S. Aug. L. 1. Operis imperfecti c. 47. *cùm pœna monſtratur & gloria, aut contra commodum vel voluptas, adjutorium & velut occaſio offertur, non neceſſitas imponitur partis alterutræ.* Apud Aug. T. 10. pag. 215.B. Ib. p. 889. D.

Ad confirmationem ex ſerm. 156. dico non immeritò quidem S. Auguſtinum Pelagianis gratulari ac Deo gratias referre, quòd gratiam illuſtrationis ab externa verbi prædicatione diſtinctam tandem agnoverint: hæc enim omnino neceſſaria eſt ad fidem concipiendam, cui ſi & piam motionem voluntatis, & gratiam actionis addere voluiſſent, nulla fuiſſet ampliùs cum illis controverſia. Verùm hujuſcemodi gratiam conſtanter & Pelagius & Pelagiani admittere recuſarunt. Ita teſtatur fide digniſſimus Auguſtinus Lib. de hæreſibus c. 88. his verbis. *Pelagius à fratribus increpatus, quòd nihil tribueret adjutorio gratiæ Dei ad ejus mandata facienda, correptioni eorum hactenus ceſſit, ut non* T. 8. p. 25.G.

eam

Digitized by Google

eam libero arbitrio præponeret, ſed infideli calliditate ſupponeret, dicens, ad hoc eam dari hominibus, ut quæ facere per liberum jubentur arbitrium, faciliùs poſſint implere per gratiam. Dicendo utique ut faciliùs poſſint, voluit credi, etiamſi difficiliùs, tamen poſſe homines ſine gratia divina facere juſſa divina. Hæc de Pelagio
Ib p. 26. A.B. S. Aug. De Pelagianis verò ſubjungit. *Illam verò gratiam Dei, ſine qua nihil boni poſſumus facere, non eſſe dicunt niſi in libero arbitrio, quod nullis ſuis præcedentibus meritis ab illo accepit noſtra natura, ad hoc tantùm ipſo adjuvante per ſuam legem atque doctrinam, ut diſcamus quæ facere, & quæ ſperare debeamus, non autem ad hoc per donum Spiritus ſui, ut quæ didicerimus eſſe facienda, faciamus. Ac per hoc divinitùs dari nobis ſcientiam confitentur, qua ignorantia pellitur: charitatem autem dari negant, qua piè vivitur: ut ſcilicet cùm ſit donum Dei ſcientia quæ ſine charitate inflat, non ſit Dei donum ipſa charitas, quæ ut ſcientia non inflet, ædificat.* Decretoria hæc ſunt S. Doctoris verba ad id, quod volumus, demonſtrandum.

Dices 2. ex S. Aug. L. 4. contra Julian. c. 3. nu. 15. Julianus agnoviſſe videtur veram & interiorem gratiam non tantùm illuſtrationis & illuminationis in mente, ſed etiam piæ motionis in voluntate & actione. *Cùm ergo*, ait
T. 10. p. 591. D. E. S. Doctor, *divinitus adjuvatur homo, non tantùm ad capeſcendam perfectionem adjuvatur, quod ipſe poſuiſti, utique volens intelligi eum per ſe incipere ſine gratia, quod perficit gratia ..... In quo enim vis hominem, ſicut loqueris, ad aliquid laudabile generoſi cordis ſtimulis incitari, in hoc eum non vis in Domino, ſed in libero arbitrio gloriari.* Unde poſteriores Pelagii diſcipuli per os ejuſdem Juliani in Epiſtola Romam tranſmiſſa profitentur: *Hominem in bono opere à Dei gratia ſemper adjuvari.* Julianus igitur declinans ad Semipelagianiſmum, contendebat initium perfectionis ſeu juſtitiæ à nobis eſſe, perfectionem verò boni operis eſſe à gratia: ex quibus Janſenius L. 6. de hæreſi Pelagiana c. 1. colligit Julianum ac poſteriores Pelagii diſcipulos paulò temperata magiſtri doctrina, cenſuiſſe gratiam interiorem neceſſariam quidem eſſe ad aſſequendam virtutis perfectionem; tametſi per ſolam naturam generoſi cordis ſtimulis excitata, inchoari ſine gratia poſſit.

Reſp: verba & ſententiam Juliani plùs roboris & energiæ non habere ad exprimendam gratiam voluntatis & actionis, quàm iſta ipſius Pelagii paulò antè memorata: *Operatur in nobis velle quod bonum eſt .... dum revelatione ſapientiæ in deſiderium Dei ſtupentem ſuſcitat voluntatem.* Atqui verbis iſtis non aliam, quàm legis atque doctrinæ gratiam ſenſu Pelagii ſignificari affirmat & probat S. Aug. L. de Gratia Ch. c. 10. Affirmat & ipſemet Janſenius L. 5. de hæreſi Pelag. c. 30. Eodem igitur modo ac ſenſu Juliani verba interpretanda & exponenda ſunt, præſertim cùm non ignoraret Janſenius, Julianum negaſſe dona Dei eſſe virtutes, quibus rectè vivitur; eaſque naturæ, voluntatique humanæ, non gratiæ Dei tribueret. Ita teſtatur S. Aug. L. 4. adversùs Julia-
T. 10. p. 590. F. num c. 3.

Quæ fuerit illa gratia, de qua tam diuturna exarſit contentio inter S. Auguſtinum Eccleſiæ partes agentem, & Pelagianos?

T. 2. Côc. p. 1531. D. Inter errores qui objecti ſunt Pelagio, & à Concilio Palæſtino proſcripti, iſte recenſetur. *Gratiam Dei & adjutorium non ad ſingulos actus dari, ſed in libe-*

ro arbitrio eſſe, vel in lege atque doctrina. Catholica igitur ſententia huic errori oppoſita hæc eſt, ad ſingulos pietatis actus neceſſariam eſſe gratiam Dei & adjutorium, præter liberum arbitrium, legem, atque doctrinam. Hunc ſuum errorem viſus eſt Pelagius reprobaſſe in hoc ipſo Palæſtino Concilio; at mala omnino & ſubdola fide. Namque perfidus ille per gratiam à natura, libero arbitrio, lege, atque doctrina diſtinctam, intelligebat remiſſionem peccatorum, ejuſque continuam recordationem: intelligebat exempla Chriſti, in quæ perpetuò convertere oculos debemus: intelligebat & illuſtrationem mentis, qua Spiritus ſanctus interiùs docet per apertiorem objectorum propoſitionem ſeu declarationem. Verùm præter gratiam hujuſmodi, aliam exigebat ex fide Eccleſiæ S. Aug. Quæ autem, & qualis illa fuerit, controvertitur.

Janſenius L. 5. de hæreſi Pelag. c. 11. & 14. & alibi paſſim, contendit eam gratiam quam negabant Pelagiani, & Auguſtinus defendebat, eſſe gratiam actualem voluntatis & actionis, quæ virtute ſua invicta, indeclinabili & inſuperabili, voluntatem ad agendum neceſſariò applicat & determinat. Doctrina hæc totius Janſeniani ſyſtematis baſis ac fundamentum eſt, atque grandioris, quod ſcripſit Janſenius, voluminis, unicus veluti ſcopus ac finis.

Fingit idem Janſenius L. 8. de Gratia Ch. Salvat. c. 5. 6. 7. & 9. Pelagianos iſta potiſſimum de cauſa abhorruiſſe à ſententia S. Aug. quòd exiſtimarent eum docere, per gratiam, non ſimplicem dumtaxat neceſſitatem, ſed veram inferri coactionem. *Homines Dei opus defendimus*, inquiunt apud S. Aug. L. 1. ad Bonifac. c. 18. *nec ex illius potentia vel in malum vel in bonum invitum aliquem cogi*. Hinc Janſenius colligit, S. Aug. ad diluendas Pelagianorum criminationes, unam dumtaxat ab humana voluntate ſub motione gratiæ removiſſe coactionem, non verò ſimplicem neceſſitatem; quia nempe de ſola coactione, non de ſimplici neceſſitate controverſia movebatur. Verùm cùm hæc ſcribebat Janſenius, memor haud dubiè non erat eorum quæ ipſemet probaverat L. 2. de hæreſi Pelag. c. 1. nimirum Pelagianos promiſcuè coactionem & neceſſitatem uſurpaſſe; atque nomine coactionis, ſolam intellexiſſe neceſſitatem. At verò quis facilè ſibi perſuaſerit, Pelagianos, viros, ut fatetur Janſenius, acutioris ingenii, unquam exiſtimaſſe, per gratiam, quam Aug. propugnabat, veram & propriè dictam coactionem induci: nemo enim eſt in rebus Philoſophicis tam peregrinus & hoſpes, qui ignoret, voluntatem noſtram in actibus ſuis internis & elicitis nullatenus cogi poſſe. *T. 10. p. 427. A.*

Nonnullis videtur de gratia phyſicè præmovente potiſſimum diſputaſſe Auguſtinum cum Pelagianis, aliis verò de gratia ſanctificante ſeu habituali. At non ita eſt. *Alvarez de auxiliis Thomaſſin de gratia.*

Primò, quia gratia de qua Aug. contra Pelagianos, abſolutè neceſſaria eſt ad ſingulos pietatis actus; ſed gratia ſanctificans talis non eſt. Siquidem ante illam & ſine illa, fidei, ſpei, timoris & alii ſupernaturales virtutum actus eliciuntur, quibus peccator ad gratiam juſtificationis diſponitur.

2. Gratia cujus neceſſitatem tam ſtrenuè propugnabat S. Aug. adversùs Pelagianos, ad fidem Eccleſiæ pertinet, quam omnes Catholici profitentur, quam tenebatur agnoſcere Pelagius, *ſi non tantùm vocari, verùm etiam vellet eſſe Chriſtianus*. L. de Gratia Ch. c. 10. *Quæ ſecundùm ſanam doctrinam debet intelligi*, pergit ibid. S. Doctor. Quam denique qui rejiciunt, *ſe inimicos Catholicæ fidei, & Dei beneficiis ingratos profitentur*, ait Innoc. I. S. P. in Epiſt. ad Patres Carthaginen- *T. 2. p. 637. F.*

ginenſes, inter Auguſtinianas 181. aliàs 91. An verò quiſquam eſt cordatus
Theologus, qui caracteres illos recognoſcat in gratia vel phyſicè præmovente
Thomiſtica, vel ad unum neceſſariò applicante ac determinante, ſenſu
Janſeniano? Prior ad fidem Eccleſiæ nullatenus pertinet, ſed mera eſt ac libera
Scholæ opinio: alteram verò qui tuetur, fidem Catholicam offendit ac violat,
nedum defendit. Cùm Pelagius ambigua nominis gratiæ ſignificatione
Tom. 10. Epiſcopos Palæſtinos deluſiſſet, *Viſus ipſis eſt*, ait S. Aug. L. de geſtis Pelagii
p. 208. E. c. 14. n. 31. *eam dicere gratiam quæ in Chriſti Eccleſia prædicatur*. An verò dicet
Janſenius, illorum Epiſcoporum animo tunc obverſaſſe ideam gratiæ vel
phyſicè præmoventis, vel neceſſariò voluntatem ad unum applicantis? Aſſerit
ſiquidem vel ipſemet Janſenius, Auguſtinum omnium primum gratiam
hujuſmodi docuiſſe. Gratia ergo quam ſubdolus ille ſimulabat ſe profiteri,
& quam boni illi Epiſcopi nihil fraudis ſuſpicati ſenſu Catholico intelligebant,
nec erat phyſicè præmovens, nec ad unum neceſſariò determinans;
ſed ſimpliciter gratia ad ſingulos pietatis actus neceſſaria. Erat hoc unicum
controverſiæ argumentum inter Auguſtinum & Pelagianos.

Pelagiani gratiam illam quam Auguſtinus ex Eccleſiæ fide prædicabat, iſto
dumtaxat falſo & erroneo præjudicio occupati rejiciebant, quòd putarent
per illam fatalem quamdam induci neceſſitatem, ac penitus liberum noſtrum
ſubverti arbitrium. Concipere quippe illi non poterant, qua ratione ſtaret
incolumis libertas cum neceſſitate gratiæ prævenientis & adjuvantis homi-
Ib. p. 226. A. D. nem ad ſingulos actus qui ad pietatem & vitam æternam pertinent. *In hoc tota
hæreſis iſta conſiſtit*, inquiebat S. Aug. L. de geſtis Pelagii cap. ultimo, *quòd
non ſit liberum arbitrium, ſi indigeat auxilio Dei; quoniam propriam voluntatem
habeat unuſquiſque aut facere aliquid, aut non facere. Quòd victoria noſtra ex Dei
non ſit adjutorio, ſed ex libero arbitrio*. Hinc eorum adversùs S. Auguſtinum
Ib. p. 437. B. calumnia, quaſi libertatem everteret, & fatum induceret. *Ex eorum verbis
intellexi*, ait S. Doctor L. 2. ad Bonif. c. 5. *ob hoc illos vel putare vel putari velle,
fatum nos aſſerere ſub nomine gratiæ: quia gratiam Dei non ſecundùm merita no-*
Ibid. E. *ſtra dicimus dari, ſed ſecundùm ipſius miſericordiſſimam voluntatem*. Ibidem: *Nos
aſſertores fati eſſe criminantur, quia non dicimus gratiam Dei ſecundùm merita no-*
Ib. p. 607. D. *ſtra dari*. Exiſtimabant ſcilicet Pelagiani id fato fieri, quod merito non fit.
Ita teſtatur S. Aug. L. 4. contra Julian. c. 8. Ita etiam & Patres Concilii Car-
T. 1. p. 619. E. F. thag. in Synodica ad Innoc. S. P. Epiſt. inter Auguſtinianas 175. aliàs 90. Et
S. Hieronymus Epiſt. ad Cteſiphontem. *Si alterius ope indigeo*, dicebat Pela-
Ed. N. T. 4. par. 2. p. 478. gius, *libertas arbitrii in me deſtruetur*.

Adversùs iſtam Pelagianorum criminationem ſæpiſſimè inſurgit S. Aug. &
probat per gratiam Dei libertatem noſtram confirmari potius ac ſtabiliri,
quàm deſtrui. *Liberum ergo arbitrium evacuamus per gratiam?* ait L. de Sp. &
T. 10. p. 214. C. Litt. c. 30. *abſit: ſed magis liberum arbitrium ſtatuimus. Sicut enim lex per fidem,
ſic liberum arbitrium per gratiam non evacuatur, ſed ſtabilitur*. Rationem red-
Ibid. D. dit inferiùs: *quia nempe gratia ſanat voluntatem, qua juſtitia liberè diligatur*.
Ib. p. 110. C. Et capite ſequenti, Calvini & Janſenii errorem præoccupat: *Cùm poteſtas datur,
ait, non neceſſitas utique imponitur*. Poteſtas verò illa per gratiam confertur,
qua captiva voluntas in libertatem aſſeritur. *Non poteſt*, ait L. 4. ad
Ib. p. 469. F. Bonifac. c. 3. *captiva voluntas, niſi Dei gratia, reſpirare in ſalubrem libertatem*;
quod probat his S. Joan. verbis c. 8. *Si vos filius liberaverit, verè liberi eritis*.

Fate-

Fatetur equidem ingenuè ac candidè S. Doctor, difficile eſſe conciliare libertatem cum neceſſitate gratiæ; attamen ſtare utramque ſimul profitetur. *Iſta quæſtio*, ait Lib. de Gratia Ch. c. 47. n. 52. *ubi de arbitrio voluntatis & Dei gratia diſputatur, ita eſt ad diſcernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem aſſeritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri*. Et Lib. 2. contra Litteras Petiliani c. 84. *Si tibi*, Petilianum alloquitur, *proponam quæſtionem, quomodo Deus Pater attrahat ad Filium homines, quos in libero dimiſit arbitrio, fortaſſis eam difficilè ſoluturus es. Quomodo enim attrahit, ſi dimittit ut quis quod voluerit, eligat? Et tamen utrumque verum eſt: ſed intellectu hoc percipere pauci valent*. Ib. p. 150. G. T. 9. p. 270. B.

Ex his omnibus exploratum ac certum illud eſſe videtur, in mente ſcilicet ac ſententia D. Aug. nullam humanæ voluntati ſub motione gratiæ imponi neceſſitatem, ſed illæſam & integram ſemper remanere ejus libertatem. Quæſo enim, qua ratione quove ſucceſſu potuiſſet S. Doctor impactam ſibi à Pelagianis calumniam propulſare, ſi vel ſimplicem neceſſitatem, ſeu ad unum determinationem, qualem vult Janſenius, admiſiſſet? A ſcopo igitur aberrat Janſenius, ac Pelagianorum calumniis in Aug. incautiùs ablanditur, cùm aſſerit talem ab Auguſtino gratiæ motionem, vim præpotentem & ad unum determinationem admitti, ut actus contrarius non ſit in poteſtate voluntatis; atque Pelagianos & Semipelagianos in eo erraſſe, quòd rejecta illa gratia efficaci ac præpotente, talem dumtaxat agnoſcerent, quæ libero voluntatis arbitrio permiſſa foret, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare. Sic ille Catholicam veritatem, in errorem malè cautus transformat.

Dices 1. de illa potiſſimum gratia tractat S. Aug. diſputans cum Pelagianis, per quam juſtificamur; per quam captiva voluntas liberatur, & infirma ſanatur. Atqui gratia hujuſmodi eſt habitualis ſeu ſanctificans.

Reſp. diſtinguo maj. Tractat S. Aug. de gratia per quam juſtificamur, vel diſpoſitivè, vel formaliter, vel effectivè, concedo: per quam juſtificamur formaliter tantùm, nego. Diſtinguo pariter iſtam propoſitionem. Tractat de gratia per quam captiva voluntas liberatur & infirma ſanatur, vel habitu vel actu, concedo: habitu dumtaxat, nego.

Tribus igitur modis homo dici poteſt juſtificari, vel diſpoſitivè, cùm tendit & præparat ſe ad juſtitiam ex beneficio gratiæ actualis; vel formaliter, cùm juſtitiam adeptus eſt; vel effectivè, cùm ex juſtitia operatur. S. porrò Aug. non tantùm locutus eſt de gratia, qua formaliter juſtificamur, ſed etiam de illa, qua diſpoſitivè ac effectivè juſtificamur: præſertim verò de illa, quæ nos diſponit ad juſtitiam conſequendam, quæ eſt gratia vocationis, gratia voluntatis & actionis ad ſingulos pietatis actus neceſſaria.

Pariter, captiva voluntas & infirma duobus modis dici poteſt liberari & ſanari; vel quoad habitum, per infuſionem charitatis ſeu gratiæ habitualis & ſanctificantis, qui modus perfectior longè eſt, ſcopus ac finis proximus gratiarum actualium: vel quoad actum; quando ſcilicet per gratiam actualem excitata & roborata voluntas, peccati ſeu concupiſcentiæ actu blandientis & allicientis laqueis irretiri ſe & ad malum pertrahi non patitur. De utroque autem illo modo quo voluntas liberatur, & ſanatur, loquitur S. Aug. potiſſimùm verò de poſteriori, qui propiùs ſpectabat ſtatum controverſiæ quam habebat cum Pelagianis.

Inſta-

Inſtabis. De illa gratia potiſſimùm diſputat S.Aug. quæ omnibus prædeſtinatis conceditur. Atqui hæc habitualis eſt dumtaxat; non verò actualis, quæ reprobis etiam non negatur.

Reſp. 1. hoc argumento plùs probari, quàm oporteat. Probaret enim, ſolum finalis perſeverantiæ donum, eſſe gratiam Chriſti, quia ſolis prædeſtinatis datur, non aliis.

Reſp. 2. hoc unum hoc argumento confici, quod verum eſt ac fatemur, nempe gratiam habitualem ſeu ſanctificantem inter cæteras, principem locum tenere. At malè hinc infertur, D. Auguſtinum omnem ſuam cum Pelagianis controverſiam ad unam gratiæ habitualis neceſſitatem comprobandam convertiſſe.

Dices 2. De illa præſertim gratia diſceptatio fuit inter S. Aug. & Pelagianos, quam iſti rejiciebant, Auguſtinus verò admittendam contendebat. Atqui Pelagiani unam dumtaxat rejiciebant gratiam quæ voluntati ad benè agendum neceſſitatem imponeret; ergo &c.

Minor propoſitio probatur. 1. Ex verbis Juliani apud S. Aug. L. 2. Operis imperfecti cap. 138. ubi ait. *Adhortationibus, ſignis, exemplis, promiſſione vel munerum vel pœnarum, ad fidem voluntatem ſine indictione neceſſitatis allici .....non oppreſſam, ſed expectatam, ſed liberam, ſed provocatam curari.* His verbis Julianus vellicat ac perſtringit neceſſitatem, quæ ex gratia Auguſtini ſequebatur.

Tom. 10. p. 1007. C.

2. Probatur ex accuſatione Manichæiſmi, qua doctrinam Auguſtini infamabant, quaſi libertatem funditus everteret.

3. Ex cauſis & rationibus quibus ducti illi fuere, ut gratiam Auguſtini tantopere averſarentur ac refugerent. Sunt autem hujuſmodi. 1. Quia noxia erat libertati. 2. Quia ſecuritatem, torporem, & inertem ingenerat negligentiam: tum quòd omnibus non detur, ſed iis dumtaxat, quibus Deus voluerit: tum quòd inutiles videntur conatus voluntatis, ubi actio unicè pendet ex interna & efficaci gratiæ virtute, nihilque de ſuo voluntas confert. 3. Quia hujuſmodi gratia omnem laudis ac meriti rationem tollit ab humana voluntate; quando quidem omne quod bonum eſt, ex ipſa virtute gratiæ profluit. Rationes illas fuſiori ſtylo proſequitur Janſenius L. 5. de hæreſi Pelag. cap. 1. 2. 13. 14. 15. & 16. An porrò tam ſtupidi & hebetes fuiſſent Pelagiani, ut hæc ſancto Doctori objeciſſent, niſi perſpectum illis fuiſſet, talem ab Auguſtino gratiam defendi, cui humana libertas non poſſit reſiſtere?

Reſp. diſtinguo min. Ita ut nullam aliam interiorem admitterent voluntatis gratiam; ac ſibi falsò perſuaderent quamlibet gratiam prævenientem eo ipſo libertatis inimicam eſſe, quo voluntatem prævenit, excitat & adjuvat ad bonum, concedo: ita ut aliam agnoſcerent gratiam interiorem prævenientem, quæ cum libertate voluntatis cohæreret, nego. Itaque Pelagiani circa neceſſitatem gratiæ duplici graviſſimo errore & juris & facti laborabant. Error juris erat, quòd quælibet gratia interior, quæ voluntatem prævenit, & excitat, ejus deſtruat libertatem, adeoque ſit rejicienda. Error facti, quòd non aliam Auguſtinus gratiam propugnaverit, quàm quæ libertatem everteret: hoc falſo præjudicio occupari gradatim docuerunt. 1. Solam naturam, & liberum arbitrium ad bonum ſufficere. 2. Non aliam quàm legis ac doctrinæ interiùs menti propoſitæ gratiam eſſe neceſſariam. 3. Addidere remiſſionem peccatorum.

rum & exempla Chriſti, quæ omnia voluntatem ipſam proximè ac immediatè non afficiunt. 4. Julianus argumentis Catholicorum victus, gratiam viſus eſt admittere ad perfectionem quidem operis boni neceſſariam, non ad ejus inchoationem. Tandem Semipelagiani ad omne opus bonum ſive inchoandum ſive perficiendum gratiam neceſſariam dixere, non tamen ad initium fidei & pium quemdam credulitatis affectum, quem inter bona opera idcirco non computabant, ita ut palmaris illa foret apud illos regula, initium & exordium boni debere eſſe à nuda voluntate, quam ſubinde gratia conantem juvaret; unde gratiam voluntatis pediſſequam faciebant. Capitaliter abhorrebant illi ab omni gratiæ ſpecie, quæ voluntati præiret, ejuſque in actus ſuos dominium & determinationem anteverteret. *Illam indifferentem ac dominatricem arbitrii poteſtatem ac nutum*, ait Janſenius L. 5. de hæreſi Pelag. c. 28. *ſemper Pelagiani pupillis oculorum habuere chariorem, quæ ſi ſalva manet, imò quia ſemper aut credunt, ſalva manet, nullos voluntatis, vel paſſionum, vel indeliberatorum actuum, ad volendum nolendumve provocantium turbines aut blandimenta formidant.* Tom. 1. p. 132. col. 1. D. E.

Momenta igitur ac rationes quibus Pelagiani doctrinam S. Aug. oppugnabant, directè impetunt neceſſitatem gratiæ interioris ad omnem pietatis actum voluntatem prævenientis. Nec in eo peccabant illi, quòd exiſtimarent gratiam, quæ voluntati neceſſitatem inferret ad agendum ejuſque libertatem everteret, rejiciendam eſſe, id enim veriſſimum eſt: ſed quòd omnem & quamlibet interiorem gratiam voluntatis prævenientem eo ipſo libertatis inimicam eſſe contenderent, quo voluntatem præveniret.

Illæ igitur rationes Pelagianorum, quas Janſenius citatis in locis tam fusè exponit, omnibus Catholicis ſolvendæ ſunt; neque unam efficacem ac victricem Auguſtini gratiam ſpectant, ut putat Janſenius, ſed ſimpliciter gratiam voluntatis prævenientem ad omne pietatis opus neceſſariam. Quas rationes expendemus ac diluemus poſtea, ubi de neceſſitate gratiæ ſermo habendus erit.

Suo pariter loco referemus ac ſolvemus quæ ſolent objicere, ut oſtendant gratiam de qua ſanctus Auguſtinus adverſus Pelagianos, eſſe gratiam ex ſeſe ſeu natura ſua efficacem, quam appellat auxilium *quo*.

Utrùm Pelagiani admiſerint gratiam interiùs ſanctificantem ſeu habitualem, & virtutes infuſas?

Affirmat Janſenius L. 5. de hæreſi Pelagiana c. 22. & ſequentibus. Negant alii cum Suare Prolegomeno 5. de gratia c. 2. Alii diſtinguunt inter gratiam habitualem, & virtutes infuſas. Iſtas quidem à Pelagianis rejectas fuiſſe, non verò gratiam habitualem per quam peccata delentur, exiſtimant. Ita Martinonus in Antijanſenio diſp. 7. de hæreſi Pelagiana ſectione 13.

Veriſimilius nobis videtur Pelagianos nec habitualem gratiam, nec virtutes ſupernaturales infuſas agnoviſſe. Teſtem damus S. Aug. hæreſeos Pelagianorum indagatorem ſagaciſſimum ac ſtrenuum impugnatorem Lib. de Gratia Ch. c. 30. *Iſtam*, inquit, *gratiam, qua juſtificamur, id eſt, qua charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis, in Pelagii & Cæleſtii ſcriptis, quæcumque legere potui, nuſquam eos inveni, quemadmodum confitenda eſt, confiteri. Prorſus nunquam eos adverti, ſicut agnoſcendi ſunt, agnoſcere filios promiſſionis, de quibus dicit Apoſtolus, Non ii qui filii carnis, hi filii Dei, ſed* T. 10. p. 243. F.

filii

filii promiſſionis deputantur in ſemine. Rom. 9. v. 8. Atqui gratia qua juſtifica-
mur, eſt gratia habitualis infuſa, de qua S. Aug. L. 1. de pecc. mer. & rem. c. 9.
n. 10. dicebat. *Gratia ejus* (Chriſti) *illuminationem & juſtificationem noſtram etiam*
Ib. p. 7. A. B. *intrinſecus operatur ..... Dat etiam* (Chriſtus) *ſui ſpiritus occultiſſimam fidelibus*
gratiam, quam latenter infundit & parvulis. Porrò nullo ſatis firmo & aperto
teſtimonio conſtat talem gratiam à Pelagianis admiſſam fuiſſe: ſæpius etenim
repetit ſanctus Auguſtinus, non aliam ab illis prædicatam gratiam, quàm
liberi arbitrii, legis ac doctrinæ, remiſſionis peccatorum & exemplorum
Chriſti, in quibus nihil eſt quod internum & infuſum aliquid referat: exem-
pla enim Chriſti externa ſunt, remiſſio verò peccatorum ab illis haud dubiè
concipiebatur fieri per ſimplicem eamque externam non imputationem ſeu
condonationem.

Ib. p. 247. B. Quapropter idem S. Doctor L. de Gratia Ch. c. 38. n. 42. poſtquam Pelagii
verba retulit, quibus videri poterat veram & internam naturæ per ſangui-
nem Chriſti inſtaurationem ac renovationem admiſiſſe, ſubjungit: *Videte*
Ib. C. *quemadmodum & hic aliis quidem verbis, ſed tamen in remiſſione peccatorum, &*
in exemplo Chriſti adjutorium gratiæ conſtituerit. Quod quidem adjutorium ad
ſingulos actus neceſſarium eſſe, hoc ſenſu doloſus ille aſſerebat, quòd per
Ib. p. 231. A. ſingulos actus meminiſſe debemus, *dimiſſa nobis eſſe peccata, ut ita non pecce-*
mus ulteriùs. *Non quidem adjuti aliqua ſubminiſtratione virtutis*, ait S. Aug. L.
de Gratia Ch. c. 2. *ſed viribus propriæ voluntatis, quid ſibi remiſſione peccatorum*
Ibid. B. *præſtitum ſit, per ſingulos actus recordantis ..... vel dominicæ converſationis exem-*
plum intuentis. Hinc ſolemnis iſta apud Pelagianos propoſitio, quæ in Syno-
do Palæſtina damnata fuit: pœnitentibus veniam non dari ſecundùm gra-
tiam & miſericordiam Dei, ſed ſecundùm merita & laborem eorum, qui
per pænitentiam digni fuerunt miſericordia.

Inter Oper. S. Hieron. Edit. Marian. tom. 4. p. 485. B. Dices 1. Pelagius Commentario in caput 5. Epiſtolæ ad Roman. agnoſcit
peccata dimitti abundantia donationis Spiritus ſancti, ac juſtitiam per baptiſmum do-
nari. Et in cap. 5. 2. ad Corinth. n. 34. docet Deum tribus modis in nobis eſſe:
per infinitatem, per ſanctificationem, & peculiarem inhabitationem in ſanctis. Et in
cap. 3. Epiſt. ad Titum n. 7. ait, *baptiſmum vocari ab Apoſtolo lavacrum renova-*
Ib p. 592. D. *tionis Spiritus ſancti, quia nos Spiritus ſanctus per baptiſmum renovavit*. Apud S.
Aug. L. de Gratia Ch. c. 38. idem Pelagius aſſerit, *nos inſtaurari per Chriſti gra-*
Ib. p. 708. D. *tiam, & in meliorem hominem renaſci*. Teſtatur & ipſe S. Aug. L. 3. de peccat.
T. 10. p. 247. B. mer. & rem. c. 6. Pelagianos agnoſcere, *non ideo parvulos baptizari, ut remiſ-*
ſionem accipiant peccatorum, ſed ut *ſanctificentur in Chriſto*. Idem repetit L. de
Ib. p. 77. E. hæreſibus c. 88.

T. 8. p. 26. E. Omnium diſertiſſimè Julianus apud S. Aug. L. 1. Operis imperfecti cap. 53.
dogma Catholicum exprimere videtur his verbis: *Nos igitur*, inquit, *in tan-*
tùm gratiam baptiſmatis omnibus utilem ætatibus confitemur, ut cunctos, qui illam
T. 10 p. 897. C. *non neceſſariam etiam parvulis putant, æterno feriamus anathemate. Sed hanc gra-*
tiam locupletem ſpiritualibus donis credimus, quæ multis opima muneribus ac reve-
renda virtutibus, pro infirmitatum generibus, & humanorum ſtatuum diverſitati-
bus, una, tam remediorum collatrice quàm munerum, virtute medicatur. Qui-
bus verbis efficitur, Julianum dona ſupernaturalia, ſeu virtutes infuſas ad-
Ib. p. 72. C. miſiſſe. Unde S. Aug. L. 3. de pecc. mer. & rem. c. 2. de Pelagianis ait: *Cogun-*
tur parvulos baptizatos in credentium numero deputare, & auctoritati ſanctæ ubi-
que

Digitized by Google

quæ Eccleſiæ conſentire, quæ fidelium eos nomine non cenſet indignos, quibus juſtitia Chriſti, etiam ſecundùm iſtos, prodeſſe nonniſi credentibus poſſet.

Reſp. iſthæc quidem omnia, cùm à viris Catholicis & non ſuſpectis proferuntur, Catholicorum more intelligenda eſſe; ſed apud fraudulentos hæreticos Pelagianos, graviſſima latentis erroris ſuſpicione laborare. Vel ipſo enim judice Auguſtino L. de Gratia Ch. c. 38. n. 42. cùm Pelagius dixit, *nos inſtaurari per Chriſti gratiam & in meliorem hominem renaſci*, non aliam in mente gratiam cogitabat, quàm remiſſionem peccatorum & exemplum Chriſti. *Videte*, inquiebat loco mox citato S. Doctor, *quemadmodùm & hic aliis quidem verbis, ſed tamen in remiſſione peccatorum & in exemplo Chriſti adjutorium gratiæ conſtituerit*. Et L. 6. contra Julianum c. 23. *Tu*, inquit, *à veſtro dogmate non recedis, quo putatis gratiam Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum ſic in ſola peccatorum remiſſione verſari, ut non adjuvet ad vitanda peccata & deſideria vincenda carnalia, diffundendo charitatem in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui ab illo datus eſt nobis.* Ib. p. 247. B. Ibid. C. Ib p. 703. E. F.

Ad ſenſum hujuſce gratiæ dixerunt Pelagiani, peccata dimitti abundantia donationis Spiritus ſancti; homines inſtaurari, renovari & renaſci 1. Per ſimplicem & externam peccatorum non imputationem, ſeu condonationem, qua fit ut homo coram Deo velut homo novus appareat, inſtauretur, ac renovetur. 2. Per exemplum Chriſti, quo Chriſtiani longè efficaciùs juvantur ad præcavenda peccata, recordatione ſcilicet peccatorum præteritorum, quæ ſingulari Dei favore ac benignitate remiſſa ipſis jam fuere. Pari modo ac ſenſu aſſerebant, parvulos per baptiſmum ſanctificari, regenerari, adoptari in filios Dei, fideles eſſe ac denominari &c. non quidem per infuſionem charitatis & aliorum donorum ſupernaturalium, ſed per ſimplicem & externum Dei favorem, quo ad regnum cœlorum deſtinantur: eo ferè modo quo ſola Principis voluntate ſeu deſtinatione nonnulli ad certa quædam officia deputantur, abſque ulla intus ipſis communicata virtute. Senſu non abſimili fatebantur, parvulos per baptiſmum fideles eſſe ac dici, non per infuſionem virtutis fidei, ſed per alienam fidem, eorum ſcilicet, quorum miniſterio baptizandi offeruntur & ex ſacro fonte levantur. *Velitis, nolitis*, ajebat S. Aug. L. 6. c. Julian. c. 3. *parvulos credere confitemini in Chriſtum per corda & ora geſtantium.* Ib. p 664. D.

Dices 2. Gratia fidei, eſt gratia habitualis: atqui Pelagiani admiſerunt gratiam fidei, & quidem diſtinctam à lege & natura; non diffitente S. Aug. L. de Gratia & lib. arb. c. 13. *Dicunt etiam*, inquit, *gratiam Dei, quæ data eſt per fidem Jeſu Chriſti; quæ neque eſt lex, neque natura, ad hoc tantùm valere, ut peccata præterita dimittantur, non ut futura vitentur, vel repugnantia ſuperentur.* Ib. p. 731. D. E.

Reſp. diſtinguo min. Pelagiani admiſerunt gratiam fidei externam, legem ſcilicet, doctrinam, ſeu Evangelii prædicationem; aut etiam interiorem objectorum fidei propoſitionem & revelationem menti factam, qua poſita quiſque ad arbitrium ſolis ſuis viribus naturalibus credit vel non credit, concedo: admiſerunt gratiam fidei internam & infuſam, tum ex parte mentis, tum ex parte voluntatis divinitùs excitatæ & adjutæ, nego. Ad probationem ex Auguſtino diſtinguo, Pelagiani admiſerunt gratiam fidei, quæ non ſit lex & doctrina, verbo tenus ac ſubdolè, concedo: in rei veritate, nego. Gratiam enim illam quæ lex non erat, nec doctrina, ſaltem in exemplo Chriſti re-

ponebant, quæ teſte ipſomet S. Auguſtino ad unam externam legis ac doctrinæ gratiam revocabatur.

Inſtabis 1. ex Auguſtino loco mox citato. Pelagiani eam agnovere fidei gratiam, quæ propria eſt fidelium. *Hanc enim*, ait S. Doctor, *naturam etiam*
Ib.p.73. B.C. *cum impiis & infidelibus certum eſt nobis eſſe communem: gratia verò per fidem Jeſu Chriſti eorum tantummodo eſt, quorum eſt ipſa fides. Non enim omnium eſt fides*, 2. Theſſal. 3. v. 2.

Reſp. 1. nego maj. Ex ſua enim propria mente ac ſententia eo loci loquitur S. Aug. non verò ex mente atque ſententia Pelagianorum.

Reſp. 2. tametſi idem cum Auguſtino dixiſſent verbo tenus Pelagiani, ab errore tamen vindicari non debere; quia dici non immeritò poteſt, illos cenſuiſſe fidem illam, quæ propria eſt Chriſtianorum, non eſſe à gratia interiori & propriè dicta, ſed à ſolo libero arbitrio, ſuppoſitis lege, doctrina, & exemplo Chriſti.

Inſtabis 2. Gratia quam Pelagiani aſſerebant ſecundùm merita noſtra dari, eſt gratia habitualis.

Reſp. nego maj. Gratiam enim illam genericè dumtaxat ſpectabant Pelagiani, non ſpecificè, quatenus eſt, vel non eſt habitualis infuſa.

Ib.p.251. B.C. Inſtabis 3. S. Aug. L. de Gratia Ch. c. 47. declarat nihil ſibi amplius cum Pelagio diſcordiæ ac controverſiæ futurum, ſi vellet ille agnoſcere neceſſitatem gratiæ ad volendum & operandum bonum: atqui incautè prorſus id dixiſſet Aug. niſi ſuppoſuiſſet Pelagium internam gratiam confeſſum fuiſſe, neceſſariam ad fidem & remiſſionem peccatorum.

Reſp. nego min. Senſus enim Aug. ex dictis antea, iſte eſt, quòd ſi Pelagius tandem adduci potuiſſet, ut fateretur hominem ſine interiori gratia nec velle nec poſſe operari bonum, facillimè intellexiſſet neceſſaria quoque eſſe gratiam ad fidem & remiſſionem peccatorum; à majori enim ad minus hic arguere videtur S. Doctor,

Error Pelagii ab Eccleſia proſcriptus.

Errorem ſuum evulgare primùm cœpit Pelagius circa ann. Chriſti 405. non quidem per ſe ipſum, ſed per diſcipulos quos deceperat. Non virorum tantùm, ſed etiam muliercularum miniſterio in hunc finem utebatur: quæ fraus & conſuetudo omnibus ferè hæreticis communis fuit, ut obſervat S.
T.4.N. Ed.p.1. Pag.477. Hieronymus Epiſt. ad Cteſiphontem. *Simon Magus*, inquit, *hæreſim condidit, Helenæ meretricis adjutus auxilio. Nicolaus Antiochenus, omnium immunditiarum repertor, choros duxit feminarum. Marcion Romam præmiſit mulierem, quæ decipiendos ſibi animos præpararet. Apelles Philumenem ſuarum comitem habuit doctrinarum. Montanus, immundi ſpiritus prædicator, multas Eccleſias per Priſcam & Maxillam, nobiles & potentes feminas, primùm auro corrupit, deinde hæreſi polluit.* Qua quidem hæreticorum arte ac fraude nihil periculoſius, quòd mulieres errorem faciliùs combibant, quia leves; celeriùs diffundant, quia loquaces; tardè deponant, quia ignaræ ac pertinaces. *Quid volunt*, ait idem S. Hieronymus loco mox citato, *miſeræ mulierculæ oneratæ peccatis, quæ circumferuntur omni vento doctrinæ, ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes; & cæte-*

Digitized by Google

cæteri mulierculærum ſocii, prurientes auribus, & ignorantes quid audiant, quid loquantur &c.

Præcedentium Hæreticorum veſtigiis inſiſtent Pelagius, ſcripſit ad quamdam viduam, quam putant fuiſſe matrem Juliani: ſcripſit autem adulatoriè admodum, ut refert S. Aug. Lib. de geſtis Pelagii cap. 6. T 10 p. 200. B. C.

Non ſatis habuit Pelagius, per diſcipulos, deinde per litteras inſinuare dogma ſuum, ſed etiam poſtea verbo prodidit. Cùm enim peragratis Ægypti Monaſteriis, Romam veniſſet circa eadem tempora, contigit aliquem Epiſcopum, præſente Pelagio, hæc Romæ S. Aug. verba ex Libris Confeſſionum ejus commemorare, *Da quod jubes, & jube quod vis*. Quæ verba ſtatim ac audivit Pelagius, vehementer commotus eſt; & pene cum eo, qui illa commemorabat, litigavit, ait S. Aug. L. de dono perſeverantiæ c. 20. Ib. p. 851. B.

Anno 408. aut 409. Barbaris Italiam vaſtantibus, Roma diſceſſit Pelagius, atque in Siciliam, tanquam in locum tutiorem, ſe cum Cœleſtio recepit. Deinde cùm Alaricus Rex Gothorum, anno 410. Romam expugnaſſet, Pelagius anno 411. cum diſcipulo ſuo Cœleſtio fugit in Africam, & Hipponem Regium appulit initio veris, abſente S. Aug. qui tamen, fama referente, audivit Pelagium loqui contra divinam gratiam. Ipſe pariter Cœleſtius Carthagine conſiſtens, dogma novum ſpargebat; atque ut majori cum auctoritate doceret, conatus eſt promoveri ad ſacerdotium: ſed ejus conatibus obſtitit Paulinus Diaconus, à quo delatus eſt ad Aurelium Epiſcopum.

Anno 412. Aurelius Carthaginenſis Epiſcopus, Concilium congregavit Carthagine, quod primum fuit è viginti quatuor Conciliis congregatis adversùs hæreſim Pelagianam, ante celebrationem Epheſini. Quæ quidem Concilia ſigillatim retulit & doctiſſimis obſervationibus locupletavit Mercatoris Commentator Pariſinus. In hoc autem Carthaginenſi Concilio, damnati ſunt errores Cœleſtii; & ipſe excommunicatus, ab Eccleſia & Urbe pulſus, in Siciliam ſeceſſit; convictus quidem, & non correctus, ait S. Auguſtinus L. de geſtis Pelagii c. 22. Ib. p. 216

Circa idem tempus, S. Auguſtinus ſcripſit tres Libros ad Marcellinum ſub hoc titulo, *De peccatorum meritis & remiſſione*; de tribus quæſtionibus adversùs Pelagianos, ſcilicet de peccato originali, de gratiæ neceſſitate, & de perfectione juſtitiæ; de quibus quæſtionibus interrogatus fuerat à Marcellino. In illis autem Libris, ſiluit S. Doctor nomen Pelagii, ſperans eum ſic faciliùs corrigi poſſe. Imò, & in tertio laudavit Pelagium, ut ſcribit L. 2. Retractationum c. 33. Cùm autem in 2. Libro ad Marcellinum cap. 6. ſcripſiſſet S. Aug. hominem in hac vita per gratiam Dei poſſe eſſe ſine peccato, cùm tamen nullus fuerit, ſit, aut futurus ſit, Marcellinus teſtatus eſt, ſe hoc intelligere non poſſe: quapropter S. Doctor edidit Librum de Spiritu & littera, in quo illi abundè ſatisfacit. Legatur caput 37. Libri 2. Retractationum.

Anno 413. cùm Carthagine graſſarentur errores Pelagianorum, jubente Aurelio Carthaginenſi Epiſcopo, S. Aug. habuit in Baſilica ſermonem contra novam illam hæreſim. Hic ſermo eſt 14. de Verbis Apoſtoli. Ita refert ipſemet S. Aug. L. de geſtis Pelagii c. 11.

Anno eodem 413. Juliana mater Demetriadis, hortata eſt Pelagium ut ad filiam ſuam ſcriberet. Miſit igitur Pelagius Epiſtolam ad Demetriadem, in qua eam confirmat in virginitatis propoſito, & ſimul ſuum illi inſpirat errorem.

Anno 414. cùm per Siciliam virus Pelagianum diffunderetur, Hilarius Syracuſanus rogavit S. Aug. ut ab ipſo erudiretur adversùs novos illos errores. Scripſit igitur ad illum S. Doctor Epiſtolam, quæ numero eſt 157. aliàs 89. ſicut ad Cteſiphontem eadem de cauſa ſcripſerat S. Hieronymus. Ille verò Hilarius laicus fuit; quia S. Aug. vocat illum *filium*, vocaturus *fratrem* ſi Clericus fuiſſet.

Circa illud tempus, Pelagiana hæreſis non parvum progreſſum fecit; atque Paulus Oroſius Presbyter Hiſpanus in Africam ad S. Auguſtinum venit, eumque rogavit, ut adversùs Priſcillianiſtas & Origeniſtas ſtilum exacueret: quod præſtitit S. Aug. & Oroſium in Palæſtinam miſit ad S. Hieronymum, ab eo ſciſcitaturum, quid de origine animæ ſentiret.

Anno igitur 415. venit in Paleſtinam Oroſius, & invenit Eccleſiam Hieroſolymitanam diverſis partibus diſtractam ac turbatam. Cui malo ut occurreret Joannes Hieroſolymitanus, Presbyterorum Conventum habuit, cui interfuit Oroſius, atque in eo narravit ea quæ in Africa geſta fuerant ſuper hæreſi Pelagiana, teſtatuſque eſt ſe duo à Pelagio audiviſſe: unum, *Hominem poſſe eſſe ſine peccato ſi velit*; alterum, *Hominem poſſe facilè mandata Dei cuſtodire*. Vocatus Pelagius, dixit; *non ſine Dei adjutorio hominem poſſe eſſe ſine peccato*. At ſubdolus ille, nomine adjutorii Dei, intelligebat naturam, liberum arbitrium, legem &c. Hanc Pelagii reſponſionem avidè arripuit Joannes Hieroſolymitanus Pelagio favens, ut ab ipſo ſententiam damnationis averteret: atque parti utrique impoſito ſilentio, res tota delata fuit ad judicium Innocentii I. S. Pontificis. Interim Pelagiani accuſarunt apud Joannem, Oroſium, quaſi docuiſſet, nequidem per Dei gratiam poſſe hominem implere legem Dei. Ut autem hanc à ſe calumniam ille propulſaret, edidit Apologeticum, in quo accuratè retulit quod actum fuerat in Conventu Hieroſolymitano, & Pelagianum dogma ſtrenuè confutavit.

Non eſt autem quòd Janſeniani, ut Apologiam illam faciliùs Oroſio adjudicent, contendant, hanc Synodum Hieroſolymitanam, cui Oroſius interfuiſſe dicitur, commentitiam eſſe, & antiquis incognitam: ſiquidem S. Aug. L. de geſtis Pelagii c. 14. narrat, Joannem in Synodo Dioſpolitana rogatum, retuliſſe quid coram ſe in illo conventu Hieroſolymitano geſtum fuiſſet.

Eodem anno 415. S. Hieronymus, quos antea promiſerat Epiſtola ad Cteſiphontem, Libros tres adversùs Pelagianos abſolvit. Unde S. Proſper Carmine de ingratis cap. 2. cecinit.

Ed. N. p. 121. nu. 55.

Tunc etiam Bethlæi præclari nominis hoſpes,
Hebræo ſimul & Græco, Latioque venuſtus
Eloquio, morum exemplum mundique magiſter
Hieronymus, Libris valde excellentibus hoſtem
Diſſecuit.

Eodem anno 415. duo Epiſcopi Galli, Eros, & Lazarus, Palæſtinam petierunt, ut Pelagium erroris accuſarent ac convincerent. Congregatum eſt igitur Dioſpoli Concilium 14. Epiſcoporum, Præſide Eulogio Cæſarienſi, in quo Pelagius interrogatus eſt: qui, ut erat mirus fallendi artifex, turpi æquivocatione Patribus illuſit; eòque faciliùs, quòd ipſe latinè loquens coram Græ-

cis,

Digitized by Google

cis, ab illis non intelligebatur niſi per interpretem, qui ejus verba aut fideliter non reddebat, aut ejus favebat perſonæ. Quapropter illi Epiſcopi, ut erant ſimplices, nihil fraudis ſubeſſe ſuſpicati, atque nomine gratiæ, quam admittebat Pelagius, eam intelligentes quam doctrina Catholica ſolet intelligere, Pelagium, errore facti, ipſa tamen hæreſi damnata, tanquam innonocentem dimiſerunt. Pelagio iſtud commodum tunc accidit, quòd à Synodo abſentes erant Eros & Lazarus, propter gravem unius ægritudinem; ut teſtatur S. Aug. L. de geſtis Pelagii c. 1.

Concilii Dioſpolitani ſententiam probare noluit Innocentius S. P. ut conſtat ex ejus Epiſtola quæ eſt inter Auguſtinianas 183. aliàs 96. Et ex Libro de peccato originali c. 8. & 9. Pelagius autem, poſtquam illam abſolutionem à Concilio Dioſpolitano ſuffuratus eſt, gratulatorias miſit ad amicos Epiſtolas, tripudians ac plaudens ſibi, quòd doctrinam ſuam ab Epiſcopis videret approbatam. Ita teſtatur S. Aug. L. de geſtis Pelagii c. 30.

Anno 416. cùm Carthaginenſis Synodus propter quædam negotia Eccleſiaſtica congregata fuiſſet ab Aurelio, repente adfuit ex Oriente Oroſius, qui Litteras Erotis & Lazari Epiſcoporum Pelagii accuſatorum, Patribus Carthaginenſibus obtulit: quibus lectis, ac recenſitis iis quæ ante quinquennium in cauſa Cœleſtii acta fuerant in priori Synodo Carthaginenſi, ſententiam damnationis adversùs Pelagium & Cœleſtium pronuntiarunt: datis ad Innocentium Papam Litteris, quibus rogabant ut ſtatutis ſui Concilii Sedis Apoſtolicæ auctoritatem adderet. His Litteris 68. Epiſcopi ſubſcripſere.

Eodem anno 416. celebrata eſt Milevitana Synodus, in qua Epiſcopi 61. damnata Pelagii atque Cœleſtii doctrina, ad Innocentium S. P. ſcripſere manu ipſius Auguſtini, qui hanc, ut & Carthaginenſis Synodi, Epiſtolam exaravit.

Eodem anno ſcripſit S. Aug. Epiſtolam 178. aliàs 94. ad Hilarium Epiſcopum, eumque de cavenda hæreſi, & de ejuſdem damnatione à Conciliis facta inſtruit. Circa quam damnationem omitti non debet, quod ſcribit idem S. Doctor ſermone 131. aliàs 2. de verbis Apoſtoli c. 10. *Jam*, inquit, *de hac cauſa duo Concilia miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam: inde etiam reſcripta venerunt. Cauſa finita eſt, error utinam aliquando finiatur.* Quibus verbis inſinuat S. Aug. adeo pervicacem & in errore obſirmatam fuiſſe hæreticorum illorum mentem, ut etiam damnati, minimè acquieſcerent. T. 5. p. 645. D.

Eodem pariter anno, ſcripſit S. Aug. ad Joan. Hieroſolymitanum, quem Palagio noverat addictum. Hæc Epiſtola eſt numero 179. aliàs 252. Petiit autem à Joanne, ut mittere dignaretur ad ſe geſta Pelagii in Concilio Dioſpolitano; & ut hanc gratiam faciliùs impetraret, miſit ad illum Librum de natura & gratia. Poſt aliquod tempus, ſub finem hujus anni accepit S. Aug. Acta Conc. Dioſpolitani.

Et anno 417. ineunte, his Actis perlectis, compoſuit Librum, quem Libro de peccato originali c. 14. vocat, De geſtis Palæſtinis, qui vulgò inſcribitur, *De geſtis Pelagii*.

Eodem anno 417. Romæ Concilium congregavit Innocentius I. in quo damnata hæreſi, anathemate percuſſi ſunt illius auctores ac ſequaces, niſi reſipiſcerent. Hinc cecinit S. Proſper, Carmine de ingratis c. 2.

Digitized by Google

Peſtem ſubeuntem prima recidit
Pag.119. n.40. *Sedes Roma Petri; quæ Paſtoralis honoris*
Facta caput mundo, quidquid non poſſidet armis,
Religione tenet.

Hoc eodem anno, Pelagius fidei ſuæ profeſſionem miſit ad Innocentium. Illius mentionem facit ſanctus Auguſtinus pluribus in locis, ſed maximè Libro de Gratia Chriſti cap. 31. 32. & 33. Interea moritur Innocentius; & hæc fidei profeſſio redditur Zozimo ejus ſucceſſori, qui ea perlecta & ambiguitate verborum deceptus, graviter excanduit in Erotem & Lazarum accuſatores Pelagii, quos Eccleſiæ *turbines & procellas* vocavit in Epiſtola, quam ſcripſit ad Epiſcopos Africanos; ac Pelagium Catholicum pronunciavit, eique ad dictos Africanos Epiſcopos commendatitias dedit Epiſtolas.

Anno 418. Epiſcopi 14. ſupra ducentos, Carthaginem confluxerunt; omnibuſque in cauſa Pelagii ac Cœleſtii diligentiſſimè recognitis & iterum expenſis, unanimi ſuffragiorum conſenſu ſtatuerunt Præſules, ſtandum eſſe decreto Innocentii adversùs Pelagianos. Deinde confeſtim Synodalia geſta ad Zozimum miſerunt, opera Marcellini Subdiaconi. Zozimus his acceptis Synodalibus geſtis & Litteris Africanorum Epiſcoporum, fraudes hæreticorum exploratas & perſpectas habuit, diemque dixit Cœleſtio, ut Synodo, quam Romæ coegerat, adeſſet. Sed Veterator ille nequiſſimus, intelligens ſe Africanorum Præſulum Litteris detectum, terga vertit, *& ſe ſubſtraxit examini*, ait S. Aug. L. 2. ad Bonifacium c. 3.

Hunc igitur exitum habuit Pelagiana & Cœleſtina hæreſis. Tulit Zozimus damnationis ſententiam in Pelagium & Cœleſtium, decrevitque eos, errore depoſito, in Eccleſiæ gremio victuros perpetuæ ſubditos pœnitentiæ: quam ſi legem detrectarent, eos à fidelium ſocietate penitus fore reſecandos.

Honorius Imperator Edicto ſuo decrevit, ex Urbe pellendos Cœleſtium & Pelagium. Cùm tamen plurimi, tum errores, tum perſonas Cœleſtii ac Pelagii defenderent, inter quos erant decem & octo Epiſcopi, ut colligitur ex S. Aug. L. 1. ad Bonifacium Papam c. 1. circa finem, auctoritate tum Pontificia tum Imperiali, juſſi ſunt omnes, non modo Præſules, Presbyteri & Clerici, ſed & ipſimet Laici ſubſcribere damnationi, non ſolùm doctrinæ, ſed etiam perſonæ.

Fruſtra conqueſti ſunt Pelagiani, particularia dumtaxat fuiſſe nec libera Concilia à quibus damnati fuerant: fruſtra ex illis decem & octo Epiſcopi ad Oecumenicam Synodum provocationem ſuam interponunt, novo, & uſque ad Pelagianos inaudito in Eccleſia Chriſti exemplo; ubique terrarum Eccleſiaſtica ſimul & imperiali ſententia percuſſi, ab Urbe, & Communione Eccleſiaſtica extorres fiunt. Vanam & inutilem hanc eorum ad Concilium provocationem probat S. Aug. L. 4. ad Bonif. c. ultimo. *Quid Congregatione*
T.10.p. 491.F. *Synodi opus erat*, inquit, *ut aperta pernicies damnaretur? Quaſi nulla hæreſis aliquando niſi Synodi Congregatione damnata ſit; cùm potius rariſſimæ inveniantur, propter quas damnandas neceſſitas talis extiterit; multòque ſint atque incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illic improbari damnarique meruerunt, atque inde per cæteras terras devitandæ innoteſcere potuerunt. Verùm iſtorum ſuperbia, quæ tantum ſe extollit adversùs Deum, ut non in illo velit, ſed potius in libero arbitrio glo-*
ria-

riari, banc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippe Catholicum, quoniam Domino eis reſiſtente pervertere nequeunt, ſaltem commovere conantur: cum potius vigilantia & diligentia Paſtorali, poſt factum de illis competens ſufficienſque judicium, ubicumque iſti lupi apparuerint, conterendi ſint, ſive ut ſanentur atque mutentur; ſive ut ab aliorum ſalute atque integritate vitentur. Et Lib. 3. c. Julian. c. 3. *Veſtra*, inquit S. Doctor, *apud competens judicium communium Epiſcoporum modò cauſa finita eſt: nec amplius vobiſcum agendum eſt, quantum ad jus examinis pertinet, niſi ut prolatam hac de re ſententiam cum pace ſequamini: quòd ſi nolueritis, à turbulenta vel inſidioſa inquietudine cohibeamini.* Ib. p. 555. B.C.

Et verò cùm æqualis ſit Eccleſiæ ſeu diſperſæ ſeu in Concilio coactæ infallibilis auctoritas, par & æqualis debetur ejus definitioni mentis obedientia. Neceſſe verò eſt vigere ſemper ac ſubſiſtere in Eccleſia Tribunal certum, ac vivam quamdam regulam, qua enatæ circa Religionem controverſiæ finiantur ac terminentur: aliàs, quò, amabò res fidei tandem reciderent, ſi expectanda foret Concilii plenarii fortè tam longè diſſita, tam operoſa & moleſta Congregatio? Quæ enim interim foret vivens ac ſpirans regula fidei? Quis controverſiarum finis? nullus. Unicuique laxaretur quidquid vellet, ſentiendi licentia: quanta inde in Eccleſia Chriſti confuſio, perturbatio quanta!

Verùm non defuit Pelagianorum damnationi Synodus Oecumenica. Epheſina enim an. 431. contra Neſtorium congregata Act. 5. & 7. can. 1. & 4. Cœleſtii & Pelagii, quibus amicitia conjunctus erat Neſtorius, errores anathemate percuſſit.

Non ſolùm autem Conciliorum & SS. Pontificum decretis proſtrati ſunt Pelagiani, verùm etiam Chriſtianorum Imperatorum legibus, ſicut teſtatur S. Aug. L. de peccato originali c. 17. *In auctores*, inquit, *nefandi erroris, Epiſcopalia Concilia, & Apoſtolica ſedes, univerſaque Romana Eccleſia, Romanumque Imperium, quod Deo propitio Chriſtianum eſt, rectiſſimè fuit commotum, donec reſipiſcant de diaboli laqueis.* Extat revera Honorii Imperatoris Conſtitutio data Ravennæ an. 418. qua ſtatuit Pelagium & Cœleſtium ex Urbe pellendos. Et anno 419. Imperator ad Aurelium Carthaginenſem Epiſcopum Reſcriptum dedit, in quo priorem ſuam Conſtitutionem confirmans, decernit ut qui illos hæreticos apud ſe vel recepiſſent, vel latitantes non detexiſſent, ii eadem pœna mulctentur. Et anno Chriſti 421. Conſtantius, in conſortium Imperii ab Honorio vocatus, Cœleſtium rurſus Roma expelli mandavit. Anno verò 425. Valentinianus III. Conſtitutionem adverſùs eoſdem Pelagianos edidit, ſicut & Theodoſius Junior an. 430. cui paulò antè Marius Mercator Commonitorium contra eoſdem obtulerat. T. 10. p. 260. G.

DISCIPULI PELAGII.

Cœleſtius, Julianus & Annianus.

Primus ætate ac celebritate nominis diſcipulus Pelagii fuit Cœleſtius, à quo Cœleſtiani, ſicut à Pelagio Pelagiani dicti ſunt, teſte S. Aug. L. de hæſibus c. 88.

Quæ fuerit ejus patria, valde incertum. Campanum fuiſſe conjicit Commentator Marii Mercatoris. Naturę vitio fuit Eunuchus. Aliquando in Foro verſatus, unde à Mercatore auditorialis Scholaſticus vocatur. Vitam monaſticam profeſſus eſt, teſte Gennadio, Lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis c. 44. ita ſcri-
Pag. 55. bente: *Cœleſtius, antequam in Pelagianorum dogma incurreret, imò adhuc adoleſcens, ſcripſit ad parentes ſuos de Monaſterio Epiſtolas, in modum Libellorum, tres, omnibus Deum deſiderantibus neceſſarias.* Parum igitur juvat, quod ex Auguſtino L. de geſtis Pelagii c. 35. profert Commentator Mercatoris, diſſertatione 1. De primis auctoribus & defenſoribus hæreſis Pelagianæ, nempe hæreſim adversùs gratiam, à quibuſdam veluti Monachis ortam eſſe. Hæc enim particula *veluti*, non veritatem hujus profeſſionis, ſed virtutem deſiderat. Quo
T. 10. p. 412. B. ſenſu id em S. Doctor L. 1. ad Bonifacium c. 1. in fine ait, *Octodecim velut Epiſcopos* adhæſiſſe Juliano: quos tamen veros fuiſſe Epiſcopos certum eſt. Acerrimi ingenii erat Cœleſtius, teſte S. Aug. L. 2. ad Bonifacium c. 3. unde factum eſt, ut magiſtrum ſuum Pelagium audacia ſuperaverit, ac totius exercitus ductor fuerit, ut ait S. Hieronymus in Epiſtola ad Cteſiphontem. Cùm in Concilio Carthaginenſi damnatus, & idcirco ab honore Sacerdotii, quem ambibat, repulſus fuiſſet, Africam deſeruit; & in Aſiam profugus, Presbyteratum ibi ſuffuratus eſt. Qui res Cœleſtii quaſi per annos ſingulos digeſtas legere voluerit, conſulat jam appellatum Commentatorem Mercatoris diſſertatione 1. c. 5.

Julianus alter fuit & quidem maximè famoſus Pelagianæ hæreſeos aſſertor, patre Memore, & Juliana matre in Apulia natus. Uxorem primò duxit: tùm ſoluto matrimonio, ſive per mortem uxoris, ſive ex mutuo conſenſu; ſacris Ordinibus initiatus eſt: tum ad Epiſcopalem dignitatem junior aſſumptus, faſtu ac ſuperbia tumens, ut ſibi nomen faceret, inclinatam & afflictam Pelagianorum cauſam erigere conatus eſt. Hunc facili eloquentia, ingenio acri & ſubtili, magna Scripturarum ſacrarum peritia, ac multiplici Litterarum tum Græcarum tum Latinarum cognitione illuſtrem fuiſſe tradit Gennadius. Multa ſcripſit; quæ S. Aug. acerrimè confutavit; atque hominis fraudes, hæreſimque tam apertè detexit, ut Epiſcopatu & Italia pulſus, Conſtantinopolim venerit cum ſociis, patrocinium Theodoſii Imperatoris & Cleri Conſtantinopolitani imploraturus. Verùm aderat tunc Conſtantinopoli Marius Mercator amicus S. Aug. qui adversùs Julianum & ſequaces ejus Commonitorium obtulit Imperatori, quò Juliani hæreſi detecta, ipſe & Cœleſtius, & alii ejuſdem conſortes erroris ab Urbe Conſtantinopolitana pulſi ſunt, & poſtmodum cum Neſtorio damnati in Concilio Epheſino. Tentavit, ſed irrito conatu, Epiſcopatum & Eccleſiæ ſocietatem recuperare: ſanctorum enim Sixti & Leonis Pontificum opera repreſſus eſt, teſte S. Proſpero in Chronico. Italia igitur ſimul & Oriente ejectus, omnibus Eccleſiæ & Imperatorum telis percuſſus, diu profugus Siciliam tandem appulit; & in ignobili vico, cùm aliquandiu pueros docuiſſet, miſerrimè obiit circa annum Chriſti 453. ex Epiſcopo factus ludimagiſter.

Pelagii errorem circa peccatum originale mordicus propugnavit; at verò circa gratiam, paulò eum temperavit, quaſi ad Semipelagianiſmum declinans. Volebat gratiam planè neceſſariam quidem eſſe ad boni excutionem; ad cupiditatem verò ſeu voluntatem, naturam ſufficere. Ita refert S. Aug. pluribus in locis L. 2. ad Bonifacium c. 8. & L. 4. c. Julianum c. 3. & Lib. de Gratia & libe-

libero arbitrio cap. 14. Plura de Juliano lege apud auctorem citatum, diſſertatione 1. cap. *6.*

Annianus, homo, ut credo, Italus fuit, Latinæ & Græcæ Linguæ peritiſſimus, Eccleſiæ Celedenſis Diaconus; qui Pelagio magnam operam præſtitit in detergenda ſermonis barbarie. De eo ſic ſcribit S. Hieronymus in Epiſtola ad Alipium & Auguſtinum cap. 2. *Quæritis utrum reſcripſerim contra* Inter
libros Anniani, pſeudodiaconi Celedenſis, qui copioſiſſimè paſcitur, ut alienæ Aug.
blaſphemiæ verba frivola ſubminiſtret..... In eodem luto hæſitat, & exceptis ver- T.2.pag. 763. C.
bis tinnulis atque emendicatis, nihil aliud loquitur. Tamen multùm egimus, ut Ibid. D.
dum Epiſtolæ meæ reſpondere conatur, apertiùs ſe proderet, & blaſphemias ſuas omnibus pateſaceret. Duas Annianus ſcripſit Epiſtolas, unam ad Orontium Epiſcopum, quæ præfigitur octo Homiliis S. Chryſoſtomi in Matt. quas in Latinum idioma tranſtulit: Alteram ad Evangelum Presbyterum, quæ præfigitur ſeptem Homiliis de laudibus B. Pauli. Utraque porrò Pelagianiſmum ſpirat: referta eſt enim convitiis in Catholicos, & præſertim in S. Aug. quem Traduciani nomine indigitat. Item ſententiis artibuſque Pelagianorum tota ſcatet ſcilicet humanæ naturæ encomiis, exaggeratione liberi arbitrii, & poſſibilitatis mandatorum Dei.

DE SEMIPELAGIANIS.

Origo, progreſſus, & exitus Semipelagianiſmi.

Semipelagiani ſic dicti quaſi à partito, ac dimidiato, quem propugnabant, Pelagii errore: dicti etiam reliquiæ Pelagianorum, quòd ex eorum cineribus excitati, partem aliquam jam proſtrati erroris ſuperſtitem facerent: dicti quoque Maſſilienſes, ab Urbe Maſſilienſi, ubi frequentiores conſiſtebant. Duo quippe fuerant Pelagianæ impietatis præcipua capita: primum, nullum dari originale peccatum; alterum, gratiam ad ſingulos pietatis actus non eſſe neceſſariam. Julianus priori errore conſtanter retento, alterum circa gratiam emollire ac temperare viſus eſt, ac veluti prima Semipelagianiſmi exordia poſuiſſe, cùm docuit, ut mox diximus, gratiam eſſe quidem neceſſariam ad perfectionem & executionem boni; ad primam autem boni cupiditatem, naturam ſolam ſibi ſufficere.

Verùm per Semipelagianos vulgò intelliguntur illi, qui peccatum originale atque infirmitatem naturæ inde contractam, tum gratiæ neceſſitatem ad omne opus bonum ſive incipiendum ſive perficiendum agnoſcunt; ſed initium fidei, & in ea perſeverantiam, contendunt à ſola eſſe natura.

Errandi occaſionem ſumpſerunt ex Libris ſancti Auguſtini contra Pelagianos, in quibus gratuitum prædeſtinationis propoſitum defendit. *Multi*, ait S. Proſper in Epiſtola ad S. Aug. qua ipſum de erroribus Semipelagianorum
admonet, *ſervorum Chriſti, qui in Maſſilienſi Urbe conſiſtunt, in ſanctitatis tuæ* Inter Aug.
Scriptis, quæ adversùs Pelagianos hæreticos condidiſti, contrarium putant Patrum T.2.pag.
opinioni & Eccleſiaſtico ſenſui, quidquid in eis de vocatione electorum ſecundùm 821. A.
Dei propoſitum diſputaſti. Iiſdem Scriptis turbati jam in Africa fuerant Mona-

chi Ad-

chi Adrumentini, quos ut ſedaret ac ſimul inſtrueret Aug. Librum edidit
Ibid. B. de correptione & gratia. *Quo in notitiam noſtram inſperata opportunitate delato*, ait ibid. S. Proſper, *putavimus omnes querelas reſiſtentium ſopiendas*. Verùm illi, pergit,
Ibid. C. *qui perſuaſionis ſuæ impediebantur obſcuro, averſiores quàm fuerant, receſſerunt*. Quapropter S. Aug. ut eorum querelis ſatisfaceret ac occurreret errori graſſanti, duos Libros, unum de prædeſtinatione Sanctorum, alterum de dono perſeverantiæ, ſcripſit ad Proſperum & Hilarium, à quibus per Epiſtolas Libro de prædeſtinatione SS. præfixas, de ſententia Semipelagianorum edoctus fuerat.

Videntur autem Proſper & Hilarius viri Laici fuiſſe, quos S. Aug. filios
Ibid pag. 825. A. appellat. Et verò Hilarium illum non fuiſſe Arelatenſem Epiſcopum, quem S. Proſper in ſua Epiſtola dicit, in querelam traxiſſe Auguſtini ſententiam, patet manifeſtè, tum quia Hilarius, qui ad S. Auguſtinum ſcripſit, n. 10. Epiſtolæ profitetur, ſe non eo animo ipſi ſcribere quaſi dubitet de veritate eo-
Inter Aug. 772. p. 829. B. rum quæ ediderat; additque, *ſe ipſius præſentiæ deliciis aliquando potitum, uberibuſque ſalubribus nutritum fuiſſe*: tum quia numero 9. apertè indicat ſe Laicum fuiſſe, his verbis: *Sunt ex parte tales perſonæ* (de Semipelagianis Maſ-
Ib. pag. 828. F. ſilienſibus loquitur) *ut his conſuetudine Eccleſiaſtica Laicos ſummam reverentiam neceſſe ſit exhibere. Quod quidem ita curavimus Deo juvante ſervare, ut cùm opus fuit, non taceremus*. Tum denique quia Aug. appellat Patrem; à quo viciſſim Lib. de prædeſt. SS. c. 1. filius nuncupatur, quæ ſanè omnia Arelatenſem Epiſcopum non deſignant.

T. 1. p. 165. col. 1. B. Origo Semipelagianiſmi non à Maſſilienſibus primùm repetenda. Ante ipſos Aug. ipſe nondum Epiſcopus, in eodem errore verſatus fuerat, ſicut ipſemet fatetur Lib. de prædeſtinatione SS. cap. 3. initio. Quin & ipſe Hieronymus, in iis etiam Libris quos ex profeſſo contra Pelagianos exaravit, ſi Janſenio fides, L. 7. de hæreſi Pelagiana c. 4. in eundem errorem incidit. *Adeo proclive eſt corruptæ naturæ, (quæ velut mortem ipſam horret, omni fiducia ſuæ libertatis funditus exui) in ſententiam Semipelagianam labi, tenuiſſimaſque fibras illius erroris retinere!* exclamat ibidem Iprenſis Epiſcopus. *Nec mirum*, pergit ille, *ſi præcedentibus nonnullis Patribus, maximè Græcis, qui ſtudioſiſſimè Origenis Pelagianorum anteſignani lucubrationes triverant, aliquid ex pulvere ſubtiliſſimi illius erroris adhæſiſſet. Neque enim pauca paſſim in Scriptis eorum occurrunt loca, quæ Maſſilienſium ſententiam in exteriori cortice præſeferunt. Ex quo profectum eſt, ut eos Divi Auguſtini doctrina velut nova non parum offenderet, quòd & præcedentium Patrum auctoritas, & ſenſus Eccleſiaſticus repugnare viderentur*. Quæ Janſenii verba, Patribus Gręcis ac Traditioni Eccleſię injurioſa maximè videntur; quaſi diſcordes hac in parte illi fuerint, nec Catholicum dogma circa neceſſitatem gratię ad initium fidei apertè tenuerint. Si ita eſt; interrupta ergo fuit & interciſa veræ Traditionis ſeries? Qua ergo via, quo canali fluxit ad Auguſtinum & ad Eccleſiam Catholica & Apoſtolica doctrina? An nova tunc facta eſt revelatio? non fatebitur haud dubiè Janſenius.

Ipſo vivente Auguſtino & Epiſcopo jam facto, Vitalis Carthaginenſis eundem cum Maſſilienſibus errorem profeſſus eſt: teſte S. Aug. Epiſtola 217. alias 107. ad ipſum data, qua illum ab hoc errore revocavit. Verùm inter cæteros, tum vivente, tum præſertim mortuo Aug. anno 430. Maſſilienſes Semipelagianiſmi ardentiores fuere patroni, & Scriptorum S. Aug. obtrectatores:

qui

qui cùm versùs annum 433. quindecim capitulorum indiculis publicè doctrinam S. Aug. redarguiſſent, repreſſi ſunt à ſancto Proſpero, Libello inſcripto, *Ad capitula objectionum Gallorum calumniantium reſponſiones*.

Item & adversùs Collatorem ſcripſit, hoc eſt, Caſſianum, qui collectiones quaſdam SS. Patrum adornaverat: in quarum 13. ſub perſona Abbatis Chæremonis Semipelagianum errorem apertiſſimè propugnat. Jam anno 429. ſcripſerat idem S. Proſper eruditam contra Semipelagianos Epiſtolam ad Rufinum, quem nonnulli perperam confundunt cum Aquilejenſi, qui jam ante annos viginti, in Sicilia extremum diem objerat.

Eodem fermè tempore, Camillus & Theodorus Presbyteri Genuenſes, cùm in Libro de prædeſtinatione Sanctorum nonnulla legiſſent difficilia & obſcura, ea excerpſerunt & miſerunt ad ſanctum Proſperum, quibus reſpondit S. Doctor, Libello cui titulum fecit, *Ad excerpta Genuenſium*.

Verùm Semipelagianorum numerus in tantùm crevit, ut eorum dignitate, eruditione, pietate ac numero commoti Proſper & Hilarius Romam adire coacti ſint, & apud S. Cæleſtinum S. Pontificem querelas ſuas deponere. Cæleſtinus auditis querimoniis, ſcripſit celebrem Epiſtolam ad quoſdam Galliarum Epiſcopos, in qua laudat ſancti Auguſtini doctrinam, & ejus obtrectatoribus ſilentium imponit.

Cùm autem S. Proſper beati Aug. doctrinam & memoriam calumniis vindicaſſet, ſeipſum ſtatim vidit calumniis impetitum à quodam Vincentio, cujus calumniam propulſavit Libello cui nomen eſt, *Ad capitula objectionum Vincentianarum reſponſiones*. Quis autem fuerit ille Vincentius, controvertitur. Baronius anno Chriſti 431. numero 188. dicit hunc Vincentium diſtinguendum eſſe à Lirinenſi celeberrimi Commonitorii ſcriptore.

Voſſius L. 1. Hiſtoriȩ Pelagianȩ cap. 9. & poſt ipſum Eminentiſſimus Noriſius L. 2. Hiſtoriȩ Pelagianæ c. 11. contendunt Vincentium illum eſſe ipſiſſimum Lirinenſem, quem Semipelagiana fuligine tinctum fuiſſe ſcribunt.

Semipelagianos, antequam à Synodo Arauſicana II. ſub Felice IV. anno 529. damnati fuiſſent, tanquam viros egregios audiiſſe, pietatis, eruditionis, ac ingenii laude conſpicuos in Catholica communione manſiſſe, teſtantur & S. Proſper in ſua ad ſanctum Auguſtinum Epiſtola, & ſanctus ipſe Auguſtinus in Lib. de dono perſeverantiæ cap. ultimo, ubi eos, *fratres* T. 10. p.
ac dilectores ſuos, & Pelagianæ hæreſeos impugnatores appellat. 857. D.

Inter Semipelagianos præcipui fuere

Joannes Caſſianus, à ſancto Chryſoſtomo Diaconus olim ordinatus; poſt cujus obitum, Maſſilienſis Presbyter factus eſt: qua in urbe extructo Cęnobio, maximam ſibi tum pietate tum eruditione famam comparavit. Collationes Patrum, unde Collator à Proſpero dictus, evulgavit. Obiit magna cum opinione ſanctitatis: unde S. Gregorius Magnus L. 6. Epiſtola 12. ad Reſpectam Abbatiſſam Maſſilienſem data, laudat Monaſterium, quòd in honorem S. Caſſiani conſecratum eſt. Et Urbanus V. Caſſiani caput argentea theca incluſum, hac epigraphe ornari voluit: *Caput S. Caſſiani*. Denique illius memoria Maſſiliæ colitur ſolemni ritu die 23. Julii. Caſſiani ſcripta Gelaſius S. Pont. inter apocrypha, hoc eſt, inter ea quæ cautè legi debent, recenſuit.

Fauſtus ex Abbate Lirinenſi factus Epiſcopus Regienſis in Gallia, Semipelagianorum defenſor fuit accerrimus. Illum confutarunt Cæſarius Arelatenſis,

Digitized by Google

tenſis, Avitus Viennenſis, Joannes Antiochenus,& ſanctus Fulgentius Ruſpenſis. Gelaſius etiam Libros ejus inter apocryphos amandavit: quamquam autem erraverit, quod humanum eſt, nomen tamen ejus ſacris Gallicanę Eccleſiæ faſtis eſt adſcriptum, ut obſervat Baronius ad annum Chriſti 490. num. 42.

Hilarium Arelatenſem Epiſcopum Semipelagianorum errore imbutum fuiſſe, ſignificat S. Proſper ſcribens ad S. Aug.

Gennadius Maſſilienſis Presbyter, alter Semipelagianiſmi profeſſor, Fauſti Libros valde commendat, & S. Auguſtinum reprehendit, quem ait in multiloquio peccatum non vitaſſe, vixque illum abſolvit ab hæreſi: Caſſiani verò doctrinam malè à ſancto Proſpero reprehenſam ſcribit Libro de Viris illuſtribus c. 84.

Exitum plane infelicem habuit hæreſis Semipelagiana. Damnata fuit in Concilio Arauſicano II. an. 429. ſub Felice IV. quod quidem Concilium confirmavit Bonifacius II. Felicis IV. ſucceſſor, & indubitatam obtinet apud omnes Catholicos auctoritatem. Eandem damnationem inſtauravit Conc. Trid. ſeſſ. 6. de juſtificatione can. 2. & 3.

His hiſtoricè præmiſſis, gravis ſupereſt ſolvenda controverſia; (ſi tamen poſt Eccleſiæ judicium ſupereſſe inter Orthodoxos controverſia poteſt) in quo nempe præcisè poſitus fuerit error Semipelagianorum? An quòd negaverint gratiam ad initium fidei & perſeverantiam neceſſariam eſſe, quod contendunt Catholici? An, ut Janſenio placet, quòd docuit talem eſſe gratiam, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare?

Quis fuerit Semipelagianorum error? An interioris gratiæ neceſſitatem ad initium fidei negaverint vel admiſerint?

De Semipelagianis duobus Libris integris ex profeſſo tractat Janſenius, qui ſeptimus & octavus eſt de hæreſi Pelagiana. In his infeliciter laborat, ut errorem Semipelagianum in eo collocet, ubi re ipſa non eſt; collocat autem, ubi illum revera non eſſe judicavit Eccleſia. Si ipſi fides L. 7. c. 5. tota cauſa erroris Semipelagiani fuit propoſitum illud divinæ vocationis & prędeſtinationis, quo ſalvandi à perituris diſcernuntur ſecundùm Auguſtinum: hoc eſt, propoſitum abſolutum, efficax, prorſus independens à præviſione cujuscunque boni operis etiam ex gratię viribus eliciti, à quo propoſito abhorruiſſe Semipelagianos pluribus de cauſis oſtendit, quas fusè proſequitur à c. 9. uſque ad 18. ubique inſinuans, in eo erraſſe Semipelagianos, quòd propoſitum divinæ vocationis & prædeſtinationis vellent eſſe conditionatum; hoc eſt, pendere ex præviſione meritorum etiam ex gratia: Quòd Deus, quantùm eſt ex ſe, velit omnes homines ſalvos fieri, ſi ipſi velint: Quòd Chriſtus pro omnibus mortuus ſit, eaque intentione ſanguinem fuderit, ut omnibus prodeſſe ad ſalutem poſſit: Quòd omnibus media ad ſalutem conſequendam ſufficientia offerat vel conferat &c. Verùm, quod ad præſens noſtrum inſtitutum propiùs attinet, Janſenius iſto capitali errore occupatus, per gratiam, ſeu cœleſtem delectationem ſuperiorem ac victricem, voluntatem ad benè agendum neceſſariò determinari; ac propriè loquendo, non aliam eſſe in præſenti ſtatu gratiam Chriſti pręter efficacem ſeu victricem, docet Semipelagianos in eo non erraſſe, quòd rejecerint neceſſitatem gratię interioris ad initium fidei, ad orandum,

Digitized by Google

dum, quærendum, pulſandum &c. Sed quòd eam gratiam talem eſſe vellent, cui voluntas pro nutu ſuo & arbitrio conſentire poſſet vel diſſentire: uno verbo, quòd non aliam ad illud fidei & ſalutis exordium admitterent gratiam, præter eam, quæ Adamo innocenti data fuerat; id eſt, auxilium *ſine quo*, non verò auxilium *quo*. Sic loquitur L. 8. cap. 6. *Itaque Maſſilienſium opinionibus & Aug. doctrina quàm diligentiſſimè ponderata certum eſſe, & indubitatum eſſe debere ſentio, quòd Maſſilienſes præter prædicationem atque naturam, veram etiam & internam & actualem gratiam ac ipſam etiam fidem, quam humanæ libertatis & voluntatis adſcribunt viribus, neceſſariam eſſe fateantur.* T. 1. pag. 185. col. 2. B.

Et infrà ibidem. *In hoc ergo propriè Maſſilienſium error ſitus eſt, quòd aliquid primævæ libertatis reliquum putant, quo ſicut Adam, ſi voluiſſet, poterat perſeveranter operari bonum, ita lapſus homo ſaltem credere poſſet ſi vellet: neuter tamen abſque interioris gratiæ adjutorio, cujus uſus vel abuſus relictus eſſet in uniuſcujuſque arbitrio & poteſtate.* Pag. 188 col. 1. B. Quod hic & alibi pluribus verbis expreſſit Janſenius, preſſiùs & nervoſiùs, ſed eodem planè ſenſu, enunciat inter quinque famoſas ejus Propoſitiones quæ numero IV. eſt. *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei: Et in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare.* Quam quidem Propoſitionem SS. Pontifices Innocentius X. & Alexander VII. falſam & hæreticam declarant. Quapropter à gravi ſaltem temeritate excuſari inter recentiores non poſſunt ii, qui poſt ſolemne iſtud judicium, cui acquievit Eccleſia univerſa, primam hujus Propoſitionis partem defendere eo prætextu non verentur, quòd ad merum factum, ut ajunt, pertineat.

Semipelagianos in plures ſectas diviſos ſtatim fuiſſe ſcribit Janſenius Lib. 7. cap. 2. de hær. Pelagiana. *Omnibus quidem*, inquit, *commune fuit originis labem & nonnullam naturæ corruptionem adeoque liberi arbitrii infirmitatem peccato partam agnoſcere: ſed non omnes æqualiter in ea infirmitate confitenda progreſſi ſunt. Quidam enim ſolo primo tenuiſſimoque auſpicandæ vitæ initio ſibi reſervato, nihil prorſus ad ſalutem progredi hominem poſſe ſine vera Dei gratia conſtanter libenterque fatebantur: alii per naturam gratuitò in creatione datam ad bonum & malum prorſus indifferentem eſſe, & accedente prædicationis & doctrinæ adjutorio perfectam juſtitiam aſſequi poſſe cum Pelagio delirabant.* T. 1. pag. 163. col. A. B. Igitur fatente Janſenio, nonnulli ac priores Semipelagiani negarunt gratiæ interioris neceſſitatem, etiam ad initium fidei; nec à Pelagio hac in parte ullatenus diſſentiebant. Cæteri verò poſteriores, conſtanter admiſere illam gratię interioris neceſſitatem, non tantùm ad boni initium & progreſſum, ſed etiam ad initium fidei.

Verùm, priuſquàm ad hanc Janſenii & ejus ſequacium ſententiam confutandam accedamus, nonnulla ſunt prænotanda.

I. Semipelagiani diſtinxere in homine ad vitam æternam anhelante, initium fidei & primum ſalutis deſiderium, quo quis ad orandum, pulſandum, quærendum &c. movetur; tum initium boni cujuſcunque operis, & ipſius perfectionem ſeu executionem. Ad omne quidem bonum ſeu incipiendum ſeu perficiendum gratiam abſolutè neceſſariam eſſe fatebantur, non verò ad initium fidei & ſalutis deſiderium; quòd nempe ejuſmodi initium ac deſiderium ſalutis, inter vera opera non putarent eſſe recenſendum: quemadmodum deſiderium obtinendæ ſanitatis, quod in ægroto præcedit operam medici,

Digitized by Google

Inter Aug. T. p. 825. F. dici, inter medicinæ opera non reponitur. Ita illos cenſuiſſe teſtatur S. Hilarius in Epiſtola ad S. Auguſtinum. *Ad nullius opus bonum*, inquit, *vel incipiendum, nedum perficiendum, quemquam ſibi ſufficere poſſe conſentiunt: neque enim alicui operi curationis eorum annumerandum putant, exterrita & ſupplici voluntate unumquemque ægrotum velle ſanari.*

Ad illum verò errorem compulſi ſunt, ne fateri cogerentur, Deum aut perſonarum acceptorem eſſe, aut injuſtum gratiæ diſtributorem; aut humanam funditùs perimi libertatem, quam conciliare illi nuſquam potuerunt cum neceſſitate gratiæ prævenientis gratuitæ, quam nimirum mereri non poſſumus; & ſine qua tamen, ne deſiderium quidem ſalutis & initialem fidem poſſumus concipere. Inde eſt quòd teſte S. Proſpero, quæcunque Julianus cæterique Pelagiani opponebant contra gratiam ſimpliciter neceſſariam ad omnem pietatis actum, iſti Semipelagiani ſua fecerint, ac pariter objecerint contra neceſſitatem gratiæ interioris prævenientis ad initium fidei.

II. Notandum, (quod ſupra, ubi de Pelagianis, jam obſervavimus) Semipelagianos naturali facultati, libero arbitrio, legi atque doctrinæ gratię nomen dediſſe; ſicut expreſsè docet S. Proſper in Epiſtola ad S. Auguſtinum.

III. Notandum, gratiam interiorem aliam eſſe in intellectu, qua nempe intus illuſtratur; aliam in voluntate, qua intimè & immediatè afficitur & juvatur ad bonum opus: de hac una poſteriori hìc agitur.

IV. Denique, nos ultrò conſentire Janſenio, cùm L. 7. de hæreſi Pelagiana c. 3. ait, non ex ſolis Fauſto & Caſſiano judicandum de ſtatu erroris Semipelagianorum, ſed ex Scriptis Proſperi & Hilarii, quibus addi debet & ipſe S. Aug. Quamquam enim efficeret quis (quod tamen non concedimus) aliquem eorum, qui Semipelagiani nomine infamantur, agnoviſſe gratiam eſſe neceſſariam etiam ad initium fidei, non tamen inde concludi poſſet, commune iſtud fuiſſe totius ſectæ dogma. Verùm contendimus, omnes germanos ac veros Semipelagianos in eo potiſſimùm erraſſe, quòd negaverint neceſſariam eſſe gratiam ad initium fidei, & in ea perſeverantiam. Sit itaque

CONCLUSIO.

Semipelagiani omnes gratiæ interioris prævenientis neceſſitatem ad initium fidei conſtantiſſimè negaverunt.

Probatur pluribus argumentis.

Inter Aug. T. 2. p. 822. D. Primum inde petitur, quòd Semipelagiani dicerent initium fidei & ſalutis eſſe à viribus liberi arbitrii, à naturali libertate, ſeu poſſibilitate, à natura ipſa. *Ad hanc gratiam, qua in Chriſto renaſcimur*, ait S. Proſper in Epiſtola ad S. Aug. *volunt unumquemque pervenire per naturalem facultatem, petendo, quærendo, pulſando, ut ideo accipiat, ideò inveniat, ideo introeat, quia bono naturæ benè uſus, ad iſtam ſalvantem gratiam, initialis gratiæ ope meruerit pervenire.* Per initialem *Ibid. C.* illam gratiam, hìc S. Proſper intelligit naturalem liberi arbitrii facultatem, quam Semipelagiani ut & Pelagiani gratiam nuncupabant. *Ad conditionem hanc*, ait S. Proſper paulò ante verba mox citata, *velint uniuſcujuſque hominis pertinere, in qua eum nihil priùs merentem, quia nec exiſtentem, liberi arbitrii & rationalem gratia Creatoris inſtituat.*

Plura in confirmationem hujus primi argumenti teſtimonia non proferemus, quòd

quòd ea ultrò agnoſcat & admittat Janſenius. Verùm omni arte conatur illa eludere L. 8. de hæreſi Pelagiana, c. 10. & L. 2. de Gratia Ch. c. 12. & 13.

Ait enim 1. Semipelagianos viribus liberi arbitrii, poſſibilitati & libertati naturali potiùs quàm gratiæ, initium fidei & ſalutis tribuiſſe. *Quia*, inquit L. 2. de Gratia Ch. c. 13. *humani arbitrii erat cum iſta gratia actu velle vel nolle, actu credere vel non credere, actu orare vel ſilere. Non enim*, ut dixerat cap. 12. *credere eſt gratiam accipere, cujus influxus in libero relinquatur arbitrio; ſed hoc eſt credere, arbitrium ſeſe ad credendum quovis adjutorio aſſiſtente, ſuo nutu reipſa flectere.*

T. 3. pag. 59. col. 1. A.

Ibid. pag. 55. B.

Confirmat Janſenius ibid. c. 12. exemplo Angelorum & Adami innocentis, qui tametſi gratiam haberent, proprio tamen libero arbitrio ſtetiſſe vel cecidiſſe dicuntur; quòd verſatilem dumtaxat, hoc eſt voluntati eorum permiſſam ac ſubditam gratiam habuerint.

Ait 2. L. 8. de hæreſi Pelagiana cap. 10. Semipelagianos nomine naturæ, gratiam verè interiorem ac ſupernaturalem non excluſiſſe, ſed potiùs complexos fuiſſe. *Cùm enim ipſi hujus naturæ integritatis reliquias poſt lapſum ſupereſſe traderent, etiam gratiam ei debitam ſub eadem ſuperſtite integritate complexi ſunt.* Cujus tamen gratiæ mentionem apertam idcirco Semipelagianos poſteriores non feciſſe affirmat ibid. Janſenius, quòd intelligerent eam planè inutilem eſſe ſolvendæ controverſiæ quam cum Auguſtino habebant de gratia, per quam credentes à non credentibus diſcernuntur; qualis certè non eſt gratia verſatilis ac declinabilis: non enim per illam, qui credunt, diſcernuntur, ſed per ſuum liberum arbitrium. Addit, SS. Patrum querimonias adversùs Semipelagianos non hinc ortas fuiſſe, *quòd actus illi boni defectu gratiæ ſimul cum arbitrio influentis non eſſent vel vita æterna digni, vel meritorii, vel ſupernaturales, ut nunc aliqui* (ait Iprenſis) *comminiſci ſolent, ſed quòd obſcuritatem divinorum judiciorum ſuper ſalute & perditione hominum, per illam gratiam naturalis libertatis, hoc eſt per velle & nolle uniuſcujuſque reſerarent.*

T. 1. p. 198. col. 2. E.

Ib. A. B.

Refellitur prima Janſenii reſponſio, quæ gratis omnino ficta eſt. Licèt enim gratia libero voluntatis arbitrio permittatur, à quo ad actum bonum flectitur; non idcirco tamen Catholici uſquam aſſeruere, bonum opus ſolis liberi arbitrii viribus adſcribi poſse: nec Auguſtinus uſquam dixit, bonos Angelos per ſolam naturalem facultatem in bono ſtetiſse, eos à ſe ipſis diſcretos fuiſse: quid ita? Quia cùm actio aliqua fieri non poteſt à ſolo libero arbitrio, aut à ſola gratia, abſurdum planè eſt, aut ſoli arbitrio, aut ſoli gratiæ illam tribuere, ſed utrique tribui debet; magis verò gratiæ, cùm ſit cauſa nobilior, & à primo agente ſeu motore Deo conceſsa. Atqui tamen Semipelagiani, teſte ſancto Proſpero, Libro contra Collatorem c. 3. *ipſos laudabiles motus appetituſque virtutum, remota gratia Dei, nudæ libertati adſcribebant.* Ergo Semipelagiani ad illos primos bonos motus gratiam ſimpliciter neceſsariam eſse negabant; adeoque exemplum Angelorum & primi hominis, ad quod toties recurrit Janſenius, appoſitum non eſt ad ejus cauſam. Docet equidem S. Aug. Angelos bonos per liberum arbitrium ſtetiſse, & Adamum per ſuum pariter liberum arbitrium perſeverare potuiſſe, ſi voluiſset; at nuſquam dixit, quod dicebant Semipelagiani, Angelos per ſolum liberum arbitrium aut fidem habuiſse, aut in ea perſeveraſse.

Refellitur 1. Janſenii evaſio.

Ed. N. p. 315. C.

Refellitur 2. Janſenii evaſio.

Secunda reſponſio non minùs falſa & commentitia eſt. Supponit enim Janſenius,

Digitized by Google

ſenius, quod erat probandum & nos negamus, Semipelagianos agnoviſſe neceſſitatem gratiæ interioris prævenientis ad initium fidei & primos bonę voluntatis motus, pro natura integra & innocente. Si enim talis gratiæ neceſſitatem negarunt naturæ vitiatæ & lapſæ, quantò magis naturæ ſtanti & integræ? Falſum eſt pariter, eos ſub naturæ nomine gratiam complexos eſſe. Nemo quippe ignorat, communi eorum, ſicut & Catholicorum cùm eos impugnant, ſenſu, naturam gratiæ opponi, & contra illam diſtingui; ita ut gratia cenſeatur excludi, cùm boni aliquid per naturam fieri dicitur. Ita Patres Concilii ſecundi Arauſicani, cùm adversùs Semipelagianos definiunt can. 5.
Tom. 4. Conc. p. 1668. E. *Initium fidei non eſſe in nobis naturaliter, ſed per inſpirationem Spiritus Sancti.* Et can. 7. *Per naturæ vigorem nihil boni poſſe cogitari, ut expedit, ſed per illuminationem & inſpirationem Spiritus Sancti.*

Ib. pag. 7;7. B. Ita & S. Aug. Lib. de prædeſt. Sanctorum cap. 5. nu. 10. dicebat: *In hac Apoſtoli evidentiſſima intentione, qua contra humanam ſuperbiam loquitur, ne quiſquam in homine ſed in Domino glorietur, dona Dei naturalia ſuſpicari, ſive ipſam totam perfectamque naturam, qualis in prima conditione donata eſt, ſive vitiatæ naturæ qualeſcumque reliquias, nimis, quantùm exiſtimo, abſurdum eſt. Numquid enim per hæc dona quæ omnibus communia ſunt hominibus, diſcernuntur homines ab hominibus?*

Hìc profectò S. Doctor naturam opponit gratiæ ſimpliciter neceſſariæ, ac Semipelagianos perſtringit, qui ſolam naturam abſque interiori gratia ſibi ſufficere dicebant ad fidei & ſalutis initium.

Eodem in capite rurſus naturalem facultatem apprimè diſtinguit à gra-
Ibid. E. F. tia. *Ut enim*, inquit, *ſit naturæ, fidem poſſe habere, numquid & habere? Non enim omnium eſt fides; cùm fidem poſſe habere ſit omnium ..... Proinde poſſe habere fidem, ſicut poſſe habere charitatem, naturæ eſt hominum: habere autem fidem, quemadmodum habere charitatem, gratiæ eſt fidelium. Illa itaque natura, in qua nobis data eſt poſſibilitas habendi fidem, non diſcernit hominem ab homine: ipſa verò fides diſcernit ab infideli fidelem.* Sic Aug. invictè refellit Semipelagianos, qui non tantùm credendi poſſibilitatem, ſed & ipſam fidem ſoli naturæ tribuebant. At, ne Janſenius ad ſuum ſolitum figmentum confugiat, Auguſtinum ſcilicet, Semipelagianorum ſenſu, per naturam, non quamlibet ſeu verſatilem & repudiabilem, quæ ſanitatis dicitur, gratiam excluſiſſe, ſed medicinalem dumtaxat, victricem, inſuperabilem & indeclinabilem; audiat quæ ſit illa gratiæ ſpecies, quam agnoſcit à Semipelagianis admitti, & quam aliam ab ipſis poſtulat, ut confiteantur. *Sit ergo*, inquit mox citato cap. 5. L. de prędeſt.
Ibid. D. SS. immediatè poſt verba relata, *gratia naturæ attributa, qua ſumus animantia rationalia, diſcernimurque à pecoribus: ſit etiam gratia naturæ attributa, qua in ipſis hominibus à deformibus pulchri, vel ingenioſi diſcernuntur à tardis.*

En exemplum gratiæ naturalis, quam Pelagiani ad omnes bonos actus, Semipelagiani verò ad initium ſaltem fidei ſufficere contendebant. Verùm S. Aug. aliam longè exigebat, ac demonſtrabat eſſe neceſſariam. Sic enim per-
Ibid. D. E. git: *Sed ſe ille, quem coercebat Apoſtolus, adversùs pecus inflabat, nec adversùs hominem alterum de aliquo naturali munere quod ineſſe poſſet & peſſimo; ſed aliquod bonum quod pertineret ad vitam bonam, ſibi non Deo tribuens inflabatur, quando audire meruit: Quis enim te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti?* Ergo Semipelagiani illam intenſiorem gratiam ſupernaturalem non agnoſcebant,

Digitized by Google

bant, ſed eam dumtaxat, quæ à natura, ſeu naturali facultate liberi arbitrii non diſtinguitur.

Et certè juxta S. Auguſtinum Semipelagiani per hanc ſuam gratiam non diſtabant à Pelagianis. *Non ergo*, inquit Lib. de prædeſt. Sanctorum cap. 2. *receditur ab ea ſententia quam Pelagius ipſe in Epiſcopali Judicio Palæſtino damnare compulſus eſt*. At Pelagius nullam agnovit veram & internam voluntatis gratiam, ad quemcunque actum bonum ſimpliciter neceſſariam; ergo nec Semipelagiani talem admiſere ad initium fidei & ſalutis deſiderium. *Ib. pag. 791. E.*

Verùm, regerit Janſenius, gratia quam hic & alibi exigit S. Aug. diſcernit bonos à malis, fideles ab infidelibus. Quod addit Janſenius, Semipelagianos de illa ſua gratia interiori idcirco ut plurimùm ſiluiſſe, quòd eam inutilem judicarent ſolvendæ controverſiæ quæ ipſis erat cum S. Aug. aut abſurdum eſt, aut nobis favet: ſi enim talem gratiam proferre non auſi ſunt inter diſputandum cum Catholicis, ut quid eam admittebant?

Denique falsò etiam ſupponit Janſenius, querimonias SS. Patrum adversùs Semipelagianos non in eo innixas fuiſſe, quòd defectu gratiæ actus boni non eſſent, nec digni vita æterna, *nec meritorii, nec ſupernaturales &c.* Reipsa enim iſtud ſolidiſſimum erat illarum querimoniarum fundamentum. Ut quid enim Aug. affert contra illos iſtud Apoſtoli: *Non ſumus ſufficientes aliquid cogitare à nobis quaſi ex nobis?* niſi ut oſtendat naturam ſibi ſoli relictam, imparem eſſe ſupernaturalibus fidei, ſpei & charitatis actibus eliciendis; ac formandis vel primis fidei ac ſalutis deſideriis. Ut quid & iſtud ejuſdem Apoſtoli toties urget: *Quid habes quod non accepiſti?* niſi ut efficiat, & quidem invictè, per ſolas naturæ vires non poſſe credentem à non credente diſcerni, ſed diſcretionem illam eſſe ex gratia ſupernaturali gratis à Deo conceſſa. Frivolum igitur eſt ac planè confictum effugium quod Janſenius excogitavit ad illud primum argumentum eludendum; in cujus evaſionibus diluendis, fortè paulò diutiùs quàm par erat, hic hæſimus. *2. Cor. 3. v. 5.* *1. Cor. 4. v. 7.*

2. Argumétum. Secundum argumentum ex eo ducimus, quòd Semipelagiani negarent fidem, atque in ea perſeverantiam eſſe donum Dei. Ita teſtatur ipſemet S. Aug. qui ad hunc errorem confutandum, duos Libros ex profeſſo edidit, unum de prædeſtinatione Sanctorum, alterum de dono perſeverantiæ. In priori, cap. 2. ſtatim aperit quid ſibi probandum aſſumpſerit: *Nunc eis*, inquit, *reſpondendum eſſe video, qui divina teſtimonia, quæ de hac re adhibuimus, ad hoc dicunt valere, ut noverimus ex nobis quidem nos habere ipſam fidem, ſed incrementum ejus ex Deo: tanquam fides non ab ipſo donetur nobis, ſed ab ipſo tantùm augeatur in nobis, eo merito, quo cœpit à nobis*. In qua refellenda ſententia totus incumbit S. Doctor in toto hujus Libri decurſu. *T. 10. p. 791. D.*

Cap. 3. fatetur ingenuè, ſe ante ſuum Epiſcopatum in eodem cum Semipelagianis errore verſatum fuiſſe, *Quo*, inquit, *præcipuo* (Apoſtoli) *teſtimonio* (nempe, Quid habes quod non accepiſti?) *etiam ipſe convictus ſum cùm ſimiliter errarem, putans fidem quâ in Deum credimus, non eſſe donum Dei, ſed à nobis eſſe in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona, quibus temperanter & juſtè & piè vivamus in hoc ſæculo. Neque enim fidem putabam Dei gratia præveniri &c.* En ipſemet error Semipelagianus. *Ibid pag. 793. E.*

Denique hunc ſuum de prædeſtinatione Librum claudens Auguſtinus, quod ſuum fuerit conſilium, qui error, quem debellavit, declarat rurſus. *Cùm*, in-

Digitized by Google

Ibid.pag. 818. E. quit, *in prioribus Opuſculis noſtris ſatis idoneis teſtimoniis egiſſemus, donum Dei eſſe etiam fidem: inventum eſt quod contradiceretur, ad hoc valere iſta teſtimonia, ut oſtendant Dei donum eſſe incrementum fidei; initium verò fidei, quo in Chriſtum primitùs creditur, ab homine ipſo eſſe, nec eſſe donum Dei; ſed hoc exigere Deum, ut cùm id præceſſerit, cætera tanquam hoc merito conſequantur quæ Dei dona ſunt.... Quod videtis quàm ſit abſurdum, propter quod inſtitimus, quantùm potuimus, ut etiam initium fidei donum Dei eſſe oſtenderemus.*

Janſenius ſolito effugio hæc eludit. Nimirum reprehenſos ab Auguſtino Semipelagianos, quòd negarent fidem eſſe donum Dei: quia nempe gratia illa ſine qua fides haberi non poteſt, ab ipſo penderet voluntatis nutu; ac tantùm daret poſſe credere, non verò credere: quare fides libero voluntatis arbitrio, potiùs quàm gratiæ debet imputari. Quemadmodum etſi abſq; penicillo fieri non poſſit actio pingendi; non tamen ipſi penicillo, ſed libero T. 3 p. 56 col. 1. E. arbitrio imputatur, quod homo pingit. *Omne quippe meritum & præmium*, ait Janſenius L. 2. de Gratia Chriſti cap. 12. *dominatrici hominis libertati, ſicut Angelis & Adamo vindicantur.*

Verùm aberrat hìc manifeſtè Janſenius. Licèt enim gratia quæ data eſt Angelis & Adamo innocenti, talis fuerit, ut ea pro nutu ſuo uti poſſent ad fidem concipiendam, an propterea fides eorum dici poteſt non fuiſſe donum Dei? An in ſe ipſis, non verò in Domino gloriari, an ſe ipſos diſcernere dici poſſunt? Abſit. Non enim, ait S. Aug. L. 12. de Civitate Dei cap. 9. Angeli ſe ipſos meliores fecerunt, quàm à Deo facti ſunt, ſed in eadem bona voluntate permanſerunt, in qua primùm conditi fuerunt. Inepta eſt comparatio quam Janſenius inſtituit penicilli reſpectu picturæ, & gratiæ reſpectu fidei. Licèt enim ſine penicillo non poſſit homo actu pingere, poteſt tamen ſine illo concipere voluntatem ſeu deſiderium pingendi; neque enim iſtud inſtrumentum in ipſam influit voluntatem. At ſine gratia homo non tantùm non poteſt actu credere, ſed nequidem voluntatem ſeu deſiderium fidei & ſalutis concipere: quapropter iſtud deſiderium, non ſoli voluntati, ſed gratiæ potiſſimum debet imputari.

3. Argumẽtum. Tertium argumentum inde colligitur, quòd Semipelagiani gratiam poſteriorem facerent bona voluntate; id eſt, gratiam ad omne opus bonum vel incipiendum vel perficiendum neceſſariam, merito prioris bonæ voluntatis dari contenderent. Ita eorum ſententiam exponunt.

Inter Aug. T. 2 p. 823. D. S. Proſper in Epiſtola ad S. Aug. *Quantùm ad Deum pertinet*, ait, (dicunt) *omnibus paratam vitam æternam: quantum autem ad arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo ſponte crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint....* Et paulò poſt. *Cùm duo ſint quæ humanam operentur ſalutem, Dei ſcilicet gratia, & hominis obedientia; priorem volunt obedientiam eſſe quàm* Ibid. G. *gratiam, ut initium ſalutis ex eo qui ſalvatur, non ex eo credendum ſit ſtare, qui ſalvat; & voluntas hominis divinæ gratiæ ſibi pariat opem, non gratia ſibi humanam ſubiiciat voluntatem.*

Ibid. pag. 825. G. S. Hilarius in ſua pariter ad S. Aug. Epiſtola: *Dicunt*, inquit, (Semipelagiani) *non negari gratiam, ſi præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum quærat, non autem quidquam ipſa jam valeat. Nam illa teſtimonia, ut eſt il-* Rom. 12. v. 3. *lud*, ſicut unicuique partitus eſt menſuram fidei; *& ſimilia ad id volunt valere, ut adiuvetur qui cœperit velle, non ut etiam donetur ut velit.*

S. deni-

S. denique Auguſtinus L. de dono perſeverantiæ cap. 23. numero 64. *Putant*, ait, *eſſe à nobis, non dari nobis, ut petamus, quæramus, pulſemus: & hoc eſſe dicunt, quòd gratia præceditur merito noſtro, ut ſequatur illa, cùm accipimus petentes, & invenimus quærentes, aperiturque pulſantibus: nec volunt intelligere etiam hoc divini muneris eſſe, ut oremus, hoc eſt, petamus, quæramus, atque pulſemus.* T. 10 p. 856. E.

At, inquies cum Janſenio, Semipelagiani ab illa bona voluntate, quam gratiæ præire dicebant, non omnem excludebant interiorem gratiam, ſed eam dumtaxat victricem & efficacem, quæ dat ipſum velle & agere.

Verùm, quàm falsò id fingat ac ſupponat Janſenius, vel hoc uno planum ac manifeſtum eſt, quòd Semipelagiani in illa ſua bona voluntate, non aliam agnoſcerent gratiam, quàm & naturalem arbitrii facultatem, & prædicationem Evangelii. Audiatur S. Proſper jam citatus. *Ad conditionem hanc uniuſcuiuſque hominis*, inquit, *volunt* (Semipelagiani) *pertinere, in qua eum nihil priùs merentem, quia nec exiſtentem, liberi arbitrii & rationalem gratia Creatoris inſtituat.* T. 2. p. 822. C.

Et S. Aug. L. de prædeſt. Sanctorum cap. 3. *Neque enim*, ait, *fidem putabam Dei gratia præveniri ..... niſi quia credere non poſſemus, ſi non præcederet præconium veritatis.* En gratia quam Semipelagiani ad initium fidei admittebant, quæ profectò à Pelagiana non diſtat, ſicut ipſis exprobrant SS. Proſper & Auguſtinus. T. 10. p. 793. F.

Quartum argumentum ſuppeditant ea SS. Aug. & Proſperi teſtimonia quibus teſtantur Semipelagianos docuiſſe gratiam boni operis ſive inchoati, ſive perfecti, retribui merito prioris bonæ voluntatis; adeoque eam gratuitam non eſſe. *Non ergo*, ait L. de prædeſt. SS. c. 2. *receditur ab ea ſententia, quam Pelagius ipſe in Epiſcopali Judicio Palæſtino damnare compulſus eſt, gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari; ſi non pertinet ad Dei gratiam quod credere cœpimus.* 4. Argumẽtum. Ibid. pag. 791. E.

Et S. Proſper L. contra Collatorem c. 3. *Quomodo autem*, inquit, *non advertis te in illud damnatum incidere ..... gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari, cùm aliquid præcedere boni operis ex ipſis hominibus, propter quod gratiam conſequantur, affirmas? .... Impium eſt ſic velle meritis ante gratiam exiſtentibus locum facere, &c.* p. 314. C.

Quintum argumentum deſumitur ex ipſiſmet momentis ac rationibus, quibus S. Aug. errorem Semipelagianum oppugnat; quæ omnes vel fruſtra ſunt, vel eò tendunt unicè, admittendam ſcilicet eſſe gratiam interiorem neceſſariam ad initium fidei, quam negabant Maſſilienſes. Hoc ut probet, affert hęc Scripturæ teſtimonia. (*a*) *Maledictus homo qui ſpem habet in homine.* (*b*) *Quis prior dedit ei, & retribuetur illi? quoniam ex ipſo & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* (*c*) *Unicuique Deus partitus eſt menſuram fidei.* (*d*) *Quid habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* (*e*) *Deus eſt qui operatur omnia in omnibus.* (*f*) *Non omnium eſt fides.* (*g*) *Gratia ſalvi facti eſtis per fidem.* Denique, ut multa alia ſileamus, urget & iſtud Apoſtoli 2. Corinth. 3. v. 5. *Non ſumus ſufficientes aliquid cogitare quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* 5. Argumẽtum.

(a) Ierem. 27. v. 5. (b) Rom. 11. 35. (c) Rom. 12. 3. (d) 1 Cor. 4. v. 7. (e) 1 Cor. 12. 7. (f) 2. Theſſal. 3. 2. (g) Epheſ. 2. 8.

Fruſtra contendit Janſenius, his teſtimoniis voluiſſe S. Aug. demonſtrare neceſſitatem gratiæ victricis & efficacis, quæ neceſſariò bonam actionem ex voluntate exprimit, & quam ad initium fidei non exigebant Maſſilienſes.

Namque non is profectò eſt S. Doctoris ſcopus, nec de modo efficaciç gratiæ, ſed dumtaxat de neceſſitate illius diſputat adversùs Pelagianos & Semipelagianos. De hac nempe gratia diſſerit, quam Pelagius ipſe coram Patribus Palæſtinis viſus eſt agnoviſſe, & quam, ex communi Catholicorum ſenſu, ab illo prædicari Patres illi arbitrabantur: atqui gratia quam ex communi Catholicorum ſenſu Patres illi intelligebant, haud dubiè, ne ipſo quidem diffitente Janſenio, non erat illa victrix & efficax quæ invincibils eſt & inſuperabilis; talem enim gratiam Patres illi, qui Græci erant, ignorabant, quæ, ſi audiatur Janſenius, ab Auguſtino primùm cœpit prædicari & commendari.

6. Argumẽtum. Sextum argumentum petitur ex ipſiſmet teſtimoniis Semipelagianorum. Ex communi omnium ſententia ſic ipſi loquuntur apud S. Aug. Lib. de prædeſt. Sanctorum c. 19. *Nos dicimus*, (inquiunt) *noſtram Deum non præſciiſſe niſi* T. 10. p. 815. G. *fidem, qua credere incipimus, & ideo nos elegiſſe ante mundi conſtitutionem, ac prædeſtinaſſe ut etiam ſancti & immaculati gratia atque opere ejus eſſemus.*

Ed. Atrebat. p. 599. & 600. Joannes Caſſianus Semipelagianorum antesignanus Collatione 13. c. 8. *Cùm Deus*, inquit, *in nobis ortum quemdam bonæ voluntatis inſpexerit, illuminat eam confeſtim atque confortat, & incitat ad ſalutem, incrementum tribuens ei, quam vel ipſe plantavit, vel noſtro conatu viderit emerſiſſe.* Adversùs Caſſianum ſcripſit ex profeſſo ſanctus Proſper Librum cui titulus eſt, *Contra Collatorem.*

Fauſtus Regienſis Epiſcopus alter Semipelagianorum antiſtes L. 1. de libero arbitrio c. 17. exponens quomodo Pater noſtrahat ad Filium, dicit, Deum attrahentem aliquid in homine requirere, ut per quamdam voluntatis anſulam comprehendi & attrahi valeat, qui vocatur. *Clamat*, inquit, *voluntas*, Bib. PP. T. 8. pag. 536. col. 2. H. *quia ſola per ſe elevari neſcit infirmitas. Ita Dominus invitat volentem, attrabit deſiderantem, erigit adnitentem.* Et lib. 2. cap. 6. *Vides*, inquit, *bonum credulitatis non novellum eſſe privilegium, ſed vetuſtum, & inter ipſa mundi coa-* Ibid pag. 541. col. 1. B. *leſcentis exordia mentem hominis, ſicut intellectu atque ratione, ita etiam fide à ſummo auctore dotatam? Itaque jam tum dedit animæ notitiam ſuam, quando ei committere dignatus eſt imaginem ſuam.* Ex his certè manifeſtum eſt, Fauſtum bonum credulitatis ad gratiam Creatoris referre, & ad diviną imaginis impreſſa humanæ animæ lineamenta.

Non defuere tamen, qui Fauſti doctrinam ab erroris ſuſpicione purgare tentaverint, ſicut diſcimus ex Joanne Maxentio, in Reſponſione ad Epiſtolam Hormiſdæ Romani Pontificis, in qua Fauſti ſententiis opponit contrarias S. Aug. ſententias, ac Fauſti Apologiſtas refellit. Solebant nimirum Maſſilienſes, ut & alii Novatores, ſed multiplici verborum ambage & involucro errorem ſuum diſſimulare, eaque interdum proferre, quæ verè Catholicum ſenſum exprimere videbantur; ſed quæ, detracta larva, ac propiùs inſpecto loquentis conſilio, errorem oculis ſubjiciebant.

7. Argumẽtum. Ultimum argumentum colligimus ex cenſura IV. Propoſitionis inter famoſas quinque Janſenii his verbis conceptæ. *Semipelagiani admittebant gratiæ interioris prævenientis neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei: Et in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare. Hanc Propoſitionem*, ajunt SS. Pontifices Innocentius X. & Alexander VII. *falſam & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.* Nota falſitatis, cadit in primam partem Propoſitionis quæ facti eſt: nota verò hæreſeos, in ſecundam, quæ ad jus ſeu dogma pertinet.

Ut hanc

Digitized by Google

Ut hanc IV. Propoſitionis cenſuram declinent Janſenii diſcipuli

Reſpondent 1. Primam hujus Propoſitionis partem, totam eſſe de facto; & ad illud credendum nulla lege adigere nos poſſe Eccleſiam.

Verùm, hìc jam ſepoſitis quæ fuſiùs aliquando, Deo dante, differemus circa auctoritatem Eccleſiæ in ejuſmodi facti quæſtionibus definiendis; obſerva queſtionem iſtam, quid nempe de initio fidei ſenſerint Semipelagiani, ita eſſe facti, ut jus involvat in Propoſitione damnata; cujus duę partes ſic conjunctæ ſunt, ut prima, quæ eſt facti, ſemel poſita, ſequatur & altera quę juris eſt. Si quis enim contendat Semipelagianos gratiæ interioris prævenientis neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, admiſiſſe; ſequitur in eo tantùm illos erraſſe, quòd rejecta gratia per ſe efficaci, inſuperabili & invincibili, verſatilem ac ſufficientem dumtaxat admiſerint, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare, quæ eſt ſecunda pars Propoſitionis damnatæ, in quam cadit nota hæreſeos: quam quidem Propoſitionis partem, quæ juris eſt, ut ſalvent Janſenii diſcipuli, alteram, quæ eſt facti, mordicus propugnant. *Alexand. Tom. 11. pag. 141. & ſeq.*

Reſpondent 2. aliqui, Propoſitionem illam IV. meritò proſcriptam fuiſſe, cùm ſit indefinita, ac de omnibus Semipelagianis loquatur; cùm tamen aliqui gratiæ interioris prævenientis neceſſitatem ad initium fidei non admiſerint.

Verùm ſupponit hæc reſponſio, plures inter Semipelagianos hujus gratiæ neceſſitatem agnoviſse, quod eſse à vero alienum jam oſtendimus. Præterea, damnata eſt illa Propoſitio in ſenſu Janſenii, qui duos Semipelagianorum ordines diſtinguit, & de altero ſolùm aſſerit, ipſos gratiæ interioris prævenientis neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, admiſiſse. Ergo Propoſitio damnata, de omnibus intelligi debet Semipelagianis, non de aliquibus dumtaxat. Deinde ſenſus damnatæ Propoſitionis, quoad ſecundam partem, eſt, nullos Semipelagianos in eo hæreticos fuiſse, quòd gratiam talem eſse vellent, cui poſset humana voluntas reſiſtere vel obtemperare: ſenſus itaque illius quoad primam partem, eſt, nullos Semipelagianos gratiæ interioris prævenientis neceſſitatem ad initium fidei admiſiſse; unum enim ex altero neceſsariò colligitur.

Reſpondent 3. nonnulli, primam illam Janſenianæ Propoſitionis partem meritò damnatam fuiſſe, quamvis Semipelagiani gratiam interiorem ad initium fidei admiſerint: quia ſcilicet gratia illa, quam admittebant, re vera non eſt præveniens, cùm ſit gratia verſatilis, ſerviens ac ſubdita voluntati; quæ ipſam ſequitur, non prævenit: idcirco ergo damnati illi ſunt, quòd gratiam efficacem, cui voluntas reſiſtere non poſſit, rejecerint.

Verùm apertum eſt, non iſto ſenſu damnatam eſse IV. Propoſitionem; quin imò potiùs, idcirco damnata fuit, quòd aſserat, Semipelagianos in eo hæreticos fuiſse, quòd vellent eam gratiam (quam admiſiſse dicuntur) talem eſse, cui poſset humana voluntas reſiſtere vel obtemperare. Tantum ergo abeſt, ut inde Janſenii diſcipuli inferant ſuæ gratiæ efficacis invincibilis & inſuperabilis neceſſitatem; quin imò potiùs damnantur qui talem admittunt gratiam, cui non poſſit humana voluntas reſiſtere vel obtemperare.

Neque etiam attingitur quæſtio hìc de gratia efficaci à ſe aut à conſenſu, inquiebant Doctores Pariſienſes ab 80. Epiſcopis Romam deputati, in eo Scripto quod de ſenſu earum Propoſitionum Innocentio X. obtulerunt An. 1652. quia utriuſque opinionis aſsertores fatentur, quòd gratiam Dei poſsumus abjicere,

Digitized by Google

juxta Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 5. Sed tantùm quæritur, utrùm gratia, in ſtatu naturæ corruptæ, talis ſit, ut neceſſitatem inferat voluntati, adeo ut ei non poſſit diſſentire; quod nullus Catholicus unquam admiſit.

Solvuntur objectiones Janſenii & diſcipulorum ejus.

Objicies 1. Ideo Semipelagiani dixerunt initium fidei & in ea perſeverantiam eſſe ab homine, quia crediderunt ſuperſtites in eo remanere reliquias primævæ integritatis: atqui tales reliquiæ, in ſenſu Semipelagianorum, non excludunt gratiam ſufficientem ſeu auxilium *ſine quo*, ergo initium fidei & in ea perſeverantia, in eorum ſententia, gratiam non excludunt ſufficientem ſeu auxilium *ſine quo*, ſed tantùm efficacem ſeu auxilium *quo*.

Major certa eſt, nec negari poteſt.

Minor oſtenditur: quia in mente Semipelagianorum perfecta integritas Adami non excludebat, imò ſupponebat gratiam ſufficientem; ergo multò minùs reliquiæ hujus integritatis talem gratiam jam excludunt.

Antecedens probatur. Tum quia neque ſanctus Proſper, neque ſanctus Hilarius, neque ſanctus Auguſtinus, qui Semipelagianorum errores propiùs inſpexerunt, nuſquam ipſis objecerunt exiſtimaſſe illos Adamum nulla indiguiſſe gratia. Tum quia, ut erant illi viri ingenioſi, nuſquam in dogma tam craſſum & impium incidiſſent. Tum denique quia, teſte ſancto Hilario in Epiſtola ad ſanctum Auguſtinum, *Moleſtè ferebant* (Semipelagiani) *ita dividi gratiam, quæ vel tunc primo homini data eſt* (ſunt verba ſancti Hilarii) *vel nunc omnibus datur, ut ille acceperit perſeverantiam, non qua fieret ut perſeveraret, ſed ſine qua per liberum arbitrium perſeverare non poſſet: nunc verò Sanctis in regnum per gratiam prædeſtinatis, non tale adjutorium perſeverantiæ detur: ſed tale ut eis perſeverantia ipſa donetur.* Quam quidem diviſionem gratiæ, in gratiam primi hominis ſtantis, & gratiam hominis lapſi, ægrè admodùm ferebant, non quòd exiſtimarent gratiam Adamo non fuiſſe conceſſam, ſed quòd crederent eandem ſufficere homini lapſo; & doctrinam ſancti Auguſtini de gratia medicinali ſanante, inſuperabiliter & invincibiliter agente, in deſperationem injicere.

Inter Aug. T. 2. p. 827. E.

Reſp. nego min. propoſitionem, ad cujus probationem nego antecedens.

Ibid. G. Ad 1. probationem, falſum eſt, quod ſupponitur, nec ſanctum Proſperum, nec ſanctum Hilarium, nec ſanctum Auguſtinum hunc errorem in eis obſervaſſe. Namque ſanctus Hilarius ait, illos *in hoc ſolo voluiſſe à primo homine omnium diſtare naturam, ut illum integris viribus voluntatis juvaret gratia volentem, ſine qua perſeverare non poterat: hos autem amiſſis & perditis viribus credentes tantùm, non ſolùm erigat proſtratos, verùm etiam ſuffulciat ambulantes.* Intelligis Semipelagianos in Adamo innocente gratiam quidem admiſiſſe, ſed quæ ipſum volentem juvaret, id eſt, propriis ac ſolis ſuis viribus priùs conantem ac volentem juvaret; atque totum diſcrimen gratiæ utriuſque ſtatus in eo illi collocabant, quòd Adamus innocens, vires habens integras, gratia voluntatis non indigebat ad fidem & ad quodcumque bonum opus, ſed gratiam dumtaxat intellectus, ſeu quæ intellectum ejus illuſtraret, ſive externa ſive interna revelatione: homo verò lapſus opus quidem habeat gratia juvante voluntatem ad bonum incipiendum & perficiendum, non verò ad fidei & ſalutis initium, ad quod ſolam intellectus gratiam ſufficere putabant. *Hos autem*, ait citatus ſanctus

ctus Hilarius, *amiſſis & perditis viribus credentes tantùm, non ſolùm erigat &c.* Audis *credentes tantùm*, id eſt ex viribus liberi arbitrii, *ſine gratia juvante voluntatem erigi*.

Quapropter à ſcopo ſancti Hilarii plurimùm aberrat Janſenius, cùm exiſtimat his citatis verbis, *non ſolùm erigat proſtratos, verùm etiam ſuffulciat ambulantes*, exprimi gratiam victricem neceſſitantem; quaſi non poſſit homo erigi niſi per talem gratiam, quam Janſenius, ſuo obcœcatus præjudicio, ubique invincibilem, inſuperabilem, indeclinabilem deprehendit. Eſto hinc inferatur neceſſitas gratiæ actionis, ſeu efficacis: at qua tandem machina gratia hujuſmodi neceſſitans extundi poſſit, non videmus.

Sanctus pariter Auguſtinus L. de prædeſt. SS. cap. 5. non obſcurè inſinuat, Maſſilienſes nullam in Adamo innocente gratiam agnoviſſe neceſſariam ad initium fidei & bonæ voluntatis. *In hac ergo*, inquit, *Apoſtoli evidentiſſima intentione, qua contra humanam ſuperbiam loquitur, ne quiſquam in homine, ſed in Domino glorietur, dona Dei naturalia ſuſpicari, ſive ipſam totam perfectamque naturam, qualis in prima conditione donata eſt, ſive vitiatæ naturæ qualeſcumque reliquias, nimis, quantùm exiſtimo, abſurdum eſt*. Perſtringit ibi evidenter S. Doctor Semipelagianum errorem circa gratiam utriuſque ſtatus. Et verò, ratio conſervandæ libertatis, quæ Semipelagianos potiſſimùm impulit ut negarent homini lapſo neceſſariam eſſe gratiam interiorem prævenientem, locum habebat, nec minùs premebat in ſtatu naturæ innocentis. Concipere quippe illi non poterant quomodo ſtaret illæſa libertas, ſi homo ad fidei & ſalutis initium indigeat gratia præveniente gratuita quem mereri non poſſit. Scilicet, ante ejuſmodi gratiam, Catholicorum ſenſu, voluntas à bono eſt averſa, nec eſt in ipſius poteſtate tendere ad bonum: unde concludebant Semipelagiani, per talem gratiam prævenientem voluntatem neceſſariò trahi, adeoque non ampliùs liberam remanere. Scimus equidem falſum ac diſtortum eſſe iſtud eorum ratiocinium, quandoquidem gratiæ illud proprium eſt, ut de nolentibus volentes faciat, de reluctantibus conſentientes: verùm ut ut ſit, ſic illi rem concipiebant, jura libertatis ſalva eſſe non poſſe, niſi homo ſua bona voluntate ac pio conatu inciperet, Deus verò hujus boni initii merito gratiam deinde rependeret neceſſariam ad opus bonum incipiendum & perficiendum: neque enim illi, ut jam obſervavimus ex ſancto Hilario, fidei & ſalutis initium inter bona opera numerabant. Ut igitur ad hanc ſuam opinionem quamquam falſam, cohærenter ſentirent, neceſſe fuit eos ab utroque naturæ integræ & lapſæ ſtatu excluſiſſe neceſſitatem gratiæ interioris prævenientis ad initium fidei & ſalutis. T. 10. p. 797. B.

Si verò poſtules, quare Semipelagiani ſimile libertatis excidium non timuerint ex gratia præveniente, quam neceſſariam fatebantur ad quodlibet opus bonum inchoandum & perficiendum.

Reſpondebo 1. noſtrum non eſſe diſcordes ſecum ipſis hæreticos conciliare.

Reſpondeo 2. hanc quæſtionem Janſenio perinde ac nobis ſolvendam eſſe. Ille etenim L. 8. de hæreſi Pelagiana cap. 7. ait, *Semipelagianos iſta duo numquam conciliare potuiſſe, quòd gratia, ſive Deus operaretur in nobis velle, dando ipſum plerumque etiam reluctantibus voluntatem, & tamen noſtrum eſſet quòd volumus*. Atqui tamen idem Janſenius, eodem Libro cap. 8. in fine (pag. 193.) docet non ſine contradictione, Semipelagianos admiſiſſe ad bonum operan- T. 1. p. 189. col. 2. C.

dum, eam gratiam Chriſti prævenientem, quam ipſe invicibilem, inſuperabilem ſeu neceſſitantem eſſe arbitratur.

Reſpondebo 3. hanc in eorum mente proferri poſſe rationem & cauſam, quòd cùm illa gratia daretur à Deo propter meritum præcedens libertatis naturalis, tectam & incolumem putabant hominis libertatem in negotio ſuę ſalutis, utpote qui prior ex ſe ipſo incipiat, Deus verò det incrementum.

Ad 2. probationem reſpondeo, nihil infirmius, ne dicam inſulſius, proferri poſſe: quaſi Pelagiani viri acuti & ingenioſi non fuerint, & tamen in dogma magis adhuc craſſum & impium prolapſi ſunt.

Ad 3. Reſp. 1. veram rationem & cauſam cur Semipelagiani improbaverint diviſionem gratiæ utriuſque ſtatus, quam admittebat S. Aug. iſtam fuiſſe, quòd falsò ſibi perſuaſiſſent, gratiam hujus ſtatus talem eſſe in mente S. Doctoris, ut ei voluntas reſiſtere non poſſit; ac fatalem inducendo neceſſitatem, in deſperationem inducat, tollat induſtriam omnem ac virtutes. Donum enim perſeverantiæ, quod prædicabat Aug. illi concipiebant velut habitum quemdam fixum ac permanentem, quo voluntas in bono retinendo, immobili ac firma neceſſitate ligatur: at longè alia profectò erat Aug. doctrina, quam cùm illi Maſſilienſes non intelligerent, miſerè deformabant.

Reſp. 2. voluntatem illam, quam in Adamo admittebant Semipelagiani, per quam in juſtitia permanere potuiſſet, ſi voluiſſet, ad ſolam arbitrii liberi facultatem nativaſque vires, illos retuliſſe; quarum reliquias quaſdam cùm in homine lapſo ſuperſtites eſſe ſentirent, conſequenter aſſerebant, remanere adhuc in vitiata natura poteſtatem, qua poſſit credere vel non credere pro nutu
Inter Aug. T.2.pag. 285. F. G. voluntatis. Ita manifeſtè colligitur ex verbis Hilarii. *Unde conſequens putant*, inquit, *exhibendam ab eo fidem, cujus naturæ id voluntate Conditoris conceſſum eſt; & nullam ita depravatam vel extinctam putant, ut non debeat, vel poſſit ſe velle ſanari.*

Inſtabis 1. Semipelagiani eandem gratiam Adamo innocenti neceſſariam fuiſſe ad initium fidei dicebant, quam ad perſeverantiam. Ita ſanctus Auguſtinus Lib. de dono perſeverantiæ cap. 21. *Reſpondent illi*, ait S. Doctor, *ita nos*
T. 10. p. 851. F. *à nobis habere initium fidei, ſicut finem*. Atqui ex ſancto Hilario, verbis mox re-
T. 2. pag. 827. G. latis, Semipelagiani *in hoc ſolo voluerunt à primo homine omnium diſtare naturam, ut illum integris viribus juvaret gratia volentem, ſine qua permanere non poterat*. Ergo admiſerunt pariter, gratiam neceſſariam fuiſſe Adamo innocenti ad initium fidei. Porrò cùm primævæ integritatis ſuperſtites reliquias poſt lapſum hominis agnoſcerent, conſequenter affirmabant gratiam homini lapſo eſſe neceſſariam ad fidem & in ea perſeverantiam; adeoque in eo non errabant illi, quòd talem gratiam rejicerent, ſed quòd vellent eam verſatilem, libero voluntatis arbitrio ſubditam, nec diſtinctam ab ea gratia, qua opus habuit Adamus innocens.

Reſp. gratiam illam ſine qua Semipelagiani volebant Adamum perſeverare non potuiſſe, vel ſpectare perſeverantiam in bonis operibus, vel perſeverantiã in fide. Si ſpectet perſeverantiam in bonis operibus, cùm Semipelagiani agnoſcerent neceſſitatem gratiæ interioris ad omne opus bonum incipiendum ac perficiendum, conſequens videtur ut eandem agnoverint ad perſeverãtiam in iiſdem bonis operibus: ſi verò ſpectet perſeverantiam in fide, gratia illa, quam Semipelagiani neceſſariam agnoſcebãt, erat dumtaxat in intellectu per revelationem,

tionem, non in voluntate per motionem & ſubminiſtrationem virtutis. Quare totum, ut jam diximus, gratiæ utriuſque ſtatus diſcrimen in eo reponebant, quòd Adamus innocens indiguit tantùm gratia intellectus, non voluntatis, tum ad fidem, tum ad bona opera: homo verò lapſus indigeat quidem gratia voluntatis ad quodlibet opus bonum: ad fidem verò & perſeverantiam in eo, ſufficiat ipſi, ſicut & Adamo innocenti, gratia intellectus, ſeu revelationis & illuſtrationis, abſque ulla ex parte Dei prævia motione, qua voluntas hominis ad credendum excitetur: quam gratiæ ſpeciem agnovit & ultro confeſſus eſt Pelagius, ut ſuprà oſtendimus.

Quapropter meritò ſanctus Auguſtinus, citato cap. 21. num. 54. Lib. de dono perſeverantiæ docet, Semipelagianos, cum hac ſua gratia, velle fidem non eſſe donum Dei, & gratiam dari ex meritis noſtris præcedentibus, *Si à nobis*, inquit, *eſſe dicimus initium fidei*, *ut eo cætera Dei dona mereamur accipere; concludunt Pelagiani*, *gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari. Quod ita exhorruit Catholica fides*, *ut damnari timens*, *hoc Pelagius ipſe damnaverit*. Et cap. 2. Lib. de prædeſt. Sanctorum, ait Semipelagianos non diſcedere à ſententia Pelagii: quia nempe non aliam quàm intellectus, ſeu illuſtrationis ac doctrinæ gratiam admittebant, quam ipſe pariter admittebat Pelagius.

Inſtabis 2. S. Auguſtinus L. de dono perſeverantiæ c. 7. refellens ſententiam Semipelagianorum circa fidem & perſeverantiam hujus ſtatus, docet veram illam fuiſſe in ſtatu naturæ innocentis & integræ: atqui vera non fuiſſet, niſi gratiam Adamo innocenti perinde ac lapſo neceſſariam fuiſſe agnoviſſent; ergo &c. Argumentum iſtud ſæpiſſime verſat Janſenius tum L. 8. de hæreſi Pelag. c. 6. tum L. 2. de Gratia Ch. c. 15.

Reſp. 1. S. Auguſtinum Pelagio aſſerenti hominem habere non peccandi poſſibilitatem, aliquando etiam reſpondere, id quidem verum fore, ſi de homine integro loqueretur; falſum autem, cùm loquitur de homine lapſo. *De homine*, inquit L. de natura & gratia cap. 49. *ſanis pedibus tolerabiliter dici poteſt*, *velit nolit*, *habet ambulandi poſſibilitatem*: *confractis verò*, *& ſi velit*, *non habet*. *Vitiata eſt natura de qua loquitur*. Et cap. 51. *Si iſte* (Pelagius) *qui hunc Librum ſcripſit*, *de illa hominis natura loqueretur*, *quæ primò inculpata & ſana condita eſt*, *utcumque acceptaretur hoc dictum*. An verò inde inferet Janſenius, exiſtimaſſe Auguſtinum admiſſam à Pelagio interiorem voluntatis gratiam in ſtatu naturæ innocentis? Non ita profectò: cùm ipſemet L. 8. de hæreſi Pelagiana c. 10. poſt citata verba Auguſtini ex cap. 51. Libri de natura & gratia, ſtatim addat. *Quod ait*, *tolerabiliter & utcumque illa poſſe dici*, *Pelagium reſpicit*, *qui ab illa poſſibilitate naturali omnem internam gratiam ſubmovebat*. *In quo ſenſu nullo pacto locutiones iſtæ poterant eſſe veræ*, *nec ſine particula diminuente concedi*. Ergo ſimiliter, cùm idem S. Doctor Semipelagianis concedebat, verum fuiſſe in ſtatu naturæ integræ, quod ipſi dicebant de initio fidei & perſeverantia in hoc ſtatu naturæ lapſæ, non ſupponit ab ipſis admiſſam fuiſſe veram gratiam interiorem neceſſariam in hoc præſenti ſtatu ad initium fidei & perſeverantiam in illa. Sic Janſenius propria ſua manu evertit argumentum, in quo vim tantam reponit.

Ib. p. 141. D.

Ib. p. 152. G.

Tom. 1. p. 199. col. 1. B.

Quo ego ſenſu, inquies, ſanctus Auguſtinus Pelagianis & Semipelagianis concedebat, veram fore eorum doctrinam, ſi de natura integra ſermo eſſet, nunc verò prorſus eſſe falſam? Reſpondeo, ut hoc dato & non conceſſo, ac

ſepo-

ſepoſita prima hominis in ortu ſuo conditione quæ brevi effluxit, de qua nulla movebatur controverſia, Pelagianos ac Semipelagianos in hoc uno præſenti ſtatu conſiderando defigeret, de quo ſolo quæſtio movebatur; ac illos fateri cogeret vitiatam eſſe ac corruptam naturam per Adami peccatum, adeoque amiſſam jam illam integram non peccandi poſſibilitatem, quam homo primus ex Dei gratia acceperat.

Reſp. 2. diſtinguo min. Niſi agnoviſſent gratiam Adamo innocenti perinde ac lapſo neceſſariam fuiſſe, ex parte illuſtrationis mentis, concedo: ex parte voluntatis, nego. Semipelagiani ergo non negabant Adamo innocenti ſicut & lapſo, neceſſariam fuiſſe gratiam ex parte intellectus, quæ in revelatione legis ac mandatorum Dei cognitione poſita erat: nec in eo errabant, quòd vellent hanc ſolam gratiam Adamo innocenti fuiſſe neceſſariam; revera enim ſola hæc ipſi ſufficiebat, abſque ulla Dei prævia & indeliberata motione, qua voluntas ipſius excitaretur. *Fortiſſimo quippe dimiſit atque permiſit* (Deus) *facere quod vellet*, ait ſanctus Auguſtinus Lib. de correptione & gratia c. 12. Enim verò per habitus infuſos voluntas Adami in bonum propenſa, nihil ſibi contrarium ſentiebat ex parte appetitus: de hac verò gratia meritò pronunciat Auguſtinus, Semipelagianorum ſententiam veram fore, ſi de natura integra & ſana loquerentur. In eo igitur peccabant illi, quòd vellent in præſenti naturæ lapſæ ſtatu, ad fidem & perſeverantiam in ea, hanc ſolam ex parte intellectus gratiam ſufficere; & parem in eo facerent gratiam utriuſque ſtatus. Nunc etenim divina gratia non ſolùm illuſtrare debet hominis mentem, ſed etiam ejus torpentem ac languidam excitare voluntatem. *Infirmis ſervavit*, ait ſanctus Auguſtinus immediatè poſt citata verba, ex cap. 12. Libri de Correptione & Gratia, *ut ipſo donante invictiſſimè quod bonum eſt, vellent, & hoc deſerere invictiſſimè nollent*.

T. 10. p. 771. G.

Ibid.

Verùm, inquies, cur ſanctus Auguſtinus adſcribit naturalibus viribus Adami potentiam perſeverandi, & non potiùs gratiæ habituali qua inſtructus erat, & actuali qua mens ejus illuſtrabatur; imò & quæ voluntatem ipſius juvando comitabatur, licèt eam non præveniret?

Reſp. 1. Nuſquam ſanctum Doctorem ſcripſiſſe Adamum per ſolas naturales vires potuiſſe perſeverare. 2. cùm ſcripſit eum potuiſſe per liberum ſuum arbitrium perſeverare, nomine liberi arbitrii, non ſolam & nudam intellexit voluntatem, ſed inſtructam habituali gratia & virtutibus infuſis; loquitur enim de ea libertate, quam Adamus peccando amiſit tum ſibi tum nobis: atqui Adamus non amiſit voluntatem nudam, ſed inſtructam virtutibus quibus exornatus fuerat. Viribus autem libertatis ipſius adſcripſit potentiam perſeverandi, qua re vera cum auxiliis gratiæ quibus donatus fuerat, perſeverare potuiſſet, ſi voluiſſet.

At, inquies rurſus, nonne de homine in præſenti ſtatu dici quoque poteſt, per liberum arbitrium poſſe illum perſeverare? Quia nempe, ſicut homo primus in creatione non nudam, ſed gratia exornatam accepit à Deo voluntatem, ita quoque per baptiſmi regenerationem homo accipit cum virtutibus & donis ſanctificantem gratiam.

Reſp. comparandam non eſſe creationem primi hominis cum regeneratione poſterorum ejus per baptiſmum, ſed comparandam eſſe cum illorum nativitate. Ratio eſt, quia primus homo factus eſt innocens, nos peccatores naſcimur &

pri-

by Google

primus homo creatus eſt fortis, naſcimur nos infirmi. *Quis enim neſcit*, ait ſanctus Auguſtinus L. de natura & gratia cap. 43. *eum* (hominem) *ſanum & inculpabilem factum, & libero arbitrio atque ad juſtè vivendum poteſtate libera conſtitutum? Sed nunc de illo agitur, quem ſemivivum latrones reliquerunt.*

Objicies 2. Sancti Proſper & Auguſtinus non obſcurè duos diſtinguunt Semipelagianorum ordines, quorum alii nullam omnino gratiam admittebant neceſſariam, aut ad initium fidei, aut ad bonum quodcumque opus: alii verò admittebant, tum ad initium fidei, tum ad quodcumque bonum incipiendum vel perficiendum.

Sanctus Proſper in Epiſtola ad ſanctum Auguſtinum. *Quidam horum*, inquit, *in tantùm à Pelagianis ſemitis non declinant, ut cùm ad confitendam eam Chriſti gratiam, quæ omnia prævenit merita humana, cogantur, ne ſi meritis redditur, fruſtrà gratia nominetur, ad conditionem hanc velint uniuſcujuſque hominis pertinere, in qua eum nihil priùs merentem, quia nec exiſtentem, liberi arbitrii & rationalem gratia Creatoris inſtituat &c.* Ib. p. 148. E.

Sanctus Auguſtinus L. de prædeſt. Sanctorum c. 1. de iiſdem Semipelagianis ſcribit. *Pervenerunt iſti fratres noſtri, pro quibus ſollicita eſt pia charitas veſtra, ut credant cum Eccleſia Chriſti, peccato primi hominis obnoxium naſci genus humanum, nec ab iſto malo, niſi per juſtitiam ſecundi hominis aliquem liberari. Pervenerunt etiam, ut præveniri voluntates hominum Dei gratia fateantur, atque ut ad nullum opus bonum vel incipiendum vel perficiendum, ſibi quemquam ſufficere poſſe conſentiant.* Inter Aug. T. 2. p. 822. C.

Reſp. Ex citatis verbis minimè inferri quod intendit Janſenius. Fatemur equidem duos fuiſſe Semipelagianorum ordines, quorum alii rigidiores, excepto ſolo peccato originali quod agnoſcebant, à Pelagianis circa gratiam nullatenus diſcedebant, utpote qui eam nec ad initium fidei nec ad opus bonum quodcumque neceſſariam eſſe vellent: de illis Semipelagianis non loquuntur Sancti Proſper & Auguſtinus; cùm enim à Pelagianis circa gratiæ dogma nihil diſcrepent, eandem ac illi damnationis ſententiam reportarunt. Alii verò Semipelagiani remiſſiores, admiſerunt quidem neceſſitatem gratiæ ad opus quodcunque bonum ſive incipiendum ſive perficiendum, qua parte à prioribus diſſidebant; at eam non admiſerunt ad initium fidei. En duplex ille ordo Semipelagianorum. Quapropter ſanctus Auguſtinus in illo de prædeſtinatione Sanctorum Libro, totus eſt ut adversùs poſtremos illos Semipelagianos demonſtret, gratiam eſſe neceſſariam ad fidei initium; fidem eſſe donum Dei &c. Et ſanctus Proſper in citata Epiſtola refert ejuſmodi homines docere, *quantùm ad Deum pertinet, omnibus paratam eſſe vitam æternam; quantùm autem ad arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo ſponte crediderint, & auxilium gratiæ, merito credulitatis, acceperint.* Audis meritum credulitatis præire gratiæ, adeoque non eſſe ex gratia, ſed ex natura. T. 10. p. 791. B. T. 2. p. 823. D.

Inſtabis 1. Sanctus Proſper in eadem Epiſtola teſtatur Semipelagianos docuiſſe, *Deum eos prædeſtinare in regnum ſuum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine exceſſuros eſſe præviderit.* Ergo admittebant illi gratuitam eſſe vocationem. Ib. p. 821. E.

Reſp. diſtinguo conſequens: gratuitam eſſe vocationem externam; id eſt, prædicationem Evangelii, concedo: vocationem internam, hoc eſt, fidem ipſam, nego. Volebant enim illi propoſito Evangelio noſtrum eſſe credere

Digitized by Google

dere vel non credere: *Hæc enim ipſorum definitio ac profeſſio eſt*, ait ſanctus Pro-
Ibid. D. ſper .....*univerſis hominibus propitiationem, quæ eſt in ſacramento ſanguinis Chriſti, ſine exceptione eſſe propoſitam, ut quicunque ad fidem & ad baptiſmum accedere voluerint, ſalvi eſſe poſſint*.

Ib. p. 822. D. Inſtabis 2. S. Proſper ibidem teſtatur hanc Semipelagianorum fuiſſe ſententiam, *Ut ideo quis accipiat, ideo inveniat, ideo introeat, quia bono naturæ benè uſus, ad iſtam ſalvantem gratiam, initialis gratiæ ope meruerit pervenire*. Ergo Semipelagiani gratiam initialem agnoverunt.

Reſp. diſtinguo conſequens: agnovere initialem gratiam à natura non diſtinctam, concedo: diſtinctam à natura, nego. Initialis enim illa gratia, te-
Ibid. C. ſte eodem ſancto Proſpero, erat in mente Semipelagianorum, *Gratia Creatoris, quæ hominem nihil prius merentem, quia nec exiſtentem, liberi arbitrii & rationalem inſtituit, ut per diſcretionem boni ac mali...... ad hanc gratiam, qua in Chriſto renaſcimur, pervenire per naturalem facultatem poſſit*.

Ib. p. 823. A. Inſtabis 3. Idem ſanctus Doctor ibidem aſſerit Maſſilienſes, *Gratiam Dei, quam comitem, non præviam humanorum volunt eſſe meritorum, etiam illis voluntatibus ſubdere, quas ab ea, ſecundùm ſuam phantaſiam, non negant eſſe præventas*. Admittebant igitur gratiam & prævenientem & comitantem.

Reſp. Semipelagianos gratiam comitantem revera admiſiſſe, reſpectu actuum fidem ſubſequentium: at de tali gratia hìc non movetur controverſia, ſed de illa quæ fidem antecedit, quam illi negabant. *Comitem*, inquit laudatus ſanctus Proſper, *non præviam volunt eſſe humanorum meritorum*. Si quando igitur à gratia voluntates præveniri dicebant, fictitia erat ejuſmodi præventio, &, ut ait ſanctus Proſper, *ſecundùm phantaſiam*: reſpectu ſcilicet meritorum quæ nuſquam futura erat. Cùm enim Semipelagiani urgerentur exemplo parvulorum, qui ſine ullis ſuis præcedentibus meritis ad gratiam baptiſmi
Ib p. 822. G. perveniunt, reſpondebant, *Tales ſalvari, taleſque perdi, quales futuros illos in annis majoribus, ſi ad activam ſervarentur ætatem, ſcientia divina præviderit*. In eorum igitur mente planè inſulſa, merita nuſquam futura præveniebant Dei voluntatem, eamque movebant ut aliquibus gratiam baptiſmi procuraret.
Ib. p. 828. A. *Commentitiis meritis*, ait S. Proſper, *electionem Dei ſubjiciunt, ut quia præterita non extant, futura, quæ non ſint futura, confingant, novoque apud illos abſurditatis genere, & non agenda præſcita ſint, & præſcita non acta ſint*. Gratia quidem baptiſmalis, ſenſu Semipelagianorum, præveniebat in tempore merita humana parvulorum ſub conditione futura, & tamen nuſquam futura. Decretum verò illius gratiæ conferendæ, ſequebatur præviſionem illorum meritorum: unde, juxta illos, gratia parvulis collata, verè non præveniebat eorum merita; fingebant enim ejuſmodi merita in mente ac præſcientia Dei priora eſſe, tum prædeſtinatione gratiæ, tum ejuſdem gratiæ collatione.

Inter Aug. T. 2. p. 825. F. Inſtabis 4. S. Hilarius in Epiſtola ad ſanctum Auguſtinum declarat Semipelagianos docuiſſe, *ad nullum opus etiam incipiendum, nedum proficiendum, quemquam ſibi ſufficere poſſe*. Atqui actus fidei haud dubiè eſt bonum opus; ergo &c.

Reſp. diſtinguo min. Actus fidei eſt bonum opus, in rei veritate, concedo: in doctrina & mente Semipelagianorum, nego. Ut enim non cogerentur fateri gratiam eſſe neceſſariam ad fidem, iſtam fidem ac ſalutis deſide-
Ibid. rium inter opera non computabant, *Neque enim*, ait ſanctus Hilarius, *alicui ope-*

operi curationis eorum annumerandum putant, exterrita & ſupplici voluntate unumquemque ægrotum velle ſanari.

Objicies 3. fatetur ſanctus Auguſtinus L. de prædeſt. Sanctorum c. 3. ante ſuum Epiſcopatum ſe errori Semipelagianorum circa initium fidei adhæſiſſe: atqui in Libris quos nondum Epiſcopus ſcripſit, docet, initium fidei eſſe à gratia interiori præveniente. Ita L. 83. quæſtionum q. 68. L. de quantitate animæ c. 28. L. de vita beata, prope finem. Libro denique 1. ſoliloquiorum c. 1. Ergo Semipelagianus error in eo poſitus non erat, gratiam ſcilicet interiorem ad initium fidei non eſſe neceſſariam, ſed eam talem eſſe, cui voluntas conſentire poſſit, vel non conſentire.

Reſp. fruſtra laborare Janſenium L. 8. de hæreſi Pelagiana c. 8. in his teſtimoniis colligendis ac referendis, ex quibus hoc unum colligi meritò poteſt, nempe Auguſtinum non in omnibus quidem, quod fatemur, ſed in aliquibus dumtaxat, quos ante Epiſcopatum ſcripſit, Libris, Semipelagianum errorem expreſſiſſe; præſertim verò in Expoſitione quarumdam propoſitionum Epiſtolę ad Romanos, ſicut ipſemet candidè profitetur, tum Lib. de prædeſt. Sanctorum c. 3. tum Lib. 1. Retractationum cap. 23. n. 2. *Nondum enim*, ait hoc poſtremo in loco; *diligentiùs quæſiveram, nec adhuc inveneram qualis ſit electio gratiæ.* T. 1. p. 35. B.

Sanctus igitur Auguſtinus cæterorum hominum more, quibus nondum ſatis perſpectum & evolutum eſt ſubobſcurum aliquod Religionis noſtræ dogma, anceps & dubius in aliquibus ſuis Scriptis veritatem, in aliis errorem quaſi palpando ſequutus eſt. Nec poteſt ipſemet Janſenius diffiteri, Auguſtinum in omnibus ante ſuum Epiſcopatum Libris Semipelagianum non fuiſſe; ſiquidem ſcripſit Commentarium in Epiſtolam ad Galatas antequam eſſet Epiſcopus, ut ipſemet teſtatur L. 1 o. Retractationum cap. 24. Atqui in illo Commentario ſanctus Auguſtinus errorem Semipelagianum non docuit: nam Janſenius L. 4. de Gratia Chriſti cap. 6. gratiam efficacem, quam vocat victricem delectationem, probat ex luculento teſtimonio S. Aug. in illo Commentario Epiſtolæ ad Galatas; talem verò victricem gratiam nuſquam agnovere Semipelagiani.

Objicies 4. Fauſtus fuit Semipelagianus, & tamen admiſit gratiam prævenientem ad initium fidei; teſte Gennadio in Catalogo Virorum illuſtrium; ergo &c.

Reſp. nego min. 1. quia Ado Vienenſis in Chronico, Gennadium reprehendit quòd Fauſtum velut Catholicum exhibuerit, quaſi divinam gratiam præire, & voluntatem ſubſequi docuiſſet: cùm ex adverſo Fauſtus doceret humanam præire voluntatem, & divinam ſubſequi gratiam. 2. Quia in mente Fauſti, gratia illa præveniens non fuit interna, ſed externa dumtaxat. Ita colligimus ex Joanne Maxentio, in Reſponſione ad Epiſtolam Hormiſdæ ſummi Pontificis, in qua ex ipſis Fauſti verbis demonſtrat, locutum illum fuiſſe de ſola gratia externa.

Objicies 5. Joannes Caſſianus alter Semipelagianorum princeps, Collatione 3. agnoſcit Deum in cor noſtrum inſpirationes immittere. Et Collatione 13. c. 3. expreſsè affirmat, *Non ſolum actuum, verùm etiam cogitationum bonarum principium ex Deo eſſe, qui nobis & initia ſanctæ voluntatis inſpirat, & virtutem atque oportunitatem eorum quæ rectè cupimus, tribuit peragendi.* Denique ſanctus Proſper contra Collatorem c. 18. teſtatur Caſſianum duos homi- Ed. Atreb. p. 593.

mi-

minum ordines diſtinxiſſe, quorum alii gratiam ſuis bonis conatibus præveniant, alii verò præveniantur à gratia.

Reſp. ad 1. Caſſianum, nomine inſpirationis ſolam doctrinam externam intellexiſſe, ut declarant exempla quæ ibi adducit, & quæ ſuppreſſit Janſenius, nempe vocationis Abrahæ; converſionis S. Antonii, ex auditis his
Luc. 14. verbis Evangelii, *qui non odit patrem & matrem &c.* ubi certè exterior prædi-
v. 26. catio occaſio fuit converſionis. Ad 2. hæc Caſſiani ſententia planè Orthodoxa eſt, ſed obſervat ſanctus Proſper L. c. Collatorem c. 2. in ea ſententia fir-
Pag. 313 mum non fuiſſe Caſſianum, à qua brevi receſſit. *Citò*, inquit, *hic diſputator*
C. *præmiſſæ definitionis oblitus eſt, citò à ſententia ſua inſtabili levitate diſſenſit.* Ad 3. ſingularis illa fuit inter Semipelagianos Caſſiani opinio: ad propoſitum autem noſtrum ſatis eſt, quòd docuerit, benè multos ſuis bonis conatibus gratiam prævenire & à Deo impetrare.

Objicies 6. Gennadius fuit Semipelagianus: atqui tamen L. de Eccleſiaſti-
In App. cis dogmatibus c. 21. docet, *initium ſalutis noſtræ Deo miſerante nos habere, ut*
Op. S. *verò acquieſcamus ſalutiferæ inſpirationi, noſtræ eſſe poteſtatis.*
Aug. T. Reſp. diſtinguo maj. Gennadius fuit Semipelagianus, factione, concedo:
8. *p.* 78. dogmate, iterum diſtinguo; in eo loco qui hic objicitur, nego: alibi, conce-
A. do. Librum ergo de dogmatibus Eccleſiaſticis ſcripſiſſe videtur Gennadius, cùm jam ex errore Semipelagiano revocatus fuiſſet: & reipſa, ſententia citata optimè dogma Catholicum exprimit, quale expreſſit Synodus Arauſicana II.
T. 4. *Coc.* can. 25. his verbis: *Hoc etiam ſecundùm fidem Catholicam credimus, quòd accepta*
p. 1672. *per baptiſmum gratia omnes baptizati, Chriſto auxiliante & cooperante, quæ ad ſa-*
A. *lutem animæ pertinent, poſſint & debeant, ſi fideliter voluerint, adimplere.*

Objicies 7. Vitalis Carthaginenſis adhæſit errori Semipelagianorum: atqui teſte Sancto Auguſtino Epiſtola 217. aliàs 107. admiſit gratiæ internæ prævenientis neceſſitatem: ergo &c.

Reſp. diſtinguo min. Admiſit neceſſitatem gratiæ prævenientis intellectum, concedo: prævenientis voluntatem, nego. Vitalis nullam aliam admittebat gratiam prævenientem, quàm Pelagianam: unde ſanctus Auguſtinus ejus
T. 2. *p.* ſententiam redarguit ibid. *Hæc eſt*, inquit, *illa Pelagianorum mala, malè dif-*
800. *E.* *famata, meritoque reprobata, & ab ipſo etiam Pelagio timente damnari in Orientalium Epiſcoporum judicio damnata ſententia, qua dicunt gratiam Dei non ad ſingulos actus dari, ſed in libero arbitrio eſſe, vel in lege atque doctrina.*

Objicies denique: Semipelagiani contendebant per gratiam prævenientem libertatem perimi; fatalem induci neceſſitatem; in deſperationem, deſidiam ac torporem homines impelli: at tam ſtupidi illi non erant, ut hæc objicerent contra gratiam ſufficientem verſatilem ac libero arbitrio voluntatis permiſſam, quam ſi Auguſtinus noviſſet, facili negotio omnes eorum queri-
Janſ. L. monias ſedaſſet; ergo illa objiciebant contra gratiam efficacem, inſuperabi-
7. *de hæ-* lem & invincibilem, quam tenaciùs tuebatur S. Aug.
reſi Pe-
lag. c. 18. Reſp. ex jam dictis, tum hic in reſponſione ad 1. objectionem, tum ſupra
p. 179. ubi de Pelagianis, illas Semipelagianorum querimonias nullatenus cadere in gratiam vel ſufficientem, vel efficacem, ſed ſimpliciter in gratiam prævenientem neceſſariam. Concipere enim illi non poterant, quomodo ſtaret libertas cum neceſſitate illius gratiæ, quæ voluntatem prævenit, ſine qua voluntas nihil poteſt; quam tamen non poteſt mereri, cùm ſit planè gratuita: Et quod

Pela-

Digitized by Google

Pelagiani dicebant contra neceſſitatem gratiæ ad quodcumque bonum, hoc ipſum contorquebant Semipelagiani adverſùs neceſſitatem gratię prævenientis initium fidei: quapropter fruſtra oppoſuiſſet ſanctus Auguſtinus gratiam illam talem eſſe, ut voluntas ei liberè conſentiat, vel reſiſtat. *In omnibus miſericordia ejus prævenit nos*, inquiebat Lib. de Sp. & Litt. c. 34. Pelagianos refellens, *conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, propriæ voluntatis eſt.* Pariter in Lib. de prædeſt. Sanctorum cap. 5. Semipelagianis dicebat: *Non quia credere vel non credere non eſt in arbitrio voluntatis humanæ, ſed in electis præparatur voluntas à Domino.* Quibus certè verbis declarabat ſanctus Doctor, gratiam nullam voluntati neceſſitatem inferre, ſed à libero ejus arbitrio ſemper pendere, ut ipſi conſentiat vel reſiſtat. Neque tamen idcirco acquievere illi hæretici, hoc graviſſimo & altiùs infixo præjudicio laborantes, per gratiam, eo ipſo quo voluntatem prævenit ac gratuita eſt, penitùs ejus libertatem deſtrui. *T. 10 p. 110. E.* *Ib. p. 798, A.*

De erroribus circa modum agendi gratiæ.

Quotquot eum gratiæ agendi modum admittunt, qui voluntati ad benè operandum neceſſitatem etiam ſimplicem imponit, ac conſequenter ejus libertatem funditus evertit, eos erraſſe dicimus circa modum agendi gratiæ: tales ſunt Prædeſtinatiani.

Lutherus & Calvinus, Bajus & Janſenius.

DE PRÆDESTINATIANIS.

Prædeſtinatiani, ſeu, ut alii dicunt, Prædeſtinati, in oppoſitum Pelagii errorem lapſi ſunt. Pelagius neceſſitatem gratiæ negavit, ut ſervaret libertatem arbitrii: Prædeſtinatiani negarunt libertatem arbitrii, ut neceſſitatem gratiæ tuerentur. In quo poſitus fuerit error Prædeſtinatianorum, his verbis exponit Sigebertus Gemblacenſis Monachus ad annum Chriſti 415. *Prædeſtinatorum hæreſis hoc tempore cœpit ſerpere: qui ideo Prædeſtinati vocantur, quia de prædeſtinatione & divina gratia diſputantes, aſſerebant quòd nec piè viventibus proſit bonorum operum labor, ſi à Deo ad mortem prædeſtinati fuerint; nec impiis obſit quòd improbe vivant, ſi à Deo prædeſtinati fuerint ad vitam. Quæ aſſertio*, pergit Sigebertus, *& bonos a bonis avocabat, & malos ad mala provocabat. Hæc hæreſis ex Libris Auguſtini malè intellectis initium ſumpſiſſe dicitur.* *Edit. Francof. pag. 67.*

An reipſa quædam extiterit hæreſis Prædeſtinatiana; ubi primum exorta; quos Patronos, vel oppugnatores habuerit, non una eſt omnium ſententia.

Janſenius L. 8. de hæreſi Pelagiana c. 23. ait, *Hæreſim Prædeſtinatianorum eſſe commentum Semipelagianorum*, ſeu nihil eſſe aliud niſi doctrinam Auguſtini & Proſperi de prædeſtinatione, invidioſè ab illis propoſitam. *Quia omnia quæ Sigebertus & Hincmarus, maximèque Gennadius, Prædeſtinatianis adſcribunt, ipſiſſima ſunt*, inquit, *dogmata quæ Semipelagiani tanquam ab Auguſtino tradita atque in ejus Libris expreſſa carpebant.* *T. 1. p. 223. col. 1. A.* *Ib. p. 220. col. 1. D.*

Quæcunque in hujus ſuæ ſententiæ confirmationem momenta profert Janſenius, non ipſe primus excogitavit, ſed ea omnia à Jacobo Uſſerio inſigni Calviniſta Hiberno expilavit ac depromſit ex Libro, quem an. 1631. Dublini edi-

Digitized by Google

edidit ſub hoc titulo: *Golteſchalci & Prædeſtinatianæ controverſiæ ab eo motæ Hiſtoria*. Siluit Janſenius de Synodis Arelatenſi & Lugdunenſi, in quibus narrat Fauſtus Prædeſtinatianorum errores proſcriptos fuiſſe; nimirum quia nondum in lucem prodierat alter ejuſdem Uſſerii Liber, Dublini pariter editus anno 1639. hoc eſt, anno poſt mortem Janſenii: quem inſcripſit, *Britannicarum Eccleſiarum Antiquitates, quibus inſerta eſt peſtiferæ adverſus Dei gratiam à Pelagio Britanno in Eccleſiam inductæ hæreſeos Hiſtoria*. In cujus Libri cap. 13. illarum Synodorum auctoritatem ac veritatem exſufflat: unde Janſenii diſcipuli avidè arripuerunt, quidquid ad eaſdem Synodos elevandas, ſubinde ſexcenties recoctum obtruſerunt.

Obſerva hìc obiter, Janſenium & Uſſerium pro communi ſua cauſa hìc pugnare; ne ſi fortè ab utraque Synodo Arelatenſi & Lugdunenſi damnatam agnoſcerent Prædeſtinatianorum ſententiam, ſuam pariter, quæ ab illa nonniſi verbo tenus differt, damnatam fuiſſe fateri cogerentur. Novi enim illi Dogmatiſtæ, falſa Divi Auguſtini intelligentia pariter decepti, affirmant hominem in hoc ſtatu naturæ lapſæ, per gratiam, cùm ſuperior eſt, neceſſariò determinari ad bonum; & per concupiſcentiam dominantem ac relativè ſuperiorem, neceſſariò determinari ad malum: ſicque in homine ſub motione gratiæ victricis, veram eſſe, non quidem abſolutam, ſed relativam, & habita ratione ſtatus ipſius præſentis, impotentiam ad malum, & ſub concupiſcentia dominante, impotentiam pariter relativam ad bonum.

Jacobus Sirmondus eruditus è ſocietate Jeſu Theologus, in ſua Hiſtoria Prædeſtinatiana docet ex adverſo 1. anno circiter 424. hæreſim illam in Africa apud Monachos Adrumetinos emerſiſſe. 2. Proſperum & Hilarium contra eandem per Gallias graſſantem, Auguſtini opem imploraſſe, iiſque morem geſſiſſe Auguſtinum, editis contra Prædeſtinatianos Libris de Prædeſtinatione Sanctorum, & de Dono perſeverantiæ. 3. Scribit, memoratos Proſperum & Hilarium, cùm ſe poſt Auguſtini mortem impares intelligerent huic errori præfocando, Romam ad Cęleſtinum confugiſſe, à quo graviſſimum contra Prædeſtinatianos Reſcriptum ad Epiſcopos Galliæ datum impetrarunt. *Hæc*, inquit Cardinalis Noriſius, Hiſtoriæ Pelagianæ Lib. 2. cap. 15. *Hæc Jacobus Sirmondus ſcripſit effæta ætate octogenario major, in quibus tam longè à veritate deflexit*.

Gilbertus Mauguinus vir clariſſimus Regi Chriſtianiſſimo à Conſiliis, & in ſuprema Monetarum Curia Præſes, Hiſtoriam Prædeſtinatianam Sirmondi velut meram fabulam traduxit. Clariſſimo Præſidi nihil repoſuit Sirmondus: provinciam hanc in ſe ſuſcepit Ludovicus Cellotius ex eadem ſocietate Jeſu Theologus, Libro cui titulus, *Hiſtoria Gotteſchalci prædeſtinatiani. Pariſiis anno* 1655.

Inter hanc utramque extremam ſententiam, medius occurrere videtur Noriſius loco mox citato: ubi contra Janſenium docet, hæreſim Prædeſtinatianam non omnino fictam & commentitiam fuiſſe, ſed veram, à paucis quidem & ignobilibus viris propugnatam. 2. Contra Sirmondum contendit, eam nec in Monaſterio Adrumentino natam, nec à Proſpero & Hilario impugnatam, nec à Cęleſtino damnatam fuiſſe. *Ego quidem*, inquit, *tempore Proſperi nullos fuiſſe Prædeſtinatianos arbitror, nemo enim horrida illa dogmata tunc defendebat* ..... Et paulò poſt. *Dum video Prædeſtinatianorum nomen publicari à Fauſto, ab Arnobio, à Gennadio, quos Semipelagianos fuiſſe certum eſt, id ultioni datum puto; uti enim Proſper adverſarios, modò Pelagii reliquias, modò ingratos, quòd contra* gra-

Digitized by Google

gratiam ſtabant, ignominiæ cauſa nuncupabat; ita etiam illi, ut pares vices redderent, Proſperum ac ſectatores Prædeſtinatianos dicebant. Quibus certè verbis obliquè ſignificat Eminentiſſimus Auctor, totam hanc Prædeſtinatiani erroris accuſationem, à Semipelagianis confictam fuiſſe, in odium ſectatorum doctrinæ ſancti Auguſtini circa Gratiam & Prædeſtinationem. His præmiſſis,

Dico 1. certum eſſe, ex malè intellecta ſancti Auguſtini circa gratiam & liberum arbitrium doctrina, rixas & contentiones ſubortas eſſe inter Monachos Adrumetinos, quibus præerat Valentinus Abbas. Quinque ex illis, ut ſcribit ipſe Valentinus in Epiſtola ad ſanctum Auguſtinum inter Auguſtinianas 216. aliàs 256. turbati ſunt. Turbarum auctor fuit Florus, quem Creſconius & Felix apud Auguſtinum accuſarunt, ut conſtat ex Epiſtola ſancti Auguſtini ad Valentinum & Monachos Adrumetinos 214. aliàs 46. Narrat idem ſanctus Doctor L. de dono perſeverantiæ cap. 15. quemdam de ſuo Monaſterio Religioſum, ex prava divinæ præſcientiæ conſideratione omnino etiam turbatum, apoſtatam evaſiſſe. Semipelagiani in Gallia commoti pariter fuere doctrina Auguſtini, quam in Libris de Gratia & libero arbitrio, & de Correptione & Gratia, ad ſedandos Adrumetinorum tumultus ſcriptis expreſſerat. Dicebant, teſte ſancto Proſpero in Epiſtola ad Auguſtinum, *Removeri omnem induſtriam, tollique virtutes, ſi Dei conſtitutio humanas præveniat voluntates; & ſub hoc prædeſtinationis nomine, fatalem quamdam induci neceſſitatem; aut diverſarum naturarum dici Deum conditorem, ſi nemo aliud poſſit eſſe, quam factus eſt.* Inter Aug. T. 2. p. 821. G. Et in Epiſtola quam idem Proſper ſcripſit ad Rufinum, de iiſdem Semipelagianis ait cap. 3. *Scripta* (ſancti Auguſtini) *quibus error Pelagianorum impugnatur, infamant; dicentes, eum liberum arbitrium penitus ſubmovere, & ſub gratiæ nomine neceſſitatem prædicare fatalem. Adjicientes etiam, duas illum humani generis maſſas, & duas credi velle naturas: ut ſcilicet tantæ pietatis viro, Paganorum, & Manichæorum adſcribatur impietas.* Pag. 89. C. En querelæ & accuſationes, quibus Semipelagiani doctrinam ſancti Auguſtini infamabant.

Dico 2. Florum cum aliis nonnullis Adrumetinis, hæreſi Prædeſtinatianorum ortum non dediſſe, ſed Maſſilienſium dumtaxat accuſationes & calumnias contra doctrinam ſancti Auguſtini utcumque præformaſſe.

Probatur 1. ex S. Auguſtino Lib. 2. Retractationum c. 66. ubi ſic loquitur. *Propter eos, qui cum defenditur Dei gratia, putantes negari liberum arbitrium, ſic ipſi defendunt liberum arbitrium, ut negent Dei gratiam, aſſerentes eam ſecundùm merita noſtra dari, ſcripſi Librum, cui titulus eſt, de Gratia, & libero arbitrio. Ad eos autem ſcripſi Monachos Adrumetinos, in quorum Monaſterio de hac re cœperat eſſe contentio.* T. 1. p. 64. A. Ad eoſdem ſe Librum de Correptione & Gratia direxiſſe ſignificat ibid. cap. 67. Adrumetini ergo idem objiciebant contra doctrinam ſancti Auguſtini, quod Maſſilienſes poſtea; nempe aut tolli liberum arbitrium, aut gratiam ſecundùm merita noſtra naturalia concedi.

Hoc ipſum non obſcurè declarat S. Proſper ſcribens ad ſanctum Auguſtinum occaſione Semipelagianorum. *Evenit*, inquit, *ex diſpoſitione miſericordiæ Dei, ut cùm quoſdam intra Africam ſimilia moviſſent, Librum de Correptione & Gratia, plenum divinæ auctoritatis emitteres.* Inter Aug. T. 2. p. 821. B.

Similia ergo moverunt contra doctrinam ſancti Auguſtini, Adrumetini illi & Maſſilienſes: at nullus dixerit Maſſilienſes errori Prædeſtinatiano faviſſe; à quo tantopere illi abhorrebant, ut non alia de cauſa doctrinam Auguſtini

acriùs inſectarentur, quàm quòd eam huic errori omnino conformem eſſe falsò ſibi perſuaſiſſent.

Confirmatur ex Epiſtola Evodii, quem circa diſſidium ſui Monaſterii conſuluit Valentinus. In ea Epiſtola quam in codice manuſcripto S. Maximini Trevirenſi reperit Sirmondus, & cujus ipſe fragmentum refert in Hiſtoria Prædeſtinatiana cap. 1. in ea, inquam, Epiſtola ſignificat Evodius,
Apud Sirm. T. 4. p. 403. B. ab illis Monachis Adrumetinis reprehenſam S. Auguſtini doctrinam. *Legant*, inquit, *ſancti Dei majorum dicta, qui habent divini muneris pium affectum: & quando non intelligunt, non citò reprehendant, ſed orent ut intelligant.* At, ut mox fuit obſervatum, tantùm abeſt ut Prædeſtinatiani doctrinam ſancti Auguſtini reprehenderent; quin impenſiùs commendabant, quam & ipſi tanquam ſuam adoptabant.

Probatur 2. Quia ſanctus Auguſtinus, in duplici Epiſtola ad Valentinum, in hoc uno incumbit, ut demonſtret neceſſariam prorſus eſſe gratiam, ſine qua ad bonum faciendum liberi & expediti non ſumus. *Proinde*, inquit Epiſtola 214. aliàs 46. ad Valentinum, *Librum vel Epiſtolam meam*, (quam ad
T. 2. p. 791. E. Sixtum ſcripſerat) *quam ſecum ad nos ſupradicti* (Creſconius & Felix) *attulerunt, ſecundùm hanc fidem intelligite, ut neque negetis Dei gratiam, neque liberum arbitrium ſic defendatis, ut à Dei gratia ſeparetis; tanquam ſine illa vel cogitare aliquid, vel agere ſecundùm Deum ulla ratione poſſimus, quod omnino non poſſumus.*
Ib. p. 792. B. C. Et poſtea: *Nec quiſquam dicat meritis operum ſuorum, vel meritis orationum ſuarum, vel meritis fidei ſuæ, ſibi traditam Dei gratiam, & putetur verum eſſe quod illi hæretici dicunt, gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari; quod omnino falſiſſimum eſt: non quia nullum eſt meritum, vel bonum piorum, vel malum impiorum; alioquin quomodo judicabit Deus mundum? Sed miſericordia & gratia Dei convertit hominem &c.* Cùm igitur vis tota probationum quibus utitur Auguſtinus contra illos Adrumetinos, in eo ſit, ut efficiat gratiam ad quemcumque actum bonum eſſe neceſſariam; procul dubio hujus gratiæ neceſſitatem impugnabant, aut impugnare ſaltem illi videbantur. At Prædeſtinatiani, ut notum eſt, nuſquam hanc gratiæ neceſſitatem impugnaverunt.

Probatur 3. Quia falsò accuſatus fuerat apud Auguſtinum Florus, quaſi neceſſitatem gratiæ negaſſet. Sic enim de ſana ipſius fide teſtimonium reddit Valentinus in Epiſtola ad ſanctum Auguſtinum inter Auguſtinianas 216.
Ib. p. 798. A. aliàs 256. *Si gratia*, inquit, *eſſet remunerantis, non timeret juſtus ſecretarium judicium Majeſtatis. Servi tui Flori hæc fides eſt, pater, non ſicut fratres iſti ſunt locuti: impræſentiarum audierunt ab illo dictum, non juxta merita noſtra dari do-*
Ibid. C. *num pietatis, ſed per gratiam Redemptoris........* Et paulò poſt. *Sed cur non directum non timet proferri mendacium? Liberum arbitrium Dei gratia curatum non negamus, ſed per Chriſti quotidianam gratiam proficere credimus, & adjuvari confidimus.* Intelligis falsò accuſatum Florum, quaſi gratiæ neceſſitatem negaret, aut liberum everteret arbitrium: accuſationi locum dediſſe videtur, quòd nec ipſe Florus ſatis à ſuis intelligeretur; nec ipſe ſatis cum ſuis Libros Auguſtini intelligeret.

Dices: ſanctus Auguſtinus in Epiſtola ad Valentinum 214. aliàs 46. initio apertè declarat Monaſterium Adrumetinum in duas fuiſſe partes diviſum;
Ib. p. 791. B. quarum altera neceſſitatem gratiæ, altera libertatem arbitrii ſub gratia prorſus rejiciebat. *Venerunt*, inquit, *ad nos duo juvenes, Creſconius & Felix, de*

veſtra

veſtra Congregatione ſe eſſe dicentes, qui nobis retulerunt Monaſterium veſtrum nonnulla diſſenſione turbatum, eo quòd quidam in vobis ſic gratiam prædicent, ut negent hominis eſſe liberum arbitrium: & quod eſt gravius, dicant quòd in die judicii non ſit redditurus Deus unicuique ſecundùm opera ſua. En ipſummet dogma Prædeſtinatianum. Quapropter S. Aug. in altera ad eundem Valentinum Epiſtola 215. aliàs 47. ait, *ſe quantùm potuit, egiſſe cum fratribus, ut in fide Catholica perſeverent: quæ neque liberum arbitrium negat ...... neque tantùm ei tribuit, ut ſine gratia Dei valeat aliquid.* Ergo illi Adrumetini negabant liberum eſſe hominis arbitrium ſub motione gratiæ. *Ib. p. 794. F.*

Reſp. diſtinguo conſequens: ergo illi Adrumetini negabant liberum eſſe hominis arbitrium ſub motione gratiæ, ex falſa accuſatione quam nonnulli ex imperitia vel ſimplicitate, adversùs fratres ſuos præſertim Florum, intentaverant, concedo: negarunt in rei veritate, nego. Auguſtinus cùm hæc ſcripſit, deceptus fuerat falſa relatione Creſconii & Felicis, qui ſtatum contentionis, qua turbatum fuerat Monaſterium, perversè expoſuerant: quod quidem ſubodoratus S. Doctor, initio Libri de Gratia & libero arbitrio cùm præmiſiſſet, ſe pluribus diſputaſſe contra liberi arbitrii adversùs gratiam defenſores, (hoc eſt, Pelagianos) addit: *Sed quoniam ſunt quidam, qui ſic gratiam Dei defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium: aut quando gratia defenditur, negari exiſtiment liberum arbitrium: hinc aliquid ſcribere ad veſtram charitatem, Valentine frater, & cæteri, qui ſimul Deo ſervitis, compellente mutua charitate curavi.* Ubi disjunctim, & quaſi dubitanter loquitur ſanctus Auguſtinus, quia Creſconius & Felix, ut mox diximus, ex ſimplicitate vel imperitia, perturbatè diſſenſionis cauſam narraverant. Ipſi quippe, quod à Floro vel aliis paucis tunc objiciebatur contra doctrinam Auguſtini pro neceſſitate gratiæ, nempe inde fatalem induci neceſſitatem, ac totale libertatis excidium; hoc, inquam, quod Florus objiciebat, tanquam propriam ipſius doctrinam ac ſententiam illi accuſatores arripuerunt. Quibus primùm credulus Auguſtinus, ea quæ hic opponuntur, ſcripſit; at cognita ſubinde rei veritate, ſive ex Floro quem Valentinus ad ipſum miſerat, ſive ex Epiſtola Valentini, in citato Libro Retractationum apertè ſignificat, ſe de neceſſitate dumtaxat gratiæ diſputaſſe, in iis Libris quos ad Monachos Adrumetinos direxit. Ex his omnibus facile eſt colligere, hæreſim Prædeſtinatianam nec à Proſpero impugnatam, nec à Celeſtino damnatam fuiſſe. Agebant enim illi contra ſolos Semipelagianos, quos conſtat à Prædeſtinatianis magis diſtaſſe, quàm diſtet cœlum à terra. *T. 10. p. 717. B.*

Dico 3. hæreſim Prædeſtinatianam commentitiam non eſſe nec fictitiam, ut placet Janſenio & ejus Apologiſtis; ſed veram, in Galliis à Lucido quodam Presbytero, Monimo, & aliis nonnullis obſcuri nominis propugnatam.

Probatur 1. ex Epiſtola Fauſti ad Lucidum Presbyterum; & ex Libello emendationis quem Lucidus Epiſcopis Gallicanis obtulit.

Fauſtus initio Epiſtolæ comminatur ſuſpendendum à communione Lucidum, niſi reſipiſcat. *Grandis charitas eſt*, inquit, *parùm cauti fratris errorem, per Dei adjutorium & gratiam magis velle curare, quàm, ſicut ſummi Antiſtites meditantur, à bonitate ſuſpendere.* Et in fine ejuſdem Epiſtolæ ait, *ſe illius exemplar ſecum retinere, in Conventu SS. Antiſtitum, ſi ita neceſſe fuerit, proferendum: quam ſi*, inquit, *eam ſubſcriptam tranſmittere nolueris, apertè adhuc te in errore perſiſtere ipſo ſilentio comprobabis: ac proinde jam neceſſitatem mihi facies ad perſo-* *Biblioт. PP. T. 8. p. 524. col. 1. C. Ib. col. 2. G.*

nam tuam publicis Conventibus exponendam. Refert in eadem Epiſtola nonnulla *Ibid.* dogmata Prædeſtinatiana, quibus vult ut Lucidus anathema pronunciet, ſimulque Catholicam ipſi exponit doctrinam. Delata fuit hæc Fauſti Epiſtola ad Synodum Arelatenſem, & ab ipſa comprobata.

Lucidus hac accepta Fauſti Epiſtola, ſuos errores revocavit, juxta ſtatutum Synodi Arelatenſis; miſſo ad Epiſcopos Gallicanos emendationis ſuæ *Apud Sirm. T. 4. p. 418. B.* Libello quem ſic incipit. *Correctio veſtra, ſalus publica, & ſententia veſtra medicina eſt. Unde & ego ſummum remedium duco, ut præteritos errores accuſando, excuſem, & ſalutifera confeſſione mea diluam. Proinde juxta prædicandi recentia ſtatuta Concilii, damno vobiſcum ſenſum illum qui dicit*

1. *Humanæ obedientiæ laborem divinæ gratiæ non eſſe jungendum.*

2. *Qui dicit poſt primi hominis lapſum, ex toto arbitrium voluntatis extinctum.*

3. *Qui dicit quòd Chriſtus & Salvator noſter mortem non pro omnium ſalute ſuſceperit.*

4. *Qui dicit quòd præſcientia Dei hominem violenter compellat ad mortem, vel quòd cum Dei pereant voluntate, qui pereunt.*

5. *Qui dicit quòd poſt acceptum legitimè baptiſmum, in Adam moriatur, quicunque deliquerit.*

6. *Qui dicit, alios deputatos ad mortem, alios ad vitam prædeſtinatos.*

7. *Qui dicit ab Adam uſque ad Chriſtum, nullum ex gentibus per primam Dei gratiam, id eſt per legem naturæ, in adventum Chriſti fuiſſe ſalvatum: & quòd omnes liberum arbitrium in primo parente perdiderint.*

8. *Qui dicit Patriarchas ac Prophetas, vel ſummos quoſque Sanctorum, etiam ante redemptionis tempora intra Paradiſum deguiſſe. Hæc omnia, quaſi impia, & ſacrilegiis repleta condemno. Ita autem*, pergit Lucidus, *aſſero gratiam Dei, ut anniſum hominis & conatum, gratiæ ſemper adjungam: & libertatem voluntatis humanæ non extinctam, ſed attenuatam & infirmatam eſſe pronunciem; & periclitari eum, qui ſalvus eſt, & eum, qui perit, potuiſſe ſalvari.* Hactenus Lucidus Presbyter.

Inter illos articulos, quintum hic obiter obſerva; nempe, *Quòd poſt acceptum legitimè baptiſmum, in Adam moriatur, quicunque deliquerit.* Quo certè innuitur, Prædeſtinatianos in ea mente fuiſſe, Sacramenta ſcilicet in iis otioſa & ſterilia eſſe; hoc eſt, nec peccatum iis dimittere, nec gratiam conferre, qui ſunt ad mortem prædeſtinati. Sententiam hanc ſubindicat Fauſtus, cùm *Apud Sirm. T. 4. p. 416. C.* inter articulos quos Lucido damnandos propoſuit, hunc recenſet. *Item anathema illi, qui hominem cum fideli confeſſione ſolemniter baptizatum, & aſſerentem Catholicam fidem, & poſtmodum per diverſa mundi hujus oblectamenta prolapſum, in Adam, & originali peccato periiſſe aſſeruerit.* Porrò ſi perire ille dicitur propter originale peccatum, quamquam baptiſmum perceperit, ſequitur in eo per baptiſmum dimiſſum non fuiſſe originale peccatum: ſeu, ut in 2. Gallorum objectione legitur, *At eis, qui non ſunt prædeſtinati ad vitam, non aufert* *Inter Op. S. Proſp. N. Ed. p. 206. A.* *percepta baptiſmi gratia originale peccatum.* Hoc ipſum dogma Goteſcalcho, qui nono ſæculo Prædeſtinatianam hæreſim renovavit, exprobravit Amolo Archiepiſcopus Lugdunenſis in Epiſtola ad ipſum data, ſectione 5. ſicut poſtea oſtendemus. *T. 10. Conc. p. 1106. A.* Inter articulos qui Gilberto Porretano Epiſcopo Pictavienſi objecti fuere in Concilio Pariſienſi anno 1147. hic unus legitur: *Quòd Eccleſiæ ſacramenta evacuando, diceret nullum baptizari, niſi ſalvandum.*

Hunc

Digitized by Google

Hunc Prædeſtinatianorum errorem à Calviniſtis renovatum proſcripſit Synodus Tridentina ſeſſione ſexta can. 17. his verbis: *Si quis juſtificationis gratiam nonniſi prædeſtinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos verò omnes qui vocantur, vocari quidem, ſed gratiam non accipere, utpote divina poteſtate prædeſtinatos ad malum, anathema ſit.* *T. 10. Conc. p. 766. B.*

Reſpondent Janſenii Apologiſtę, 1. articulos illos quos Lucidus retractat, ea ipſa eſſe argumenta quibus Semipelagiani doctrinam ſancti Auguſtini oppugnabant, & quæ diſcipuli ipſius Proſper & Fulgentius tam ſtrenuè propulſarunt, 2. Fauſtum & Lucidum veros fuiſſe Semipelagianos, qui, ut invidiam crearent doctrinæ ſancti Auguſtini, finxere aliquos in ea dura & impia dogmata prolapſos fuiſſe, ex nimio ſtudio ac zelo tuendæ Auguſtini de prædeſtinatione gratuita ſententiæ; quibus proinde hac in parte omnis fides deroganda eſt.

Quòd verò Lucidus errori Semipelagianorum adhæſerit, patet, inquiunt, ex ſeptimo ipſius articulo mox relato, ubi vult aliquos per legem naturæ, quam primam gratiam vocat, ſalvos fieri potuiſſe. Fauſtus pariter monet Lucidum, ut cum gratia Domini, operationem baptizati famuli ſemper conjungat: quibus verbis, inquiunt, cum Semipelagianis docet gratiam non prævenire noſtram voluntatem.

Verùm infirma prorſus eſt hæc utraque reſponſio.

Prima quidem: demus etenim, quod fatemur, illa Prædeſtinatianorum dogmata, ea ipſa fuiſſe quæ à Semipelagianis calumnioſè opponebantur contra doctrinam ſancti Auguſtini; an benè inde probatur, nullos revera fuiſſe qui ea tanquam vera & Auguſtini doctrinæ conſentanea defenderint, quæ Semipelagiani tanquam falſa & impia refugiebant? Minimè profectò; cùm habeamus & accuſatorem Fauſtum, & Lucidum reum confitentem, & duas Synodos Arelatenſem & Lugdunenſem, à quibus impia illa dogmata proſcripta ſunt.

Secunda pariter reſponſio explodenda. Quis enim ſanus ſibi facilè perſuadeat, & Fauſtum fictè ac ſimulatè accuſaſſe Lucidum; & Lucidum ipſum, ſe gratuitò illorum errorum reum confeſſum fuiſſe? An Gallicanis Epiſcopis, quorum Synodos appellant, ſic impunè illudere ipſi potuiſſent, ac univerſæ Eccleſiæ, per fictam erroris declarationem ac damnationem, fucum facere? At Semipelagiani erant Fauſtus & Lucidus? Eſtò, gratis id demus. An ergo propterea, nulla ipſis in facto hiſtorico fides? Numquid Euſebius Arianus, & Socrates Novatianus non fuit? An minor idcirco fides habenda iis quæ referunt? Non puto. Falsò porrò ſupponitur Fauſtum in ea Epiſtola Semipelagianum fuiſſe, quam approbavit & ſuam fecit Synodus Arelatenſis; nec ullus, qui Semipelagianiſmum redoleat, error deprehendi in ea poteſt. Quæ verò hic proferuntur, hoc unicum efficiunt, quod ſanum ac Catholicum eſt, gratiæ adjungendam libertatis cooperationem. Neque enim Lucidus Semipelagianiſmi reus convinci poteſt. Per legem enim naturæ, de qua objectio, gratiam non excludit, ſed includit; cùm aſſerat in adventum Chriſti, hoc eſt, in fide adventus Chriſti, illos ſalutem aſſequi potuiſſe. Et verò ſententia quam profitetur Lucidus circa gratiæ neceſſitatem, planè Orthodoxa & Catholica eſt: fruſtra igitur in eo facto hiſtorico, quod narrant Fauſtus & Lucidus, fidem eorum elevare tentant Janſenii Apologiſtæ.

Probatur 2. ex duobus Conciliis Arelatenſi & Lugdunenſi, circa annum Chriſti 975. ut veriſimilius eſt, celebratis; in quibus Epiſtola Fauſti ad Luci-

dum, Patrum calculis approbata fuit, & errores Prædeſtinatianorum repreſſi. Ita teſtatur Fauſtus, in præfatione Librorum quos Leontio Arelatenſi nuncupavit, à quo provinciam acceperat eos errores refellendi. *Quòd*, inquit, *pro ſolicitudine Paſtorali, beate Papa Leonti, in condemnando prædeſtinationis errore Concilium ſummorum Antiſtitum congregaſtis, univerſis Galliarum* Bibl. PP. T. 8. p. 523. H. Ib p. 524. B. *Eccleſiis præſtitiſtis; Quòd verò ad ordinanda quæ collatione publica doctiſſimè protuliſtis, operam infirmis humeris curamque mandaſtis, parùm ſanctæ exiſtimationi veſtræ conſuluiſtis, & me judicio charitatis, vos periculo electionis oneraſtis*. Et in fine præfationis; *In quo quidem Opuſculo*, inquit, *poſt Arelatenſis Concilii ſubſcriptionem, novis erroribus deprehenſis, adjici aliqua Synodus Lugdunenſis exegit*. Habes hic duas Synodos in cauſa Prædeſtinatianæ hæreſeos; Arelatenſem, quæ Epiſtolam Fauſti ad Lucidum approbavit, & Lugdunenſem, quæ juſſit ut Fauſtus fuſiori ſtylo errores illos novos proſequeretur, quod ille præſtitit in Libris quos de libero arbitrio ſcripſit; in quibus profectò ultra metam progreſſus eſt Fauſtus, in extremum errorem Semipelagianorum declinans. Quapropter Libri illi poſt Arelatenſem & Lugdunenſem Synodos ſcripti, nuſquam ab illis Conciliis approbati fuere, ſicut ad invidiam fingunt, qui utramque hanc Synodum velut commentitiam ac ſuppoſititiam traducunt.

Apud Sirmond. T. 4. p. 418. B. Lucidus pariter in ſuo Retractationis Libello declarat, *ſe juxta prædicandi recentia ſtatuta Concilii, damnare errores quibus addictus antea fuerat*. Concilium autem illud fuit Arelatenſe.

Duo hìc reponunt Janſenii Apologiſtæ.

Primum, Epiſtolam Fauſti in Synodo Arelatenſi approbatam & ſubſcriptam non fuiſſe, inde maximè certum videri, quòd Henricus Caniſius Tomo 5. antiquarum lectionum aſſerat, in manuſcripto codice non reperiri ſubſcriptiones illas Epiſcoporum, quæ in vulgatis editionibus leguntur, ſed unius Fauſti; nec ipſas etiam in Hincmari codice legi, fatetur Sirmondus.

Verùm hoc unum dumtaxat inde colligi meritò poteſt, nempe in eo, quo Caniſius utebatur, codice, quem fatetur omnino perturbatum eſſe, ſubſcriptiones illas non legi, quæ in aliis leguntur codicibus. Quòd verò Epiſtola à ſolo Fauſto primùm, tum etiam à Lucido & Epiſcopis undecim Synodi Arelatenſis ſubſcripta deinde fuerit, inde contigiſſe ſuſpicatur Noriſius, quòd nempe Fauſtus ad Lucidum ſcribens, ſuam ipſe Epiſtolam primus ſubſcripſerit, cui cùm Lucidus poſtea ſubſcripſiſſet, ad Synodum Arelatenſem delata eſt, ut Patrum ſuffragio pariter approbaretur & ſubſcriberetur: ſicque variantes codices ad concordiam adduci poſſe arbitratur Eminentiſſimus & doctiſſimus Scriptor.

Alterum quod reſpondent, nempe duo illa Concilia aut ficta eſſe, aut Semipelagiana, ſugillat & explodit idem Noriſius his verbis. *Nunquam*, in- L. 2. Hiſtoria Pelag. c. 15. p. 187. 2. & 2. col. quit, *his aſſentior. Quis enim de Fauſto tantos ſibi dolos perſuadeat, qui coram univerſis Galliarum Epiſcopis tantorum mendaciorum architectum ſe ſiſtere non extimuerit? Quo animo Leontio Metropolitæ doctiſſimo imponere auſus fuiſſet, quaſi de remotiſſimis Aſiæ rebus perſcriberet, non verò de iis, quæ in duabus nobiliſſimis Urbibus nudius tertius geſta fuerant? Opponit Magninus* (pergit Noroſius) *nuſquam præterquam in Fauſti Libris illarum Synodorum mentionem fieri. Ad hoc negantis argumenti genus lubricum eſt. Scimus Leontium Arelatenſem ex Hilarii decreto Synodos Gallicanas quotannis coegiſſe, quarum tamen nuſquam memoria extat.*

Apo-

Apologiſtæ Janſenii utramque Synodum habitam fuiſſe concedunt, addunt tamen eas conflatas ex Epiſcopis partim Semipelagianis, partim à Semipelagiano Fauſto deceptis: ſed ſine teſtibus hanc injuriam doctiſſimis, ac ſapientiſſimis Patribus inurere non auſim. Illud veriſimile videtur, Fauſtum mandati limites exceſſiſſe, dum non modò quorumdam Prædeſtinatianorum errores, ut injunctum fuerat, confutavit, verùm etiam ea occaſione ſancti Auguſtini de gratuita prædeſtinatione doctrinam ſubruere conatus fuit. Hæc Eminentiſſimus Noriſius.

Verùm, inquies, ſanctus Prudentius Epiſcopus Trecenſis in Libro contra Joannem Scotum Erigenam cap. 4. & Lugdunenſis Eccleſia in Libro contra eundem cap. etiam 4. aſſerunt ſe nec legiſſe, nec audiviſſe, nec omnino compertum habere an extiterit unquam hæreſis Prædeſtinatiana. *Bibliot. Vet. PP. T. 15. p. 480. col. 2. G. Et pag. 619. col. 1. B.*

Reſp. In rebus facti, fidem potius habendam eſſe coætaneis auctoribus, quàm iis qui longè poſt vixere. Porrò Fauſtus & Lucidus ea narrant quorum oculati fuerunt teſtes quinto Eccleſiæ ſæculo; Prudentius verò, & auctor qui ſub nomine Eccleſiæ Lugdunenſis ſcripſit, nono dumtaxat vixere Eccleſiæ ſæculo.

Adde quòd cùm hæreſis illa brevi compreſſa evanuerit, & à paucis obſcuri nominis viris fuerit defenſa, mirum videri non debet, quòd ignota nonnullis fuerit nono ſæculo, quandoquidem & Synodus ipſa Arauſicana II. anno Chriſti 529. celebrata, quaſi ſubdubitando de illis Prædeſtinatianis, an ſint, loquitur can. 25. *Aliquos verò*, ait, *ad malum divina poteſtate prædeſtinatos eſſe, non ſolùm non credimus, ſed etiam, ſi ſunt qui tantum malum credere velint, cum omni deteſtatione illis anathema dicimus.* *T. 4. Conc. p. 1672. B.*

Probatur 3. auctoritate auctoris antiqui Libri qui dicitur *Prædeſtinatus*, quem publici juris fecit Sirmondus; item Proſperi Tyronis, in Chronico; Arnobii junioris in Expoſitione Pſalterii; Gennadii Maſſilienſis in Appendice Catalogi Auguſtiniani de hæreſibus; Hincmari in Epiſtola ad Nicolaum S. P. Sigeberti ad an. Chriſti 415. Baronii ad an. Chriſti 490. & aliorum qui hujuſce hæreſeos mentionem fecerunt.

Verùm, inquies, nonnulli ex illis mox citatis auctoribus, ut Proſper Tyro, auctor Libri qui dicitur *Prædeſtinatus*, & Hincmarus, teſtantur hæreſim illam tempore ſancti Auguſtini ſubortam fuiſſe, quam Celeſtinus S. P. compreſſit; quod tamen nos antea negavimus. Quare igitur his Scriptoribus fidem in uno habemus, ac detrahimus in altero?

Reſp. facilem & apertam eſſe ſolutionem. Quia Scriptores illi, ex fide veterum Monumentorum aliqua referunt, quæ tanquam vera admittimus; aliqua verò contra fidem & auctoritatem illorum Monumentorum, quæ idcirco rejicimus.

Dico 3. Goteſchalcum Monaſterii Orbacenſis in Diœceſi Sueſſionenſi Monachum, nono ſæculo in Galliis regnante Carolo Calvo, extinctam ac ſopitam Prædeſtinatianam hæreſim ſuſcitaſſe. Ac primò quidem è Monaſterio, ubi erroris ſemina ſparſerat, migrans in Italiam, cœpit apertiùs eam diffundere in Agro Veronenſi: quod cùm intellexiſſet Rabanus Moguntinus Archiepiſcopus, duas ſcripſit contra novos illos errores Epiſtolas. Unam ad Notingum Epiſcopum Veronenſem, alteram ad Eberardum ejuſdem Provinciæ Comitem. Quibus perlectis Goteſchalcus, ſive juſſu Epiſcopi & Comitis, ſive ſponte ex Italia in Germaniam ſeceſſit apud Rabanum, à quo pro-

pter errorem damnatus, & ad Hincmarum Remenſem Archiepiſcopum remiſſus, damnationis ſententiam pariter ab ipſo reportavit, recluſus in carcere, ubi virgis cæſus; ac Librum, quem ſcripſerat pro errorum ſuorum defenſione, in ignem prope accenſum conjicere coactus fuit.

T. 1. p. 322. 2. col. E. Janſenius L. 8. de hæreſi Pelagiana cap. 23. contendit, *Hincmarum Maſſilienſium objectiones & anathemata pro hæreſi Prædeſtinatorum accepiſſe, atque fraude iſta aliena, vel propria incuria eo uſque abreptum fuiſſe, ut articulos ab Auguſtino, Proſpero, Fulgentioque traditos, qui vel fidem Catholicam, vel doctrinam non improbandam continebant, quia à Goteſchalco in aliis nonnullis èrrante probabantur, improbaverit*. Sunt inter recentiores, qui cum Clariſſimo Mauguino Goteſchalcum ab errore vindicant; *quem ajunt Auguſtinianæ, Catholicæque doctrinæ ſtrenuiſſimum defenſorem, pro juſtitia, pro veritate, pro gratia perſecutionem paſſum, & patiendo immortuum*. Confutari meliùs illi non poſſunt, quàm prolatis in medium publicis Monumentis, quibus Goteſchalci fraudes, ingenium, errores, & eorum cenſura narrantur.

Annales Bertiniani ad an. Chriſti 849. hæc de Goteſchalco referunt. *Goteſchalcus quidam Monaſterii Orbacenſis Parœciæ Sueſſionicæ Monachus & Presbyter, ſcientia tumidus, quibuſdam ſuperſtitionibus deditus, Italiam ſpecie religionis aggreſſus, inde turpiter ejectus, Dalmatiam, Pannoniam Noricamque adorſus, quædam noſtræ ſaluti valde contraria, præcipuè ſub nomine Prædeſtinationis, peſtiferis dictis & ſcriptis adſtruens*.

Ad eundem annum Sigebertus in Chronico. *Goteſchalcus*, ait, *à Rabano Archiepiſcopo rationabiliter, ut multis viſum eſt, convincitur, ſed tamen in ſuo perſeveravit errore*.

Anno 848. Rabanus Archiepiſcopus Moguntinus, coacto Concilio errores Goteſchalci proſcripſit, data ad Hincmarum Remenſem Synodica Epiſtola, T. 8. Conc. p. 52. E. cujus hìc eſt tenor. *Notum ſit dilectioni veſtræ, quòd quidam gyrovagus Monachus, nomine Goteſchalc, qui ſe aſſerit ſacerdotem in veſtra Parochia ordinatum, de Italia venit ad nos Moguntiam, novas ſuperſtitiones, & noxiam doctrinam de prædeſtinatione Dei introducens, & populos in errorem mittens: dicens quòd prædeſtinatio Dei, ſicut in bono, ſit ita & in malo: & tales ſint in hoc mundo quidam, qui propter prædeſtinationem Dei quæ eos cogat in mortem ire, non poſſint ab errore & peccato ſe corrigere; quaſi Deus eos feciſſet ab initio incorrigibiles eſſe, & pœnæ obnoxios in interitum ire. Hanc ergo opinionem nuper in Synodo apud Moguntiam habita ab eo audientes, & incorrigibilem eum reperientes, annuente atque jubente piiſſimo Rege noſtro Ludovico, decrevimus eum cum pernitioſa ſua doctrina damnatum mittere ad vos, quatenus eum recludatis in veſtra Parochia, unde primùm inordinatè receſſit; & non ſinatis eum amplius errorem docere, & ſeducere populum Chriſtianum: quia jam multos, ut audivi, ſeductos habet, & minus devotos erga ſuam ſalutem, qui dicunt: Quid mihi proderit laborare in ſervitio Dei? quia ſi prædeſtinatus ſum ad mortem, nunquam illam evadam: ſi autem malè egero, & prædeſtinatus ſum ad vitam, ſine ulla dubitatione ad æternam requiem vado*. Hæc Rabanus in Synodica Epiſtola.

Hincmarus Archiepiſcopus Remenſis in Epiſtola ad Nicolaum I. Goteſchalcum his coloribus depingit. *Habitu Monachus, mente ferinus, quietis impatiens, & vocum novitate delectans, ac inter ſuos mobilitate noxia ſingularis, de omnibus quæ in his regionibus perversè tunc temporis ſenſa cognoverat, quædam* T. 2. Operũ Hincmari p. 262.

ſibi

Digitized by Google

ſibi elegit Capitula, ut novitate vocum innoteſci valeret, utque ſimplicium & deceptorum ſenſus pervertere; & magiſtri nomen uſurpando poſt ſe diſcipulos trahere..... Quippe à Remorum Chorepiſcopo, qui tunc erat, contra regulas presbyter ordinatus, à Monaſterio irregulariter exiens, peragratis regionibus plurimis, & exitioſa ſemina ſator peſſimus ſeminans, tandem in Moguntina civitate habita Synodo, & Rabano Archiepiſcopo Libellum ſui erroris porrigens, damnatus ab omnibus Germaniæ Epiſcopis, cum Litteris Synodalibus ad Metropolim Remorum, cui jam auctore Domino præeram, eſt remiſſus. Poſtea autem à Belgicæ Remorum ac Galliarum Provinciarum Epiſcopis auditus, & inventus hæreticus, quia reſipiſci à ſua pravitate non voluit, ne aliis noceret, qui ſibi prodeſſe nolebat, judicio præfatarum Provinciarum Epiſcoporum, in noſtra Parochia.... monaſteriali cuſtodiæ mancipatus eſt.

Deinde exponit Hincmarus Nicolao I. Summo Pontifici errores Goteſchalci. *Dicit*, (ait) *quod & veteres Prædeſtinationi dixerunt, quoniam ſicut Deus quoſdam ad vitam æternam, ita quoſdam prædeſtinavit ad mortem æternam. Dicit quod & veteres Prædeſtinationi dixerunt, quoniam non vult Deus omnes homines ſalvos fieri, ſed tantùm eos qui ſalvantur; omnes autem ſalvari quoſcunque ipſe ſalvare voluerit, ac per hoc quicumque non ſalvantur, penitus non eſſe voluntatis illius ut ſalventur. Quoniam ſi non omnes ſalvantur quos vult Deus ſalvos fieri, non omnia quæcunque voluit, fecit: & ſi vult quod non poteſt, non omnipotens, ſed infirmus eſt.... Dicit, quod & veteres Prædeſtinatiani dixerunt, quòd non pro totius mundi redemptione, id eſt, non pro omnium hominum ſalute & redemptione Dominus noſter J. C. ſit crucifixus & mortuus, ſed tantùm pro his qui ſalvantur. Dicit.... quod & veteres Prædeſtinatiani dixerunt, baptiſmi ſacramento eos emit, non tamen pro eis crucem ſubiit, neque mortem pertulit, neque ſanguinem fudit.* Pag. 163

Circa liberum arbitrium idem dicebat quod veteres dixerant Prædeſtinatiani, referente eodem Hincmaro L. de Prædeſtinatione cap. 15. *Priſci dixerunt Prædeſtinatiani*, inquit, *quòd liberum arbitrium in homine nihil ſit, ſed ſive ad bonum, ſive ad malum prædeſtinatio Dei in hominibus operetur: quoniam Deus tale in hominibus plaſmet arbitrium, quale eſt dæmonum, quod proprio motu nihil aliud poſſit velle niſi malum.* T. 1. pag. 63.

Hæc omnia erroris capita cùm proſcripſiſſet Moguntina Synodus, Goteſchalcus profeſſionem ſuæ fidei edidit de gemina prædeſtinatione, quam Synodo & illius Præſidi Rabano obtulit, unà cum Libello, quo eruditiſſimum Præſulem arguebat, ob impugnatam Opuſculo ad Notingum Veronenſem Epiſcopum, prædeſtinationem reproborum ad mortem ſempiternam; eumq; velut Semipelagianum traducebat in quæſtionibus de libero arbitrio & de voluntate Dei, ac redemptione ſanguinis Chriſti ad omnium ſalutem effuſi. Hæc habemus ex Hincmaro in Lib. de Prædeſtinatione c. 5. Idem Hincmarus permiſit Goteſchalco in carcere recluſo, ut ſuam ederet fidei profeſſionem; ſi fortè ad meliorem mentem reverſus, ejuratis erroribus è carcere dimitti, ac communioni reſtitui poſſet. Duplicem ille confeſſionem edidit, breviorem unam, prolixiorem alteram. In breviori, prædeſtinationem impiorum ad mortem æternam, propter ipſorum mala merita certiſſimè præſcita, propugnat, ſicut prædeſtinationem gratuitam electorum ad vitam. Sic ille aſtutè ac fraudulenter errorem ſuum tunc diſſimulabat, quo priùs in Ger-

in Germania docuerat, reprobos prædeſtinari à Deo, non tantùm ad pœnam, ſed etiam ad culpam; ita ut ſic ad mortem prædeſtinati, ad malum inevitabili neceſſitate cogerentur.

Ita ſignificat Rabanus, in Opuſculo de prædeſtinatione ad Notingum, in
Apud Sirmōd. T.2.pag. 1312. cujus præfatione ſic loquitur. *Convenit inter nos, ut è divinis Scripturis, & Orthodoxorum Patrum ſententiis aliquod Opuſculum conficerem, ad convincendum errorem eorum, qui de Deo bono & juſto tam nequiter ſentiunt, ut dicant ejus prædeſtinationem facere, quòd nec homo ad vitam prædeſtinatus poſſit in mortem incidere; nec ad mortem prædeſtinatus, ullo modo ſe poſſit ad vitam recuperare: cùm auctor omnium rerum & conditor naturarum Deus, nullius ruinæ atque interitus cauſa ſit, ſed multorum origo ſalutis.*

Ib. pagin. 1342. C. Et in Epiſtola quam ſcripſit idem Rabanus ad Eberardum Comitem. *Quia*, inquit, *divulgatum in iſtis partibus conſtat, quemdam ſciolum, nomine Goteſchalcum, apud vos manere, qui dogmatiſat quòd prædeſtinatio Dei omnem hominem ita conſtringat, ut etiam ſi quis velit ſalvus fieri, & pro hoc fide recta atque bonis operibus certet, ut ad vitam æternam per Dei gratiam veniat, fruſtra & incaſſum laboret, ſi non eſt prædeſtinatus ad vitam. Quaſi Deus prædeſtinatione ſua cogat hominem interire, qui auctor eſt ſalutis, non perditionis.*

T. 1. p. 63. Et Hincmarus Lib. de Prædeſtinatione cap. 15. de antiquis Prædeſtinatianis ait: *Prædeſtinationem electorum ad vitam non denegant, & reproborum prædeſtinationem ad interitum confitentur: quos ſicut dicunt à Deo prædeſtinatos ad interitum, ita etiam ad peccatum.* Hunc tamen articulum emollire ac temperare videbantur novi Prædeſtinatiani, referente eodem Hincmaro ibid. *Dicunt enim*, inquit, *Prædeſtinavit Deus reprobos ad interitum, non ad peccatum.* Sed doloſè id ab ipſis dictum ſtatim obſervat Hincmarus. *Colore mutant*, inquit, *ſed odoris atque ſaporis intelligentia redolent: cùm nonniſi per peccatum pervenire valeat ad interitum.*

Idem teſtatur Amolo Archiepiſcopus Lugdunenſis, in Epiſtola ad Goteſchalcum quam edidit Sirmondus. Edoctus ille fuerat de erroribus hujus inquieti ac turbulenti Monachi, per Hincmarum & Pardulum: in ea igitur
Apud Sirmōd. Tom. 2. p. 1145. E. Epiſtola ſic loquitur de erroribus Goteſchalci: *Quarto loco diſplicet nobis valde, quia tam durè & indiſciplinatè & immaniter de divina prædeſtinatione ſentis & loqueris in damnatione reproborum, ut omnes illos qui ad ſiniſtram ponendi ſunt in die Judicii, & cum diabolo atque angelis ejus pro malis meritis ſuis æterno igne damnandi, ita ſint divinitus ad interitum prædeſtinati, ut eorum prorſus nullus aliquando potuerit, nullus poſſit ſalvus eſſe..... Quinto loco non minùs deteſtamur & horremus, quòd ita exarſiſti adverſùs eos qui æterno interitu ſunt digni, ut dixeris*
Ib. pag. 1149. E. *eos tam irrevocabiliter & incommutabiliter perditioni eſſe prædeſtinatos, ſicut Deus ipſe incommutabilis & inconvertibilis eſt.*

Ibid. pag. 1144. D. In ea Epiſtola innuit Amolo, Prædeſtinatianos cenſuiſſe Sacramenta nihil operari in illis qui ſunt ad mortem æterno Dei propoſito deſtinati. *Diſplicet nobis valde*, inquit, *quia veriſſima & ſacratiſſima Eccleſiæ Sacramenta, videlicet Exorciſmi & Baptiſmi, Chriſmatis, & Euchariſtiæ, ac manus impoſitionis, perfunctoriè & fruſtratoriè omnibus, qui poſt perceptionem eorum pereunt, dari confirmas, dum eos ſanguine Chriſti, ſine quo ipſa myſteria, jam non myſteria, ſed quædam velut vacua & inania ludibria ſunt habenda, redemptos negas. Cùm è contrario Apoſtolus, & veritatem redemptionis Chriſti, & verum* divi-

Digitized by Google

divinorum myſteriorum effectum, etiam in eis qui irreparabiliter pereunt, doceat eſſe collata.

Idem planè docuerat anonimus auctor Libri cui titulus; *Prædeſtinatus* à Sirmondo editus. Lib. 1. hæreſi 90. de Prædeſtinatianis ſic loquitur: *Dicunt baptiſmatis undam non univerſa peccata mundare ..... Dicunt omnia non in re, ſed ita in ſpe fieri, ut quod dicit Apoſtolus, ſpes quæ videtur non eſt ſpes, etiam hoc myſteriis applicent dictum & dicant, ea quæ percipiuntur, videntur quidem eſſe, ſed non ſunt. Dicunt, plùs obfuit ad nocendum Adam generi humano, quàm Chriſtus, in ſubveniendo. Nam, ajunt, quod nocuit, ita manet, ut hoc nec paſſio Chriſti, nec baptiſmatis ſanctificatio poſſit auferre.* Et lib. 3. *Damnabilitas ejus* (Libelli à Prædeſtinatianis ſcripti) *eò uſque pervenit, ut univerſa myſteria Salvatoris evacuet. Dicit baptiſmum Chriſti fructum ullum penitus, dum traditur, non habere. Spes, inquit, quæ videtur, non eſt ſpes, id eſt, remiſſio peccatorum: & quidquid in præſenti promittitur, non eſt, quia in futuro ſervatur; hic tamen, id eſt in hoc mundo, non accipitur.* Quis ſit hujus Operis auctor, planè incertum eſt. Obſervat autem Sirmondus in Epiſtola ad Lucam Holſtenium, eum vixiſſe ante natam hæreſim Eutychianam, hoc eſt, ante annum Chriſti 447.

Apud Sirmōd. T. 1. p. 507.
Ib. pag. 570.
Ib. initio Libri.

Hincmarus L. de Prædeſtinatione cap. 15. inter errores veterum Prædeſtinatianorum, hunc etiam recenſet: *Aliud eſt*, inquit, *quòd ab eis qui non ſunt prædeſtinati ad vitam, non auferat percepta baptiſmi gratia originale peccatum, & licèt piè juſtèque vixerint, nihil eis proſit.* Non diſſimulat ibidem, Prædeſtinatianos ſui temporis hunc quidem articulum *tranſilire*, ſed dolo ac fraude ad cenſuram Epiſcoporum declinandam: qua ratione, alia errorum *capita vel non tangebant vel tranſiliebant, vel declinabant, vel colore mutabant*, ut ait ibidem Hincmarus, *ſed odoris*, pergit, *atque ſaporis intelligentia redolebant.* Hoc eſt, verbis negabant, re autem ipſa fatebantur. Varias enim formas induere ſolent hæretici, ut tutiùs obrepant, erroreſque ſuos inſinuent.

T. 1. pag. 63.
Ibid.

Anno Chriſti 849. in Synodo Cariſiaca, auditus, convictus ac damnatus fuit Goteſchalcus. Audiatur Hincmarus L. de Prædeſtinatione cap. 2. *A Synodali*, inquit, *Conventu in Cariſiaco palatio iterum auditur ab Epiſcopis, & ceteris quamplurimis viris Eccleſiaſticis atque Religioſis, qui eidem Synodo interfuerunt* (nomina eorum deinde recenſet) ... *in quorum præſentia idem Goteſchalcus, ſicut & in Moguntina civitate, inventus hæreticus atque incorrigibilis, honore presbyterali, quem per Righoldum* (Remorum) *Choriepiſcopum, cùm eſſet Sueſſonicæ Parochiæ Monachus, inſcio civitatis ſuæ Epiſcopo, uſurpaverat potiùs, quàm acceperat, abjectus; & pro ſua irrevocabili contumacia, ſecundùm leges, & Agathenſes Canones, & regulam ſancti Benedicti, ut improbus virgis cæſus, ſicut decreverant Germaniæ Provinciarum Epiſcopi, ne illis noceret qui ſibi prodeſſe nolebat, ergaſtulo eſt retruſus.* Hæc Hincmarus, quæ in ſententia, quam Synodus pronuntiavit, ſummatim continentur.

Tom. 8. Conc. p. 56. A.
Ibid. C.

Non ſatis habuit Synodus illa errorem proſcribere, ſed totidem capitula oppoſuit quatuor præcipuis Goteſchalci erroribus.

Primum eſt. *Deus omnipotens hominem ſine peccato rectum cum libero arbitrio condidit, & in paradiſo poſuit, quem in ſanctitate juſtitiæ permanere voluit. Homo libero arbitrio malè utens peccavit & cecidit, & factus eſt maſſa perditionis totius humani generis. Deus autem bonus & juſtus elegit ex eadem maſſa perditionis, ſe-*

Quatuor Capitula Cariſiaca.
Ibid.

cundùm

Digitized by Google

eundùm præſcientiam ſuam, quos per gratiam prædeſtinavit ad vitam, & vitam illis prædeſtinavit æternam: cæteros autem, quos juſtitiæ judicio in maſſa perditionis reliquit, perituros præſcivit, ſed non ut perirent prædeſtinavit: pœnam autem illis, quia juſtus eſt, prædeſtinavit æternam. Ac per hoc unam Dei prædeſtinationem tantummodo dicimus, quæ aut ad donum pertinet gratiæ aut ad retributionem juſtitiæ.

Secundum capitulum iſtud eſt. *Libertatem arbitrii in primo homine perdidimus, quam per Chriſtum Dominum noſtrum recepimus: & habemus liberum arbitrium ad bonum, præventum & adjutum gratia; & habemus liberum arbitrium ad malum, deſertum gratia. Liberum autem habemus arbitrium, quia gratia liberatum, & gratia de corrupto ſanatum.*

Tertium eſt. *Deus omnipotens omnes homines ſine exceptione vult ſalvos fieri, licèt non omnes ſalventur. Quòd autem quidam ſalvantur, ſalvantis eſt donum: quòd autem quidam pereunt, pereuntium eſt meritum.*

Quartum. *Chriſtus Jeſus Dominus noſter, ſicut nullus homo eſt, fuit, vel erit, cujus natura in illo aſſumpta non fuerit, ita nullus eſt, fuit, vel erit homo, pro quo paſſus non fuerit; licèt non omnes paſſionis ejus myſterio redimantur. Quòd verò omnes paſſionis ejus myſterio non redimuntur, non reſpicit ad magnitudinem & pretii copioſitatem; ſed ad infidelium, & ad non credentium ea fide, quæ per dilectionem operatur, reſpicit partem. Quia poculum humanæ ſalutis, quod confectum eſt infirmitate noſtra & virtute divina, habet quidem in ſe ut omnibus proſit; ſed ſi non bibitur, non medetur.*

Excitatæ per Goteſchalcum circa prædeſtinationem controverſiæ Gallicanam Eccleſiam ea tempeſtate turbarunt, diviſis hinc & inde animorum ſtudiis: multis huic miſerabili Monacho errore facti patrocinantibus; aliis verò adverſantibus. Multa ex utraque parte edita Opuſcula, inter quę unum fuit maximè celebre, ſub nomine Eccleſiæ Lugdunenſis, de tribus Epiſtolis, auctore Remigio Amolonis in ſede Lugdunenſi ſucceſſore.

Scilicet cùm in Conventu Eccleſiæ Lugdunenſis lectæ ac expenſæ fuiſſent tres Epiſtolæ, una Hincmari Remenſis ad Amolonem, altera Parduli Laudunenſis ad eundem, & tertia Rabani Moguntini ad Notingum Epiſcopum Veronenſem circa errores Goteſchalci, Remigius, qui Eccleſiæ Lugdunenſi præerat, hujus Eccleſiæ nomine Librum edidit de tribus Epiſtolis; in quo Goteſchalco favere, & doctrinam in his Epiſtolis ac Capitulis Cariſiacis contentam, vellicare ac carpere videtur.

Circa idem tempus anno 855. celebrata eſt tertia Synodus Valentina, in qua de motis à Goteſchalco quæſtionibus actum fuit. Janſenii Apologiſtæ contendunt, tum Eccleſiam Lugdunenſem in Libro de tribus Epiſtolis; tum Synodum illam Valentinam doctrinã Goteſchalci propugnaſſe, & contrariam Cariſiacis capitulis definitam refutaſſe. Quod à nobis jam expendendum eſt.

Dico igitur 4. Eccleſiam Lugdunenſem erroribus Goteſchalci non faviſſe, nec capitula Cariſiaca reverà impugnaſſe: tametſi, errore facti, perſonæ illius Monachi patrocinata fuerit, quem à doctrina ipſi impoſita alienum exiſtimabat, ac duriùs exceptum fuiſſe querebatur.

I. Circa prædeſtinatiónem reproborum ad malum, quam Goteſchalcus admiſerat, Lugdunenſis Eccleſia in Libro de tribus Epiſtolis, ubi ſeptem præmittit regulas, poſtquam regula tertia dixit, *quæcumque ſunt à Deo*

præſci-

Digitized by Google

præſcita, *eſſe quoque prædeſtinata*: nequis inde concluderet peccata quæ à Deo
præſcita ſunt, ab ipſo quoque prædeſtinari; regula 4. ait, *mala opera creatu-* Bibl.PP.
ræ, *quia ipſius tantummodo ſunt*, *& ex ejus vitio*, *non ex Dei voluntate vel ope-* T.15. p.
ratione procedunt, *præſcita à Deo dici poſſunt*, *prædeſtinata non poſſunt*. Et re- 668. col. 1.D.
gula 5. *Ex ipſa*, inquit, *certa præſcientia & juſta prædiſtinatione ſuæ*, (Deus) Ib. col.2.
nulli neceſſitatem impoſuit ut malus eſſet, *& aliud eſſe non poſſet* ...... *Non ergo ille* E.
tantæ bonitatis & pietatis pater quemquam impellit aut compellit ad malum opus
agendum, *vel in malo opere permanendum*: *tamen verè conſtringit*, *& compellit* Ibid.G.
judicio ſuo in malis perſeverantes ad juſtum ſupplicium luendum. Hæc ibidem re-
gula 7. ſtatuitur & exponitur: *Ut neque de electis Dei ullum perire poſſe creda-* Ibid.H.
mus, *neque de reprobis aliquem ſalvari ullatenus exiſtimemus*: *non quia non poſ-*
ſunt homines de malo ad bonum commutari, *& de malis & pravis boni ac recti fie-* Ib.p.669.
ri, *ſed quia in melius mutari noluerunt*, *& in peſſimis operibus uſque in finem per-* col.1.G.
ſeverare voluerunt. Quæ profectò Eccleſiæ Lugdunenſis ſententia, penitus
adverſatur doctrinæ Goteſchalci, qualem nobis repræſentant Rabanus,
Hincmarus, Amolo, aliique Epiſcopi Synodorum Moguntinæ & Cariſia-
cæ: tametſi auctor Libri de tribus Epiſtolis cap. 24. aſſerat, non ita docuiſ-
ſe Goteſchalcum, ejuſque doctrinam à nullo, qui Catholicus haberi velit,
reſpuendam ac damnandam. *Et ideo hac in re*, inquit, *dolemus non illum* Ib.p.679.
miſerabilem Monachum, *ſed Eccleſiaſticam veritatem eſſe damnatam*. Et c. 10. col.2.E.
Quapropter etſi illius miſerabilis Monachi improbatur levitas, *improbatur te-* Ib p.672.
meritas, *culpatur importuna loquacitas*, *non ideo divina neganda eſt veritas*. col.1.A.
Hæc ille, errore facti non ſatis exploratam & perſpectam habens Gote-
ſchalci doctrinam, ac plùs æquo credulus doloſæ profeſſioni fidei, quam
Goteſchalcus callidè ad ſuum errorem diſſimulandum adornaverat. Non
enim controverſia erat de Prædeſtinatione reproborum ad interitum ſeu
ad pœnam, ſed ad culpam; ita ut qui ad interitum eſſent prædeſtinati,
illi cogerentur ac compellerentur ad malum, quod effugere & declinare
non poſſent.

II. Circa voluntatem Dei ſalvandi omnes homines, æquivocatio & ambi-
guitas tollenda ſtatim, diſtinctione voluntatis abſolutæ ſeu efficacis, quam
Schola conſequentem, & voluntatis conditionatæ ſeu inefficacis, quam ante-
cedentem appellat. Per priorem voluntatem, eos tantùm Deus ſalvare vult,
qui reverà ſalvantur: per poſteriorem, omnes omnino vult ſalvare, etiam
eos qui non ſalvantur. Uterque ſenſus Catholicus eſt: neuter rejiciendus.
Inficiari non poſſumus, quin Eccleſia Lugdunenſis, priori imprimis ſenſu af-
firmet, Deum eos tantùm velle ſalvare qui reverà ſalvantur. Fruſtra ea lo-
ca colligunt Janſeniani, quæ non negamus; ſolis oculis opus eſt ut ea legan-
tur capitibus 11. 12. & 13. dicti Libri de tribus Epiſtolis: at diſſimulare non
debuiſſent Janſenii Apologiſtæ, poſteriori etiam ſenſu, fatente ipſamet Ec-
cleſia Lugdunenſi, affirmari poſſe Deum velle omnes homines ſalvos fieri:
quem ſenſum approbat, nedum excludit; hoc enim unum cavet, ne fortè
alter propter alterum rejiciatur. Cap. 12. *Quarto autem modo*, inquit Lugdu- Ib.p.673.
nenſis Eccleſia, *ita à ſanctis Patribus intellectum invenitur quod dictum eſt*: col.1.B.
Qui vult omnes homines ſalvos fieri, *ut ſimpliciter accipiatur hoc de omnibus homi-*
nibus, *quantùm in ipſo eſt*, *Deum velle*, *eò quòd omnes ſalvari velit bonitate Crea-*
toris. Et paulò poſt: *Ita fit etiam ſi ſecundùm pium quorundam Patrum pio-* Ibid.D.

rum

rum ſenſum Deus omnes homines vult ſalvos fieri bonitate Creatoris, qua creaturam ſuam benè à ſe conditam perire non vult, id ipſum iterum nolit Judicis æquitate, qua eandem creaturam ſuam vel originali, vel etiam actuali peccato nequiter inquinatam & vitiatam impunitam eſſe non ſinit. Hanc autem interpretationem rejici non debere, niſi hæretico Pelagianorum ſenſu, apertè declarat ibidem auctor hujus Libri: quaſi nempe Deus, quantùm eſt ex ſe, vellet omnes homines ſalvos fieri, ſi ipſi *velint per naturæ vires*. *In quarto autem modo illud ſine dubio cavendum*, inquit cap. 13. *quia & occaſionem Pelagianæ pravitati præbet, quod Deum, ut ſalvet homines, humanas expectare aſſerit voluntates*....... Et

Ib.p.679. F. paulò poſt. *Quòd autem ibi ſimpliciter intelligitur Deum omnes homines velle ſalvos fieri bonitate ſcilicet Creatoris (ita ut putamus) fideliter poteſt recipi, ſi hanc voluntatem bonitatis ſuæ erga ſalutem hominum non credatur humana ob-*

Ibid. G. *ſiſtente voluntate implere non poſſe, ſed obſiſtente humana iniquitate implere nolle*. Quam hìc bonitatem, ſeu Creatoris, & juſtitiæ ſeu judicis voluntatem appellat Lugdunenſis Eccleſia, Theologi ex S. Anſelmo antecedentem & conſequentem vocant.

III. Circa mortem Chriſti pro ſalute omnium, hæc eſt ſententia Lugdunenſis Eccleſiæ, ſcilicet Chriſtum duobus modis pro ſalute omnium dici poſſe mortuum: 1. efficaci applicatione meritorum Chriſti. 2. ſufficientia non tantùm pretii oblati, ſed voluntatis offerentis; quòd nempe eo animo eaque intentione Chriſtus ſanguinis ſui pretium obtulerit, ut omnibus hominibus ad ſalutem prodeſſe poſſit. Priori ſenſu, pro illis duntaxat mortuus eſt Chriſtus, quibus pretium ſanguinis ipſius efficaciter applicatur: quo profectò ſenſu, Eccleſia Lugdunenſis docet, 1. Chriſtum mortuum eſſe pro triplici hominum ſalvandorum ordine, prædeſtinatorum ſcilicet, tum eorum qui à gratia, quam in baptiſmo perceperunt, ſubinde per peccatum excidunt; eorum denique qui aliquando ſunt ad fidem vocandi: ita cap. 15. docet 2. cap. 18. *Chriſtum non eſſe mortuum* (nempe efficaci applica-

Ib.p.666. col.1. A. tione ſanguinis ſui) *pro omni illa innumerabili & infinita multitudine impiorum, qui ab exordio mundi uſque ad paſſionem Domini, per quatuor fermè annorum millia in ſua impietate ſunt mortui*. Idem ſentit de impiis & infidelibus qui poſt paſſionem Chriſti vixerunt, & in ſua impietate ac infidelitate mortui ſunt. 3. non excludit alium ſenſum, quo nempe Chriſtus dicitur mortuus etiam

Ib.p.677. col.2. E. pro infidelibus, ſufficientia non tantùm pretii, ſed etiam voluntatis; imò ſenſum hunc approbat: *Quòd ſi*, inquit cap. 20. *inveniuntur aliqui Patrum, qui etiam pro impiis in ſua impietate permanſuris Dominum crucifixum dicant....... ſi placet, ſicut & nobis multùm placet, ut etiam iſtorum ſententia ex pietate veniens, propter pacem & venerabilem pietatem beatiſſimorum Patrum non renuatur*. Et cap. 24. loquens de duplici expoſitione hujus Apoſtoli ſententiæ,

Ib.p.679. col.2.F. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, utramque approbat: *Licet alii quidam ſancti & venerabiles Patres*, inquit, *ſimpliciter illa Apoſtoli verba accepiſſe inveniantur, utrorumque tamen ſententia fuerat honoranda, nec, ut jam ſuperiùs dictum eſt, una pro altera damnanda: quia & illa ex divina auctoritate vera eſſe monſtratur, & iſta quadam pia ratione non abhorrere à veritate fideliter creditur*. Idem repetit c. 18. circa voluntatem Dei &

Ib.p.715. F. mortem Chriſti pro omnibus. Et Lib. de tenenda veritate Scripturæ cap. 14. *Catholica fides tenet*, inquit, *& Scripturæ ſanctæ veritas docet, quòd pro*

om-

omnibus credentibus & per gratiam baptiſmi ex aqua & ſpiritu ſancto regeneratis... Salvator noſter ſit mortuus.

IV. Doctrinam Goteſchalci circa liberum arbitrium apertiſſimè improbat ac rejicit Eccleſia Lugdunenſis, tametſi eam huic Monacho abjudicet. *Quia,* inquit cap. 21. *hoc genus erroris nec apud hæreticos, nec apud quemquam Catholicorum nos cognoviſſe, vel audiviſſe meminimus.* Et cap. 24. *Quod verò dixiſſe* (Goteſchalcus) *firmatur, ad malè tantummodo agendum liberum nos habere arbitrium, ad benè verò agendum non habere; ſi verè ita ſenſit & dixit, hoc verè non eſt ex divina auctoritate ſumptum, neque ex SS. Patrum dogmatibus tractum, ſed apertè ex proprio errore prolatum.* *Ib. pag. 677 col. 2 G. Ib. pagin. 679. col. 1. G.*

Dico 5. Valentinam Synodum ex tribus Provinciis, Lugdunenſi, Viennenſi & Arelatenſi, an. 854. congregatam, Cariſiacis Capitulis non ſine quadam verborum aſperitate repugnaſſe. *Porrò*, inquit Can. 4. *Capitula quatuor, quæ a Concilio fratrum noſtrorum minùs proſpectè ſuſcepta ſunt, propter inutilitatem, vel etiam noxietatem, & errorem contrarium veritati: ſed & alia novemdecim Syllogiſmis ineptiſſimè concluſa, & licèt jactetur, nulla ſæculari Litteratura nitentia, in quibus commentum diaboli potiùs, quàm argumentum aliquod fidei deprehenditur, à pio auditu fidelium penitus explodimus*: Prima parte Cariſiaca Capitula deſignantur; ſecunda verò, Joannis Scoti placita, qui Goteſchalci hæreſim impugnare aggreſſus, in alias impegit nihilo tolerabiliores. Illi verò Præſules qui Valentino Concilio interfuerant, poſtea an. 859. ad Synodum Tullenſem primam apud Saponarias & Lingonenſem convenientes ex duodecim Provinciis, hoc eſt univerſo Gallicano Imperio, hæc ipſa Valentina Decreta relecta ita probaverunt, ut tamen mox dictam in Concilium Cariſiacum notam tolli voluerint & omitti: quod certè argumento eſt, illam, Hebbonis Hincmaro infenſi potiùs arte, quàm ex ſententia Concilii appoſitam fuiſſe. Statuunt ejuſdem Concilii Præſules Can. 10. *Ut pace ac tranquillitate recuperata ſimul conveniant, & prolatis ſanctorum Scripturarum atque Catholicorum Doctorum ſententiis, quæ ſaniora ſunt concordi unanimitate ſequantur.* *Tom. 8. Concil p. 137. A. Ibid. pag. 678. A.*

Et reipſa reſtituta Imperii pace, iidem Præſules ſtudiis ac doctrina diviſi hactenus, anno ſubſequente in Concilio ſecundo Tullenſi apud Tuſiacum congregati, ad concordiam & unitatem doctrinæ redire viſi ſunt, eamque confirmare, quæ Capitulis Cariſiacis expreſſa fuerat; atque ita compoſitum videtur totum illud grave diſſidium, quod Eccleſiam Gallicanam nono Eccleſiæ ſæculo turbaverat. Legatur Epiſtola Synodalis manu Hincmari Remenſis juſſu Concilii exarata, ubi doctiſſimus Præſul doctrinam Cariſiacam renovat ac confirmat. *Ib. pag. 708.*

Quidquid ſit, dogma Capitulis Cariſiacis propoſitum reipſa non impugnant nec evertunt Canones Valentini.

Primus universè præſcribit, vocum novitates omni ſtudio fugiendas eſſe; atque Joannem Scotum ſive Erigenam impetit, qui contra geminam Goteſchalci prædeſtinationem Librum evulgaverat erroribus & profana vocum novitate ſcatentem. *Ibid. pag. 134.*

Secundus decernit; *Nec prorſus ulli malo præſcientiam Dei impoſuiſſe neceſſitatem, ut aliud eſſe non poſſit*: adeoque Goteſchalci opinionem in Moguntina Synodo pridem deteſtatam condemnat. *Ibid. pag. 131. D.*

Tertius talis eſt. *Fidenter fatemur prædeſtinationem electorum ad vitam, & præde-* *Ib. pag. 136. A.*

prædeſtinationem impiorum ad mortem: qui Canon Goteſchalco in ſpeciem favere videtur, ac verbo tenus tantùm diſcrepat à primo Capitulo Cariſiaco: quòd cùm unam dumtaxat prædeſtinationem ad bonum admittit, excludere tantùm voluit prædeſtinationem ad malum ſeu peccatum, ſenſu Goteſchalci: non verò prædeſtinationem ad pœnam ſeu ſupplicium

Ibid. propter peccata præcedentia: quem ſenſum etiam ſequitur Valentinus Canon, *In electione tamen ſalvandorum*, ait, *miſericordiam Dei præcedere meritum bonum; in damnatione autem periturorum meritum præcedere juſtum Dei*

Ibid. C. *judicium..... Verùm*, addit Canon, *aliquos ad malum prædeſtinatos eſſe divina poteſtate, videlicet ut quaſi aliud eſſe non poſſint, non ſolum non credimus, ſed etiam ſi ſunt, qui tantùm mali credere velint, cum omni deteſtatione, ſicut Arauſica Synodus, illis anathema dicimus.* Nihil profectò aliud voluit Capitulum Cariſiacum.

Ibid. D. Quartus Canon Valentinus agit de redemptione ſanguinis Chriſti: *Item*, inquit, *de redemptione ſanguinis Chriſti, propter nimium errorem qui de hac cauſa exortus eſt, ita ut quidam, ſicut eorum ſcripta indicant, etiam pro illis impiis, qui à mundi exordio uſque ad paſſionem Domini in ſua impietate mortui æterna damnatione puniti ſunt, effuſum eum definiant, contra illud propheticum: Ero mors tua ò mors! ero morſus tuus inferne: illud nobis ſimpliciter & fideliter tenendum ac docendum placet, juxta Evangelicam & Apoſtolicam veritatem, quòd pro illis hoc datum pretium teneamus, de quibus ipſe Dominus noſter dicit, ſicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipſo non pereat, ſed habeat vitam æternam.* His verbis Patres Valentini eorum dumtaxat errorem proſcribunt, qui teſte

T. 8. p. 23. D. S. Aug. hæreſ. 79. dicit: *Deſcendente ad inferos Chriſto, credidiſſe incredulos, & omnes exinde liberatos.* Et ut loquitur S. Greg. magnus hom. 22. in Evangelia, morte Chriſti exinanitos fuiſſe inferos. Quod nuſquam aſſertum legimus in Capitulis Cariſiacis; quorum quarto iſta dumtaxat Goteſchalci ſententia perſtringitur: *Chriſti ſanguinem nullatenus pro ſalute illorum effuſum, qui æternùm pereunt.* Econtra docet Capitulum, etiam pro hujuſmodi hominibus mortuum eſſe Chriſtum, non quidem efficaci applicatione meritorum ipſius; ſed ſufficientia, non tantùm pretii oblati, verùm etiam voluntatis offerentis: quia nempe, ut diximus, eo animo ac conſilio Chriſtus ſanguinem ſuum fudit ejuſque pretium Patri obtulit, ut omnibus prodeſſe poſſit ad ſalutem. Quem ſenſum Patres Valentinos non impugnaſſe, vel ex eo patet maximè, quòd de iſto tertio Capitulo Cariſiaco, *Deus omnipotens ſine exceptione vult omnes homines ſalvos fieri, licèt non omnes ſalventur*, ne verbum quidem fecerint. Eſt tamen iſta Dei voluntas pro ſalute omnium fons & origo mortis Chriſti pro omnibus. Præterea in Canone 5. Patres Valentini docent, Chriſtum mortuum eſſe pro multitudine fidelium qui per ſacramenta gratiam aſſecuti quidem ſunt, ſed tamen æternùm pereunt, quia in illa non perſeverant: ergo Chriſtus non eſt mortuus pro ſalute dumtaxat ſolorum prædeſtinatorum, ſicut Janſenio ejuſque ſectatoribus videtur.

Quintus idem Canon ſtatuit, quòd omnes ex aqua & Spiritu ſancto regenerati, à peccatis abluti ſint; *Cùm in Eccleſiæ ſacramentis nihil ſit caſſum, nihil ludificatorium*..... quamquam non omnes illi ſalvi fiant. Illum Goteſchalci errorem

Digitized by Google

rorem perſtringit iſte Canon, quo, teſte Amolone & Hincmaro, aſſerebat ſolos prædeſtinatos in baptiſmo gratiam conſequi.

Sextus denique Canon Valentinus eſt de libero arbitrio, nec à Carliſiacenſibus edictis abludit.

Conſule caput 12. Hiſtoriæ Prædeſtinatianæ Sirmondi, ubi ſolidiſſimè probat Lugdunenſem Eccleſiam Synodumque Valentinam in cauſa Goteſchalci prædeſtinatorum erroribus non ſuffragari.

In errore ſuo pertinacem, extremum diem obiiſſe Goteſchalcum ſcribit Hincmarus Lib. De non trina Deitate. *Cùm jam finis ejus appropinquaret*, ait, *fratribus qui aderant, ut à pravo ſuo ſenſu & perverſa ſententia ſe revocaret, & Communionem ſacram perciperet, ſuadentibus reſpondit, à ſuo ſe ſenſu & ſententia revocare, & Communionem per auctoritatem non poſſe accipere. Sicque indignam vitam digna morte finivit, & abiit in locum ſuum.* *Opera Hincm. T. 1. p. 555.*

DE LUTHERO & CALVINO.

Circa modum agendi, ſeu efficaciam gratiæ, hæc eſt Novatorum ſententia.

I. Voluntatem ſub motione gratiæ neceſſariò agere; nec in ipſius poteſtate eſſe, moventi gratiæ obtemperare vel refragari, ſed neceſſariò obtemperare. *Voluntatem* (Deus) *movet*, ait Calvinus L. 2. Inſtitutionis c. 3. n. 10. *non qualiter multis ſæculis traditum eſt & creditum, ut noſtræ poſtea ſit electionis, motioni aut obtemperare aut refragari: ſed illam efficaciter afficiendo.... Neque ſecus accipi ſententia Chriſti poteſt, Omnis qui audivit à Patre meo venit ad me, quàm ut efficacem à ſe ipſa Dei gratiam doceat....* Et poſtea.... *Medium quem Sophiſtæ* (ſic Catholicos appellat) *imaginantur modum, cui obſequi vel quem repellere liberum ſit, apertè excludi videmus, ubi aſſeritur efficax ad perſeverandum conſtantia.* Et n. 11. *Quoniam*, pergit, *inde natus eſt* (error) *quòd putabant in manu noſtra eſſe reſpuere vel accipere oblatam Dei gratiam, hac opinione exploſa, ille quoque ſponte ſua corruit.* Et cap. 2. n. 6. referens ſententiam Catholicorum: *Ideo*, inquit, *putarunt nos ſecundæ Dei gratiæ cooperari, quòd noſtri juris ſit primam gratiam vel reſpuendo irritam facere, vel obedienter ſequendo confirmare.* Quam noſtrorum doctrinam ſubinde refellit Calvinus. *Ed. Genev. 1559. p. 99.* *Ibid.* *Pag. 84.*

Quæ porrò illa ſit neceſſitas per gratiam illata docet idem Calvinus L. 1. Inſtitutionis cap. 16. n. 9. in fine. *Interea*, inquit, *quod ſtatuit Deus, ſic neceſſe eſt evenire, ut tamen neque præciſè neque ſuapte natura neceſſarium ſit. Exemplum in Chriſti oſſibus familiare occurrit. Cùm induerit corpus noſtro ſimile, fragilia fuiſſe ejus oſſa nemo ſanus negabit: quæ tamen frangi fuit impoſſibile. Unde iterum videmus non temerè in Scholis inventas fuiſſe diſtinctiones de neceſſitate ſecundùm quid, & abſoluta: item conſequentis & conſequentiæ: quando oſſa filii ſui Deus quæ à fractura exemerat, fragilitati ſubjecit, atque ita reſtrinxit ad conſilii ſui neceſſitatem quod naturaliter contingere potuit.* Mens igitur Calvini eſt, ex decreto & motione Dei non ſequi aſſenſum noſtrum neceſſariò, neceſſitate, ut ajunt, conſequentis, ſed tantùm neceſſitate conſequentiæ. Item non ſequi neceſſariò neceſſitate abſoluta, ſed ſecundùm quid. Deinde non eſſe aſſenſum noſtrum ſuapte natura neceſſarium; ſed ſi cum proxima cauſa; humana ſcilicet voluntate comparetur, contingentem eſſe: ſin verò referatur ad voluntatem & motionem Dei, eatenus fieri neceſſariò. *Pag. 65.*

Eò uſque tandem progreſſi ſunt Lutherus & Calvinus, ut præfractè contenderint, non eſſe in homine liberum arbitrium, ſed eſſe dumtaxat vacuum ſine re titulum. *Liberum arbitrium poſt peccatum, eſt res de ſolo titulo*, ait Lutherus in articulo 36. eorum quos Leo X. damnavit. Et in aſſertione eorumdem articulorum: *Liberum*, inquit, *arbitrium, eſt figmentum in rebus, ſeu titulus ſine re*. Calvinus pariter in Antidoto ad Canonem 5. ſeſſionis 6. Conc. Tridentini, *Quia*, inquit, *per liberum arbitrium intelligunt* (Patres Tridentini) *eligendi facultatem, quæ ſit in utramque partem libera & ſoluta, titulum ſine re eſſe, qui affirmant, Chriſtum habent auctorem ...... Quod ad ipſam vocem attinet, audiant Auguſtinum &c.*

Inter Opuſc. Ed. Genev. 1552. p. 21.

II. Docent iidem Novatores, per gratiam, ſimplicem neceſſitatem, non verò coactionem voluntati noſtræ inferri; ac durè increpant eos ex noſtris, qui neceſſitatem cum coactione & violentia videntur confundere. Audiantur

Lutherus in Libro de ſervo arbitrio, *Sequitur*, inquit, *nos neceſſariò operari ...... Neceſſariò verò dico, non coactè, neceſſitate immutabilitatis, non coactionis. Hoc eſt, homo cùm vacat ſpiritu Dei, non quidem violentia, velut raptus obtorto collo, nolens facit malum; ſed ſponte, & libenti voluntate facit. Hoc vocamus modo neceſſitatem immutabilitatis, quòd voluntas ſe ſe mutare & vertere aliò non poſſit. Rurſus ex altera parte, ſi Deus in nobis operatur, mutata & blandè aſſibilata per ſpiritum Dei voluntas, iterum mera lubentia & pronitate, ac ſponte ſua vult & facit, non coactè, pro natura voluntatis, quæ ſi cogeretur, voluntas non eſſet: nam coactio potius eſt, ut ſic dicam, noluntas*. Hæc quidem Lutherus clara & perſpicua.

Pag. 84. Calvinus L. 2. Inſtitutionis cap. 2. n. 7. *Liberi ergo*, inquit, *arbitrii hoc modo dicetur homo, non quia liberam habeat boni æquè ac mali electionem; ſed quia*
Pag. 95. *malè voluntate agit, non coactione. Optimè id quidem; ſed quorſum attinebat rem tantulam adeo ſuperbo titulo inſignire?* Et cap. 3. nu. 5. *Porrò*, inquit, *quòd libertate abdicata voluntatem dico neceſſitate in malum trahi vel duci: mirum eſt ſi cui videatur aſpera locutio ...... Offendit eos qui inter neceſſitatem, & coactionem diſtinguere neſciunt*.

Inter Opuſc. p.251. Et Lib. 2. de libero arbitrio contra Pighium: *Si coactioni*, inquit, *opponatur libertas, liberum arbitrium eſſe, & fateor, & conſtanter aſſevero; ac pro hæretico habeo, quiſquis ſecus ſentiat. Si hoc, inquam ſenſu liberum vocetur, quia non cogatur, aut violenter trahatur externo motu, ſed ſponte agatur ſua, nihil moror*. Deinde addit, quòd cùm aliter ſumi ſoleat liberum arbitrium, nempe pro voluntate *quæ ſub poteſtate ſua habeat bonum & malum, ut alterutrum eli-*
Ib p.252. *gere ſuapte virtute queat*, ſe hoc ſenſu rejicere liberum arbitrium profitetur, *Coacta*, inquit, *voluntas nulla eſſe poteſt*. Calvinus igitur non gravatè liberum hominis arbitrium agnoſcit, modò ſolam excludat coactionem, non ſimplicem neceſſitatem.

III. Docent iidem Novatores, voluntatem aſſentiendo Deo vocanti, nihil ex ſe ipſa cooperari; hoc eſt, nihil vi propria & partiali virtute, quamtumvis per gratiam elevata, agere, ſed Deum eſſe cauſam totalem & adæquatam conſenſus quem in voluntate & per voluntatem operatur. Ita

Calvinus L. 5. de libero arbitrio: *Nego*, inquit, *gratiam ſic nobis offerri, ut*
Ibid.304. *noſtræ poſtea ſit optionis vel obtemperare, vel refragari: nego tantùm in hoc dari, ut imbecillitatem noſtram ſubſidio ſuo adjuvet: quaſi in nobis aliàs quidquam ſit*

ſitum;

Digitized by Google

ſitum: ſed hoc in ſolidum illius opus ac beneficium eſſe confirmo, ut cor noſtrum ex lapideo in carneum vertatur.

Et Lib. 3. Inſtitutionis cap. 15. n. 7. Sorbonicos, id eſt Catholicos ſugillat, quòd, etſi principalem boni operis cauſam referant ad gratiam, libero tamen hominis arbitrio aliquam ipſius partem vindicent. *Quia vident*, inquit, *parum valere ad hominem attollendum bona opera, ac ne merita quidem propriè vocari, ſi divinæ gratiæ fructus cenſeantur: ex vi liberi arbitrii ea eliciunt, oleum ſcilicet ex lapide. At principalem quidem cauſam in gratia eſſe non negant; ſed eo tamen contendunt non excludi liberum arbitrium, per quod ſit omne meritum.* Mens igitur Calvini eſt, omne boni operis meritum in ſolidum à Deo eſſe, nec liberum arbitrium quidquam de ſuo conferre.

In Antidoto Conc. Trid. ad can. 4. ſeſſ. 6. rurſus ſic loquitur. *Qui ergo motum aliquem libero arbitrio proprium tribuunt, & ſeparatum à Dei gratia, nihil aliud quàm ſpiritum diſcerpunt.* Separatum à Dei gratia dicit hic Calvinus motum liberi arbitrii, non quòd excludat gratiam, aut à Catholicis ad bonum illum motum eam excludi exiſtimet, ut manifeſtum eſt ex verbis ipſius mox citatis Lib. 6. de libero arbitrio; ſed ſeparatum dixit, quia nullum liberi arbitrii motum, ſeu nullam veram cooperationem, nullum verum influxum ipſius ad bonum opus agnoſcit, eò quòd per gratiæ influxum neceſſariò ad unum determinetur. Inter Opuſc. p. 720.

Atque ex hoc poſtremo doctrinæ Calvinianæ capite, neceſſario nexu ſequitur, liberum arbitrium merè paſſivè ſe habere reſpectu boni formaliter ſumpti; ſeu agi, non agere: quandoquidem Deus tanquam totalis & adæquata cauſa, in ipſo & per ipſum, totum quod bonum eſt, operatur. Quam conſequutionem apertè & liberè admiſit Lutherus. Tom. 14. Concil. p. 764 E.

Quapropter meritò Synodus Tridentina ſeſſ. 6. can. 4. anathema iſtud pronunciat. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat ac præparet, neque poſſe diſſentire, ſi velit, ſed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque paſſivè ſe habere, anathema ſit.*

Cùm Pighius iſtud doctrinę Calvinianę conſectarium Calvino ipſi objiceret, reclamabat Hæreſiarcha, conteſtans falsò ſibi imponi liberum hominis arbitrium paſſivè dumtaxat ſe habere. *Fruſtra*, inquit Calvinus L. 5. de libero arbitrio, *hinc nobis conflare invidiam nititur*, (Pighius) *quòd homines lapidibus ſimiles fiant, ſi nullæ illis in benè agendo partes relinquantur. Id enim ex doctrina noſtra perperam infert, qui mentem hominis fatemur videre, ſed illuminatam; judicium diſcernere & eligere, ſed ſpiritus directione gubernatum: cor eſſe voluntarium ſed reformatum manu Dei; hominem ipſum, & conari & agere, & ad Dei obſequium applicare ſuas facultates, ſed pro gratiæ menſura quam accepit.* Inter Opuſc. p. 318.

Et Lib. 6. *Non hoc quæritur, agat-ne voluntas, quod extra dubium eſt; ſed agat-ne ex ſe ipſa, an pro modo divinæ actionis; Aut craſſiore, ſi placet, loquendi modo, diſtincta-ne an ſeparata ſit actio voluntatis ab operatione Dei: an illi, quod aiunt, ſubordinetur. Quis enim neſcit, per voluntatem fieri ut velit homo? Sed Paulus illic voluntatem aſſerit Dei ſpiritu gubernari, ut ad bonum inclinet & aſpiret, ideoque propriam ejus eſſe actionem, ſi quid boni animo concipimus.* Ib. pag. 344.

Verùm his verbis fucum facit Calvinus, nec intortum à Pighio telum ex-

 cutit.

entit. Eſtò enim fateatur Calvinus, mentem videre, judicium diſcernere & eligere, cor eſſe voluntarium, hominem conari & agere, voluntatem velle, &c. Quid inde? Hoc unum, nempe liberum hominis arbitrium: utpote facultatem vitalem, vitaliter agere, ſe movere; nec inſtar lapidis ſe merè paſſivè habere ad bonum materialiter ſumptum. At non ita eſt circa bonum formaliter ſumptum, prout meriti rationem habet; namque Calvinus in opere bono ac meritorio nullam homini partem reſervat, ſed totum Deo tribuit: cujus quidem ſententiæ ratio & cauſa à priori hæc eſt juxta Calvinum, quòd optima quæque viri etiam ſanctiſſimi opera, inficiantur ac maculentur aliqua peccati ſaltem venialis ſorde; nempe propter vitium concupiſcentiæ, quod ſemper optimis actionibus humanis adhæreſcit.

pag. 287. Sic loquitur Calvinus L.3. Inſtit. c.15. n.3. *Bonorum*, inquit, *operum laudem non (ut Sophiſtæ faciunt) inter Deum & hominem partimur: ſed totam, integram & illibatam Domino ſervamus. Tantùm hoc homini aſſignamus, quòd ea ipſa quæ bona erant ſua impuritate polluit & contaminat. Nihil enim ab homine exit, quantumvis perfecto, quod non ſit aliqua macula inquinatum.* Et n.4. *Scripturæ doctrina eſt*, pergit Calvinus, *aſperſa eſſe perpetuò ſordibus multis bona noſtra opera, quibus meritò Deus offendatur ac nobis ſuccenſeat.* Ibid.

4. Vim & efficaciam gratiæ, ut & libertatis originem, Calvinus repetit ex

pag. 101. victrice ſeu ſuperiori delectatione. L.2. Inſt. c.3. n.14. Auguſtinus *docet quòd humana voluntas non libertate gratiam, ſed gratia conſequatur libertatem: quòd per eamdem gratiam impreſſo delectationis affectu, ad perpetuitatem conformetur.* Et

Inter Opuſc. p. 268. Lib. 3. contra Pighium: *Semper autem*, ait, *teſtatus ſum, me de nomine pugnare nolle, ſi hoc ſemel conſtitueretur; libertatem non ad potentiam vel facultatem boni æquè ac mali eligendi, ſed ad ſpontaneum motum & conſenſum referri debere. Et quid aliud ſonant Auguſtini verba? Libera eſt*, inquit, *hominis voluntas, ſed ad malum. Cur? quia delectatione & proprio appetitu movetur.*

Ex dictis hactenus facilè intelligitur, quis ſit error Novatorum circa modum agendi, ſeu vim & efficaciam gratiæ. His capitibus continetur, 1. per gratiam voluntati neceſſitatem inferri, non eam quidem quæ coactionis ac violentiæ dicitur, ſed eam quę ſimplex vocatur; qua nempe voluntas ita ad unum invincibiliter & inſuperabiliter determinatur, ut actus contrarius ampliùs non ſit in ejus poteſtate. 2. Libertatem in uno voluntario poſitam eſſe, non in ea indifferentia activa qua voluntas, poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, poſſit ad unam vel alteram partem ſe inflectere. 3. Voluntatem Deo moventi & excitanti aſſentiendo non cooperari, ne partiali quidem influxu; ſed merè paſſivè ſe habere reſpectu boni formaliter ſumpti, ſeu quatenus meriti rationem induit. 4. Omnia juſtorum opera ſemper aliqua macula ſeu labe peccati aſpergi ac coinquinari. 5. denique, vim & efficaciam gratiæ, ſicut & originem libertatis oriri ex delectatione victrici, quæ voluntatem movet & trahit.

Janſenii diſcipuli, quibus hoc vitio datur à Catholicis, quòd circa modum agendi gratiæ idem cum Calviniſtis ſentiant, in omne latus ſe convertunt, ut hanc à ſe labem amoliantur; ajuntque, amplum diſcrimen hic eſſe, inter ſuam & Calvini ſententiam. 1. Quia Calvinus vim omnem activam adimit voluntati. 2. Quia vim eligendi, & liberum ipſum arbitrium funditus evertit.

Verùm reponunt Orthodoxi, 1. falſum eſſe Calvinum à voluntate vim omnem

nem activam excluſiſſe: expreſſè ſiquidem declarat, & voluntatem velle ſeu agere,& mentem intelligere &c. Vim igitur activam ſuſtulit dumtaxat reſpectu boni formaliter, non autem materialiter ſumpti, ut diximus; qua ex parte fatemur Janſenii diſcipulos à ſententia Calvini diſcedere. Duo verò in Calvino damnat Tridentina Synodus ſeſſ. 6. Can. 4. nempe *voluntatem Deo excitanti atq; vocanti diſſentire non poſſe ſi velit; ſed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque paſſivè ſe habere*. Poſtrema hæc pars Canonis ad Janſenium quidem nihil attinet: at prior eum perinde ac Calvinum ferit. Reclamant Janſeniani, ac conteſtantur docere ſe cum Magiſtro ſuo, voluntatem gratiæ moventi & excitanti diſſentire poſſe ſi velit: at ludunt illi. Reverà poteſt voluntas diſſentire ſi velit; verùm, in eorum ſyſtemate, voluntas non poteſt velle diſſentire gratiæ, quia caret oppoſita delectatione ſuperiore, ſine qua voluntas non poteſt velle: ſed de hoc argumento plura inferiùs. 2. Nuſquam negavit Calvinus, quin voluntas à Deo mota & excitata vim habeat eligendi, ſi electionis nomine intelligas cum diſcipulis Janſenii, non quidem activam indifferentiam flectendi ſe ad partem alterutram; ſed rei propoſitæ reflexam cognitionem, ac in ea complacentiam. 3. Nuſquam pariter liberum arbitrium Calvinus omnino ſuſtulit, ſi eo nomine voluntarium intelligas, tametſi aliqua neceſſitate ligatum, ſicut & ipſi intelligunt Janſenii ſectatores. *Fatemur*, ait Calvinus L. 5. de libero arbitrio, *cor hominis voluntarium, ſed reformatum manu Dei*. 4. denique, nuſquam Calvinus admiſit in voluntate coactionem aut neceſſitatem abſolutam & conſequentis; ſed tantùm neceſſitatem ſecundum quid, &, ut ajunt, ſimplicem, &, conſequentiæ, qualem agnoſcunt iidem Janſeniani.

Tom. 14. Conc. p. 764. E.

Inter Opuſc. p. 318.

DE MICHAELE BAJO.

Totius cauſæ Bajanæ hæc eſt hiſtorica Synopſis. Michael Bajus anno 1513. naſcitur Melini in territorio Athenſi apud Belgas. De Bay.

Anno 1550. Laurea Doctorali donatur in ſacra Facultate Theologica Lovanienſi.

Anno 1551. Regius ſacrarum Litterarum Profeſſor inſtituitur à Carolo V. Hiſpaniarum Rege. Eo in munere nova docere cœpit cum Joanne Heſſelio. Heſſels.

Anno 1552. Cùm die 20. Aprilis Tridentina Synodus propter bellorum tumultus intermiſſa fuiſſet, Ruarddus Tapperus, quem Magiſtrum Bajus habuerat, & Judocus Raveſteyn ex Tridentino Concilio Lovanium reduces, Bajo nova diſſeminanti, & ab antiquis Scholæ Lovanienſis placitis recedenti ſtrenuè obſtiterunt.

Anno 1560. Exorta inter Minoritas Belgii contentione, circa multos articulos quos Bajus docere ferebatur, Petrus de Quercu Guardianus Conventus Nivellenſis, & Ægidius de Querceto Guardianus Athenſis, octodecim ex illis ſelectos miſerunt ad ſacram Facultatem Pariſienſem, enixè rogantes ut ſuam de illis aperiret ſententiam. Eorum votis annuit ſacra Facultas, ac ſua cenſura die 27. Junii an. 1560. articulos illos notavit. Cenſuram hanc quibuſdam notis diſpunxit Bajus.

Anno 1561. Multæ Propoſitiones, quæ dicebantur eſſe Baii, oblatæ ſunt Cardinali Granvellano, quas cùm Bajo tradidiſſet, iſte reſponſionem ſuam

dicto Cardinali porrexit. Tunc verò juſſu Pii IV. S. Pontificis partibus hinc & inde non ſine animorum æſtu diſſidentibus ac tumultuantibus, impoſito ſilentio, controverſia viſa eſt deferveſcere, ac tranquillitas reſtitui. Ita ſignificat ipſemet Bajus, in ſua ad Cardinalem Simonetam Epiſtola. Quapropter

In nova Operum Baii editione p. 1. p. 124. & ſeq.

Anno 1563. ineunte, Michael Bajus à Rege Catholico delegatur Tridentum, ut Concilio intereſſet, quod eo anno abeunte completum fuit. Narrat Concilii Hiſtoricus Palavicinus L. 15. cap. 7. Commendonum Cardinali Mantuano Concilii Præſidi ad expendendum propoſuiſſe, an expediret Bajum & Heſſelium mitti ad Concilium. *Etenim ſi permitteretur illis* (ajebat) *pro ſua libidine loqui, poſſe magnas excitari turbas, præſertim in Germania: ſin vetarentur, Proteſtantes accepturos inde fuiſſe contumaciæ ſuæ tegumentum, cauſatos, nolle ſe intereſſe Concilio, in quo doctorum hominum linguis vinculum injiceretur. Addebat: Nolle ſe infauſtum præſagium de hujuſmodi viris præcinere: compertum tamen ſibi eſſe, Ruarddum, in Theologicis diſciplinis præclarum, in his duobus adhuc ætate juvenili obſervaſſe infauſtam conjunctionem ingenii & audaciæ, ac dicere ſolitum, ſe nonniſi ſchiſma ab illis expectare; atque Theologicam Lauream diu ipſis idcirco diſtuliſſe. Eos videri ſcientiæ ſuæ nimis amantes, quamvis alioqui probos & modeſtos.* His tamen non obſtantibus, cenſuit Commendonus *dandam eſſe operam, ut Doctor uterque Tridentum pergeret; ubi Legatorum ſolertia eos ſibi conciliaret.* E Concilio Lovanium redux Bajus, nonnulla ſua Opuſcula typis mandari curavit: inde nova diſſidiorum ſeges.

Historic. Concil. Trid. L. 11. cap. 7. T. 2. p. 635.

Pagin. 636.

Anno 1564. Aliqui, non ex Minoritis tantùm, ſed ex ipſa Lovanienſi Academia, multos articulos ex Libris Baii extractos denunciarunt apud S. Pontificem Pium IV. Apoſtolicæ Sedis judicium circa ipſos rogantes. Interim è vivis excedit Pius IV. cui ſucceſſit S. Pius V. è familia ſancti Dominici, ubi per plures annos doctrina ſancti Thomæ innutritus, ſumma cum laude Theologiam docuerat; ad Epiſcopatum, tum ad Romanam purpuram, ad ſupremum deinde Pontificatum aſſumptus.

Circa iſtud tempus, Academię Complutenſis, Salmanticenſis, & aliæ nonnullæ Italiæ ſuis cenſuris quoſdam novę doctrinę Baii articulos confixerunt.

Anno 1567. Pius V. Calendis Octobris, data ſolemni Conſtitutione damnavit Propoſitiones numero ſeptuaginta ſex, tacito Baii nomine. Ad preces ſcilicet Cardinalis Granvellani, Cenſuræ Romanæ titulus, quo nomen auctoris & Libri exprimebatur, mutatus fuit, ſicut ipſe Cardinalis fatetur in Epiſtola, quam die 13. Novembr. ejuſdem anni ſcripſit ad Maximilianum Morillonium Præpoſitum Arienſem, & ſuum in Archiepiſcopatu Mechlinienſi Vicarium generalem. Conſultum ea œconomia fuit, tum leniendo Baii dolori, tum ejus honori ac famæ conſervandæ. Propoſitiones verò illas, in genere tantùm ſeu in globo & reſpectivè damnavit Summus Pontifex, *tanquam hæreticas, erroneas, ſuſpectas, temerarias, ſcandaloſas, & in pias aures offenſionem immittentes.* Neque porrò aut inſolens, aut minùs firmus eſt iſte ferendæ cenſuræ modus, ut ex mox dicendis conſtabit.

In nova edit. Oper. Baii 2. parte p. 62.

Clauſulam in ſua Conſtitutione adjecit Pius V. quæ propter unam interpunctionem ſeu virgulam diverſimodè collocatam, novis contentionibus ac rixis, Baiique fautoribus occaſionem ac prætextum ſuppeditavit eludendi Apoſtolicam cenſuram. Scilicet poſt enumeratas Propoſitiones hæc addit Summus Pontifex: *Quas quidem ſententias ſtricto coram nobis examine ponderatas,*

Recueil des Bulles p. 23.

tas, quamquam nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent, in rigore & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento hæreticas, erroneas &c. damnamus. Qui Bajo favent, virgulam, quæ poſt verbum iſtud, *poſſent*, collocanda eſt, transferunt poſt iſta, *ſenſu ab aſſertoribus intento*; nimirum ut iſtum ſenſum eliciant: Quamquam nonnullæ (ex notatis Propoſitionibus) aliquo pacto ſuſtineri poſſent in rigore & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento, eas tamen ut hæreticas &c. reſpectivè damnamus. Verùm momentum iſtud mox expendemus.

Interim anno 1567. die 29. Decembris, Morillonius prædictam Pii V. Bullam legit ac promulgavit coram ſtricta Facultate Theologica Lovanienſi ad id ſpecialiter convocata; atque præmiſſa brevi ad pacem & concordiam inter Doctores fovendam adhortatione, duo indixit executioni mandanda: primum, deinceps abſtinendum omnino ab omnibus & ſingulis ſententiis in Bulla damnatis, ſeu voce, ſeu ſcripto propugnandis: alterum, interdicendos Libros ex quibus articuli damnati extracti ſunt. Bullæ obſequentiſſimos ſe fore promiſerunt, quotquot cum Decano aderant Doctores Lovanienſes; cujus exemplar ad majorem fidem ſuis faciendam, ſibi dari enixè poſtularunt: interpoſitis etiam precibus, ne publicè interdicerentur Libri, ex quibus articuli damnati educti fuerant, cùm iſtud fieri vix poſſet ſine gravi multorum offendiculo & auctoris Libellorum infamia; unde forſan majoris diſcordiæ periculum timeri poſſet. Repoſuit Morillonius non poſſe ſe exemplar Bullę, quod poſtulabant, ipſis concedere, (quòd nempe ſperabat S. Pontifex rem totam brevi componendam eſſe ac ſopiendam) ſatiſque eſſe ſi articulos damnatos ſuaque propria manu deſcriptos acciperent.

Quantùm verò ad interdictionem Librorum, dilaturum ſe, donec ſecundò juſſus differre ampliùs non poſſet. Hæc omnia conſtant ex Inſtrumento quod Janſenius Facultatis Decanus, poſtea Gandavenſis Epiſcopus, coram Notario publico edidit dicta die 29. Decemb. an. 1567. *In nová edit. Oper. Baii parte 2. pag. 66. & ſeq.*

Ad ſedandas verò quæ inter Minoritas ſubortæ fuerant occaſione Doctrinæ Baii contentiones, idem Morillonius Bullam Pianam vocatis eorum Rectoribus intimavit; qui omnes confeſtim acquievere: emiſſo poſtea in Comitiis Nivellenſibus anni 1568. ſolemni decreto, quo omnibus & ſingulis Provinciæ Flandriæ Minoritis Lex impoſita fuit, nuſquam propugnandi vel unum ex damnatis in Bulla Pii V. articulum. *Ibid. pag. 147.*

Anno 1568. die 20. Junii, Morillonius Cardinali Granvellano per Litteras ſignificavit, ſe Michaelem Bajum magis quàm antea offenſum & exaſperatum reperiſſe, eaque de cauſa noluiſſe ſe urgere ipſum ad ejurandas Propoſitiones damnatas. Addit nihilominus ibidem, eum ſequenti die pacatioris animi fuiſſe. Inter multa verò, quę in hac ſua prolixa Epiſtola narrat Morillonius à ſe dicta vel facta, ut Bajum deliniret & ad obſequium promptum Apoſtolicæ Conſtitutioni exhibendum adduceret, iſtud prætermitti non debet, Bajum ſcilicet ignorare non poſſe, doctrinam ſuam à Facultate ſacra Pariſienſi, ab omnibus Hiſpaniæ Academiis, & Romæ à pluribus eruditione conſpicuis viris improbatam fuiſſe; &, quod gravius longè eſt, ea ſic multos è Patribus Tridentinis offenſos fuiſſe, ut niſi obſtitiſſet & Dominus Iprenſis, & finis Concilio fuiſſet impoſitus, etiam ſe (Bajo) præſente damnata fuiſſet. *Ibid. pag. 71. & ſeq.* *Ib. pag. 79.*

Anno 1569. die 8. Januarii Bajus litteras dedit ad Pium V. quibus expo-

Digitized by Google

nit, ſe nullum Bullæ tranſumptum neque Romæ, neque Lovanii obtinere potuiſſe; cùm interim ſententiæ damnatæ per inferiorem Germaniam circumferrentur.

Miſit inſuper doctrinæ ſuæ Apologiam in quâ duo tentat. Primum; inter ſententias damnatas, plurimas ſibi falsò imputari: alterum, eas ad mentem ſancti Auguſtinini veras eſſe. Tum Pontificem enixè rogat, ut hac attentiùs perlectâ doctrinæ ſuæ Apologia, cogitet, utrùm Bullam ut legitimam & ſufficienter diſcuſſam haberi velit, an tanquam ſubreptitiam reſcindere.

Ibid pag. 140. Bajo reſcripſit S. Pontifex die 13. Maji ejuſdem anni; declaravitque, Bullam ſuam *non ſine matura deliberatione* editam fuiſſe, *quemadmodum & ipſius cauſæ gravitas, & hominum de ſancta Sede benè meritorum conditio poſtulabat. Nihilominus ſe, ut ipſi ſatisfieret, curaviſſe ut & Libri, & ipſæ Propoſitiones & ſcripta Apologetica novo ac maturo examine expenderentur.* Quibus expenſis, addit S. Pontifex; *quæ ſuper hoc ipſo jam decreveramus, niſi antea à nobis decreta fuiſſent, eadem, prout facimus, de integro decernenda ſtatuendaque eſſe judicavimus. Itaque tibi & cæteris prædictarum Propoſitionum aſſertoribus ac defenſoribus pro earum aſſertione perpetuum ſilentium imponimus.* Deinde ſeriò Bajum ejuſque patronos admonet, ut quantocius Apoſtolicæ Conſtitutioni ſe ſubjiciant. Iſtud Pontificis Breve Morillonius Bajo reddidit die 20. Junii an. 1569. ſimulque ipſi communicata Granvellani Epiſtola, Bajus intellexit ſe apud Pontificem malè audire, quòd ad ipſum ſui apologiam pertinaciæ vicinam miſiſſet, quapropter veniam poſtulavit, affirmans ſe ad obſequendum paratum eſſe. At Morillonius ab eo ſciſcitatus, num damnatas Propoſitiones ejurare vellet, reſpondit ſe iſtud facere non poſſe, niſi haberet Bullę tranſumptum, eò quòd in ea diceretur nonnullas Propoſitiones ſuſtineri poſſe in rigore & proprio verborum ſenſu. Repoſuit Morillonius, ſe tale tranſumptum non poſſe concedere; ipſique apprimè notum eſſe, quòd cùm Romam idcirco ſcripſiſſet, illud obtinere non potuerit, eò quòd ſua Sanctitas rem iſtam ſilentio ſopiri cuperet. Tandem iterum atque iterum pulſatus, num Bullæ S. Pontificis acquieſceret, dixit paratum ſe eſſe abſolutè parere, & Propoſitiones omnes in Bulla notatas ejurare. Quo dicto genu flexit, ejuravit, & à cenſura, quam incurriſſe dicebatur, abſolutus fuit. Hæc omnia narrat teſtis oculatus Morillonius, in litteris quas die 20. Januarii ann. 1569. ſcripſit ad Granvellanum.

Ibid. pag. 128. & 129. Anno 1570. die 16. Novembr. Morillonius Pii V. Bullam, quam coram ſtricta dumtaxat Facultate legerat, ritu ſolemni in Scholis publicis promulgavit, omnibus conſentientibus ac Bullæ ſe ſubjicientibus. Ita ferunt Acta Facultatis Lovanienſis.

Ib. pag. 185. Cùm verò nonnulli adhuc inquieti cauſarentur, Morillonium ſuo proprio motu ſub ementito Epiſcoporum in Synodo Provinciali Mechlinienſi congregatorum nomine, dictam Bullam promulgaſse, ac ipſius ſubſcriptionem exegiſſe; Rythovius Iprenſis, & Janſenius Gandavenſis Antiſtites, Facultati *Ib. pag. 149. & 150.* Theologicæ, è qua ad Epiſcopatum aſſumpti fuerant, per litteras die 20. Decembris ejuſdem anni datas ſignificarunt, ſe reverà Morillonio provinciam illam demandaſse: necdum tamen inter Lovanienſes pax omnino firmata, nec Bullæ Pianę auctoritas inconcuſsa. De illa variis in Congregationibus Theologicæ Facultatis actum annis 1571. & 1572. ac omnium unanimi ſuffragio

fragio concluſum: 1. Ut omnes articuli in Bulla enumerati pro damnatis haberentur. 2. Libros & Tractatus, in quibus illi articuli docentur & aſſeruntur, eſſe è manibus ſtudioſorum auferendos: alios autem unà cum manuſcriptis quæ ſtudioſorum diligentia collecta ſunt, permitti quidem poſſe, ſed ita ut moneantur ſtudioſi, defenſiones & aſſertiones eorumdem articulorum, ubicumque occurrant, eſſe expungendas & delendas: quod ut fiat diligentiùs, deputati ſunt aliqui ex Magiſtris, ad repurganda ſcripta D. Heſſels. 3. Facultatem acceptare declarationem, quam ante aliquot dies fecit in Scholis Theologicis D. Michael Bajus, ſe nempe paratum eſſe judicium Facultatis in ea re ſubire: neque recordari ſe, quòd unquam dixiſſet quòd opponebatur; nimirum, *moriendum potiùs eſſe pro illis articulis, quàm eos damnare*. Quòd ſi iſtud dixiſſet, reſpexiſſe ſe, ajebat, ad aliquas dumtaxat partes in nonnullis articulis comprehenſas, non verò ad integros articulos. 4. denique, de nonnullis articulis modeſtam & amicam inter Doctores habendam eſſe collationem ac diſceptationem, ut una eademque ſit omnium vox atque ſententia. Leguntur iſta in Libro Actorum Facultatis Theologicæ Lovanienſis ab anno 1515. uſque ad ann. 1572. *Ib p.186. & 187.*

Anno 1579. inchoante, cùm Gregorius XIII. Pii V. ſucceſſor intellexiſſet (referente Urbano VIII. in Bulla *In eminenti*, anno 1641.) non ſine animi dolore, non deeſſe inter Theologos, non modò ſtudioſos, ſed & Profeſſores, qui articulos Conſtitutione Pii V. damnatos aſſerere & pertinaciter defendere pergerent; imò non paucis perſuaſum eſſe, præfatam Bullam etiam ab ipſa Sede Apoſtolica aliquando retractandam ac revocandam fore; ad coercenda hujuſmodi ingenia, ſimulque ad eximendam vanam illam iſtorum futuræ aliquando retractationis ſpem ac expectationem, præfatam Bullam ſua quoque auctoritate confirmavit, articuloſque ibidem comprehenſos iteratò damnavit; miſſo Lovanium Franciſco Toleto è Societate Jeſu, quem à ſacris habebat Concionibus, poſtea Cardinale, qui Bullam deferret, promulgaret, & ab omnibus, ea qua par eſt reverentia, recipi curaret.

Anno itaque 1580. die Martii, in frequentiſſimo totius Academiæ conſeſſu, juſſit Bullam clara & intelligibili voce per Conrardum Sylvium Univerſitatis Notarium recitari. Qua lecta, Toletus convertit ſe ad D. Michaelem de Bay Univerſitatis Cancellarium, *petiitque ex eo, an ne agnoſceret in Bulla multos articulos damnari, qui in Libellis quibuſdam eius priùs editis continerentur, etiam in eo ſenſu quo in Bulla damnarentur? Quo agnoſcente & reſpondente quòd ſic: rogavit deinceps: An ne eoſdem & reliquos ibi comprehenſos & lectos damnaret? Tum ille: Damno, inquit, ſecundùm Bullæ ipſius intentionem & ſicut Bulla damnat. Dehinc idem Toletus ad reliquos Doctores Theologiæ converſus, interrogavit: An ne eoſdem articulos omnes damnarent, & Bullam reverenter ſuſciperent? Qui omnes uno ore reſponderunt, ſe eos articulos damnare, & Bullam religioſè habituros atque obſervaturos. Eadem fuit vox omnium Licentiatorum, Baccalaureorum & ſtudioſorum; omneſque conſona voce conclamarunt: Articulos damnamus, Bullam reverenter ſuſcipimus, atque obedientiam pollicemur.* Tandem his feliciter confectis, privatis ſuis cum Bajo colloquiis eum adduxit, ut ſcripto publico dato die 24. Martii an. 1580. ac propria manu ſubſcripto agnoverit ac declaraverit, *ſe planè perſuaſum habere earum omnium ſententiarum damnationem atque prohibitionem jure meritoque, ac nonni-* *Recueil des Bull. p. 30.* *Baii retractatio.*

nonniſi maturo judicio, ac diligentiſſima diſcuſſione præmiſſis factam atque decretam eſſe. Fateri inſuper plurimas ex iiſdem ſententiis in nonnullis Libellis à ſe olim & ante emanatam Sedis Apoſtolicæ ſuper eis cenſuram, conſcriptis & in lucem editis contineri & defendi, etiam in eo ſenſu in quo reprobantur. Denique ſe impræſentiarum ab iis omnibus recedere, & damnationi à ſancta Sede factæ acquieſcere, neque poſthac ullam earum docere, aut defendere velle. Sunt ipſamet Baii verba, in eo quod ſubſcripſit publico Inſtrumento. Hæc porrò omnia ex Actis Facultatis Theologicæ Lovanienſis referuntur in nova editione Operum Baii parte 2. pag. 188. & 189.

Oper. Baii p. 2. p 152. Et Recueil des Bulles p. 27.

Obſerva hic obiter iſta Baii verba, *olim & ante Conſtitutionem &c.* malè in nonnullis Libellis Gallicè reddita fuiſſe per iſta, *devant & après*; quaſi & ante, & poſt Conſtitutionem Apoſtolicam Bajus in ſuis ſcriptis editis eas Propoſitiones defenderit: quem profectò ſenſum non reddunt iſta, *olim & ante*.

Ad Summum Pontificem Gregorium ſcripſit Bajus, cui Summus Pontifex reſcripſit die 5. Junii ejuſdem anni 1580. Breve teſtimoniis benevolentiæ ac paterni effectus plenum.

Anno 1585. Lovanienſis Academia, promovente Vercellenſi Epiſcopo ac Nuncio Apoſtolico, juſſa eſt non ſolùm à damnatis articulis abſtinere, ſed etiam ſententias ſingulis quoad doctrinam contradictorias definire; quarum indicem contexuit D. Lenſæus, cæterique Doctores unà cum Bajo probaverunt, ut conſtat ex Actis ejuſdem Facultatis ibidem relatis pag. 153.

Anno 1589. die 16. Septemb. moritur Bajus annos natus 77. Poſt ejus mortem non defuere identidem, in Belgio præſertim, qui doctrinam ejus revocare ac renovare tentarent, quos profectò Conſtitutionum Apoſtolicarum adversùs Baii doctrinam reverentia & auctoritas retinere in officio debuiſſet. Juvat ergo, & officii noſtri ratio poſtulat, ut ſalvis ac in tuto poſitis Regni & Eccleſiæ Gallicanæ juribus, Conſtitutiones illas à vanis obtrectatorum illorum conatibus vindicemus.

Bullæ Summorum Pontificum in cauſa Baii.

Prima eſt Pii V. anno 1567. Secunda Gregorii XIII. qui priorem confirmat & executioni mandari jubet an. 1579. Tertia Urbani VIII. anno 1641. qui Pianam & Gregorianam auctoritate ſua rurſus confirmat & approbat, *Librumque Janſenii, cui titulus, Auguſtinus, articulos, opiniones, & ſententias in dictis Conſtitutionibus reprobatas atque damnatas continentem ac renovantem damnat & prohibet.*

T. 2. p. 403. 2. col. B.

Janſenius L. 3. de ſtatu puræ naturæ cap. 22. ad Bullas Pii V. & Gregorii XIII. quas ſibi objicit, hæret attonitus. *Hæreo, fateor,* inquit, *ſed quid ad doctrinam ſancti Auguſtini?* Obvia erat, & prompta reſponſio: Scilicet, doctrina Baii à Sede Apoſtolica proſcripta fuit; è contra, doctrina ſancti Auguſtini ab eadem Sede approbata ſemper fuit multiſque encomiis exornata. Ergo doctrina Baii non eſt Auguſtini doctrina. Sic diſcurrere ac concludere debuiſſet Janſenius, maximè cum initio citati mox capitis dixiſſet. *Vim totam hujus argumenti* (nempe contra impoſſibilem puræ naturæ ſtatum) *ex Apoſtolicæ Sedis auctoritate peti, quæ Catholicis omnibus tanquam obedientiæ filiis vo-*

Ib. p. 402. col. 2. C.

ne-

neranda eſt: aliunde verò ipſemet alibi doceat, Summum Pontificem de fide ac moribus ex Cathedra pronunciantem, aberrare non poſſe.

Hæc profectò vera cauſa eſt, cur Janſenius ſecum ipſe pugnans, anxius & attonitus ſtatim hæſerit. Sed ut erat erroribus Baii impensè addictus; collectis animis & audacior factus, de eludendis Apoſtolicis Conſtitutionibus unicè cogitavit, eas ad ſenſus alienos & diſtortos inflectendo. Magiſtrum diſcipuli ſequuntur. Nihil ab ipſis prætermiſſum, ut cenſuræ Romanæ jugum eliderent, & excuterent. Effugia ferè omnia quæ apud ipſos hactenus in uſu fuere, collegit & adoptavit ſcriptor recentior Operis; cui titulus: *Ethica amoris, ſive Theologia ſanctorum*, Leodii tom 1. prolegomeno 6. parag. 7. At nullibi minori cum reverentia, ne dicam audacia majori exaggerantur, quàm in Libello Gallico qui prodiit an. 1722. ſub iſto titulo: *Sentimens des Facultates de Theologie de Paris, de Reims & de Nantes, ſur une Theſe ſoutenue à Notre-Dame des Ardilliers, & condamnee par un Mandement de M.r Eveque d'Angers, du* 30. *Septembre* 1718. Quàm inconſideratè ac inverecundè Libelli auctor Apoſtolicas Conſtitutiones contra Bajum diſcerpit ac dilaniat! Si ipſi fides, Bulla Pii V. immeritò ſanctæ Sedi tribuitur; ſubreptitia enim eſt, multis titulis abuſiva, informis, inutilis; imò magis fidelibus noxia, ob illam indiſtinctam & non diſtributam multorum articulorum cenſuram; præter debitam ac conſuetam formam lata; Romæ nec affixa, nec publicata, nuſquam recepta, imò nec à Gregorio XIII. verè confirmata.

Si audiatur, Bulla Urbani VIII. infinitis ſcatet abuſibus à moribus noſtris Gallicanis plurimùm alienis. Nullius eſt apud nos momenti ac ponderis: nuſquam promulgata, nuſquam recepta. Hæc ſummatim hìc referimus, paulò uberiùs ſubinde diſcutienda.

Verùm priùs generatim aſſerenda eſt dictarum Bullarum, quantùm ad doctrinam proſcriptam, auctoritas. Qua una ſemel demonſtrata, velut ictu fulmineo attrita concident, quęcunque in citato Libello probra congeruntur.

Auctoritas Bullarum adversùs Bajum.

Cùm auctoritatem illarum Bullarum vindicandam hìc aggredimur, ad unam dumtaxat doctrinam his Conſtitutionibus Apoſtolicis, & Epiſcoporum judicio pariter damnatam attendimus, non ad formam, ſeu modum damnationis, aliaque externa & aſcititia, quæ moribus noſtris Gallicanis non ſatis congruunt; quibus ſepoſitis ac præciſis, in ſola doctrina, quam auctoritas Apoſtolica proſcripſit, oculos defigimus: quæ quidem auctoritas, ait Janſenius paulò antè citatus, *Catholicis omnibus tanquam obedientiæ filiis veneranda eſt.*

Auctoritatem porrò illarum Bullarum, quantum ad proſcriptam Baii doctrinam, invictè demonſtrat & adſtruit communis ille Epiſcoporum, Paſtorum, Academiarum, ac Doctorum Scholæ conſenſus ac conſpiratio in proſcribenda Baii doctrina, quam Sedes Apoſtolica proſcripſerat; ex quo enim prodiere dictæ Conſtitutiones, vix ullus fuit Epiſcopus, ac Scholæ Magiſter, qui pro data occaſione eas in argumentum & probationem non adduxerit, nullis reclamantibus, niſi Baii & Janſenii diſcipulis.

Omiſ-

Omiſſis hìc exteris exemplis, in una Gallia hærebimus, ubi multa nobis occurrunt inſignia in rem noſtram argumenta.

I. Bulla Urbani VIII. qua Piana & Gregoriana confirmatur, tranſmiſſa eſt ad ſacram Facultatem Pariſienſem die 2. Januarii anno 1644. unà cum Litteris Regiis, parvi, ut vocant, ſigilli, ac decreto Archiepiſcopi Pariſienſis anno 1643. in Præconiis Parochiarum publicato, circa recipiendas quoad doctrinam, dictas Conſtitutiones. Sacra verò Facultas auditis, quos ad hoc diſcutiendum negotium pro more deputaverat, Magiſtris, ſic cenſuit die 15. ejuſdem menſis, *Negotium illud eſſe differendum; prohibuit tamen tam Doctoribus, quàm Baccalaureis, ne probent, vel ſuſtineant prædictas Propoſitiones, per Bullas Pii V. Greg. XIII. & Urbani VIII. Summorum Pontificum prohibitas.* Duo hic manifeſtè diſtinguit ſacra Facultas; doctrinam damnatam, & modum quo damnata eſt, aliaſque clauſulas in dictis Bullis contentas. Quoad doctrinam, cenſet nemini poſt damnationem fas eſſe illam tueri ac propugnare; & ea ex parte dictis Bullis acquieſcit. Quantùm verò ad alias clauſulas, nempe prohibitionem diſputationum de gratia, cenſuras, & alia hujuſmodi, cenſet procraſtinandum, donec pleniùs mens Summi Pontificis intelligatur. Quam quidem cautam ac prudentem Facultatis agendi rationem laudavit ac probavit Eminentiſſimus Cardinalis Hieronymus Grimaldi tunc temporis Nuntius Apoſtolicus in Gallia, in Reſponſo quod dedit ad dictos Doctores Pariſienſes. At, inquit auctor memorati Libelli, (pag. 264.) Facultas Pariſienſis hoc unum cavet, ne Propoſitiones cenſura notatæ, iiſdem verbis ac terminis ſuſtineantur. Ergo licebit aliis verbis errorem tueri? De ſolis ergo verbis erat controverſia; Quid, quæſo, abſurdius? quid in religione periculoſius? *Nec putemus*, dicebat S. Hieronymus *T.4.p.1. p.230.* Comment. in caput 1. Epiſt. ad Galat. *in verbis ſcripturarum eſſe Evangelium, ſed in ſenſu; non in ſuperficie, ſed in medulla; non in ſermonum foliis, ſed in radice rationis.* Et ſanctus Hilarius Libro ſecundo de Trinitate num. 3. *De* *Pag.787. B.* *intelligentia*, inquit, *hæreſis, non de ſcriptura eſt: & ſenſus, non ſermo fit crimen.* Exemplum Archiepiſcopi Pariſienſis imitatus Illuſtriſſimus Epiſcopus Sveſſionenſis anno 1650. die 4. Febr. Bullam Urbani VIII. à ſuis ea qua par eſt reverentia, recipi curavit.

II. In famoſa Epiſtola quam anno 1651. octoginta quinque Gallicani Præſules ad Innocentium X. dedere, quinque Janſenii Propoſitiones ipſi denunciantes, ejuſque circa illas judicium enixè rogantes, Bullæ Urbani VIII. mentionem faciunt; ajuntque motus in Eccleſia Gallicana occaſione Libri *Recueil des Bulles p. 74.* poſthumi Cornelii Janſenii Yprenſis Epiſcopi excitatos *ſedari oportuiſſe tum Concilii Tridentini auctoritate, tum Bullæ illius qua Urbanus VIII. felicis memoriæ adversùs Janſenii dogmata pronunciavit & decreta Pii V. ac Gregorii XIII. in Baium edita confirmavit. Cujus quidem Bullæ veritatem ac robur novo diplomate vindicaſti.*

Duo hic inſigniter falſa obtendunt Janſeniani.

I. Senſum Epiſtolæ mox laudatæ adulterant, appoſita particula negante, *non*. Ut ſenſus ſit, motus in Gallia excitatos *non* potuiſſe ſedari auctoritate Bullæ Urbani: at manifeſta eſt textus corruptela. Affirmant etenim è contra Epiſcopi noſtri, tales motus ſedari oportuiſſe auctoritate tum Concilii Tridentini, tum Bullæ Urbani.

II. Con-

II. Contendunt Epiſcopos illos violaſſe libertates Eccleſiæ noſtræ Gallicanæ, cùm ad Romanum Pontificem quinque Janſenii Propoſitiones immediatè detulerunt, ac lato judicio acquieverunt. Verùm hæc ipſiſſima eſt doctrina & Propoſitio, quam Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus anni 1700. damnavit, gravique cenſura confixit. En propoſitio: *Epiſcopi Gallicani libertates Eccleſiæ Gallicanæ, ſub earum aſſerendarum ſpecie, labefactarunt, ſuper recipienda Conſtitutione Innocentii X. contra Janſenium. Hæc propoſitio*, ait Cenſura Cleri Gallicani, *falſa eſt, temeraria, ſcandaloſa, contumelioſa in Clerum Gallicanum, Summos Pontifices, & in univerſam Eccleſiam, ſchiſmatica, & erroribus condemnatis favens.*

III. Anno 1710. die Martii 10. Eminent. Cardinalis Noallius Archiep. Pariſienſis, ſex Archiepiſcopi, & quinque Epiſcopi declararunt, nullam conditionem neceſſariam deeſſe Conſtitutionibus adversùs Janſenium latis, ut totam obligent Eccleſiam; idemque prorſus ſentiendum de Bullis adversùs Bajum, Molinoſum, & Librum cui titulus, *Maximes des Saints*. Cenſebant ergo Illuſtriſſimi Præſules, Bullas adversùs Bajum, quantùm ad doctrinam, vim & robur apud nos obtinere. Inde eſt quòd an. 1711. die 28. Apr. idem Eminentiſſimus Cardinalis Noallius ea maximè de cauſa prohibeat à ſuis legi ac retineri quædam Mandata ſub nomine Illuſtriſſimorum Epiſcoporum Lucionenſis & Rupellenſis evulgata, quòd ipſi viſa fuiſſent 26. & 28. Baji Propoſitiones à SS. Pontificibus damnatas renovare. *Recueil des Bulles 5. edit. an. 1710. p. 650.*

IV. Anno 1714. quadraginta Præſules Gallicani, quos inter eminebant duo ſacri Collegii Cardinales de Rohan & de Biſſy, eruditione non minùs quàm dignitate inter cæteros conſpicui, in eximio illo Documento Paſtorali, quod occaſione Conſtitutionis Clementis XI. quæ incipit ab his verbis, *Unigenitus Dei Filius*, adornarunt, cenſuram Propoſitionum Quenellii confirmant ex iterata ſæpius ſimilium Baji Propoſitionum damnatione. *Propoſitions*, inquiunt, *autrefois enſeignees par Michel Bajus, & plusieurs fois condamnees par les Souverains Pontifes.* *Pag. 65. Procès verbales de l'Aſſemblée de 1713. & 1714.*

An verò tot Illuſtriſſimi Præſules velut rei violatarum noſtrarum libertatum traducendi erunt, quòd Bullas adversùs doctrinam Baji latas appellent, in quibus nonnullæ clauſulę occurrunt uſibus noſtris contrariæ? Ad unam ſcilicet doctrinam illi attendunt, quam reprobant; non verò ad clauſulas illas externas, quæ ex ſtylo Romanæ Curiæ Apoſtolicis Decretis ut plurimum inſeruntur: quarum, ex publico veluti condicto, nullam apud nos haberi rationem ignorat nemo, etiam cùm dogma his Decretis definitum, Epiſcoporum judicio ac conſenſu approbatur: maximè ſi Regia non obſtet auctoritas; multò magis cùm accedit ad tutelam & defenſionem doctrinæ definitæ.

Dictam diſtinctionem manifeſtè uſurpavit ſacra Facultas Pariſienſis occaſione Propoſitionum Baji, quarum damnationem renovat ac confirmat Bulla Urbani VIII.

Eandem adhibuit Eccleſia Gallicana anno 1699. occaſione Conſtitutionis in forma Brevis Innocentii XII. S. Pontificis adversùs Librum cui Gallicè titulus, *Maximes des Saints*. In ea ſcilicet Conſtitutione, clauſula, *motu proprio*, uſurpatur, quam Gallicani Epiſcopi non admittunt; & aliæ nonnullæ clauſulæ deſiderantur, quas illi appoſitas fuiſſe exoptaſſent. His tamen non obſtantibus, dicta Conſtitutio ſummo plauſu & maxima cum veneratione ab Epi-

Epiſcopis Gallicanis in Conciliis Provincialibus congregatis recepta fuit & approbata: nempe quantùm ad doctrinam & Libri cenſuram, non verò *Recueil de Cambray. p. 57.* quantùm ad alia, quæ moribus noſtris non conſentiunt. Appoſitè omnino Eminent. Cardinalis Noallius in Conventu Pariſienſi die 13. Maii anni 1699. dictæ Conſtitutionis occaſione obſervat, amplum ſtatui debere diſcrimen inter judicia quæ circa Fidem feruntur, & Statuta ſeu Canones Diſciplinæ. In iſtis formæ, qua res ipſa ſervatur, tenaciùs adhærendum; in aliis verò quæ fidem omnibus communem ſpectant, rei ſubſtantiam, id eſt doctrinam quæ ex Scripturis ac Traditione certa eſt, formæ præponderare debere, eamque ad ſeſe trahere.

Vel ipſi Janſeniani diſtinctionem illam inviti admittere tenentur. Quippe cùm anno 1679. Innoc. XI. S. P. ſexaginta & quinque morales Propoſitiones, ea forma, & in eo Tribunali condemnaſſet, cujus nulla eſt apud nos auctoritas, atque Decreto Senatus Pariſienſis die 5. Maii an. 1679. cautum eſſet, ne quis hujuſmodi cenſuras ex Tribunali Inquiſitionis manantes imprimeret aut divenderet, nihilominus tamen ipſimet Janſeniani, ſepoſita haud dubiè Decreti forma, ejus ſubſtantiam, ſeu doctrinam, velut morum regulam ſequendam eſſe acclamarunt, propoſitis etiam, & ſimul cum Decreto editis quibuſdam regulis generalibus ad confirmandam dicti Decreti utilitatem.

Verùm, quod amplius eſt ac majoris longè ponderis, Epiſcopi Gallicani in Comitiis generalibus anni 1700. neglecta & poſtpoſita hujuſce Decreti ſi- *Cenſura Cleri Gallicani an. 1700. p. 7.* cut & alterius Alexandri VIII. an. 1665. forma, quam exoptaſſent uſurpatam non fuiſſe, doctrinam tamen approbant & ſuam faciunt. *Utinam* ajunt Præſules Gallicani in ſua cenſura anni 1700. *ſanctiſſimi Pontifices decretorum formulis antiquo & noſtro uſu receptis, quæque ad univerſas Eccleſias pertinerent, infandam doctrinam proſcripſiſſent: ſed dum expectamus, fore ut tantum opus, more majorum & Canonico ordine perficiant, nos interim .... has Propoſitiones à prædictis Pontificibus, uti memoravimus, applaudente toto orbe Chriſtiano condemnatas .... ſuis quaſque cenſuris configendas eſſe duximus.* Ergo Decreti Apoſtolici doctrina poteſt approbari, non approbata forma qua latum eſt Decretum. Ergo in vanum auctor memorati Libelli, ut elevet auctoritatem Bullarum adversùs Bajum, clauſulas in illis contentas & à moribus noſtris alienas, colligit & exaggerat: his enim ſepoſitis & non admiſſis, ſtat integra dictarum Bullarum vis & auctoritas quantùm ad doctrinam in Bajo proſcriptam. Hinc eſt quòd Regia auctoritate vel non intercedente, vel etiam conſentiente, nonnulla Romanæ Curiæ Decreta obtinuerint apud nos, quæ, ſi una formularum ratio habita fuiſſet, haud dubiè non obtinuiſſent. Verùm prævaluit doctrinæ his Decretis ſancitæ conſideratio.

Procès verbal de 1614. p. 199. & 201. Ita anno 1614. Clerus Gallicanus ratum habuit ac recepit Decretum Romanum latum an. 1613. adversùs Librum Becani circa Regum auctoritatem; ac tanti illud fecit, ut ad Proceres tertii ordinis tranſmiſerit, quo intelligerent, quantùm abhorreat Eccleſia Romana à deteſtanda & horrenda eorum doctrina qui Reges interfici poſſe opinantur. Quin & Magiſter Fileſacus Doctor & Syndicus ſacræ Facultatis Pariſienſis, die ultima Decembris anni 1614. plenis Cleri Gallicani Comitiis declaravit ac conteſtatus eſt, univerſam Academiam cenſuræ Apoſtolicæ lubenter & ex animo acquieviſſe.

Anno

Digitized by Google

Anno 1641. Clerus Gallicanus proſcriptos à ſancta Sede tres Libros Patris Bauny, pariter proſcripſit ac damnavit. *Procès verbal de 1641. manuſcrit.*

Anno 1645. Decretum ſeu Cenſuram Romanam adversùs Librum Patris Rabardeau pariter approbavit Clerus Gallicanus, data ad abſentes Epiſcopos Epiſtola, qua rogantur ut curent cenſuram illam apud ſuos evulgari.

Anno 1655. die 11. Septembris, Præſules Gallicani etiam approbarunt cenſuram Romæ latam anno 1654. die 13. Aprilis adversùs multos Libellos in favorem ac defenſionem Janſenianæ doctrinæ evulgatos; atque Breve S. Pontificis, in quo hujuſce cenſuræ mentio habebatur, cum reverentia ſuſcepit. *Procès verbal de 1645. Relation des deliberatiōs, p.21. 80. & 81.*

Anno 1656. Sanctioris Concilii Decreto juſſit Rex Chriſtianiſſimus, ut Decretum Innocentii X. in gratiam Regularium pro excipiendis tempore Paſchali Confeſſionibus, executioni mandaretur.

Denique anno 1659. Decretum Romanum latum occaſione diſſidii quod erat inter Epiſcopum, Andegavenſem ex una parte, & Religioſos mendicantes ex altera, Andegavi typis editum ac promulgatum fuit, ac famoſo ſanctioris Concilii Decreto confirmatum in gratiam dicti Epiſcopi Andegavenſis contra Religioſos mendicantes. *Memoires du Clergè.*

Qui Documenta Cleri Gallicani ſub titulo, *Memoires du Clergè &c.* de novo collegit, Tom. 1. tranſcribit de verbo ad verbum Decreta ſancti, ut vovant, Officii, adversùs Libros P. Bauny, Barboſæ, Cellotii, & Rabardeau.

Stat igitur firmum & inconcuſſum argumentum, quod initio duximus ex communi tum Epiſcoporum, tum omnium Doctorum Scholæ ſuffragio, pro vindicanda quoad doctrinam, auctoritate Bullarum adversùs Bajum.

Non ita eſt, reponit auctor citati Libelli: quàm multa enim ſunt quæ longa annorum ſerie ab omnibus probata & recepta fuere tanquam vera & genuina, quæ tamen ſubinde falſa eſſe ac ſpuria demonſtratum fuit? quales ſunt v. g. Summorum Pontificum ante Siricium Decretales Epiſtolæ, quæ per octo ferè ſæcula vim & auctoritatem in Eccleſia habuere; quales & Libri, qui ſub nomine ſancti Dionifii circumferuntur, qui à Criticis peritis inter ſuppoſititios fœtus jam amandantur. Tale denique eſt Eugenii IV. S. Pontificis Decretum, ſeu Inſtructio ad Armenos data, ſive illa ſit ipſius Concilii Florentini, ſive ſolius Eugenii; (perinde enim eſt ad rem præſentem) quod etſi magno in loco ſemper apud Theologos fuerit, attamen ex illis benè multi religioni non ducunt diſcedere à doctrina hujuſce Decreti circa materiam ſacramentorum Confirmationis, & Ordinationis, quam non reponunt, ſic ut Eugenio placet, aut in Unctione, aut in porrectione inſtrumentorum. Melior autem in mente auctoris non eſt conditio Bullæ Urbani, quàm Decreti Eugenii. *Pag. 249. & 253.*

Mirum profectò eſt auctorem hunc non vidiſſe, aut diſſimulaſſe, quantùm exempla hæc à re noſtra præſenti remota ſint & aliena! In primo & ſecundo, quæſtio non vertitur de auctoritate, ſed tantùm de veritate Decretalium ante Siricium, & Librorum S. Dionyſii. Reipſa quidem quamdiu perſuaſio invaluit Opera illa genuina eſſe, ſuam obtinuere auctoritatem, à qua exciderunt, ubi primùm eorum falſitas ac ſuppoſitio certis argumentis fuit demonſtrata.

Senſu non abſimili S. Auguſtinus L. 2. de Baptiſmo contra Donatiſtas c. 3. n. 4. dicebat, *Concilia plenaria ſæpe priora poſterioribus emendari; cùm aliquo* *T. 9. p. 98. C.*

ex-

experimento rerum aperitur quod clauſum erat, & cognoſcitur quod latebat. Porrò hic non agitur an veræ ſint Bullæ adversùs Bajum latæ, nemo quippe eas in dubium revocat; ſed an vim & auctoritatem habeant. Negant Baji & Janſenii defenſores; affirmant verò Catholici. Quod verò auctor repetit ab exemplo Decreti Eugenii, longè magis nobis favet, quàm noceat. Nuſquam enim definivit S. Pontifex, Unctionem in Confirmatione, & porrectionem inſtrumentorum in Ordinatione, eſſe materiam eſſentialem, aut ſolam, aut etiam partialem; ſed hoc unum dumtaxat, utramque materiam, ſive eſſentialis illa ſit, ſive integrans tantùm, aut accidentalis, (quòd quidem Pontifex Decreto ſuo non determinat) neceſſariò uſurpandam eſſe juxta ritum Eccleſiæ Romanæ. Sicut ergo nullus eſt Orthodoxus Theologus qui negare iſtud meritò poſſit; ita nec inficiari, damnatas meritò ac damnandas eſſe Propoſitiones Baji, quas damnarunt Pius V. Greg. XIII. & Urbanus VIII. quod unum demonſtrandum nobis propoſuimus. Supereſt ut jam expendamus ac diluamus alia momenta, quibus Baji ac Janſenii diſcipuli illarum Conſtitutionum auctoritatem deprimere ac eludere conantur.

Expenduntur ac diluuntur alia momenta, quibus Baji & Janſenii diſcipuli, Bullarum Pii V. Gregorii XIII. & Urbani VIII. auctoritatem deprimere ac eludere conantur.

Majoris claritatis cauſa, momenta hæc generatim revocamus vel ad materiam, vel ad formam dictarum Bullarum.

Materiam appellamus ipſaſmet Baji Propoſitiones, quas contendunt 1. in rigore ac proprio verborum ſenſu ab auctoribus intento ſuſtineri poſſe, juxta clauſulam, quam ipſe Pius V. ſuæ Bullæ appoſuit: ubi de famoſa commatis ſeu virgulæ tranſpoſitione. 2. Aliquas eſſe inter illas, quas nonnulli ex noſtris, Vaſques, Toletus, Bellarminus aſſerunt damnatas dumtaxat propter acerbitatem cenſuræ, qua Bajus contrariam ſententiam notabat, non verò propter errorem aut falſitatem. 3. Aliquas ex illis, eas præſertim quæ impoſſibilem ſpectant puræ naturæ ſtatum, meritò quidem damnatas; ſed eo ſenſu, qui ad Bajum & Janſenium nihil pertineat.

En ferè omnia capita quæ ſpectant materiam Bullarum ſeu Conſtitutionum quæ adversùs Baji doctrinam latæ ſunt.

Formam verò appellamus, tum modum quo Propoſitiones Baji proſcriptæ ſunt, in globo ſcilicet ac generatim, nulla ſingulis Propoſitionibus diſtributa cenſura; tum varios abuſus ſeu defectus, quibus Bullas illas obnoxias eſſe prætendunt.

Momenta ex parte materiæ Bullarum adversùs Bajum.

Primum ducitur ab iſta clauſula quam Pius V. poſt enumeratas & damnatas Baji Propoſitiones adjecit: *Quas quidem ſententias*, ait S. Pontifex, *ſtricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent, in rigore ac proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento, hæreticas, erroneas, ſuſpectas, temerarias, ſcandaloſas, & in pias aures offenſionem immittentes reſpectivè ..... damnamus*. Quæſtio eſt de commate, ſeu virgula, ubi ſcilicet collocanda ſit. An poſt verbum iſtud, *poſſent*, ut ſenſus ſit: Quamquam nonnullæ aliquo pacto ſeu ſenſu ſuſtineri poſſent, eas tamen in rigore & proprio ſen-

ſu

Digitized by Google

ſu verborum ab auctoribus intento, damnamus. An verò poſt verba iſta, *ſenſu ab aſſertoribus intento*, ut ſenſus ſit: Quamquam earum Propoſitionum nonnullæ ſuſtineri poſſent in rigore & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento, eas nihilominus hæreticas, erroneas, &c. damnamus. Sic legunt Janſeniani tranſpoſito commate poſt iſta verba, *ſenſu ab aſſertoribus intento*. Nempe ut à Propoſitionibus Baji latam cenſuram avertant, innuentes eas in rigore ac proprio verborum ſenſu à Bajo, & aliis intento, ſuſtineri poſſe.

Si ita eſt, ut fingunt illi, ergo S. Pontifex 1. damnavit Propoſitiones, quas ipſemet fatetur ſuſtineri poſſe. Quid verò abſurdius, & S. Pontifici injurioſum magis fingi poteſt? 2. Ergo S. Pontifex Propoſitiones illas non damnavit in proprio verborum ſenſu ab auctoribus intento, ſed alieno & extraneo, qui nihil ad Bajum pertinebat. Attamen ipſe Bajus ſuas eſſe Propoſitiones agnovit, & ad meliorem mentem reverſus, earum cenſuræ tandem ſe ſubjecit. 3. denique, hic eſt Eccleſiæ uſus, hæc praxis, à qua procul dubio Pius V. non receſſit, ut cùm aliquas Libri vel auctoris Propoſitiones condemnat, eas in ſe ipſis abſolutè non conſideret, ſed relativè ad mentem auctoris, & ſenſum Libri. Quia nempe in ſeipſis ſpectatæ nullam aliquando videntur mereri cenſuram, ſed tantùm reſpectivè ad mentem & ſenſum auctoris.

Hac una obſervatione totum de tranſpoſitione virgulæ diſſidium componi deberet, qua manifeſtè oſtenditur, dictam virgulam collocari aliter non poſſe, quàm immediatè poſt verbum, *poſſent*; aliàs Romana cenſura inepta foret, & contra communem ac receptum uſum Eccleſiæ in proſcibendis ad ſenſum auctoris Propoſitionibus.

Quamquam qui Baji Propoſitiones tuentur, nihil in rei veritate ſolatii conſequi poſſunt ex dicta clauſula Bullæ Pii V. inſerta; atque æqualiter premuntur & cauſa ſua cadunt, ubicumque tandem virgulam collocare placuerit, ſive immediatè poſt verbum, *poſſent*, ſive poſt iſta, *in ſenſu ab aſſertoribus intento*. Si prius; Propoſitiones Baji damnatæ ſunt in rigore, & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento, tametſi aliunde rectum aliquem ſenſum admittere poſſent. Si poſterius; non obſtante recto illo ſenſu quo donari illæ poſſent etiam ad mentem auctorum, nihilominus damnatæ fuerunt ob pravum alium, quem habent, ſenſum. Ergo quocumque ſe convertant adverſarii, Propoſitiones in Bulla Pii V. notatas vindicare, & à cenſura eximere meritò non poſſunt.

Solvuntur momenta pro tráſpoſitione virgulę poſt verba, *ſenſu ab aſſertoribus intento.*

Hærere hìc poſſemus, & ſuperſedere ab ulteriori examine momentorum quibus Baji diſcipuli famoſæ virgulæ tranſpoſitionem poſt verba iſta, *ſenſu ab aſſertoribus intento*, probare conantur. Sed nec examen illud detrectandum.

Probant itaque 1. ex Epiſtola Morillonii ad Cardinalem Granvellanum data die 20. Jun. an. 1569. ubi narrat, Bajum, cùm urgeretur ut Apoſtolicæ cenſuræ ſe ſubjiceret, repoſuiſſe, ſe id non poſſe, niſi priùs Diplomatis exemplar vidiſſet, in quo clauſula hæc legebatur, *Nonnullas Propoſitiones defendi poſſe in rigore, & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento*. Ad quam Baji expoſtulationem, inquiunt, nihil repoſuit Morillonius; ſilentio ſuo ſatis comprobans dictæ clauſulæ veritatem.

1. probatio.

Opera Baji par. 2. *p.* 128. *&* *p.* 152.

Reſp. 1. Bajum reipſa tentaſſe aliquando cenſuræ Romanæ doctrinam ſuam ſubducere; cui tandem ſe ſubjecit publico Inſtrumento dato die 20. Mar-

tii an. 1580. declaravitque *earum omnium ſententiarum damnationem atque prohibitionem jure meritoque, ac nonniſi maturo judicio, ac diligentiſſima diſcuſſione præmiſſis, factam & decretam eſſe.* Fatetur inſuper, plurimas ex iiſdem ſententiis, in nonnullis Libellis à ſe olim, & ante emanatam Sedis Apoſtolicæ ſuper eis cenſuram, conſcriptis & in lucem editis contineri & defendi, etiam in eo ſenſu in quo reprobantur. 2. Mirum videri non debet, Morillonium ad poſtulationem Baji nihil repoſuiſſe: in mandatis enim habebat, Bullæ exemplar non communicare ad graviora jurgia præcavenda. Hoc unum quippe in votis habebat S. Pontifex, ut totum iſtud diſſidium in ortu ſuo præfocaret, ne fortè in majus incendium exardeſceret. *Le vouloir de Sa Saintetè*, ait Morillonius ibidem, *etoit de mettre tout ſous les pieds*. Nunquam verò paſſus ille eſt quocumque prætextu dictas propoſitiones defendi.

2 probatio. Probant 2. ex Epiſtola Card. Granvellani ad Morillonium data die 13. *Ib. p. 62.* Nov. an. 1567. in qua fatetur aliquas ex damnatis Propoſitionibus *in rigore, aliquo ſenſu exponi poſſe.*

Reſp. ita quidem ſcripſiſſe Granvellanum: Sed quid inde? nihil prorſus quod adverſariis faveat. Neque enim dictus Cardinalis ait, eas Propoſitiones in rigore, & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento, defendi poſſe, quod prætendunt Baji defenſores; ſed hoc unum, aliquo ſenſu defendi eas poſſe: nempe ſi in ſe & abſolutè ſpectarentur, nulla ratione habita ſenſus auctoris; iſtud verò non negamus.

3. probatio. Probant 3. ex decreto ſacræ Facultatis Lovanienſis circa Bullam Pii V. à Morillonio intimatam die 29. Dec. an. 1567. ubi dicitur. *Ib. p. 66.* *Comparuit Maximilianus Morillonius...... qui expoſuit ſe accepiſſe Bullas Apoſtolicas...... quibus certæ ſententiæ...... damnantur reſpectivè tanquam erroneæ....... quamquam earum nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent in rigore, & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento.*

Reſp. Eſtò nonnulli Doctores Lovanienſes qui Bajo erant addicti, in ea tunc fuerint opinione, quæ & ipſius Baji erat, Bullam S. Pontificis ſic intelligi poſſe, ut nonnullæ ex Propoſitionibus damnatis, in rigore & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento, defendi poſſent: eſtò id prudenter tunc diſſimulandum cenſuerit Morillonius, ut rem, quam volebat, citiùs ac ſecuriùs perficeret; certum iſtud eſt & extra omne dubium, tum Bajum, tum univerſam Academiam Lovanienſem ab hac ſua priori ſententia receſſiſſe, cùm Franciſcus Toletus plenis ejuſdem Facultatis Comitiis Bullam Gregorii XIII. qua Piana probatur & confirmatur, legit ac promulgavit die 16. Maii an. 1520. Qua lecta, ajunt Commentarii Univerſitatis Lovanienſis pag. 367. *Recueil des Bulles p. 29. & 30. edit. 5. an. 1710.* & 369. *Dictus Toletus convertit ſe ad Michaelem de Bay, petiitque ex eo, anne agnoſceret damnari in Bulla multos articulos, qui in aliquot ejus Libellis continerentur, etiam in eo ſenſu, quo in Bulla damnarentur? Quo agnoſcente, & credente quod ſic; rogavit eum deinceps, Anne eoſdem & reliquos ibi comprehenſos & lectos damnaret? Tum ille, Damno, inquit, ſecundùm Bullæ ipſius intentionem, & ſicut Bulla damnat. Dehinc præfatus D. Franciſcus ad reliquos Doctores Theologos converſus, interrogavit, Anne eoſdem articulos omnes damnarent, & Bullam reverenter ſuſciperent? Qui omnes uno ore reſponderunt, ſe eos articulos damnare, & Bullam religioſè habituros atque obſervaturos.* Et anno 1585. promovente Vercellenſi Epiſcopo Nuncio Apoſtolico juſſa eſt Facultas Theologica Lovanienſis,

Digitized by Google

ſis, non ſolùm à damnatis articulis abſtinere, ſed etiam ſententias ſingulis quoad doctrinam contradictorias definire.

Probant 4. ex Cuneri Petri, qui unus fuit ex æmulis Baji, Opuſculo ad Pontificii Diplomatis defenſionem anno 1571. elaborato, in cujus præfatione, quam collector Operum Baji legiſſe ſe teſtatur, dicta clauſula Bullæ Pianæ legitur, adjecto commate poſt iſta verba, *ſenſu ab auctoribus intento*. Hoc ipſum & ex Litteris cujuſdam Licentiati Lovanienſis ad Epiſcopum Sylvæducenſem datis an. 1580. probat idem Operum Baji editor & collector Gerberonius. *4. probatio. Op. Baji part. 2. p. 236. Ibid.*

Reſp. inter edita Cuneri Petri Opuſcula non reperiri verba quæ citat Gerberonius. At fortè inter manuſcripta ejus deliteſcunt? Verùm, quo auctore, quo teſte, quo idoneo Inſtrumento, id evincit hiſtoricus? Nullo prorſus cui certa fides haberi poſſit. Appellat quidem auctorem Documentorum ad Hiſtoriam Academiæ Duacenſis pertinentium; hoc eſt Paſchaſinum Quenellum. Egregium verò teſtem! Sed ne is quidem teſtari audet à ſe viſum illum Cuneri Petri Scriptum. Etenim in proſecutione Documentorum illorum edita ab eodem Quenello an. 1696. hoc tantùm ait, ita referre auctorem novæ editionis Operum Baji parte 2. pag. 202. & 236. & ita tandem ad fontem infectum mittimur. Ita declarati Baji & Janſenii defenſores, ſe ipſos mutuò in propria cauſa, & teſtes, & judices appellant ac laudant: quis non rideat? Quaſi ignoret aliquis, quantùm interſit Baji & Janſenii diſcipulorum, Bullam Pii V. deprimere, qua perſtringuntur. *Qui igitur*, ait Gerberonius Operum Baji collector parte 2. pag. 240. *memoratam Pii V. Bullam juxta juris regulas expendere voluerit, ipſam profectò cenſebit nullius planè roboris, ſed prorſus evanidam, ſive materiam ſpectet, ſive formam......quia articulos, quorum alteri veriſſimi ſunt ac piiſſimi in ſenſu quem verba præſeferunt, alteri verò falſi & heretici, promiſcuè ac ſine diſcrimine diſpungit.* An quæſo fidem aliquam hic meretur, qui tam cæco partium ſtudio abripitur, & erga Bullam Pii V. tam malè affectus eſt? *Suite des Memoires importans p. 41. Op. Baji par. 2. p. 240.*

Probant denique, tum ex ipſo Bullæ exemplari quod Franciſcus Toletus Roma Lovanium attulit, in quo nulla legitur interpunctio, dicunt alii totam clauſulam inter parentheſim in illo exemplari incluſam eſſe, tum ex tribus codicibus manuſcriptis, quos laudat Operum Baji collector, quorum unus eſt anni 1570. alii duo an. 1571. in quibus virgula legitur poſt verba, *in ſenſu ab aſſertoribus intento*. Tum denique teſtimonio D. de S. Amour Diarii parte 2. pag. 64. & 65. ubi affirmat penes ſe habere exemplar Bullæ Urbani VIII. Romæ typis excuſæ an. 1643. in quo famoſum comma legitur poſt verba mox relata. *Op. Baji part. 2. p. 237.*

Reſp. ad 1. veriſimile iſtud non videri. Quandoquidem Bajus ipſe cum ſuis circa illam interpunctionem rixabatur; ejuſque obtentu, cenſuram eludere tentabat. Deinde Cardinalis de Lugo die 26. Octob. anni 1644. teſtatus eſt ſe vidiſſe in ipſo Franciſci Toleti autographo, comma poſt verbum, *poſſent*. Fingit editor Operum Baji, *poſt Toleti mortem comma in autographo ipſius, ab iis inſertum fuiſſe, quorum intererat, ut eò loci infereretur*. Sed gratis omnino, ac ſine ullo fundamento iſtud aſſerit. *Op. Baji part. 2. p. 239.*

Ad 2. Quam, amabò, fidem merentur prætenſi illi manuſcripti codices obſcuri, incogniti, nullo publico Inſtrumento muniti? Nihil erit tam falſum & abſonum, quod ſimilium manuſcriptorum fide & auctoritate aſtrui & confirmari; nihil tam certum, quod elevari & infirmari non poſſit.

Digitized by Google

Ad 3. Cùm Sinichius & Papius Doctores Lovanienſes circa Bullam Pii V. contentioſiùs diſſertarent, & quantùm conjici poteſt, ſpem conciperent, fore ut illa revocaretur, aut ſaltem mitigaretur, Urbanus VIII. ad ſedandas contentiones excitatas *occaſione diverſitatis exemplarium dictæ Bullæ, mandavit ex Archivio Congregationis, & ex matrice Actorum quæ in eodem Archivio conſervantur, extrahi ſive tranſcribi, & diligenter collationari, ac imprimi exemplar Bullæ præfatæ; illudque ſic extractum, collationatum & impreſſum, eiſdem Sinichio & Papio per Cardinales Spadam, Pamphilium, & Falconerium conſignari*. Verba ſunt Congregationis generalis ea occaſione habitæ die 26. Junii anno 1644.

Recueil des Bulles p. 53. Ib. p. 49. & 51.

Si verum eſt quod narrat D. de S. Amour, haud dubiè ſcribæ aberrantis vitium fuit, quod ſubinde in altera editione Romana emendatum eſt; non diffitente eodem de S. Amour: *Ce n' apas etè ſeulement*, inquit ille, *dans les Provinces eloignèes qu' on a imprimè cette Bulle avec l' addition de cette virgule entre ces deux mots*, poſſent & in rigore; *mais auſſi dans une qui s' eſt faite à la meme Stampe Apoſtolique depuis celle de l' annèe 1643.*

Diarii part. 2. c. 8. p. 65. 1. col.

Porrò ſacra Cardinalium Congregatio die 5. Dec. an. 1644. declaravit, *attendendum ad exemplar quod Romæ excuſum eſt, non verò ad illa quæ aut Coloniæ, aut Pariſiis ſunt expreſſa.*

Recueil des Bulles p. 53.

Paucis, quantùm fieri potuit, expendimus momenta quæ ſpectant excitatam de famoſo commate ſeu virgula controverſiam, quæ omnia frigidè recoquit auctor Libelli ſuprà memorati; quaſi centies à noſtris Scriptoribus attrita illa non fuiſſent.

2. Momentum ex Vaſqueſio, &c.

Secundum generale momentum ex materia Bullæ contra Bajum, ducunt ex teſtimonio nonnullorum ex noſtris, Vaſqueſio, Toleto, Bellarmino, qui aſſerunt aliquas Baji Propoſitiones damnatas dumtaxat fuiſſe propter acerbitatem cenſuræ, qua Doctor ille velut Pelagianam traducebat doctrinam quæ ſuæ adverſabatur, qualis eſt imprimis iſta n. 22. *Cum Pelagio ſentiunt, qui textum Apoſtoli ad Rom. 2. Gentes quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis ſunt, faciunt; intelligunt de gentibus, fidei gratiam non habentibus*. Ita teſtatur ac probat Vaſques in 1. 2. S. Thomæ diſp. 190. art. 2. c. 13. ubi quatuor hujuſmodi Baji Propoſitiones refert. Et reipſa docet ipſe Vaſques, hominem nulli prorſus tentationi, tametſi levi, reſiſtere poſſe ſine adjutorio gratiæ; licèt doctrina hæc nonnullis videatur damnata in Propoſitione 30. Baji. *Ego non dubito*, ait Vaſques loco citato n. 176. *Propoſitiones, quas memoravimus, ſicut etiam multas alias continentes acre judicium, quo doctor ille aliorum opiniones criminabatur, damnari tantùm, ut ſcandalo & offendiculo patentes; & hac ratione ſolùm prohiberi: nam & audacia, nimiaque arrogantia in aliorum ſententiis malignè vellicandis ac lacerandis, non parum ſcandali afferre ſolet; à quo docti & prudentes Theologi in ſuis ſcriptis abſtinere deberent.* Et n. 178. ſic pergit Vaſques. *Senſum hujus damnationis, prout à me explicatus eſt, contuli cum Illuſtriſſimo Domino Cardinali Franciſco Toleto, cùm adhuc ſacri Palatii Concionator & Theologus eſſet anno Domini 1586. qui, ut dixi, pro hac Bulla & damnatione recipienda Lovanium miſſus fuit, eumque probavit, & germanum eſſe dixit, propriaque manu ſubſcripſit, cujus ſubſcriptionis exemplar apud me adhuc eſt.* Hæc Vaſques. Ita pariter docet Suares tom. 1. de gratia, prolegomeno 6. nu. 12. & Bellarminus ipſe L. 5. de gratia & lib. arb. cap. 7. contendit nulli omnino tentationi poſſe hominem reſiſte-

T. 1. p. 516. col. 2. edit. Lugd.

Pag. 517. 1. col.

ſiſtere ſine gratia; neque tamen Bullam Pii V. ſibi objicit: *quia nempe*, inquit Vaſques nu. 174. *ſciebat optimè eam ad hoc nihil roboris habere*.

Reſp. non ſatis nos intelligere quid ex iſta Vaſqueſii & aliorum obſervatione, ad cauſam ſuam commodi reportare poſſint adverſarii. 1. Quia hanc obſervationem nobis objiciunt occaſione hujus Propoſitionis Baji, *Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis jam naſcitur*, quam illi ut veram defendunt. At iſta Propoſitio, nullam, ut patet, acerbioris cenſuræ notam præſefert. Ergo dici non poteſt damnata propter cenſuræ acrimoniam. 2. Quia viro Catholico haud dubiè ſatis eſſe debet ad aliquam Propoſitionem reprobandam, quòd legitima auctoritate proſcripta fuerit tanquam pacis inimica & perturbativa. *Numquid Deus noſter non Deus pacis eſt? Nonne judicium ſuum habet qui pacem interturbat?* Pag. 516 1. col. 1. Cor. 14. v. 33.

At, inquiet aliquis, Propoſitiones Baji damnatæ ſunt, quo tempore tumultum & graviſſimas contentiones excitabant in Academia Lovanienſi, quibus jam ſopitis ac compoſitis, nullus ſupereſſe videtur urgendæ cenſuræ locus. Imò, cenſura ſedulò ac conſtanter obſervanda, ne tumultus de novo excitetur, ac recrudeſcat diſcordia. Qui ergo eas, vel earum aliquas propugnandas inverecundè ſuſcipiunt, ut ſunt revera nonnulli, ii velut pacis perturbatores, ſeverè coercendi ac reprimendi ſunt.

Tertium ejuſdem ordinis momentum quod nobis opponitur, iſtud eſt. Nonnullæ Propoſitiones Baji, illæ potiſſimum quæ ſpectant repugnantiam ſtatus puræ naturæ, eo ſenſu diſpunctæ fuere, qui ad Bajum & Janſenium nihil omnino pertinet: namque Propoſitio iſta inter Bajanas 55. *Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur*, meritò proſcripta dici poteſt,

I. Habita ratione omnipotentiæ divinæ, cui limites præſcribere videtur; non autem divinæ juſtitiæ, bonitatis ac ſapientiæ: eo quippe reſpectu Propoſitio vera eſt.

II. Damnata dici poteſt iſto ſenſu, Deus non potuiſſet talem ab initio creare hominem in naturalibus, qualis nunc naſcitur in naturalibus. Neque enim alius jam homo eſt in naturalibus, quàm ab initio fuerit. Quem tamen alium jam eſſe in naturalibus docuere Novatores Lutherus & Calvinus; eò quòd contenderent juſtitiam originalem ad naturam hominis tam pertinere, quàm naturale eſt oculo lumen videre, & auri ſonos percipere.

III. denique, veriſſima eſt adducta Propoſitio & ab omni cenſura immunis, nimirum iſto ſenſu: Deus non potuit ab initio creare hominem cum peccato, qualis jam naſcitur obnoxius peccato, filius iræ & indignationis.

Reſp. diverticula hæc & effugia nihil prorſus momenti ac ponderis habere ad elevandam Propoſitionum Baji cenſuram.

Non 1. Propoſitio enim damnata fuit non tantùm habita ratione divinæ omnipotentiæ, ſed etiam aliarum Dei perfectionum. Nihil etenim poteſt Deus quod ſuis adverſetur perfectionibus: ſe ipſum negare non poteſt. *In Deo*, ait S. Anſelmus L. 1. Cur Deus homo, *quamlibet parvum inconveniens ſequitur impoſſibilitas*. An ferrent adverſarii, ſi quis v. g. diceret, Propoſitionem iſtam, *Deus non poteſt hominem innocentem & innoxium in gratia ſanctificante mortuum, æternis ſuppliciis addicere*, falſam quidem eſſe habita ratione omnipotentiæ, veram autem habita ratione divinæ juſtitiæ? An non divinæ omnipotentiæ re-

pugnat id omne quod injuſtum eſt ac inordinatum? Pariter igitur ſi repugnat legi juſtitiæ ac bonitatis divinæ hominem ab initio talem creare, qualis jam naſcitur; repugnat pariter divinæ omnipotentiæ, quæ à cæteris divinis perfectionibus indivulſa eſt, iiſque ſemper & omni caſu attemperata.

Non 2. Senſus quippe ille nobis non adverſatur. Si enim Deus potuit talem ab initio creare hominem in naturalibus, qualis jam naſcitur, (excepto peccato) ſequitur, quòd cùm homo jam naſcatur ſine gratia, obnoxius tamen morti cæteriſque vitæ hujus miſeriis; potuerit etiam ſine gratia primitùs à Deo creari, iiſdem etiam infirmitatibus obnoxius: quæ ipſamet eſt hypotheſis ſtatus puræ naturæ. Quo verò ſenſu docuerint Novatores, juſtitiam originalem homini, cùm primùm conditus fuit, naturalem ac debitam fuiſſe, parum ad nos attinet; quibus ſatis eſt, iſtam ſententiam ab Eccleſia improbatam & proſcriptam fuiſſe.

Non 3. Nullus quippe eſt inter Theologos qui Propoſitionem adductam ſic intellexerit, ut Deus potuerit ab initio creare hominem cum peccato, qualis jam naſcitur. Abhorrent aures Chriſtianæ à doctrina tam inſulſa & impia.

Momenta ex parte formæ Bullarum adversùs Baium.

1. Momentum ex cenſura generali & in globo. Primum momentum, in quo magnum cauſæ ſuæ præſidium collocant, petitur ex modo vago, generali, indeterminato, & ut vocant, in globo, quo Propoſitiones configuntur, nulla ipſis diſtributa ſpecialis cenſuræ nota: qui modus, inquiunt, valdè imperfectus eſt, plenus obſcuritatis & confuſionis, fidelibus non modò inutilis, ſed plurimùm noxius; ex quo nihil lucis menti affulget, ut poſſit diſcerni quæ Propoſitio hæretica ſit, vel falſa, vel temeraria, vel tantùm ſcandaloſa, &c.

Reſp. 1. Novam non eſſe, quam adversùs cenſuras generales & in globo expoſtulationem inſtituunt Baji & Janſenii patroni. Lutherus in altercatione cum Ekio habita Lipſiæ anno 1519. *iniquam appellat viam plures dictiones acervatim reprehendendi, non aſſignata cujuſq; effati nota ſeu ratione cenſuræ.* Marcus-Antonius de Dominis famoſus Apoſtata L. 1. de Repub. Chriſtiana c. 12. nu. 5. ea de cauſa cenſuram aliquorum articulorum Joannis Hus à Concilio Conſtantienſi factam ſugillat ac reprehendit, *quia eorum ſingulorum examen non apparet: ſed in confuſo ſimul cum multis aliis ſunt in ſententia contra Joannem Hus, ſub hujuſmodi cenſura notati.* His adſtipulatur etiam Petrus Suavis Polanus, quem reprimit Card. Pallavicinus Hiſt. Conc. Trid. L. 1. c. 21. Tales duces & anteceſſores ſequuntur, quibus diſplicent generales & indiſtinctæ cenſuræ. *Hiſt. Tic. Trid. L. 1. c. 21. T. 1. p. 76. & 77.*

Reſp. 2. Uſum hujuſmodi cenſuræ tam antiquum eſſe ac probatum in Eccleſia, vel ipſo Concilii generalis Conſtantienſis exemplo, ut mirum ſit eum ſeriò impeti poſſe, præſertim verò à Janſenianis, qui tanto plauſu exceperunt cenſuram vagam, generalem & in globo Innocentii XI. anno 1670. die 2. Martii contra ſexaginta & quinque laxioris Moralis Propoſitiones.

Tribus autem modis in Eccleſia uſurpatas legimus cenſuras illas indiſtinctas & generales. *Pag. 30. A. edit. Val.*

I. Generali Librorum prohibitione ac damnatione, nullis ſelectis & extractis Propoſitionibus. Qua ratione Nicæna Synodus infamem Arii *Thaliam*, *dicen-*

dicendi genus molle ac ſolutum, *ſotadicis carminibus non abſimile*, ait Socrates L.
1. Hiſt. c. 9. condemnavit; ac Imperator Conſtantinus igne juſſit abſumi, *Ib. p. 32.*
ſtatuta capitis pœna adversùs eos qui Librum hunc ſervaſſe & occultaſſe de- *B.*
prehenſi fuiſſent. Eodem modo Libri Origenis proſcripti fuere eorum le-
ctione interdicta, à Theophilo in Synodo Alexandrina, à S. Epiphanio, à *T. 4. Conc.*
Gelaſio in Concilio Romano, & à Concilio V. Oecumenico. Gelaſius in Sy- *p. 1263.*
nodo mox laudata an. 494. & Martinus I. in Concilio Lateranenſi an. 649. Can. *& 1265.*
18. multos hæreticos, & impia eorum Scripta cenſura generali, nulla Propo- *T. 6. Conc.*
ſitione deſignata, perſtrinxere. Aliquando ſpeciali ratione deſignantur Li- *p. 355.*
brorum, vel Auctorum, qui damnabantur, errores. Ita factitatum in Sa-
bellio, Paulo Samoſateno, Apollinari, Ario, Pelagio, Neſtorio &c.

II. Damnati nonnunquam leguntur Libri nonnulli, & quidam ex illis articuli, iſta dumtaxat generali nota, *error*. Hoc modo uſus eſt Guillelmus Pariſienſis Epiſcopus an. 1240. & Stephanus item Pariſienſis an. 1277. ex conſilio Magiſtrorum Pariſienſium. Pariter anno 1398. multæ Propoſitiones circa magicam artem à Cancellario Pariſienſi & Magiſtris ſacræ Facultatis ita notatæ ſunt, ut omnibus hæc generatim affixa dumtaxat ſit nota, *error*.

III. Jam diu invaluit uſus & conſuetudo proſcribendi Libros, & Propoſitiones ſeu articulos ex illis extractos, coacervatis & ſimul congeſtis, & ut dicitur, in globo, multis notis, nulla facta earum unicuique Propoſitioni applicatione ſeu diſtributione. Hac ratione Joannes XXII. quinque articulos Joannis de Poliaco ſigillatim deſignatos reprobavit, tanquam falſos & erroneos, & à doctrina ſana devios. Poſtea idem Pontifex multos articulos Ekardi Ordinis Prædicatorum eodem modo proſcripſit anno 1329. Tum anno 1369. Cancellarius Eccleſiæ Pariſienſis & Magiſtri in Theologia, cenſoriâ virgula notarunt quaſdam Propoſitiones F. Dionyſii Soulechat; itemque anno 1382. Theologi Oxonienſes, articulos Vviclefi, intelligendo eos prout verba ſonant, vel hæreticos, vel erroneos eſſe judicarunt.

Hunc ferendæ generalis cenſuræ modum adversùs Libros, & Articulos ſeu Propoſitiones ex iis extractas, velut communem & ordinarium in Sede Apoſtolica retinuere ac ſequuti ſunt Sixtus IV. anno 1478. contra Petrum de Oſma. Leo X. anno 1520. contra Lutherum. Pius V. anno 1567. Greg. XIII. anno 1679. Urbanus VIII. an. 1641. contra Bajum. Alexander VII. anno 1665. & 1666. Innocentius XI. an. 1679. & anno 1688. Alexander VIII. an. 1690. Innocentius XII. an. 1699. ac tandem Clemens XI. Conſtitutione *Unigenitus* an. 1713. quæ quidem ea de cauſa non magis arguenda eſt, quàm tot alia hujuſcemodi Summorum Pontificum Decreta.

Accedit & ipſe uſus ac conſuetudo Cleri Gallicani. Inter multas illius cenſuras, quæ referuntur tomo 1. novæ collectionis Documentorum Cleri Gallicani, una dumtaxat eſt lata anno 1700. quæ damnatis Propoſitionibus ſingulis ſingulas & proprias affigat cenſuræ notas: quamquam ultima Propoſitio quæ eſt n. 127. & plures partes complectitur, in globo ac reſpectivè proſcribitur. *Doctrina his Propoſitionibus contenta*, ait cenſura, *eſt reſpectivè falſa*, *abſurda*, *pernicioſa*, *erronea*, *probabilitatis peſſimus fructus*. Aliæ verò cenſuræ in genere dumtaxat & in globo communiter pronunciant & feriunt.

Denique vel una auctoritate atque exemplo planè decretorio Concilii generalis Conſtantienſis, res tota finiri & terminari debuiſſet: neque enim fas eſt

viro Catholico ſuſpicari Eccleſiam, eum ferendæ cenſuræ modum probare & ſequi poſſe, qui fidelibus non tantùm inutilis, ſed etiam noxius futurus eſt. Concilium igitur Conſtantienſe ſeſſ. 8.45. articulos Vvicleſi, & ſeſſ. 15.30. Joannis Hus damnavit in globo ac generatim, nulla ipſis ſigillatim inuſta cenſuræ nota. Qui certè modus, ſi vitium habet, vitium illud in ipſum generale Concilium, hoc eſt Eccleſiam Univerſam, redundat. Nihilominus tamen juſſit S. Pontifex Martinus V. eos, qui ſuſpecti forent, interrogari, num crederent articulos illos rectè proſcriptos fuiſſe.

Tom. 12. Conc. p. 46. 47. 48. & 130. Bulla Martini V. Ib p. 268.

Argumentum iſtud ductum ex uſu Concilii ipſius Conſtantienſis, durè ac importunè premit æmulos Bullæ Pii V. Ut illud excutiant ac infirment,

Reſpondent, diſparem cauſam eſſe Concilii Conſtantienſis, & Bullæ Pii V. I. Quia articuli Vvicleſi & Joannis Hus à Concilio proſcripti multis graviſſimo ſcandalo & offenſioni fuerant. Fatemur: Sed quid inde? Hoc unum, articulos publica cenſura debuiſſe configi. Sed quali cenſura? generali, an diſtincta? Si cohærenter ad ſua principia ſentire & loqui vellent adverſarii, diſtinctam & diſtributam neceſſariam fuiſſe aſſerere deberent: altera ſiquidem inutilis, imò noxia & periculoſa videtur. Non ita tamen Concilio viſum fuit, à quo generali dumtaxat & indiſtincta cenſura damnati ſunt articuli Vvicleſi & Joan. Hus. Concilii veſtigia inſecutus eſt Pius V. occaſione doctrinæ Baji, quæ propter motus, rixas & contentiones excitatas inter Theologos, quibus illa ſcandalo & offenſioni fuerat, pari cenſura configenda fuit. *Ex omnibus afflictionibus*, ait ſanctus Pontifex in ipſo Bullæ ſuæ aditu, *quas in hoc loco conſtituti ſuſtinemus, ille animum noſtrum præcipuè excruciat dolor, quòd Religio Chriſtiana tantis jam pridem turbinibus agitata, novis quotidie Propoſitionibus confligetur, Chriſtique populus antiqui hoſtis ſuggeſtione diſſectus, in alios atque alios errores paſſim & promiſcuè deferatur: Quantùm verò ad nos attinet, totis viribus conamur, ut illæ ſimul atque proſiliunt, penitùs opprimantur. Magno enim mœrore afficimur, quòd plerique ſpectatæ alioqui probitatis & doctrinæ, in varias ſententias, offenſionis & periculi plenas, tum verbo, tum ſcriptis prorumpunt, deque eis etiam in Scholis invicem controverſantur.* Par igitur ea ex parte fuit conditio Pii V. reſpectu Baji, & Concilii Conſtantienſis reſpectu Vvicleſi & Joannis Hus.

Recueil des Bulles p. 13.

II. inquiunt, Synodus Conſtantienſis articulos Vvicleſi & Joannis Hus damnat poſt longum & accuratum examen, & latum in Concilio Romano de illis judicium. *Propterea*, inquiunt Patres Conſtantienſes, *ſancta Synodus ſententias prædictorum Archiepiſcoporum, ac Concilii Romani ratificans & approbans, prædictos articulos, & eorum quemlibet ...... damnat.*

T. 12. Conc. p. 48. C.

Verùm, rogo, quid hoc contra rem præſentem? Nonne Pius V. accurato examine dictos Baji articulos coram ſe juſſit diſcuti? Nonne poſt tranſmiſſam ad ſe Baji apologiam, ipſi reſcripſit S. Pontifex, *Bullam ſuam non ſine matura deliberatione editam fuiſſe, quemadmodum & ipſius cauſæ gravitas, & hominum de ſancta Sede bene meritorum conditio poſtulabat. Nihilominus ſe, ut ipſi ſatisfaceret, curaviſſe, ut & Libri, & ipſæ Propoſitiones & Scripta* (apologetica) *novo ac maturo examine expenderentur: quibus expenſis*, addit S. Pontifex, *quæ ſuper hoc ipſo jam decreveramus, niſi antea à nobis decreta fuiſſent, eadem, prout facimus, de integro decernenda, ſtatuendaque eſſe judicavimus.* Denique nonne Card. Granvellanus in Epiſt. ad Morillonium anno 1567. die 13. Nov. affirmat

Op. Baji, par. 2. p. 140.

Ib. p. 62.

mat Propoſitiones Baji à benè multis omnium nationum peritis ſedulò expenſas, à variis Academiis, imprimis Pariſienſi, jam proſcriptas fuiſſe? Moroſum ac faſtidioſum eſſe oporteat, qui examen magis ſerium & accuratum poſtulaverit.

III. Palmarem diſparitatis rationem inter Bullam Pii V. & Decretum Conſtantienſe iſtam afferunt: Quòd nempe Theologi Conſtantienſes ſingulos articulos, antequam à Synodo generatim & in globo diſpungerentur, ſpeciali & diſtributa cenſura jam notaverant; quorum quidem brevem cenſuram in publica ſeſſione 8. Concilii lectam & approbatam fuiſſe teſtatur Vanderhart in nova, quam adornavit, Concilii Conſtantienſis Hiſtoria. Mirum igitur videri non debet, inquiunt, quòd Synodus generatim dumtaxat & in globo tulerit ſententiam contra articulos Vviclefi & Joannis Hus. *T. 3. par. 12. pag. 68.*

Reſp. momentum iſtud leve admodum eſſe, atque videri plùs nocere adverſariis, quàm favere.

I. Quia quæcumque à Theologis in privatis Conciliorum conſeſſibus proferuntur, vim & auctoritatem ex Concilio non habent, niſi plenis Comitiis admiſſa illa & probata fuerint. Atqui brevem illam & diſtinctam cenſuram à Theologis adornatam, Concilio probatam & admiſſam non fuiſſe, vel ex hoc uno patet, quòd eam Patres hujus Concilii ſequuti non fuerint, ſola contenti generali cenſura.

II. Quia dicta cenſura Theologorum ſpectabat dumtaxat articulos 45. Vviclefi, non triginta Joannis Hus: multò minùs alios ducentos & ſexaginta, quos eadem Synodus generatim damnavit. Ergo fateantur neceſſe eſt qui nobis hic adverſantur, iſtorum articulorum reſpectu, cenſuram Concilii informem fuiſſe, obſcuram, confuſam & ambiguam, ex qua certò dignoſci non poſſit, quod ſit uniuſcujuſque Propoſitionis proprium ac ſingulare vitium. *Tom. 12. Conc. p. 48.*

III. Idcirco putant adverſarii neceſſe eſſe ut ſingulis Propoſitionibus ſuæ ſingulares affigantur notæ, ne fortè populus Chriſtianus in errorem inducatur cenſuris illis generalibus & indeterminatis, ex quibus nihil certi extundi poteſt. Jam rogo, quid utilitatis & commodi populus Chriſtianus reportare potuit ex illis Theologorum cenſuris, quæ in Acta Concilii relatæ non fuere, quæ ab anno 1418. quo clauſum fuit Conſtantienſe Concilium, uſque ad annum 1697. quo ex tenebris erutæ ſunt à recentiori auctore Hiſtoriæ hujus Concilii, prorſus incognitæ delituerunt? Nihil ergo commodi ad dignoſcendam & ſecernendam veritatem ab errore, fideles toto illo temporis intervallo percipere potuerunt. Ergo in mente adverſariorum fatendum erit, Concilii cenſuram toto illo temporis tractu reſpectu fidelium informem fuiſſe, confuſam, ambiguam & incertam, ac conſequenter inutilem, imò noxiam & periculoſam.

IV. Præter brevem illam cenſuram, alia edita fuerat diffuſa magis ac prolixa, quam jam dictus Vanderhart refert tomo 3. pag. 212. Eſt autem obſervandum, duas illas cenſuras in notis, quas diſtribuunt, non convenire inter ſe: ita ut quæ Propoſitio ab una tanquam hæretica notatur, ab alia dicatur tantùm aut falſa, aut temeraria &c. Atque hæc forſan una eſt ex rationibus, quibus Patres Conſtantienſes moti ſunt, ut neglectis illis Theologorum cenſuris diſtinctis ac diſtributis, in una hæſerint deligenda cenſura generali & in globo, pro antiquo ac recepto Eccleſiarum uſu.

V. In

Digitized by Google

V. In Concilio Romano ubi primùm diſcuſſi ac reprobati ſunt Vvicleſi & Joannis Hus articuli, nullum extat veſtigium cenſuræ diſtinctæ, ac per ſingulos articulos diſtributæ. Ergo adverſariorum noſtrorum judicio, informis illa fuit, anceps & confuſa. Quòd ſi dixerint, induſtria & ſtudio Theologorum quos Romana hæc Synodus conſuluerat, uniuſcujuſq; articuli vitium perſpectum fuiſſe: quidni ſupponere meritò poſſumus id pariter factitatum à Theologis, quos Pius V. ſelegerat ad excutiendas Baii Propoſitiones? Eſt enim iſtud Conſultorum proprium munus & officium.

Secundum momentum ex parte formæ Bullarum adverſùs Bajum colligit auctor Libelli jam citati, ex multiplici defectu, vitio & abuſu, quo dictæ Bullæ laborare ipſi videntur.

Momẽta contra Bullam Pii V. *Pag. 109 & ſeq.* I. Si ipſi fides, Bulla Pii V. vim legis obtinere non poteſt, nec pro Apoſtolico Decreto haberi. 1. Quia ex conſilio Cardinalium lata non fuit. 2. Pius V. in ea non loquitur tanquam Caput Eccleſiæ, ad informationem & inſtructionem omnium fidelium. 3. Solita forma Romæ affixa & promulgata non fuit: imò neque Bajo cæteriſque Doctoribus Lovanienſibus primùm communicata, quorum tamen multùm intererat eam legere & expendere. 4. *Quibuſcumque quoquo pacto loquendi, ſcribendi & diſputandi* (de Propoſitionibus damnatis) *facultatem* Pius interdicit. Hoc eſt, ait Libellus, prohibet Pontifex, ne quis loquatur de peccato originali, de infirmitate naturæ, de gratia, & neceſſitate Redemptoris, &c.

Prohibet autem ne quis quoquo modo loquatur; id eſt, pergit Libellus, ne quis eas defendat, aut etiam impugnet: quæ prohibitio omnes omnino ſpectat cujuſcumque conditionis homines, etiam Epiſcopos, quibus non licebit amplius de his Propoſitionibus, etiam impugnando, ſermonem habere. Prohibet verò Pontifex ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, *à qua nullus, Romano Pontifice inferior, valeat, excepto mortis articulo, liberare. Imò inobedientes omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, bene ficiis & officiis perpetuò privat, ac etiam inhabiles decernit*: quæ omnia abuſiva ſunt, vimque omnem & auctoritatem Bullæ Pianæ apud nos penitus detrahunt. Ad cumulum abuſuum accedit, ait Libellus, quòd Pius V. Cardinali Granvellano in mandatis dederit, tum ut Principum opem imploret, ac recurrat ad brachium ſæculare, ſi contumaces aliter retinere ac frangere non poſſit: tum ut nullam cujuſcumque appellationis habeat rationem. Nihil à Pio V. prætermittitur, ait Libellus; ſacrum cum prophano permiſcetur, eademque involvitur cenſura.

Pudet iſta tam miſera referre, quæ ex impotenti obtrectandi ſtudio ad invidiam ſanctiſſimo Pontifici conflandam inverecundè conficta ſunt. Verùm hæc non alium onerant ac lædunt, præter eum à quo proferuntur. Fingit auctor Libelli inconſultos à Pontifice Pio V. Cardinales. At unde id habet? Declarat ipſe Pontifex in Bulla ſua, *ſtricto coram ſe examine ponderatas*, *Op. Baii parte 2. p. 140.* quas damnat, Baji Propoſitiones. Idem rurſus ſignificat in eo Brevi quod ad Bajum dedit, poſt receptam & expenſam ejus apologiam: verba paulò antè relata ſunt. *Ibid. pag. 26.* Declarat & ipſe Card. Granvellanus Epiſtola ad Morillonium die 13. Nov. an. 1567. rem totam ſibi à Pio communicatam fuiſſe. Qui ergo fieri potuiſſet ut aliis conſultis Theologis, ipſos Cardinales Pontifex prætermiſiſſet? Cùm ipſi deciſivum, ut vocant, ſuffragium tanquam judices.

judices ferre ſoleant; cæteri verò Theologi dumtaxat conſultativum. Gratis fingit auctor, Pium non loqui tanquam Caput Eccleſiæ ad informationem & inſtructionem omnium Chriſtianorum: Ergo loquitur ut Doctor privatus. At quid abſurdius? *Ex omnibus afflictionibus*, ait Pius V. initio ſuæ Bullæ; *quas in hoc loco à Domino conſtituti, tam luctuoſo tempore ſuſtinemus &c.* An verò privati Doctoris hæc verba ſunt; & non potiùs Pontificis Maximi, cujus cura & ſolicitudo ad omnes Eccleſias ſe extendit? Fatemur Pii Bullam Romæ affixam ſtatim non fuiſſe; imò nec Bajo, cæteriſque Theologis Lovanienſibus communicatam: ratio in promptu eſt. Optabat ſcilicet Pontifex ſtudio pacis, totum illud moleſtum diſſidium ſilentio conſepultum in ortu ſuo præfocare, ne majores in Eccleſia excitaret tumultus; ea de cauſa nomen Baji in titulo Bullæ ſuppreſſum eſt. Quòd ſi tum ille, tum alii Lovanienſes injunctum ſibi ſilentium religioſè, ut par erat, obſervare voluiſſent, res tota feliciter compoſita fuiſſet ac terminata; nec, ut conjicere licet, publicam lucem aſpexiſſet Pii Conſtitutio. Verùm obſtinata multorum pervicacia Gregorium XIII. Pii ſucceſſorem, dictam Bullam in Academia Lovanienſi tandem evulgare, & executioni demandare coegit. Fingit rurſus auctor Libelli, unicuique, etiam Epiſcopis, interdictam licentiam *quoquo pacto* loquendi de proſcriptis Baii Propoſitionibus, etiam ut oppugnentur & improbentur. Verùm craſſiſſimè ille fallitur: neque enim is unquam fuit Pontificis animus, vel ſenſus dictæ prohibitionis; quaſi non liceret errores impugnare, & ipſis oppoſitam veritatem defendere? Prohibet ergo Pontifex, nequis *quoquo pacto* loquatur, ſcribat, & diſputet de illis Propoſitionibus, animo ſcilicet eas propugnandi ac defendendi; qui ſolus ſenſus legitimus eſt ac rationi conformis: alter verò abſurdus eſſet, inſulſus, & à communi uſu abhorrens: qui Pontifici, nonniſi per gravem injuriam & contumeliam poſſet affingi. Riſu, non ſeriò excipiendum, quod addit auctor Libelli, Pii Bullam ea etiam ex parte abuſivam eſſe, *Pag. 216.* quòd jubeat Pontifex Cardinali Granvellano, ut ad brachium ſæculare, ſi opus fuerit, recurrat. Abuſivè igitur egere Concilia, Nicænum, Epheſinum, Chalcedonenſe, & alia quotquot Imperatorum ac Principum opem ac præſidium imploravere, pro tutela, defenſione, & executione legum Eccleſiæ? Abuſivè pariter ordinavit Synodus Tridentina ſeſſ. 25. de regularibus & monialibus c. 5. *ut ſanctimoniales ad monaſteria intra urbes vel oppida frequentia reducantur, invocato etiam auxilio, ſi opus fuerit, brachii ſæcularis.* Abuſivè pariter *Tom. 14. Concil. p. 899. E. T. 10. p. 973. C.* ſcripſit ſanctus Auguſtinus Lib. 2. Operis imperfecti contra Julianum c. 103. *damnatam hæreſim ab Epiſcopis, non adhuc examinandam eſſe; ſed coercendam à Poteſtatibus Chriſtianis.* Denique, ſi auctori placuerit, abuſus erit agnoſcere Imperatores ac Principes vindices eſſe ac protectores Canonum; atque nobiliores officii eorum partes in eo potiſſimum eſſe, ut quam à Deo ſolo acceperunt ſupremam poteſtatem, totam convertant in defenſionem ac tutelam Religionis. Verùm piget in his diutius immorari.

Aliæ verò clauſulæ, quæ in Bulla Pii V. ex ſtylo Romanæ Curiæ inſeruntur nec moribus noſtris congruunt, apud nos non obtinent; iiſque ſepoſitis, unam cum Epiſcopis doctrinam admittimus, ut jam ſuperiùs admonuimus.

Momēta contra Bullam Gregorii XIII.

II. Adversùs Bullam Gregorii XIII. quæ Pianam appellat & continet, præter jam memoratos prætenſos abuſus ipſi cum Pianâ communes, Libelli auctor objicit, Gregorium dictam Pii V. Bullam nuſquam auctoritate ſua probaſſe

aut confirmaſſe. Reipſa quidem conceptis verbis non dixit Gregorius, ſe Bullam ſui prædeceſſoris approbare & confirmare. Verùm nonne illam approbare & confirmare cenſetur, qui jubet eam Lovanienſibus intimari, & ab ipſis, ea qua par eſt reverentia & obedientia ſuſcipi? At quis ignorat miſſum à Gregorio Lovanium Toletum è Societate Jeſu Theologum, quem habebat à Concionibus, poſtea Cardinalem, ut Lovanienſes, ipſumque etiam Bajum ad promptum Sedi Apoſtolicę obſequium exhibendum adduceret? Quod quidem feliciter Toleto ſucceſſit. Nonne Urbanus VIII. Bulla *in Eminenti* declarat Conſtitutionem Pii à Gregorio confirmatam fuiſſe? & à ſemetipſo etiam utramque, tum Pii, tum Gregorii confirmari? Procul à tam gravi argumento pueriles ineptiæ.

Momēta contra Bullam Urbani VIII. III. Denique, nullam eſſe apud nos Bullæ *in Eminenti* Urbani VIII. auctoritatem probat auctor Libelli, 1. quia nunquam ſolita forma recepta & promulgata fuit apud nos, 2. quia iiſdem defectibus ac abuſibus ſcatet, quibus Bulla Pii V. Imò & novos adjicit: tum quia renovat decretum Pauli V. anni 1611. quo prohibuerat, quidquam in lucem emitti circa materiam de auxiliis, etiam ſub prætextu commentandi S. Thomam, aut alio modo; niſi priùs, qui vellent de hac materia ſcribere & imprimere, mitterent tractatus & compoſitiones ſuas ad dictam ſanctam & univerſalem Inquiſitionem; tum quia continet clauſulā, *motu proprio*. Quę duo moribus Eccleſiæ Gallicanę plurimùm adverſantur.

De illa Urbani VIII. Bulla pluribus paulò antè dictum à nobis fuit, neque quidquam eſt quod hìc addamus. Hanc enim, quoad doctrinam, etiam annuente ac jubente Chriſtianiſſimo Rege, receptam fuiſſe, ſepoſitis ac præciſis formulis ſeu clauſulis quæ nobis non congruunt, abundè ſatis ut opinor, probavimus.

DE JANSENIO.

Ut decantata toties Janſenii cauſa penitùs dignoſcatur, duo ſunt neceſſaria. Texenda primùm Hiſtorica ejus Synopſis: tum doctrinæ Janſenii circa Gratiam & Libertatem ſyſtema evolvendum.

Synopſis Hiſtorica Janſeniſmi.

Nullus, ut puto, hìc à nobis expectat, integram ac cohærentem fuſiori ſtylo adornari Janſeniſmi Hiſtoriam: nec inſtituti noſtri ratio, nec præfixi hujus Tractatus limites id patiuntur. Non permittit tamen lex impoſiti nobis officii, ut quos informandos habemus rerum Theologicarum Candidatos, hujuſce domeſticæ ac ætatis noſtræ Hiſtoriæ notitia omnino defraudemus. Nobis ergo animus eſt, illius initium, progreſſum & exitum, breviter, ac ſumma fide, & abſque ulla cujuſquam offenſione, ex publicis Monumentis referre.

Ad tres verò Epochas, majoris diſtinctionis cauſa, revocabimus quæcumque hìc dicenda nobis ſunt.

Prima exponet ea quæ præceſſerunt examen ac judicium Romanum quinque Propoſitionum Janſenii.

Secunda, examen illud ac judicium continebit.

Tertia denique narrabit, quæ examen illud ac Judicium ſubſecuta ſunt.

EPO-

EPOCHA PRIMA.

De iis quæ præceſſerunt Examen ac Judicium Romanum quinque Propoſitionum Janſenii.

In hac prima Epocha continentur

Perſona Janſenii.

Liber ipſius cui titulus, Auguſtinus, & Janſenii de ipſo judicium.

Libri hujus denunciatio facta Urbano VIII. S. Pontifici.

Pariſiis Habertus, & Syndicus ſacræ Facultatis, contra novam Janſenii doctrinam inſurgunt.

Epiſcopi Gallicani 85. quinque Propoſitiones ex Libro Janſenii excerptas denunciant Innocentio X. S. Pontifici. Undecim ex altera parte Epiſcopi de facta delatione apud eundem S. Pontificem conqueruntur.

PERSONA JANSENII.

Anno 1585. Cornelius Janſenius ex Catholicis parentibus naſcitur in Territorio Leerdamenſi apud Batavos. Ultrajecti, Litteris humanioribus, & Lovanii, tum Philoſophiæ, tum Theologiæ operam dedit, Moderatore Jacobo Janſonio doctrinæ Baii ſtrenuo defenſore. Mutato, propter morbum, concreto & pingui Bataviæ cœlo, Pariſios ſe contulit, ubi ſalutato Abbate San-Cyrano, cum quo Lovanii amicitiam jam contraxerat, ejus favore cuidam honeſtæ familiæ adoleſcenti inſtituendo præfectus fuit; tum poſtea cum amico ſuo San-Cyrano Bajonam tendit; ibique Collegii Primarius inſtitutus, ſtudio & lectioni ſancti Auguſtini, premente San-Cyrano, ita ſe totum immerſit, ut San-Cyrani mater de filio interdum conqueſta fuerit, quòd bonum illum Belgam nimiùm defatigaret, non ſine periculo ejus valetudinis. Bajonæ per aliquot annos commoratus, Lovanium revertitur Janſenius, ac novo ſanctæ Pulcheriæ Collegio Præfectus, fundos & redituſ, ſuppeditata à Dominis Proviſoribus pecunia, emit, ædificia conſtruxit, Collegium velut à fundamentis erexit.

Anno 1617. Laurea Doctorali donatus eſt in Theologica Lovanienſi Facultate: ſubinde bis in Hiſpaniam ab eadem Academia delegatus, commiſſa ſibi negotia feliciter perfecit.

Anno 1630. Regius ſacrarum Litterarum Profeſſor inſtituitur. Hoc anno emiſit in lucem, ſub ementito nomine Alexandri Patricii Armacani Theologi, Libellum cui titulus, *Mars Gallicus*, in quo inverecundè contra ſacram Regum noſtrorum Majeſtatem invehitur. Placet nonnullis fingere, unicè propter illam Gallicano Imperio irrogatam injuriam, Cardinalis Richelei regni Adminiſtri molitionibus politicis & auctoritate, conjuratam fuiſſe in Janſenium eam procellam qua penè ſubmerſus fuit: verùm non attendunt illi, dictum Cardinalem è vivis exceſſiſſe anno 1643. & de quinque Janſenii Propoſitionibus in Galliis diſputatum non fuiſſe ante annum 1649. Quanquam ſi Gallos, propter Martem Gallicum, infenſos habuit Janſenius, Hiſpanos è contra ob eandem cauſam propitios expertus eſt. Attamen & Galli & Hiſpani communibus votis poſtea in damnationem doctrinæ ipſius conſenſerunt.

Anno

Digitized by Google

Verba Teſtamenti Janſenii. T. 2. p. 26. col. 1. D. E. & T. 3. pag. 443.

Anno 1635. Epiſcopus Iprenſis conſecratus fuit: & anno 1638. die 6. Maii lue extinguitur, poſtquam ultimam & moribundam manum appoſuiſſet Operi quod inſcripſit, *Auguſtinus*. Tabulis ſuæ ſupremæ voluntatis, Capellano ſuo omnia ſua Scripta ad explicationem S. Auguſtini pertinentia legavit, ea conditione ac lege, ut typis ea mandari curaret, re priùs communicata cum Liberto Fromondo & Henrico Caleno. Quamquam verò fateatur eo in Opere difficulter aliquid mutari poſſe: *Si tamen*, inquit, *Romana Sedes aliquid mutari velit, ſum obediens filius; & illius Eccleſiæ, in qua ſemper vixi, uſque ad hunc lectum mortis obediens ſum*. Idem conteſtatus fuerat cap. 29. Libri proœmialis, & in Epilogo totius operis. *Mihi conſtitutum erat*, ait priori loco, *eandem quam ab infantia ſecutus ſum, ſenſuum meorum ad extremum ſpiritum uſque ducem ſequi Romanam Eccleſiam, & beatiſſimi Petri in Romana ſede ſucceſſorem. Super illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque cum ipſo non colligit, ſpargit; apud quem ſolum incorrupta Patrum ſervatur hæreditas. Quidquid ab iſta Petri Cathedra, in cujus communione à teneris vixi, & porrò vivere & mori fixum eſt, ab iſto Principis Apoſtolorum ſucceſſore, ab iſto Chriſti Domini noſtri Vicario, ab iſto Eccleſiæ Chriſtianæ Univerſæ Capite, Moderatore, Pontifice præſcriptum fuerit, hoc teneo: quidquid improbatum improbo, damnatum damno, anathematiſatum anathematiſo*. Hæc Janſenius. Utinam iſtud Magiſtri, ſicut & Baji obedientiæ & obſervantiæ erga Sedem Apoſtolicam exemplum imitati fuiſſent Janſeniani: jam diu compoſitum fuiſſet, quod à tot annis Gallicanam imprimis divexat Eccleſiam, totum iſtud de Janſeniana doctrina diſſidium; ac nos omnes in unitate fidei ac vinculo charitatis colligati, tranquillè reſpiraremus.

De ingenio, moribus ac eruditione Janſenii, hæc pauca auctor Synopſeos ejus vitæ, quæ præfixa eſt initio ipſius Libri: *In rebus*, inquit, *ſemel prudenter deſtinatis magnanimus, acer & inſtans, per omnia impedimenta & obſtantia ad exitum facilè penetrabat..... Ingenium ipſi fuit acerrimum, judicium graviſſimum, memoria capaciſſima. Subtilis choleræ nonnihil habuit, quam flammulæ ſalpetræ lepidè comparare ſolebat, quæ momento incenditur, & momento in nihilum diſpergitur..... Ad iſtas naturæ dotes acceſſerat ſtudium noctu diuque infatigabile, & veritatis immenſus amor. Rogatus aliquando à ſodali, quodnam Dei attributum maximè ei eſſet cordi & veneraretur, Veritatem reſpondit. Et ſæpe inter horti ſui ſpatia & ſolitarias meditationes, viſus audituſque oculis in Cœlum ſublatis erumpere in hanc vocem, O veritas*. Nihil de debitis Janſenio laudibus detractum hìc volumus: abſit. At veritatem, quam tam ſolicitè quæſiviſſe dicitur, Eccleſia judice, aſſecutus profectò non fuit in eo Libro, cui titulus *Auguſtinus*.

Liber Janſenii, cui titulus Auguſtinus, *& quale de ipſo Janſenii judicium*.

Lib. proœmial. c. 28.

Librum ſuum Janſenius inſcripſit, *Auguſtinus*, quòd confidat ſe puram divi Auguſtini doctrinam, à quingentis annis (ut putabat) à Scholis Catholicis exulem, revocare.

T. 2. pag. 27 col. 1. B.

Ergo Eccleſia tanto temporis tractu ignoravit veram de Gratia Chriſti doctrinam? Cui objectioni c. 30. Libri proœmialis ſic reſpondet: *Si Eccleſia Univerſa rectè crederet, fidemque ſuam palam in precibus & Orthodoxis loquendi formulis fateretur, ſed tamen quomodo verum ſit id quod credit, non ſatis intelligeret,*

ret, ſed aliud atque aliud filii ejus humana ſuſpicione, veracique ſubmiſſione ſentirent, nihil Eccleſia tota vel pars ejus in ipſa fide pateretur præjudicii. Arcanorum quippe myſteriorum integram fidem, non intelligentiam in hac vita Deus promiſit Eccleſiæ...... Nam & ipſi Scholaſtici; & Univerſa Eccleſia rectiſſimam fidem in Canonibus ſuis, & in precibus ſuis, ipſaque Oratione Dominica quotidiana proteſtatur, in quibus quidquid Auguſtinus de gratia & prædeſtinatione docuit, comprehenditur: ſed quia vim eorum non attendunt, aut non intelligunt, hinc diverſis opinionibus à ſe divulſi ſunt, quibus inadvertenter fidem aliqui, quam Catholicè profitentur, interimunt.

Verùm, nobis tacentibus nemo non intelligit quàm parùm honorifica ſit iſta de Eccleſia Chriſti Janſenii ſententia. Ita ne verò fieri poteſt, ut Eccleſia non intelligat vim precum, ipſiuſque Orationis Dominicæ, quas quotidiè ad Deum fundit? Ita ne per tot ſæcula cæcutiit in dignoſcenda vera ſancti Auguſtini circa gratiam doctrina? Sed hæc jam mittamus.

Referunt nonnulli Janſenium Opus ſuum Baji Apologiam primùm inſcripſiſſe, quòd non alio conſilio ac mente manum operi admoviſſe videtur, quàm ut doctrinæ Baji Apologiam ac defenſionem ſuſciperet; verum poſtea titulum Libri immutaſſe, quòd præſentiret concitandam in ſe Romanam indignationem, ac Libri ſui certiſſimam cenſuram.

Per viginti & duos annos, huic ſuo Libro perficiendo totus incubuit Janſenius, ut Auguſtini mentem ac doctrinam penetraret. *In quibus penetrandis*, ait ipſe, *quamvis fortè multorum annorum aſſiduo labore, & iterata decies, imò vicies ac tricies lectione Librorum ejus, multiſque precibus ad Deum fuſis, non multùm profecerim; hoc ſaltem unum aſſecutus ſum, ut non obſcurè mihi cernere videar, quàm procul hujuſmodi recentiores in multis myſteriis percipiendis ab Auguſtini mente deviaverint.* *Libr. proam c. 28 p. 25. col. 1. B.*

Hinc dubitat Janſenius, an multùm profecerit in penetranda Auguſtini doctrina; & tamen aſſeveranter pronunciat, ſibi clarum videri recentiores ab ea deviaſſe: quomodo hæc ſecum cohærent? Inde verò fatetur, ſummo & indefeſſo multorum annorum ſtudio, ac repetita ſæpius Librorum Auguſtini lectione in penetranda ejus doctrina adlaboraſſe: Ergo Janſenii ſyſtema, non ea in Auguſtino emicat luce, qualem fingunt diſcipuli Janſenii. Immeritò igitur recentiores Scholaſticos Janſenius ſugillabat, quòd in tanta luce cæcutiiſſent; quandoquidem ipſemet, ut eam Auguſtini doctrinam è tenebris erueret ac genuinum ipſius ſenſum expiſcaretur, per tot annos deſudavit. Quòd ſi genuinus Auguſtini ſenſus Janſenium tamdiu latuit, ita ut, ipſomet fatente, retrò abire ac retrocedere videretur; quid tandem de perſpicuitate Janſenii Auguſtinum commentantis ſentient ejus defenſores, quem poſt infinita penè ab ipſis in ejus elucidationem edita volumina ab annis 70. Eccleſiæ Univerſę impervium eſſe protervè aſſeverant? Scilicet illis ſolis datum eſt ſapere & intelligere, cæteri verò miſeri mortales in tenebris cæcutiunt. *Epiſt. 25.*

Percrebuerat apud eruditos fama, Janſenium Opus illud egregium meditari. *Cui dum totus inſudat*, ait auctor vitæ illius, *viri multi ſpirituales & eruditi Sæculares Regulareſque, currenti ſæpiſſimè calcar addiderunt, ut opus inchoatum deproperaret, ne quod Veneri Apellis accidit, morte interceptus, non inveniret, qui ad præſcripta lineamenta auderet ſuccedere. Ipſe quoque huic operi unicè natum, & ubi abſolviſſet, paratiſſimum ſe mori dictitabat.* Tanta ſcilicet

erat

erat præconcepta de hoc inauſpicato fœtu opinio, qui non ſine magno pacis Eccleſiæ detrimento lucem aſpexit.

Uno grandiori conſtat volumine in tres Tomos diſtincto: primus octo Libros continet de Hæreſi Pelagiana. Secundus complectitur quatuor partes. 1. Unicum Librum habet de ratione & auctoritate in rebus Theologicis. 2. Unicum pariter Librum de Gratia primi hominis & Angelorum. 3. Quatuor Libros de ſtatu naturæ lapſæ. 4. Tres de ſtatu naturæ puræ. Tertius Tomus in duas partes dividitur. In prima ſunt decem Libri de Gratia Chriſti Salvatoris: hæc pars videtur eſſe finis ac ſcopus totius Operis, cui Epilogus apponitur. In 2. parte unicus Liber continetur, qui dicitur Parallelum erroris Maſſilienſium & opinionis quorumdam recentiorum.

Liber ille ſcriptus eſt ſtylo nec laxiori nec ſatis preſſo, nec polito, nec etiam inculto ac barbaro. Frequentes continet earumdem rerum repetitiones; magnam adinventæ veritatis præfidentiam; vix ferendam aliarum opinionum acerbiorem cenſuram, ac Theologorum Scholæ apertum contemptum. *Nonnulli Scholaſtici*, inquit, *qui ſe multùm ſapere crediderunt, in tam animoſas inſul-*
Cap. 28. *ſaſque cenſuras Auguſtinianæ doctrinæ proruperunt; à cuius verò intellectu tam*
Lib. proæ- *procul abſunt, ut ſanctum Scriptorem clauſis aut extinctis oculis legiſſe videantur .....*
mior. p. 24. col. 2. D. Et poſtea. *Recentiores iſti profectò tantùm ab oſtio veræ Theologiæ, fide ſalva aber-*
Ibid E. *raverunt, ut neque fidem Chriſtianam, quam animo ut Catholici tenent, neque ſpem, neque cupiditatem, neque naturam, neque gratiam, eamque neque Angelorum, neque hominum, neque ſtantium, neque lapſorum; neque ſufficientem, neque efficacem, neque operantem, neque cooperantem ..... neque vitium, neque virtutem,*
Pag. 25. col. 1. A. *neque opus bonum, neque peccatum, neque originale, neque actuale, neque præmium, neque ſupplicium ..... neque liberum, neque ſervum arbitrium ..... denique neque vetus, neque novum Teſtamentum intelligere videantur*. Egregia verò Theologorum Scholæ laus & commendatio.

Approbatum legitur Opus Janſenii à ſex Doctoribus Facultatis Theologicæ Pariſienſis, inter quos approbatio D. Beauharnois non ſine fraude translata fuit ad frontem Commentarii ejuſdem Janſenii in Pentateuchum, ſub titulo Cenſuræ Academiæ Pariſienſis: quaſi tota Academia Librum Janſenii approbaſſet.

Quis porrò fuerit Janſenii de ſua lucubratione ſenſus, quale judicium, ipſe privatis ad amicum San-Cyranum Epiſtolis candidè aperit. Epiſtola 63. ſcripta anno 1626. *Tantùm*, inquit, *circa iſtud negotium incommodi ac periculi exponere mihi non potes, quantùm ego vel ab initio ſubodoratus ſum*. Epiſtola 131. ſcripta anno 1635. ait, *ſe adduci non poſſe, ut credat opus ſuum à Judicibus* (Romano nempe Pontifice) *approbandum unquam fore*. Et Epiſtola 16. ſcripta an. 1621. *Non audeo*, ait, *dicere, quid ſentio de prædeſtinatione & gratia, ne fortè antequam omnia parata & matura ſint, mihi quod aliis, accidat. Romæ damnetur, ſicut damnatus fuerat Bajus*. Addit ibidem, *ſe non aſpirare amplius ad ullum munus Academicum, ne ſi fortè ſenſa ſua exprimeret, in publicam incurreret offenſionem*. Et Epiſtola 63. ait, *Daturum ſe operam, ne ſe vivente Liber ſuus in lucem prodeat, quo vitæ ſuæ tranquillitas poſſet turbari*. Et Epiſtola 21. ait, *ſe in ſuſcepto opere continuò incumbere, atque eò magis terreri, quò plus progreditur*. Quos ſcilicet novi in Religionem conſilii remordet conſcientia, eos & angit timor futuri eventus. Addit in eadem Epiſtola; *quòd palam & rete-*
cto,

Digitized by Google

ſto, ut loquitur, *velo nuſquam auderet apertè loqui, niſi crederet Deum ſpeciali conſilio rem tantam promovere*. Non ita tamen de hac Dei providentia præſumebat, quin periculi non ignarus & de ſucceſſu anceps, ſolicitè San-Cyranum rogaret, ut ſibi Potentum ac Nobiliorum amorem & gratiam conciliaret: *quia*, inquit, *hoc neceſſarium prævideo, ad Libri mei ſucceſſum*. Ibidem. *Prævideo magnam fore neceſſariam providentiam, ad gubernandam naviculam*. Et Epiſtola 53. ſcripta anno 1623. æſtimat rem magno ſibi præſidio futuram eſſe, ſi Communitates ſeu Societates Religioſorum ad partes ſuas adducere poſſet, quòd viri hujuſmodi ſoleant rem ſuſceptam ardentiùs proſequi & ab incœpto nuſquam recedere. Tali favore ac præſidio indigere ſe ſentiebat Janſenius, propter novitatem doctrinæ quam invehere meditabatur. Epiſtola quippe 13. ſcripta an. 1620. aſſerit, *doctrinam, quam in ſancto Auguſtino reſeravit, omnibus ſtuporem incuſſuram*. Et in alia Epiſtola, *Si contigat*, inquit, *meam doctrinam revelari, futurum eſt, ut tanquam delirus ac ſomniator inſignis audiar*. Epiſt. 16. Miratur *quantùm doctrina Auguſtini non tantùm ſui, ſed etiam prateritorum ſæculorum Theologis ignota fuerit*; *& ut*, inquit, *ingenuè dicam quod ſentio, exiſtimo poſt hæreticos à nemine magis quàm à diſputatoribus illis Scholaſticis adulteratam & corruptam fuiſſe Theologiam*. In ipſo denique totius ſui Operis Epilogo. *Quæ hactenus*, inquit, *ex Auguſtini mente diſſeruimus .... nova multùmque forſan miranda videbuntur iis, quibus antiqua, quia incognita ſunt, etiam videntur nova*. Scilicet Janſenio reſervatum erat, univerſam Theologorum gentem edocere & ab errore ad veritatem revocare. Denique de Thomiſtica doctrina ſic loquitur Epiſtola 16. *Audeo dicere*, inquit, *mihi compertum eſſe, quòd & ſi utraque tum Jeſuitarum, tum Thomiſtarum Schola uſque ad extremum Judicii diem diſputatura ſit, tantùm à veritate ſit aberratura, in quantum utraque ab ipſa centum leucis diſtat*. Ibidem. *Cùm Auguſtinum deguſto, faſtidit Thomas*. T. 3. pag. 443.

Liber Janſenii Urbano VIII. denuntiatur, & ab ipſo prohibetur.

Cùm in edendo Auguſtino Janſenii prælum Lovanii ſudaret, ſingula folia recenter edita Romam ad examen tranſmittebantur. Fromondus & Calenus Lovanienſes Doctores, ut editionis curam, ſic & Libri ipſius defenſionem, miſſis ad Pontificem pluribus Memorialibus ſeu ſcriptis ſuſceperunt. Inde factum, ut vix abſolutum Opus lucem aſpexit, cùm parato jam examine, ab Urbano VIII. S. Pontifice, pridie nonas Martii an. 1641. data Conſtitutione quæ incipit, *In Eminenti*, prohibitum & ad tenebras damnatum fuerit. Duas cenſuræ cauſas & rationes exponit S. Pontifex. 1. eſt, quia contra Decretum Pauli V. datum anno 1611. die 1. Decemb. & ſuum anni 1625. die 22. Maji de non promulgandis ullis circa materiam de auxiliis operibus, dictus Liber Janſenii editus fuiſſet. Atque hac ipſa de cauſa, nonnullas Theſes, quas Patres Societatis Jeſu in Civitate Antuerpienſi de eadem materia tractantes, typis mandaverant abſque licentia Congregationis Inquiſitionis Romanæ, pariter damnavit, *ut & Liberti Fromondi brevem Anatomiam hominis, Lovanii anno 1641. & Conventum Africanum, ſive diſceptationem judicialem apud Tribunal Præſulis Auguſtini, &c.*

Altera verò cauſa hæc eſt, quòd Liber Janſenii multas contineat Propoſitiones

Recueil nes Bjji, jam damnatas à Pio V. & Gregorio XIII. *Cùm autem*, ait Urba-
des Bul- nus VIII. *ex diligenti & matura ejuſdem Libri, cui titulus* Auguſtinus, *lectione*
les p.41. *poſtmodum compertum fuerit, in eodem Libro multas ex Propoſitionibus à Prædeceſſoribus noſtris olim, ut præfertur, damnatas contineri, & magno cum Catholicorum ſcandalo, & auctoritatis dictæ Sedis contemptu, contra præfatas damnationes & prohibitiones defendi; nos huic malo in ſcandalum totius Reipublicæ Chriſtianæ & fidei Catholicæ perniciem vertenti, opportunum remedium adhibere volentes Pii & Gregorii Prædeceſſorum hujuſmodi Conſtitutiones prædictas, omniaque & ſingula in eis contenta, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò confirmamus & approbamus; Librumque prædictum, cui titulus eſt*, Auguſtinus, *articulos, opiniones & ſententias in dictis Conſtitutionibus reprobatas atque damnatas, ut à nobis compertum eſt, continentem & renovantem ..... prohibemus.*

Propoſitiones Baji quas renovat Janſenius, iſtæ præcipuæ ſunt.

Circa libertatem 39. *Quod voluntariè fit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit.* 41. *Libertatis modus qui eſt à neceſſitate, ſub libertis nomine non reperitur in Scripturis, ſed ſolùm nomen libertatis à peccato.* 66. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* 67. *Homo peccat etiam damnabiliter, in eo quod neceſſariò facit.*

Circa poſſibilitatem Mandatorum Dei. 54. *Definitiva hæc ſententia, Deum homini nihil impoſſibile præcepiſſe, falsò tribuitur Auguſtino, cùm Pelagii ſit.*

Circa opera infidelium. 25. *Omnia opera infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia.* 68. *Infidelitas purè negativa in his, quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum eſt.* 38. *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitioſa eſt cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur: aut laudabilis illa charitas, qua per ſpiritum ſanctum in corde diffuſa, Deus amatur.*

Denique circa ſtatum naturæ puræ. 55. *Deus non potuiſſet ab initiò talem creare hominem, qualis nunc naſcitur.* 26. *Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio.* 78. *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, ſed naturalis conditio.* 1. *Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita rectè vocantur gratia.*

Ex cenſura Urbani, altus Janſenianorum dolor, ac in Bullam ipſam falſi expoſtulatio. Miſſi Romam à Lovanienſibus duo Deputati, Synnichius & Papius, qui Libri Janſenii cauſam agerent, ac præſumptæ ſubreptionis aperirent cauſas & rationes. Ab Albizio infenſo diſcipulorum Janſenii hoſte, aut confectam, aut adulteratam cauſabantur Urbani Conſtitutionem; & in eam nomen Janſenii fraudulenter irrepſiſſe, contra fidem à Pontifice datam, *quòd nullus in particulari ſugillaretur cum expreſſione nominis*. Ita ſibi ab Urbano dictum ſub juramento affirmavit Synnichius coram publico Notario Die 22. Februarii an. 1647. (Diarii D. de S. Amour inter collectanea pag. 270.) Refert idem de S. Amour Diarii parte 4. cap. 5. Albizium ſe præſente aſſeruiſſe Bullam hanc à ſe *collectam ac digeſtam fuiſſe, ea ſpe, ut excitati tumultus ſtatim eo pacto*
pag. 204. *ſedarentur, nullo facto prævio doctrinæ examine, quod certiſſimè præmiſſum fuiſset,*
col. 2.
Ib. pag. *ſi quod ſubinde contigit, potuiſſet præviderì.* Atque Patrem Hilarionem teſtatum
203. col. ſibi pariter fuiſſe, Librum Janſenii non propter doctrinam quæ diſcuſſa non
2. fuerat, damnatum, ſed quòd, cùm de gratia tractaret, editus fuiſſet contra Decretum Pauli V. & ipſiuſmet Urbani. Addebant Bullæ illius varium in variis Exemplaribus annum conſignari; & quamquam anno 1641. pridie nonas Martii la-

tii lata eſſet, nonniſi tamen die 19. Junii an. 1643. in Urbe ſolemniter promulgatam. Denique eam ipſo jure nullam & irritam: tum quia damnat Libri Janſenii doctrinam ea prius non diſcuſſa, nec cum Auguſtiniana comparata: tum quia non idem eſt Janſenii, qui Baji fuerat, ſenſus in iiſdem propugnandis articulis, quos Pius V. & Gregorius XIII. proſcripſerant; inter quos, fatente ipſomet Pio V. nonnulli *aliquo pacto ſuſtineri poſſunt in rigore, & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento*. Tum denique quia in illa Urbani Bulla, Pii V. Conſtitutio dicitur confirmata à Gregorio XIII. patere autem ex lectione Bullæ Gregorii, nullam in ea fieri mentionem dictę confirmationis. Odioſum Romanę Curię idcirco fuiſſe nomen Janſenii, ſcribit in ſuo Diario dictus de S. Amour p. 2. c. 11. quòd auctoritatem Bullarum Pii V. & Gregorii XIII. ſibi objiciens dixiſſet, *Hæreo, fateor, ſed quid ad doctrinam ſancti Auguſtini?* *Pag. 73. col. 2.*

Excipiendis ac maturè diſcutiendis his Lovanienſium querelis S. P. Urbanus tres Cardinales ex ſupremis Inquiſitoribus præfecit, Bernardinum ſcilicet Spadam, Joannem Baptiſtam Pamphilium (qui poſtea fuit Innocentius X.) & Lelium Falconerium. Auditis patienter Synnichio & Papio Deputatis, omnibuſque longo & accurato examine diſcuſſis die 16. Junii an. 1644. emiſſum eſt à ſacra Congregatione generalis Inquiſitionis Decretum, in quo dicitur: *Domini Cardinales in executionem dicti mandati, præfatos Doctores verbo & ſcripto multa deducentes, tum congregatim, tum privatim audiverunt, eaque omnia in præfata ſuprema & univerſali Congregatione prius communicata ac ibi pluries diſcuſſa, unà cum voto ipſius Congregationis ſanctiſſimo Domino noſtro diligentiſſimè retulerunt. Sanctitas verò ſua, audita relatione & voto præfatis, nec non omnibus maturè perpenſis & conſideratis; mandavit ex Archivio ejuſdem Congregationis, & ex Matrice Actorum quæ in eodem Archivio conſervantur, extrahi ſive tranſcribi, & diligenter collationari ac imprimi exemplar Bullæ præfatæ, illudque ſic extractum, collationatum & impreſſum eiſdem Synnichio & Papio per ſupradictos Dominos Cardinales Spadam, Pamphilium, & Falconerium conſignari, ipſiſque inſuper, Synnichio & Papio intimari & ſignificari, ſuæ Sanctitatis mentem & voluntatem eſſe, ut eidem exemplari ſic conſignato fides adhibeatur..... & demum ſuper dubitationibus, difficultatibus & querelis occaſione præfatæ Bullæ quoquomodo excitatis vel excitandis, perpetuum ſilentium impoſuit.... Inſuper Sanctitas ſua mandavit juxta ſenſum præfatum ſcribi per eandem Congregationem Nunciis Apoſtolicis ac locorum Ordinariis*. Sic cautè præcluſa eſt via malevolorum hominum mendaciis ac falſis relationibus. Mandato Pontificis obſecuta Congregatio, totam rei geſtæ ſeriem Internuncio Bruxellenſi per Epiſtolam ſignificavit: *ut ſi forſan*, inquit, *Doctorem Synnich ad fovendas contentiones, alendamque refractariorum & huic Conſtitutioni inobedientium contumaciam, aliter aut ad Univerſitatem Lovanienſem, aut ad alios ſcribere contingat, ac ſpem faciat, fore ut Bulla revocetur aut mitigetur, Dominatio veſtra unumquemque de veritate rei edocere, deque ea Univerſitates Belgii, illiuſque Prælatos ſecuros reddere poſſit, numquam, ne per minimam quidem cogitationem, ſanctiſſimo Domino venturum in mentem, ut Bullam hanc quacumque demum ſui parte immutet*. *Recueil p. 50.* *Recueil p. 54.*

Jam anno ſuperiori 1643. die 24. Octob. S. Pontifex Urbanus, dato ad Archiepiſcopum Mechlinienſem Brevi, juſſerat *intolerabilem eorum arrogantiam coerceri*, qui ſuam Conſtitutionem nondum in ſuis Diœceſibus promulgatam falſi accuſare auſi fuerant. *Ib. pag. 48.*

Digitized by Google

Hoc Bullæ Urbani authentico exemplari, velut fabula exſufflatur quod ex Albizio & ſuo Patre Hilarione refert citatus de S. Amour: quaſi Pontifex Albizium fraudis tam ſplendidæ reum ferre potuiſſet, nedum graviſſima ſubinde [*Ibid. pag. 41.*] negotia ejus fidei committere: quaſi Pontifici aſſerenti ex *diligenti ac matura Libri Janſenii lectione compertum ſibi fuiſſe multas è Propoſitionibus à ſuis Prædeceſſoribus damnatas in eo contineri*, major fides haberi non deberet, quàm Præfato Patri Hilarioni affirmanti, diſcuſſam non fuiſſe doctrinam Libri Janſenii? De Janſenianis cõqueſtus aliquando fuit Cardinalis Chiſius, referente de S. Amour [*Diarii p. 395. co. 1.*] Diarii parte 6. c. 7. quòd immeritò Albizium velut fraudum architectum traducerent ac tam inviſum haberent: *Ecce*, inquiebat Chiſius, *quomodo unum Albizium ſemper appellant. Simili modo Doctores Flandri contendebant Albizium Urbani VIII. Bullam adulteraſſe, quam tamen ego Doctoribus illis adulteratam non fuiſſe demonſtravi*. Non ignorabat ipſemet de S. Amour, quòd à Patre Hilarione audiverat, dictum Albizium virum eſſe æquitatis ſtudioſum ac tenacem: (Dia- [*Ibid. pag. 203. col. 2.*] rii part. 4. c. 5. & part. 5. c. 2.) non tamen potuit ille Janſenianorum aculeos & maledicentiam effugere, quaſi fraudulenter & ad invidiam, contra mentem [*Ibid. pag. 267. col. 1.*] Pontificis, Bullæ Urbani Janſenii nomen inſeruiſſet. Nulla profectò nomini vel perſonæ Janſenii nota inuſta fuit, ſed ejus dumtaxat Libro. Fruſtra Lovanienſes excuſationis cauſa obtendebant, tum alium eſſe Janſenii & Baji ſenſum; tum aſſeruiſſe Pontificem, aliquas ex damnatis Propoſitionibus in *rigore ac proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento defendi poſſe*. Namque abſolutè prohibuerat Pius V. damnatas à ſe Propoſitiones, quocumque ſenſu ſuſtineri: ex ipſo verò authentico Bullæ exemplari quod Lovanienſium Deputatis traditum eſt, manifeſtè patet, comma ſeu virgulam, de qua litigaverant, collocari poſt verbum *poſſent*, & ante iſta, *in rigore & proprio verborum ſenſu ab aſ-* [*Ib. pagin. 266. col. 1.*] *ſertoribus intento*. Id agnoſcit vel ipſemet de S. Amour, Diarii part. 5. c. 2. tametſi abſque ulla probatione nec ſine calumnia, id fraude Albizii contigiſſe aſſerat. Neque verò feliciùs auguratur idem de S. Amour, cùm ait nomen Janſenii Romanis odioſum idcirco fuiſſe, quòd ad Pontificias Pii V. & Gregorii XIII. Conſtitutiones reſpondiſſet, *Hæreo, fateor*. Imò vel hoc ipſum *hæreo*, quoddam erat reverentiæ argumentum. Ut quid enim, quæſo, hæſiſſet, niſi eum detinuiſset, quam non exuerat, in Sedem Apoſtolicam debita reverentia? veriùs longè affirmat Paulus Irenæus Diſq. 5. ait 8. *magnam apud Romanos initio famam Janſenio conciliaſſe nobilia ejus pro fide Catholica adversùs hæreticos certamina: adeo ut Iprenſis Epiſcopatus Bullæ gratis ipſi omnium conſenſu Cardinalium conceſſæ ſint. Sed Liber ipſius poſthumus*, pergit idem auctor, *in gravem invidiam vocari cœpit*. En vera diſſenſionum radix & origo. Cætera verò falſitatis ac ſuppoſitionis indicia quæ contra Urbani Bullam Lovanienſes opponebant, vel apertè falſa, vel leviſſima, nulliuſque planè ponderis habenda.

Splendidum profectò mendacium eſt, quod jam antea repreſſimus, dicere Gregorium non confirmaſſe ſui Prædeceſſoris Pii Conſtitutionem. An non eam verè confirmat, ſicut aſſerit Urbanus, qui totam eam refert ac renovat; qui datis ad Lovanienſes Litteris ac miſſo Legato, eos ad illam promulgandam adhortatus eſt, & pro ſua auctoritate adduxit ac compulit? Nihil verò ad dictę Bullę veritatem ſolicitandam refert, quòd paulò ſeriùs in Urbe promulgata fuerit, modò ritu ſolemni promulgatam tandem fuiſſe conſtet. Ad hoc ipſum autem incommodum præcavendum, quod ex varietate

exem-

exemplarium dictæ Bullæ opponebatur, voluit Pontifex è Scriniis Vaticanis autographum educi, & ad ejus fidem accuratè deſcribi exemplar illud de quo dictum fuit. Meritò igitur Alexander VIII. anno 1690. iſtam Propoſitionem proſcripſit. *Bulla Urbani VIII. eſt ſubreptitia.*

Non potuit Urbanus quoad vixit, obtinere à Miniſtris Regis Catholici, ut ſua contra Librum Janſenii Conſtitutio in Belgio ſolemniter promulgaretur, ob infinitas ſcilicet defenſorum hujus Libri artes & molitiones, quibus totum Belgium commovebant ac perturbabant.

Mortuo Urbano, Innocent. X. ſummo animi ardore Prædeceſſoris ſui Conſtitutionis executionem urgere cœpit apud Gubernatorem Belgii Marchionem Caſtri Rodrici, Brevi ad ipſum dato die 2. Martii an. 1645. in quo ait: *In iſto ab hac ſancta Sede vetito Janſenii Libro expreſſam noſcimus ac reſumptam doctrinam Michaelis Baji, cujus improbatis opinionibus vehementer commotus Philippi II. claræ memoriæ Regis animus ea æſtuavit ſolicitudine ac zelo, ut præcipuis ille monitis ſuo in Urbe Oratori acriter præſcripſerit, impensè ageret cum Pontificibus prædictis Pio ac Gregorio, ut eas abolitas omnino vellent ac damnatas.* Scripſit in eundem finem Innocentius ad ſingulos Belgii Præſules; necdum tamen votis plenè frui conceſſum, niſi anno 1648. cùm Regis Catholici juſſu ac cura Leopoldi Archiducis, Conſtitutio Urbani publicata & recepta fuit, impoſita etiam lege iis omnibus qui ad aliquod ſeu Civile, ſeu Eccleſiaſticum munus promoveri cuperent, ut propria ſyngrapha ac juramento *teſtarentur, ſe obſequentes eſſe S. R. Eccleſiæ, & S. D. N. Innocentio X. Pontifici Romano, & acceptare debita obedientia Conſtitutionem Urbani, in qua damnatur & prohibetur Liber Janſenii.* Hoc ipſo anno 1648. Academia Duacena ſolemni Inſtrumento declaravit, eos ſplendidè mentitos fuiſſe, qui aſſeruerunt Doctores Duacenſes non tantùm aliàs, ſed etiam modò pertinaciter adhæreſcere doctrinę Baji & Janſenii; *E contra enim cenſuimus*, ajunt, *communibus ſuffragiis humillimè ſuam Celſitudinem rogandam, ut pergat doctrinam illam Janſenianam ſeriò extirpare, qua nequaquam docetur mens beati Auguſtini.*

Caſtel Rodrigo; Recueil p. 57.

Hiſtoire generale du Janſeniſme cap 1. p. 219. Recueil p. 31.

Atque iſte fuit exitus controverſiarum quæ in Belgio excitatæ fuerant, occaſione Bullæ Urbani VIII. Nunc ad Gallos noſtros veniendum.

Pariſii Habertus & Syndicus Facultatis Theologicæ contra novam Libri Janſenii doctrinam inſurgunt.

Dum Romæ ſua Urbani Bullæ veritas & auctoritas aſſerebatur, atque in Belgio promulgationem urgebat Pontifex; Pariſiis Iſaacus Habertus Doctor Sorbonicus, Pariſienſis Eccleſiæ Theologus, poſtea Epiſcopus Vabrenſis, tum tribus Concionibus habitis in Eccleſia Cathedrali, prima & ultima Dominica Adventus anni 1642. & Dominica Septuageſimæ anni 1643. tum Libro cui titulus, *Defenſio fidei Eccleſiæ*, doctrinam Janſenii pari zelo & eruditione confutavit. Cui ex altera parte, Antonius Arnaldus Doctor pariter Sorbonicus, fervidus inter cæteros Janſenii defenſor, duas oppoſuit pro Janſenio Apologias annis 1644. & 1645.

Hoc ipſo an. 1644. die 2. Jan. Bulla Urb. VIII. ad ſacram Facultatem Regio mandato defertur: ac die 15. ejuſdem menſis, eadem Facultas ſuis omnibus ſeverè injunxit, ne aliquam è damnatis à Pio V. & Gregorio XIII. Propo-

ſitionibus propugnarent. Pariſienſis Archiepiſcopus de Gondy, Decretum jam menſe Decembri paraverat, ad promulgandam ſua in Diœceſi dictam Conſtitutionem: verùm nonniſi die undecima Januarii lectum illud ac promulgatum fuit in publicis Parochiarum Præconiis.

Anno 1649. die 1. Julii, D. Cornet Syndicus ſacræ Facultatis Pariſienſis, quærimoniam inſtituit adversùs quoſdam Baccalaureos, qui novitatis ſtudio, nonnullas Propoſitiones quas in eorum Theſibus deleverat, aut viva, inter reſpondendum, voce propugnare, aut etiam ſuis in Theſibus ſcribere auſi fuerant. Addidit eò malum deveniſſe, ut, niſi prompto & efficaci remedio ſanaretur, periculum foret, ne perverſa doctrina, quę omni arte ac machinatione Theſibus interſeritur, tandem ſummo Religionis ac Facultatis detrimento prævaleret: ſibi præſentius non videri afferri remedium, quàm ſi Facultas de illis Propoſitionibus ſuum proferret judicium. Septem illico ad examen obtulit, ex quibus, duabus ſubinde reſciſſis, quinque famoſæ dictæ Propoſitiones ſuperſtites fuerunt ad examen ſervatæ. Rogavit igitur ſacrum Ordinem, ut pro more ſolito Deputati deſignarentur, qui eas inter ſe expenderent, ſuum ad plena Comitia relaturi ſubinde judicium. Re in deliberationem miſſa, poſtulationi Syndici annuit Facultas, ac Deputatos nominavit, qui multis inter ſe habitis Congregationibus, ſuam ad Facultatem die 1. Auguſti con gregandam, de propoſitis Articulis ſententiam referre meditabantur, cùm ſeptuaginta Doctores, facta interceſſione adversùs Concluſionem latam die 1. Julii, provocarunt ad Senatum. Senatus-Conſulto die 5. Octobris an. 1649. cautum eſt, ne dictæ Propoſitiones ad examen vocarentur, donec aliter proviſum fuiſſet: ſimulque interdixit Libellum qui circa medium Septembris evulgatus fuerat ſub titulo, *Cenſuræ Deputatorum Sacræ Facultatis* contra dictas Propoſitiones.

Iſtæ porrò erant Propoſitiones ſeptem, à Syndico Facultatis ad examen & cenſuram oblatæ.

I. *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes quas habent vires ſunt impoſſibilia: deeſt quoque iis gratia, qua poſſibilia fiant.*

II. *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nuſquam reſiſtitur.*

III. *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.*

IV. *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem; & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare.*

V. *Semipelagianorum error eſt, dicere Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe aut ſanguinem fudiſſe.*

VI. *Senſit olim. Eccleſia, privatam ſacramentalem pœnitentiam pro peccatis occultis non ſufficere.*

VII. *Naturalis attritio ſufficit ad ſacramentum pœnitentiæ.*

Duæ illæ poſtremæ Propoſitiones neglectæ ſunt ac reſciſſæ. De aliis quinque controverſia gravis excitata, de qua benè multi Gallicani Prę ſules Summum Pontificem Innocentium X. conſuluerunt.

Octo-

Octoginta quinque Epiſcopi Gallicani, quinque Propoſitiones Janſenii deferunt ad Innocentium X. Undecim ex altera parte de facta delatione apud eundem conqueruntur.

Cùm Syndicus ſacræ Facultatis ab incœpto quinque Propoſitionum examine recedere compulſus fuiſſet; ob tumultus & commotiones quas Janſeniani excitaverant, octoginta & quinque (quidam numerant 88.) Præſules Gallicani, veriti ne audaciùs error inde prævaleret, conſultius ac providentius fore judicarunt, ſi tota hæc cauſa ad Innocentium S. Pontificem deferretur ab ipſo definienda; & quidem cum minori pacis diſpendio, majori autem ſequuturæ definitionis pondere & auctoritate. Anno itaque 1650. dicti Præſules ſolemni ad Innoc. X. Epiſtolæ Haberti Vabr. Epiſcopi manu exaratæ ſubſcripſerunt, denuntiantes ipſi famoſas quinque Janſenii Propoſitiones. *Majores cauſas*, inquiunt, *ad Sedem Apoſtolicam referre ſolemnis Eccleſiæ mos eſt, quem fides Petri nunquam deficiens perpetuò retineri pro jure ſuo poſtulat. Æquiſſimæ huic legi obſequentes, de graviſſimo circa Religionem negotio Sanctitati tuæ ſcribendum eſſe cenſuimus. Decennium eſt, ex quo vehementiſſimis turbis Gallia magno noſtro mærore commovetur, ob Librum poſthumum & doctrinam Reverendiſſimi Cornelii Janſenii Iprenſis Epiſcopi. Tales quidem motus ſedari oportebat, tum Concilii Tridentini auctoritate, tum Bullæ illius, qua Urbanus VIII. felicis memoriæ adversùs Janſenii dogmata pronuntiavit, & Decreta Pii V. ac Gregorii XIII. in Baium edita confirmavit. Atque hujus quidem Bullæ veritatem ac robur novo diplomate vindicaſti: ſed quia nulli ſigillatim Propoſitioni certa cenſuræ nota inuſta fuit, locus etiamnum aliquis quorundam cavillis & effugio relictus eſt. Intercludendum autem penitus ſperamus, ſi, ut precamur, Sanctitas tua quid hac in re ſentiendum ſit clarè diſtinctèque definiet. Obteſtamur ergo, ut has præſertim Propoſitiones, de quibus diſceptatio periculoſior ac contentio ardentior eſt, Sanctitas veſtra expendat, & perſpicuam, ac certam de unaquaque ſententiam ferat.* Deinde quinque Propoſitiones mox relatas ſubjiciunt.

Epiſtola 85. Epiſcoporum ad Innoc. X. *Recueil. 71.*

Undecim ex altera parte Epiſcopi, datis ad eundem Pontificem Litteris, declarant ſibi non probari Fratrum ſuorum Reverendiſſimorum conſilium, in ea quam depoſcebant quinque Propoſitionum cenſura: his de cauſis, 1. *Quia intempeſtivum planè foret hujus rei examen, quæ anno ſuperiori Pariſienſem Scholam ingenti animorum contentione, nullo fructu commoverat.* 2. *Quia Propoſitiones illæ ad libitum fictæ & ambiguis vocibus concinnatæ, aliud per ſe nihil quàm animorum jurgia, & pugnantium, ut fit in æquivocis, interpretationum diſſidia natæ eſſent procreare.* 3. *Quia ſi Propoſitiones iſtas ad examen & ad judicium vocari expediret, judiciorum ordo legitimus Eccleſiæ totius, tum maximè Gallicanæ conſuetudo poſtularet, ut primùm à ſe majores ac difficiles, quæ apud ſe ortæ ſunt quæſtiones diſpicerentur.* 4. *denique, quia non aliter tota hæc controverſia definienda eſſet, quàm ſi ſolemni (quæ Collegarum ſuorum mens eſſe non videtur) & ad Majorum normam inſtituto judicio, hoc eſt, vocatis & auditis ambabus partibus, ut non pridem ſub oculis piæ memoriæ Clementis VII. & Pauli V. factitatum eſt, rem totam placeat à fontibus & ex integro ventilare.*

Epiſtola 11. Epiſcoporum adversùs ſuperiorem 85. *Inter Collectanea S. Amour p. 5.*

Scripſit & privato ſuo nomine ad eundem Pontificem Graſſenſis & Vencienſis Epiſcopus D. Godeau, ægrè ferens quòd alii 85. Epiſcopi judicium Roma-

Epiſtola D. Godeau.

næ Sedis expoſtulaſſent circa dictas Propoſitiones: *Non quia doleamus*, ait, *adiri ſupremum Tribunal, ſed quia id ita factum eſt privatim, & ab uno tantùm è noſtris Fratribus cariſſimis, qui alios ad ſubſcribendum impulit, non communicato invicem conſilio, nec collatis ſuffragiis, aut indicta Synodo, nedum re propoſita in Comitiis Cleri Gallicani, quæ opportunè per id temporis haberi contigerat.*

Ib. pag. 6.

M. le Bailly de Valencay. Diarii part. 2. c. 14. p. 79. & ſeq.

Priorem 85. Epiſcoporum Epiſtolam Innocentio reddidit die 12. Aprilis anni 1651. Orator Regis Chriſtianiſſimi. Alteram verò undecim Epiſcoporum Ludovicus de S. Amour Doctor Sorbonicus. Hic enim cùm in comitatu viri cujuſdam nobilis Romam petiiſſet, atque inde rediens Genuam appuliſſet menſe Junio ejuſdem anni 1651. ibidem accepit dictas undecim Epiſcoporum Litteras, à ſe tanquam eorum Legato, ad Pontificem perferendas, quas ſtatim Romam reverſus, Innocentio reddidit die 10. Julii ejuſdem anni.

Diarii part. 3. c. 4.

Jam ipſa die 12. Aprilis Congregationem quinque Cardinalium Pontifex inſtituerat ad examen quinque Propoſitionum: neque ab eo propoſito dimoveri potuit his poſtremis undecim Epiſcoporum Litteris; imò magis in eo firmatus. Reſtituenda ſcilicet erat inter Theologos Scholæ Pariſienſis ea ipſa pax & concordia, quæ occaſione dictarum Propoſitionum turbata fuerat, & quę non aliter in tanta animorum colliſione reſtitui poſſe videbatur, quàm judicio S. Pontificis, cui omnes obedire tenentur: cuicumque enim alteri obloqui, & ab ipſo ad Sedem Apoſtolicam provocari facile fuiſſet. Neque porrò Epiſcopi 85. ut & alii undecim ignorabant quæ legitima ſint Epiſcoporum jura; nec ea profectò violaverant, delatis ad S. Pontificem quinque Janſenii Propoſitionibus. Noverant equidem primam litis apud ſe natæ cognitionem ſibi pro jure ſuo reſervari: at illam ad Epiſcopum Epiſcoporum ſponte deferri aliquando poſſe & expedire, ex ipſo Jure Canonico & Eccleſiaſtica conſuetudine exploratum habebant; atque ut in re præſenti deferretur, poſtulabat & natura exortæ controverſiæ, & contendentium ardor. Agebatur ſcilicet de Libro Janſenii; quem Janſenius ipſe moriens Judicio Romanæ Sedis ſubjecerat; de quo jam pronunciaverat Urbanus VIII. Aliunde verò periculum erat, ne Janſenianorum arte ac potentia excitatis inter Epiſcopos iiſdem, quæ nuper inter Doctores, animorum diſſenſionibus, res tota in fumos evaneſceret.

Pag. 257. col. 2.

Agnovit & ipſemet Epiſcopus Graſſenſis, nihil ea in re detractum fuiſſe juribus Epiſcoporum. Scribens enim ad D. de Valencay Regis Chriſtianiſſimi in Urbe Oratorem, dicebat, (Diarii de S. Amour parte 5. cap. 1.) *Epiſcopos ſuis in Diœceſibus, perinde ac Romanum Pontificem in Univerſa Eccleſia, centrum eſſe unitatis, adeoque ſe rem Epiſcopatu digniſſimam egiſſe, cùm ad S. Pontificem examen & judicium quinque Propoſitionum detulerunt*, præſertim in tam evidenti periculo diſſenſionis ac diſcordiæ circa rem in Religione graviſſimam. Hoc ipſum agnovere tandem & ipſi undecim Epiſcopi, qui vel præſentes Comitiis ſubſcripſerunt, vel abſentes non improbavere quæcunque à Clero Gallicano in Comitiis annis 1653. 1654. 1655. & 1656. circa Janſenii cauſam geſta & ſtatuta fuerant. Quin & in Comitiis generalibus an. 1700. Prꝗſide Eminentiſſimo Card. Noallio, inter quatuor Propoſitiones Janſeniſmum ſpectantes, hæc, quæ ſecundæ pars eſt, ſimul cum aliis damnata fuit: *Epiſcopi Gallicani libertates Eccleſiæ Gallicanæ ſub earum aſſerendarum ſpecie labefactarunt, ſuper recipienda Conſtitutione Innocentii X. contra Janſenium*. Fuit ergo legitima

hæc

Digitized by Google

hæc quinque Propoſitionum apud Pontificem per Epiſcopos facta denunciatio; ſed & fuiſſe earum Romanum examen diligens & accuratum, Judicium verò Canonicum & æquiſſimum, quæ ſequuntur profectò demonſtrabunt.

SECUNDA EPOCHA.

De Canonico examine ac Judicio Romano quinque Propoſitionum Janſenii.

Hæc erunt hujus ſecundæ partis narrationis noſtræ Capita.
Inſtitutio & Forma Congregationis.
Theologorum ex utraque parte deputatorum Romam adventus, geſta, ſcripta.
Quinque Propoſitionum in Romano examine ſenſu Janſenii facta diſcuſſio.
Romanum de quinque Janſenii Propoſitionibus Judicium.
Æquitas hujus Judicii vindicata.

Inſtitutio & Forma Congregationis.

Innocentius X. acceptis 85. Epiſcoporum Galliæ Litteris, ipſa die 12. Aprilis an. 1651. Congregationem inſtituit ad examen delatarum Propoſitionum; nominavitque Cardinales Julium Roma Sacri Collegii Decanum, Bernardinum Spada, Martinum Ginettum, Dominicum Sechinum; & in locum Roma paulò poſt fato functi, Fabium Chigium, quibus ſubinde additus eſt Card. Pamphilius. Viri profectò inter cæteros ſagaces, longo rerum uſu & experientia exercitati, qui propter fidem, probitatem, eruditionem Romæ perſpectam, omnibus ex utraque parte Theologis acceptiſſimi, nullis ſuſpecti eſſe debuerunt. Inter illos Cardinalis Spada, vivente Urbano VIII. cum Synnichio & Papio Lovanienſium Deputatis, de Libro Janſenii jam pluries egerat. Chigius verò, (qui ſubinde fuit Alexander VII. quique maximam in præſenti negotio partem habuit) plurimùm commendatur ab ipſomet de S. Amour. Diarii par. 4. c. 4. ait, illius, & aliorum novem qui recenter ad purpuram Romanam evecti fuerant, merita communi omnium ore Romæ prædicari. Cap. 5. eundem laudat à pietate & modeſtia quibus recentem dignitatem acceptaverat, hac ſibi ad imitandum ſemper propoſita beati Saleſii regula, ut nihil peteret, nihil recuſaret, & nuſquam conquereretur. Addit, tanto apud ipſum loco ſemper fuiſſe Auguſtinum & Saleſium, ut continuò ſuper pectus ſuum numiſma geſtaret, quod ex una parte Auguſtini, ex altera Saleſii effigiem referebat. Ibidem eum commendat ab Epiſtola quam in gratiam Libri Arnaldini de frequenti Communione ſcripſerat, cùm in Germania Nuncium Apoſtolicum ageret. Cap. 7. refert idem de S. Amour, dictum Cardinalem Chigium aſſeruiſſe, ſe integrum legiſſe Librum Janſenii. Denique multùm ibidem extollit ejus eruditionem, æquitatem, atque benignitatem. Egregia hæc quidem, ſed à Janſenianis poſt Conſtitutionem Innocentii multùm depreſſa; cùm, ut ipſi ajunt, plùs ille cæteris omnibus veritati nocuerit, verus Bullæ Innocentianæ parens.

Pag. 191. col. 1. — *Pag. 197. col. 1.* — *Pag. 219. col. 2.* — *Diar. par. 7. c. 2. p. 557. col. 1.*

Congregationis Secretarius inſtitutus eſt Albizius, Aſſeſſor S. Officii; ac tre-

tredecim deſignati Conſultores Theologi ex Religioſis Familiis doctiores, novem Mendicantes, quatuor ex non Mendicantibus. Ex primis duo erant Dominicani, duo Auguſtinienſes, duo Minores, duo Carmelitæ diſcalceati, unus Capucinus. Ex aliis duo Theatini, unus Servita, alter Jeſuita. Inter illos aliqui Libro Janſenii favebant, duo ſcilicet Dominicani, Vincentius Candidus Magiſter Sacri Palatii, & Vincentius de Pretis Commiſſarius S. Officii; unus Auguſtinienſis Viſconti Præpoſitus Generalis; unus ex Minoribus, Lucas Vvading.

Epiſtola Epiſcoporum ad Innoc. data ſexto Kal. Martii an. 1653. in Diario inter Collect. p. 9.

Albizium ab Officio Secretarii, Patrem Modeſtum Annati Libri approbatorem, & Patrem Palavicinum Jeſuitam, tanquam ſibi meritò ſuſpectos, à Congregatione removeri poſtularunt Janſenii defenſores. At fruſtra: pari etenim ratione potuiſſent alii recuſare Dominicanos, vel Franciſcanos, quod minimè conducebat, ait Cardinalis Spada, Diarii parte 6. cap. 2. quia Conſultores illi, non deciſivum, ſed conſultativum dumtaxat ſuffragium proferunt. Albizii verò exiguas admodum eo in negotio partes eſſe, nec aliud illum poſſe dicebat, quàm ſummam votorum ſeu ſuffragiorum colligere ac exſcribere, quod alii etiam poterant, ſi id curæ vellent in ſe ſuſcipere.

Selecti illi Cardinales per duos annos integros triginta & ſex Congregationes ſeu Seſſiones celebrarunt. In prima, quæ habita eſt apud Cardinalem Roma die 20. Aprilis an. 1651. ſtatutum eſt rem altiùs repeti debere: ab examine ſcilicet eorum quæ geſta fuerant in negotio Baji ſub Pio V. & Gregorio XIII. & Janſenii ſub Urbano VIII. Extracta ſunt itaque ex Archiviis Vaticanis, quotquot cauſam hanc ſpectabant authentica Inſtrumenta, ac de iis relatum in ſequentibus Congregationibus, in quibus Liber Janſenii diligenti ac maturo examine diſcuſſus, communicata Conſultorum conſilia, expenſa, ponderata, etiam præſente ipſo Pontifice, qui decem ultimis Congregationibus, quarum quælibet quatuor erat horarum, ſumma cum patientia interfuit. Uno verbo, tota hæc cauſa diſcuſſa *eſt ea profectò diligentia, qua major deſiderari non poſſit*. Ita teſtatur ipſemet Alexander VII. tum Cardinalis Chigius, Conſiliorum omnium Innocentii ac Congregationis particeps.

Theologorum ex utraque parte deputatorum Romam adventus, geſta, Scripta.

Die 5. Decembr. an. 1651. Romam adventant tanquam deputati ab aliquibus Gallicanis Epiſcopis pro tuendis quinque delatis Propoſitionibus DD. Brouſſe, Delalane Doctores, & Angran Licentiatus in Facultate Theologica Pariſienſi: die verò 4. Maji anni ſequentis Pater Deſmares & D. Maneſſier (Domino Brouſſe propter ægritudinem in Galliam reverſo) in ſubſidium aliorum pariter adveniunt.

Ex altera verò parte, die 24. ejuſdem menſis & anni, accedunt DD. Hallier, Lagaut, & Joyſel, ad promovendam & urgendam quinque Propoſitionum cenſuram.

Diar. par. 5. c. 10.

Non ſtatim Janſenianis Doctoribus declarata eſt inſtituta per Pontificem Congregatio: ſed die dumtaxat undecima Julii an. 1652. eam ipſis publicè declaravit Cardinalis Roma. A die ſcilicet 20. Aprilis, qua prima Congregatio

Digitized by Google

gatio celebrata fuerat, Cardinales primò inter ſe, deinde cum ipſi Conſulto-ribus rem tacitè ventilaverant.

Vix Romam appulſi DD. Brouſſe, Lalane, & Angran ſimul cum de S. Amour, die 21. Jan. ann. 1652. in conſpectum Pontificis admittuntur, enixè ſuam rogantes Sanctitatem, ut vellet ſolemnem ac publicam inſtruere Congregationem, in qua cum ſuis adverſis partibus congredi ſibi liceret, ad eum modum quo ſub Clemente VIII. & Paulo V. de divinis Gratiæ auxiliis diſputatum fuerat. Ajebant longè majorem inde futuro judicio fidem conciliandam, ſi ſolita Majorum, non illa inuſitata & clandeſtina via perageretur: longè exploratiùs omnibus fore, adfuiſſe S. Pontifici in judicando Spiritum ſanctum, ſi idoneas veritati aperiendæ vias amplecteretur: id enim jubere Spiritum ſanctum, humanas inquirendi veri rationes non reſpui, Traditionem conſuli, doctos homines adhiberi. Controverſiam moveri de re graviſſima, de doctrina ſcilicet S. Auguſtini, quæ tametſi multis encomiis celebrata toties fuerit à S. Pontificibus, hac ipſa tamen, quæ à ſuis æmulis poſtulabatur, quinque propoſitionum cenſura, funditus evertebatur. Pontifex reſpoſuit, nolle ſe ut ullo pacto mentio fieret de Janſenio; (nimirum abſolvendo) quia Liber ejus prævio diligenti examine ab Urbano VIII. prohibitus fuerat. Difficultates circa Bullam Urbani excitatas, plenè diſcuſſas fuiſſe; nec aliud ſupereſſe, quàm ut ſinguli obtemperarent. In illas verò, quas poſtulabant, cum ſuis adverſariis publicas concertationes non poſſe ſe conſentire, quòd in jurgia ac clamores ut plurimùm deficere ſoleant: nec alius fuerit Congregationum ſub Clemente VIII. & Paulo V. de auxiliis Gratiæ exitus, poſt tot graves ac diuturnas diſputationes, quàm ut partes dimitterentur impoſito ipſis ſilentio, ac ſeverè prohibita mutua hinc & inde cenſura. Non expedire, nec velle ſe renovari ullatenus illas de auxiliis quæſtiones: Auguſtini doctrinam in tuto eſſe, nec paſſurum ſe ut quidquam detrimenti accipiat: Lovanienſium Deputatos, cùm Romam venerunt Librum Janſenii defenſuri, cauſatos pariter doctrinam illius ab Auguſtiniana non differre, nec iſta ſalva, aliam damnari poſſe: aliter nihilominus cenſuiſſe qui huic examini præpoſiti fuerant (quorum ipſe Innocentius, tunc Cardinalis Pamphilius, unus erat.) Omnes denique ad ſe Auguſtinum trahere, ejuſque ambire patrocinium; verùm Doctorem illum eximium omnibus favere non poſſe.

Diarii par. 4. c. 2. p. 178. col. 2.

Ex altera verò parte, Hallerius cum ſuis congreſſum illum publicum nec declinabat, nec etiam efflagitabat, paratus in omnibus voluntati Pontificis obtemperare. At obſequium illud, vitio cauſæ quam Hallerius tuebatur, imputabant Janſeniani, quaſi ſuis ille rationibus, non Romanæ Curiæ obſequeretur; quòd nempe intelligeret, actum eſſe de ſua cauſa, ſi ſententiam ſuam coram adverſariis promere & defendere cogerentur. Quapropter repetitis & apud Pontificem & apud Cardinales precibus, ardentiùs illi inſtiterunt ut hanc ſolemnem ac publicam obtinerent Congregationem, ac Scriptorum communicationem reciprocam. Verùm non aliud ab ipſis reſponſum reportarunt, quàm nullam hìc eſſe litem dirimendam, nullaſque partes, cùm de ſolis agatur notandis Propoſitionibus. Non pertinere ad privatos Doctores Pontifici modum præſcribere, quo rei alicujus examen inſtituere debeat: aſſiſtentiam Spiritus ſancti ac veritatis manifeſtationem alligatam non eſſe illis publicis ac contentioſis diſputationibus, *Non enim in commotione*

Diar. par. 6. c. 18. p. 441. & ſeq.

Digitized by Google

ne Dominus. Non illum eſſe Romanis morem, ut res hujuſmodi, communicatis hinc & inde Scriptis, judicio contradictorio tractarentur: Libros quidem inſpici & diligenter expendi, ſed Auctores non audiri contradictoriè; aliàs, nuſquam futurus eſſet negotiorum finis. Nihil tale obſervatum fuiſſe ſub Pio V. Gregorio XIII. Urbano VIII. imò nec ſub Innocentio X. in cauſa duorum Capitum. Id equidem factitatum ſub Clemente VIII. & Paulo V. ſed *Diar. par. 6. c. 1. & 2.* ſine fructu; nec expedire jam, ut illæ diſcordiæ revocentur. Tam multa denique hinc & inde circa quinque Propoſitiones ſcripta fuiſſe, ac tùm Cardinalibus, tum Conſultoribus, aliiſque Viris doctis communicata, ut fieri non poſſet, quin ad mutuas contendentium manus perveniſſent. Ita reſ- *Ib. c. 1. p. 360. col. 2.* pondebat Cardinalis Spada. Et quidem ipſemet de S. Amour variis in locis non diſſimulat Hallerii & Sociorum ejus Scripta ad ſe perveniſſe. Et cap. 5. *Pag 383. col. 2.* idem fatetur de alio novo eorumdem Scripto, in quo quinque Propoſitiones Janſenio tribuebantur & loca citabantur. Iterum aliud eorum Scriptum præcedenti prolixius vidiſſe ſe fatetur. Nihil ergo aliud hac ſua poſtulatione moliebantur Janſeniani, quàm ut, quas poſſent, longiores moras Judicio Pontificis injicerent.

Ib. par. 4. c. 4. p. 192. & ſeq. Versùs finem Februarii an. 1652. per Oratorem Regis Chriſtianiſſimi obtulerunt Pontifici Memoriale quo declarabant, 1. ſe dumtaxat impugnare verſatilem & libero arbitrio ſubditam, Molinæ ſenſu, gratiam ſufficientem. 2. Se gratiam efficacem unicè defendere in illis quinque Propoſitionibus. 3. Nihil ſibi curæ eſſe de Janſenio, neque ſe Libri ipſius defenſionem ſuſcipere. Sic illudebant. Neque enim quæſtio erat de gratia ſufficiente Moliniana, aut efficaci Thomiſtica, ſed de efficaci ſenſu Janſenii, quam totis viribus tue- *T. 1. p. 487.* bantur; tametſi, ne Pontifici diſplicerent, falſa, ut ait Auctor Hiſtoriæ generalis Janſeniſmi, unus ex præfervidis Janſenii diſcipulis, prudentia fingerent ſe de Janſenio nullatenus eſſe ſolicitos.

Præpoſiti generales Ordinum Prædicatorum & Auguſtinenſium ſupplicem Libellum Innocentio obtulerunt die 4. Maji ejuſdem an. 1652. eum in finem, ut ante omnia juberet Pontifex diſputationem de Auxiliis reſumi ab eo ipſo *Diar. par. 4. c. 10 p. 240. col. 1.* ſtatu in quo Paulus V. eam reliquerat. Quibus reſpondit iterum Pontifex, velle ſe argumentum de Auxiliis intactum prorſus remanere. Impulſu Janſenianorum id tentaverant dicti Generales: ſolent enim Janſeniani, ubi res eorum ferunt, Thomiſtarum pallio ſeſe involvere, eorumque opem implorare; unde tentata aliquando fuit inter ipſos firmanda unio ac ſocietas, ut inito fœdere junctiſque viribus, pro quinque Propoſitionibus tanquam communi cauſa decertarent. Inſtitutus eum in finem mediantibus Epiſcopis Graſſenſi D. Godeau & Catalaunenſi D. Vialart, celebris inter eos Congreſſus ſeu Collatio menſe Decembri an. 1651. ſed exitu planè infelici; nuſquam etenim conſentire inter ſe potuerunt, ſenſibus omnino diverſi. Rem totam *T. 1. p. 504.* narrat Auctor citatus Hiſtoriæ generalis Janſeniſmi. Inde eſt quòd Cardinali *Diar. p. 6 c. 13. p. 418. col. 1.* Barberino poſtulanti à D. de S. Amour, cur Dominicanis ſe cum ſuis non adjungeret? repoſuerit: *Dominicani res ſuas gerunt, Auguſtiniani ſuas*. Reipſa res ſuas ſeparatim gerebant qui pro Janſenio erant deputati. Menſe Auguſto *Ib par. 5. cap. 7. p. 282. & ſeq.* an. 1652. duo Scripta diſtribuunt. In primo narrabatur quidquid in cauſa quinque Propoſitionum geſtum fuerat à die 1. Julii an. 1652. ac varii Propoſitionum ſenſus diſtinguebantur. In altero longè prolixiori exponebatur Univerſæ Eccleſiæ Traditio ſuper auctoritate doctrinæ ſancti Auguſtini.

Ex

Digitized by Google

Ex altera parte, die Lunæ 27. Jan. an. 1653. *Introducti ſunt in conſeſſum*, ait Vvadinghus unus è Conſultoribus in ſua brevi Relatione de quinque Propoſitionibus, quam laudat auctor Defenſionis Eccleſiæ Romanæ adverſùs Leydeckerum, *tres Doctores Sorbonici, DD. Hallier, Lagaut & Joiſel, & juſſi ſunt ſedere in medio Conſultorum, præcedentibus ſcilicet ſeptem ex nobis, & ſex ſequentibus, omnibus in circuli forma. D. Hallier peroravit eruditè & ferventer contra doctrinam Janſenii & ſequacium. 2. Multa dixit contra eorum mores & vitam. 3. Alia addidit, præſertim ex iis quæ fecerunt Pariſiis contra Hibernos & Sorbonam, provocantes ad Parlamentum: & demum inſtanter rogavit, ut Propoſitiones iſtæ condemnarentur.* Hæc de verbo ad verbum tranſcripta ſunt ex dicta Vvadinghi Relatione.

Relatio Vvadinghi in Libro cui titulus, Defenſe de l'Egliſe Romaine. Pag. 415

Die 10. Martii an. 1653. Pontifex in prima Congregationum quæ ſe præſente habitæ ſunt, palam declaravit, nolle ſe ullum omnino præjudicium inferri doctrinæ SS. Auguſtini & Thomæ.

Diar. par. 6. c. 13. p. 421. col. 2.

Pater Deſmares & D. Maneſſier ad Pontificem ſupplices iterum accedunt die 4. Maji, importuniùs exoraturi publicum cum ſuis æmulis Congreſſum, & Scriptorum contradictoriam communicationem. Pontifex conſtanter renuit non ignarus quid in ea poſtulatione conſilii lateret, ad futuram & nuſquam terminandam diſcordiam. Promiſit verò, ſe illis, quantùm vellent, dicendi copiam facturum; ac inſuper Memorialia ſeu Scripta eorum, ſi quæ offerrent, maturè expenſurum.

Ib. c. 18. p. 441. & ſeq.

Hac firma Pontificis reſiſtentia Janſeniani ſpe ſua dejecti, tandem conſenſerunt ſine partium adverſarum commiſſione cauſam ſuam coram Pontifice agere. Illico quinque Scripta diſponunt, quorum primum continebat centum & aliquot Propoſitiones è Libris Jeſuitarum extractas. Secundi titulus erat, *Breviſſima quinque Propoſitionum in varios ſenſus diſtinctio*. Famoſum eſt Scriptum illud, dictum trium Columnarum; quòd nempe varii ſenſus ſub triplici linea ſeu columna referantur. In tertio Scripto fusè demonſtrabant neceſſitatem efficacis à ſe gratiæ. Quartum deſtinaverant exponendæ Traditioni circa verum & Catholicum primæ Propoſitionis ſenſum. Quinto explicabantur ſexaginta circiter S. Auguſtini loca ab Hallerio ejuſque ſociis producta contra primam Propoſitionem, & una defendebatur Janſenius circa gratiam ſufficientem quam negare accuſabatur. (Audite Janſenium accuſatum ex una parte, defenſum ex altera.)

Ib. c. 21. p. 451. & ſeq.

Inter Collect. p. 100.

Narrat de S. Amour, Diarii parte 6. c. 21. & 26. diſcordiæ nonnihil fuiſſe inter ſuos Collegas, an ſcilicet quinque Propoſitionum ſenſus Calvinianus, quem illi rejiciebant, dicendus foret proprius ſeu legitimus, an verò ſenſus gratiæ ex ſe efficacis, quem propugnabant. Addit cenſuiſſe nonnullos, germanum ac legitimum Propoſitionum ſenſum dicendum eſſe poſteriorem, non autem priorem. Ratio hæc ipſis erat: quia cùm verborum alicujus Propoſitionis ſenſus naturalis ac rigoroſus à nemine propugnatur, nullatenus dici debet legitimus ac proprius, ſed potiùs alter, qui tametſi minùs naturalis & rigoroſus, à probatis tamen Theologis defenditur. Sicut in multis figuratis Scripturæ locis, ſenſus verborum legitimus ac proprius non eſt ſenſus nativus magis ac rigoroſus; ſed ille duntaxat pro vero ac legitimo debet haberi, qui eſt à Spiritu ſancto intentus. Porrò legitimum duntaxat ac verum, tametſi minùs rigoroſum, quinque Propoſitionum ſenſum, efficacis ſcilicet ex ſe gratiæ, Janſenius.

Pag. 458

ſenius & Auguſtiniani defendunt, non verò earumdem ſenſum magis naturalem & rigoroſum, nempe Calvinianum. Unde concludebant illi, quinque Propoſitiones in ſenſu, quem meritò legitimum ac proprium dicebant, propugnari debere, ut hac ratione Pontifex ab iis damnandis deterreretur.

Alios verò exiſtimaſſe, dictas Propoſitiones, cùm in terminis, & ut ſonant, erroneas eſſe inter eos conſtaret, ſimpliciter deſerendas, quamquam à nemine eo ſenſu defenderentur: ne fortè, inquiebant, ſi propter ſenſum legitimum quem referunt minùs propriè, gratiæ ſcilicet efficacis, defenderentur, adverſarii Summo Pontifici perſuadentes illas perverſo ſenſu naturalii ab aliquibus in Gallia defendi, earum impetrarent cenſuram; atque gratiam efficacem in eadem cenſura implicatam fuiſſe contenderent. Ipſe verò de S. Amour, utpote prioris ſententiæ patronus in quam cæteros pertraxerat, auctor fuit, ut in Scripto trium Columnarum, in fronte ſenſus Calviniani additum fuerit, *illum Calvinianum ſenſum nonniſi malignè affingi poſſe Propoſitioni, quem tamen legitimè ſumpta non habet.*

Duo inde conſtant.

Primum, Janſenianos non tantùm poſt, ut aliqui ex noſtris opinantur, ſed etiam ante Conſtitutionem Innocentii X. varios quinque Propoſitionum ſenſus diſtinxiſſe; quod certè manifeſtè demonſtrant eorum Scripta in hunc finem ante ipſam Conſtitutionem edita, qualia ſunt imprimis. *Breviſſima quique Propoſitionum in varios ſenſus diſtinctio*, ſeu ſcriptum dictum trium Columnarum, Pontifici oblatum die 19. Maji an. 1653. Aliud editum an. 1649. dictum: *In nomine Domini*, quòd ab his verbis incipiat. Alterum ejuſdem anni, cui titulus, *Conditiones ad examen doctrinæ de Gratia, oblatæ Facultati Theologicæ Pariſienſi apud Sorbonas Kalendis Decembris an. 1649.* Alterum denique, ut alia omittam, quod inſcribebatur: *Quinque Propoſitionum de Gratia, quas Facultati Theologicæ Pariſienſi Magiſter Nicolaus Cornet ſubdolè exhibuit..... vera & Catholica expoſitio.* Nemo neſcit tum undecim Epiſcopos, tum cæteros omnes Janſenii defenſores, ab ipſo hujus controverſiæ exordio ſæpius ac durè conqueſtos fuiſſe, quinque Propoſitiones ad invidiam doctrinæ SS. Auguſtini & Thomæ verbis ambiguis & æquivocis concinnatas eſſe, quæ varium in ſenſum adduci poterant; qui proinde ad omnem fraudem & ambiguitatem removendam diſtingui ac exponi deberet.

Alterum eſt: nonnullos è Janſenianis exiſtimaſſe, Calvinianum quinque Propoſitionum ſenſum appellandum eſſe germanum ac legitimum, non verò ſenſum gratiæ ex ſe efficacis: alios è contra, quorum ſententia prævaluit, voluiſſe ſenſum hæreticum Calvini alienum eſſe; ſenſum verò efficacis à ſe gratiæ, germanum ac legitimum inſcribi debere. *De Propoſitionibus*, inquiebant in ſuo trium Columnarum Scripto, quod DD. de Lalane, Deſmares, S. Amour, Maneſſier, & Angran, ſubſcripſerant, *non in ſenſu alieno ad quem trahi poſſent, quique à nobis reſpuitur, ſed in ſenſu legitimo qui à nobis defenditur...... diſtinctum & perſpicuum judicium expectatur.* Atque in decurſu hujus Scripti, in fronte ſenſus hæretici ſeu Calviniani, monent, *ſenſum illum malignè affingi poſſe Propoſitioni, quem tamen legitimè ſumpta non habet.* Et in fine..... *Videt*, inquiunt alloquentes Pontificem, *Sanctitas veſtra ex ſuprà expoſitis, nullam de Calviniſtis Lutheraniſve hæreſibus inter nos & adverſarios eſſe aut fuiſſe quæſtionem.* Sic illi ante Conſtitutionem ſentiebant, & loquebantur; ſed pauciſſimis poſt diebus lata

Diar. par. 6. c. 22. pag. 469. col. 2.

Pag. 473. col. 1.

Con-

Conſtitutione, derepentè mutato conſilio, ſenſus ille hæreticus Calvini, quem alienum & extraneum dixerant Propoſitionibus, quique ipſi malignè dumtaxat affingi poſſet, ſubitò ac mira ſcenæ converſione, factus eſt earumdam Propoſitionum ſenſus legitimus, verus ac germanus: ſenſus verò efficacis à ſe gratiæ, qui paulò antè erat germanus ac proprius, degener factus eſt & alienus. Ita levi manu & ad nutum eorum, invertitur ac transformatur ſenſus Propoſitionum.

Verùm ad hanc mutationem & inconſtantiam, quam meritò centies in faciem Janſenianis exprobavere Orthodoxi, coegit dura neceſſitas aut damnandæ Janſenii doctrinæ, aut Conſtitutioni Innocentii X. apertè repugnandi. Neutrum placebat: quærendus ergo fuit ſenſus aliquis verus ac legitimus, in quem Cenſura deflecti poſſet; & cujus obtentu, Janſenianus eidem Cenſuræ ſubduceretur. Non alius viſus eſt aptior, quàm Calvinianus, qui utrumque præſtaret: hunc ergo & legitimum & ſolum cenſura notatum fuiſſe affirmavere.

Sic tamen declinare illi nuſquam potuerunt unum è duobus graviſſimis argumentis, quæ noſtri adversùs eos intorquebant: ſcilicet, hæreticus Calvini ſenſus vel eſt legitimus & proprius ſenſus quinque Propoſitionum, vel improprius & alienus dumtaxat. Si improprius, qualis ipſis videbatur eſſe ante Conſtitutionem, ergo Pontifex damnavit improprium & alienum earum Propoſitionum ſenſum, proprio & germano prætermiſſo. Quid abſurdius? Si proprius, ut quid tanto æſtu pugnabant pro defenſione quinque Propoſitionum, quas ſciebant ſenſu proprio ſeu hæretico Calvini, à nemine defendi? Si verò ſenſus legitimus ac proprius illarum Propoſitionum, alter eſt à Calviniano, ut eſt re ipſa (de illo etenim nulla tunc quæſtio) quis amabò, niſi Janſenianus? quem proinde, ut proprium, in ipſis proſcriptum eſſe conſequens eſt. Ergo cùm iſtum ſenſum Janſeniani, & antè, & poſt Conſtitutionem apertè propugnaverint, imò & etiamnum propugnent, manifeſtum eſt illos reos eſſe erroris in Conſtitutione proſcripti. Atque hæc obiter ac pro re nata, de quibus poſtea fuſiùs. Hiſtoriæ ſeries jam reſumenda.

Die 19. Maji an. 1653. *Introducti ſunt quinque Presbyteri Galli Sorbonici, qui partes tuebantur Janſenii*, ait Lucas Vvadinghus in ſua brevi Relatione jam citata. *Primus qui cœpit perorare*, pergit, *Abbas de la Lane, incœpit à gravitate materiæ: deinde proceſſit ad laudes S. Auguſtini, ejuſque inculcandam auctoritatem, in materia præſertim de Gratia; magnoque ardore retulit multas Propoſitiones à PP. Jeſuitis, præſertim à P. Adamo in Libro nuper Pariſiis excuſo contra ſancti Auguſtini doctrinam, vel ſcriptas, vel prolatas. Demum ad explicandos vel diſtinguendos varios ſenſus quinque Propoſitionum deſcendit, & in quo ſenſu ab ipſo, à ſociis, aliiſque ſibi adhærentibus defendebantur, explicavit. In ſenſu hæreticorum, docuit eſſe Calvinianas aut Lutheranas. In ſenſu Jeſuitarum, contendebat eſſe Pelagianas. In ſenſu altero, ab ipſis intento de Gratia per ſe efficaci, dicebat eſſe Catholicas. Monuit demum, inſtantiam Epiſcoporum Galliæ non eſſe, ut abſolutè illæ Propoſitiones condemnarentur, ſed ut, diſtinctis & declaratis variis intelligentiis, in mala condemnarentur, in bona approbarentur.* Obſervat de S. Amour Diarii parte 6. cap. 22. *dictum D. de la Lane è cartha per horam integram recitaſſe quæ ſcripſerat de breviſſima quinque Propoſitionum in varios ſenſus diſtinctione; tum de reliquis quatuor Scriptis per ſeſquihoram verba feciſſe.* *Rel. Vvad. p. 427.*

Secun-

Secundo loco, pergit Vvadinghus, *locutus eſt*, *D. Deſmares Doctor Sorbonicus* (dicere debuiſſet Gallicani Oratorii Presbyter) *inſignis Concionator*, *qui longiſſimo diſcurſu voluit probare ex ſexdecim capitibus*, *gratiam ex ſe efficacem*; *non verò ex aſſenſu liberi arbitrii*, *neque ab illo ad nutum dependere*. *Incœpitque* 1. *ab Orationibus Eccleſiæ*, *in quibus conabatur oſtendere*, *ſemper inculcari gratiam ex ſe efficacem*. *Dixit autem valde prolixè*, *modo concionatorio*, *ſemper inhærens in primo Capite*; *& dum ad ſecundum perveniret*, *ſupervenerunt noctis tenebræ*, *ita ut diſſolvi oporteret Congregationem*. *Illi autem proceſſerunt ad pedes ſanctiſſimi Domini*, *obtulerunt ei varia Scripta & Libros in ſuæ cauſæ patrocinium*, *quos benignè auditos ſua Sanctitas dimiſit poſt quatuor horas tædioſæ ſeſſionis*. Hæc Lucas Vvadinghus Janſenianis minimè ſuſpectus.

Fruſtra, necnon inſidioſè Janſeniani conabantur Pontificem inducere ad diſtinguendos & expendendos varios illos ſenſus, quos ipſi in ſuo trium Columnarum Scripto diſtinxerant. Præterquam quod enim die dumtaxat 19. Maji an. 1653. id eſt undecim ante latam Conſtitutionem Innocentii diebus, cùm jam præmiſſo longo per duos annos integros examine parata foret, nec differri poſſet ſententia, Scriptum illud de diſtinctione ſenſuum obtulerunt; intempeſtiva prorſus videbatur illa diſtinctio ſenſuum, quæ rem totam longè magis implicaſſet, quàm illuſtraſſet. Succreſcentibus quippe in dies majoribus contentionibus circa unamquamque ex propoſitis expoſitionibus, circa ipſarum verba ſingula, circa genuinam auctorum mentem, circa perſonales rixas, expediri nuſquam ac terminari potuiſſet iſtud examen, quod unum quidem in votis habebant Janſeniani. Multò ipſi Pontifici facilius fuit unicum ſimplicem, obvium & naturalem (de quo uno agebatur) quinque Propoſitionum ſenſum quàm triplicem illum novis & ambiguis vocibus implicatū diſpicere.

Fruſtra iidem conteſtabantur, ſe unicè ſenſum efficacis à ſe gratiæ in his quinque Propoſitionibus defendere; ſuos verò adverſarios hunc unicum evertere conari. Novæ profectò artes & inſidiæ, ut Pontificis animum aliò diſtraherent. Neque enim movebatur quæſtio de gratia vel efficaci à ſe, vel Molinæ ſenſu verſatili: Eo enim ipſo tempore quo fervebat de quinque Propoſitionibus ab Epiſcopis Gallicanis ad Pontificem delatis contentio; Præpoſitus Generalis Societatis Jeſu nomine Picolomini, in nona Congregatione generali ſui Ordinis quæ tunc agebatur, Decretum Aquavivæ latum an. 1613. contra gratiam efficacem ex puro voluntatis conſenſu renovavit; & ipſemet Hallerius cum ſuis ſociis, Scripto, quod decem ante menſibus Cardinalibus obtulerat, demonſtraverat, ſepoſito ſenſu gratiæ per ſe efficacis (quem ipſe propria ſententia tuebatur) aut verſatilis quem à multis Doctoribus Catholicis refutari profitebatur, Propoſitiones quinque meritò damnari, ob eum naturalem & obvium ſenſum, quem habent in Libro Janſenii. Scriptum illud refert de S. Amour Diarii parte 5. cap. 8. Et nos hìc, quia breviter ac dilucidè rem totam exponit, tranſcribemus.

Diarii p. 284. & ſeq.

PRIMA PROPOSITIO.

Scriptū D. Hallerii Diar. p. 284. & ſeq.

Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis, *volentibus & conantibus ſecundùm præſentes quas habent vires*, *ſunt impoſſibilia*: *deeſt quoque iis gratia qua poſſibilia fiant*. *Janſen. L. 3. de Gratia Chriſti cap. 13.*

Sen-

Senſus eſt: Mandata Dei hominibus juſtis qui præcepta divina tranſgrediuntur, eſſe impoſſibilia defectu auxilii ſufficientis quo poſſint eadem adimplere, vel neceſſariam ad ea implenda gratiam petere.

Nota per has voces (defectu auxilii ſufficientis) non intelligi gratiam illam verſatilem quæ modò effectum ſuum habet, modò non habet, quæ à multis Doctoribus Catholicis refutatur: ſed intelligi gratiam quæ verè facultatem tribuat juſto, aut implendi præceptum, aut petendi gratiam neceſſariam ad illud implendum; ita ut per eam juſtus inexcuſabilis reddatur, quando præceptum tranſgreditur.

SECUNDA PROPOSITIO.

Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nuſquam reſiſtitur.

Senſus eſt: in ſtatu naturæ lapſæ nullam eſſe gratiam Chriſti actualem internam in voluntate reſidentem, cui voluntas humana de facto diſſentiat.

Nota hic non attingi doctrinam ſancti Auguſtini de gratia efficaci à ſe. Aliud eſt enim aſſerere ſanctum Auguſtinum admiſiſſe aliquod genus gratiæ quæ infallibiliter effectum ſuum conſequitur, & à nullo duro corde reſpuitur; aliud aſſerere ſanctum Auguſtinum nullam aliam gratiam præter efficacem admiſiſſe, quæ ſufficiens ſit. Primum Catholicum eſt; ſecundum, nonniſi à Calvino ejuſque ſequacibus fuit aſſertum.

Quòd ſanctus Auguſtinus gratiam aliquam ſufficientem admiſerit, patet ex iiſdem quibus dicit Deum juſto non præcipere niſi poſſibile, nec juſtum deſerere priuſquam ab ipſo deſeratur. Nam cùm mandata Dei non reddantur poſſibilia niſi per gratiam, & juſti non ſemper mandata Dei obſervent, ſequitur eos aliquando actu & de facto gratiæ Dei reſiſtere.

Non itaque hic agitur de gratia ſufficiente verſatili ſtatuenda, quæ modò effectum ſuum habeat, modò non habeat: ſed tantùm in genere quæritur, utrùm verum ſit in ſtatu naturæ lapſæ nullam dari gratiam quæ verè ſufficiens ſit.

TERTIA PROPOSITIO.

Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.

Senſus eſt: ut actio quæ meritoria aut demeritoria eſt, libera cenſeatur, non requiritur ut fiat cum indifferentia, ſed ſufficit modò voluntariè & ſine coactione fiat.

Hæc autem ſententia eadem eſt ac Calvini, qui nunquam eo ſenſu negavit liberum arbitrium, quaſi actiones noſtræ voluntatis non eſſent voluntariæ, ſed eo ſenſu, quòd negaret nobis ineſſe indifferentiam ad utrumlibet.

QUARTA PROPOSITIO.

Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem eſſe cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare.

Propoſitionis hujus duæ ſunt partes: Prima eſt facti; utrùm ſcilicet Semipelagiani admiſerint gratiam neceſſariam ad initium fidei.

Secunda, utrùm hæreticum ſit dicere gratiam actualem Chriſti talem eſſe, cui poſſit humana voluntas conſentire vel diſſentire.

Neque etiam attingitur quæſtio hic de gratia efficaci à ſe aut à conſenſu, quia utriuſque opinionis aſſertores fatentur quòd gratiam Dei poſſumus abjicere, juxta Conc. Trid. Seſſ. 6. c. 5. ſed tantùm quæritur utrum gratia in ſtatu naturæ corruptæ talis ſit, ut neceſſitatem inferat voluntati, adeo ut ei non poſſit diſſentire; quod nullus Catholicus unquam admiſit.

Hæc Propoſitio, ſuppoſita aliarum falſitate, neceſſariò debet falſa judicari. Nam ſi impoſſibilia nunquam ſunt Dei præcepta juſtis defectu gratiæ ſufficientis cui actu reſiſtunt, ſequitur poſſe gratiæ reſiſti: nam ab actu ad poſſe valet conſequentia. Secundò, ſi certum ſit ad meritum requiri indifferentiam; cùm actio qua gratiæ Dei conſentimus, ſit meritoria, ſequitur conſenſum ei præberi cum indifferentia, ac proinde cum potentia diſſentiendi.

QUINTA PROPOSITIO.

Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.

Duo quæruntur circa hanc Propoſitionem.

I. Quid de ea ſentiendum, quatenùs notam hæreſis affingit communi Catholicorum Theologorum ſententiæ, quæ aſſerit Chriſtum pro omnibus omnino mortuum eſſe.

II. Quatenus ex mente Janſenii, Chriſtus non pro omnibus ſed pro prædeſtinatorum ſalute tantùm mortuus eſt; ita ut omnibus reprobis negata ſint auxilia ſufficientia quibus poſſint ſalvari.

Hoc ſenſu examinata Propoſitione, intactæ relinquuntur difficultates quæ occurrunt circa infantes ſine baptiſmo decedentes, aut infideles, aut obduratos. Nam qui dicit Chriſtum non pro ſolis prædeſtinatis eſſe mortuum, non dicit conſequenter pro quolibet reprobo in particulari mortuum eſſe, ſed ſufficit quòd pro aliquibus ſaltem mortuus ſit.

Quòd autem pro juſtis ſaltem non perſeverantibus mortuus ſit, patet ex Conc. Trid. ubi definit, juſtis mandata Dei non eſſe impoſſibilia, quia Deus iis gratiam neceſſariam ſuppeditat. Si enim poſſunt obſervare mandata, poſſunt ſalvari, at nonniſi ex meritis Chriſti. Idem Seſſ. 6. cap. 3. Verùm, tametſi ille pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt. Ergo Chriſtus pro iis etiam mortuus eſt, qui beneficium non recipiunt; at illi non alii ſunt quàm reprobi.

Hactenus Hallerius & quidem appoſitè ad vana Janſenianorum conſilia, in ſuo de diſtinctione ſenſuum Scripto diſturbanda. Nihil etenim commune habet quinque Propoſitionum cenſura Janſenii ſenſu, quem illi aſſerebant, cum dogmate efficacis à ſe gratiæ ſenſu Thomiſtico, pro quo ſimulabant ſe dumtaxat eſſe ſollicitos, & quem re ipſa cum Magiſtro ſuo ſugillabant. Et verò Anonymus ille Scholæ Thomiſticæ Theologus, cujus obſervationes in vota ſeu ſuffragia Conſultorum edidit de S. Amour inter Collectanea ſui Diarii pag. 173. obſervat in Præfatione, *omnes penè Conſultores doctrinam gratiæ per ſe efficacis, quæ maximè*, inquit, *noſtræ Scholæ propria eſt, omnibus locis Catholicam, Orthodoxam, veram eſſe profiteri.* Atqui tamen Con- *Diar. p. 173. col. 2.*

ſul-

ſultores illi, paucis exceptis, cenſuerunt delatas quinque Propoſitiones etiam Janſenii ſenſu cenſuram mereri. Ergo perſuaſum illis erat, gratiam à ſe efficacem ſenſu Janſenii, longè diverſam eſſe ab ea quæ propria eſt Scholæ Thomiſticæ. Detracta igitur larva illa efficacis à ſe gratiæ Thomiſticæ, qua Janſeniani quinque Propoſitiones obtegebant, ut à cenſura defenderent, nuda remanet efficax Janſenii ſenſu gratia, id eſt gratia victrix per ſuperiorem ac relativam delectationem, in qua certè totius Janſeniani ſyſtematis virus reconditur.

Quinque Propoſitionum in Romano examine ſenſu Janſenii facta diſcuſſio.

Quàm religioſum, diligens ac ſeverum Romæ præmiſſum fuerit de quinque Propoſitionibus examen, demonſtrant apertiſſimè, præter plures Cardinalium inter ſe Collationes priùs habitas, triginta & ſex illæ publicæ eorumdem Cardinalium & Conſultorum ſimul Congregationes, in quibus præſente Pontifice (ſaltem undecim poſtremis) per duos annos integros *longa & matura diſcuſſione*, ait Vvadinghus in ſua Relatione pag. 428. ventilatæ fuerunt. Sed quid hæc ad Janſenium, inquies, ſi verum ſit, quod tam confidenter aſſeverant ejus diſcipuli, illas Propoſitiones diſcuſſas non fuiſſe in Libro & ſenſu Janſenii, ſed abſolutè in ſe; ſeu, ut loquitur Vvadinghus, *in abſtracto, ſicut jacent, abſque ullo reſpectu ad Auctorem*. Quàm putidum ſit figmentum illud ac ſplendidum mendacium, demonſtro ex Epiſcopis delatoribus; ex Memorialibus ſeu Scriptis contendentium partium; ex ſententia Conſultorum; ex Judicio SS. Pontificum; ex Clero Gallicano; denique ex manifeſta & invicta ratione.

Relationis Vuad. p. 391.

I. Epiſcopi Gallicani 85. in ſua ad Innocentium X. Epiſtola, quinque denunciant Propoſitiones, non in abſtracto, nec ſine ullo ad auctorem reſpectu, ſed Propoſitiones *Janſenii*, adversùs quem Urbanus VIII. jam pronunciaverat; propter quas vehementiſſimis turbis perturbatam fuiſſe Galliam aſſerunt. Ipſi ex altera parte undecim Epiſcopi, non de alio quàm Janſenii ſenſu revera ſoliciti erant, quamquam eum appellare non auderent; ne fortè in invidiam apud Pontificem vocarentur, ſi Librum jam proſcriptum defendere viderentur.

II. Memorialia ſeu Scripta D. Hallier & ſociorum ejus, apertam continebant mentionem Janſenii, cujus doctrinam in quinque Propoſitionibus expreſſam damnari poſtulabant. Diarii parte 5. cap. 9. affirmat de S. Amour ſe vidiſſe & tranſcripſiſſe Scriptum Hallerii, cui titulus erat, *Damnatio quinque Propoſitionum ex Janſenii Libris excerptarum*. Idem parte 6. cap. 5. aliud ejuſdem Hallerii Scriptum refert, in quo demonſtrabatur quinque Propoſitiones ex Libro Janſenii extractas eſſe, deſignatis & indicatis locis unde extractæ ſunt. Ibidem cap. 6. refert colloquium quod dictus D. Hallier habuit cum Generali Dominicanorum circa doctrinam Janſenii. Lege paginas Diarii de S. Amour 150. 151. 159. 161. 165. 166. 168. 188. 209. & 226. in quibus meridiana luce clarius apparet, actum eſſe Romæ de quinque Propoſitionibus ſenſu Janſenii. Ipſe denique Pater Vvading in ſua brevi Relatione antea laudata, narrat D. Hallier eruditè ac ferventer in Confeſ-

Diar. p. 296. col. 1.

Pag. 384. col. 2.

ſu Cardinalium & Conſultorum, contra doctrinam Janſenii & ſequacium peroraſſe.

Relationis pag. 415.

Ex altera parte, Deputati pro Janſenio, quamquam eum appellare rarò auderent, ejus tamen doctrinam defendere ſe, tacito ſæpius ipſius nomine, apertè profitebantur. Quid enim aliud indicat hic titulus primæ Propoſitionis, in Scripto trium Columnarum præfixus. *Prima Propoſitio à loco ſuo doloſè avulſa.* Unde avulſa? niſi à Janſenio. Sic vel ipſi Janſeniani argumenta ſuppeditant, quibus conſtat de Propoſitionibus ex Libro Janſenii avulſis ſeu extractis actum fuiſſe. Candidè id agnoſcit & ipſe mox citatus Vvading. *Die 19. Maii an. 1653.* inquit, *introducti ſunt quinque Presbyteri Galli Sorbonici, qui partes tuebantur Janſenii.* Et verò, in Scriptis quæ ante Conſtitutionem ediderunt & Romæ diſtribuerunt, apertè Janſenii defenſionem ſuſcipiunt. Lege inter alia, Scriptum, *In nomine Domini.* Et aliud cui titulus. *Quinque Propoſitionum de gratia &c. vera & Catholica expoſitio.*

Diar. p. 50. inter Collect.

III. Inter illa undecim Memorialia, quæ Generalis Dominicanorum Pontifici offerre debebat in gratiam quinque Propoſitionum, quatuor erant, fatente ipſomet de S. Amour, in quibus de ſenſu Janſenii agebatur. Pariter Generalis Auguſtinenſium in eo Memoriali quod circa eaſdem quinque Propoſitiones paraverat, non ſemel de Janſenio loquebatur. In illis etiam Scriptis quæ Dominicani ad informandum Cardinalem Roma elaboraverant, ſæpiſſimè mentio fit ſenſus Janſenii: adeo verum eſt, de illo controverſum ac in Romano examine actum fuiſſe. Ipſe denique S. Amour, refert ſibi Romæ dictum fuiſſe, quòd rem eandem moveret, de qua pridem egerant DD. Synnich & Bourgeois. Iſti porrò, ut notum eſt, de Janſenio egerant.

Diar. p. 6. c. 9. p. 400. & 401. Ib. par. 5. cap. 5. p. 380. Ib. par. 5. cap. 2. p. 264. col. 1.

IV. Ipſimet Conſultores, tribus exceptis, tum primùm ſuis in ſuffragiis, ut legere eſt, de Propoſitionibus in ſenſu Janſenii diſſerunt ac pronunciant. Ipſimet Vvadinghus, Magiſter S. Palatii & Commiſſarius ſancti Officii, de quibuſdam ex his Propoſitionibus in ordine ad Janſenium judicium ſubinde protulerunt, licèt in primis Congregationibus, illas, habita textus Janſenii ratione, non expendiſſent. Hæc nos tum ex Vvadingho, tum ex Janſeniſmi Hiſtoriæ ſcriptore, utroque Janſenianis non ſuſpecto accepimus. Notandum porrò, in ſex ex iis ſuffragiis Conſultorum, quæ inter Collectanea edidit de S. Amour, omiſſa fuiſſe circa unam primam Propoſitionem verba hæc, *in ſenſu Janſenii*, quæ tamen in autographo dictorum ſuffragiorum extare teſtatus eſt 1. Junii anni 1657. coram Congregatione D. Vizzani ſancti Officii Aſſeſſor.

V. Innocentius X. & Alexander VII. de quinque Propoſitionibus in ſenſu Libri Janſenii pronunciarunt, quorum Conſtitutiones, ut dicemus poſtea, qui ſubſecuti ſunt, Pontifices approbaverunt & confirmarunt. Refert de S. Amour Innocentium X. Cardinali Pimantel roganti ut ad gravitatem rei attenderet, reſpondiſſe, omnia maturè diſcuſſa fuiſſe; ac compertum, quinque Propoſitiones nihil habere commune cum doctrina SS. Auguſtini ac Thomæ, atque prorsùs expedire, ut notaretur doctrina Libri Janſenii. Alexander verò VII. Brevi ad Vicarios Generales Archiepiſcopi Pariſienſis dato die 1. Aug. an. 1661. eos graviter increpat, quòd aſſeruiſſent in ſuo publico Mandato, *non minùs temeraria quàm mendaci narratione, tempore Innocentii X. non alind factum fuiſſe, quàm inquiſitum, an Propoſitiones illæ quinque de gratia vera*

Diar. p. 6. cap. 25. p. 517. & 528. Recueil des Bulles pag. 172.

veræ & Catholicæ, an potiùs falſæ & hæreticæ cenſendæ forent. Cùm eo tempore, ait Alexander, *nedum de Propoſitionibus ipſis cognitio habita fuerit, verùm quòd è Janſenii Libro* Auguſtinus *nuncupato extractæ eſſent.* Tamquam teſtis oculatus loquitur Pontifex, qui ſub Innocentio X. particeps fuerat eorum omnium quæ in cauſa quinque Propoſitionum Janſenii geſta fuerant.

Adde, Epiſcopos Gallicanos in Comitiis generalibus anni 1654. agnoviſſe, ex verbis ipſis Bullæ Innocentii invictè demonſtrari, quinque Propoſitiones in ſenſu Janſenii damnatas eſſe. Ita narratur in Relatione deliberationum Cleri Gallicani pag. 9. & 10. ultimæ editionis.

VI. Denique, vel in examine Romano diſcuſſæ fuerunt quinque Propoſitiones ſenſu Janſenii, vel ſenſu Calvini, qualis in prima columna Scripti de diſtinctione ſenſuum exhibetur. At iſtud poſtremum, quod contendunt Janſeniani, tam abſurdum eſt, ut nihil magis: tum quia de ſenſu Calvini nulla prorſus fuit tunc temporis excitata quæſtio, cùm nullus eſſet à quo defenderetur, tum quia prorſus ridiculum eſt aſſerere, per duos annos integros tam ſolicitè, tam operosè de ſenſu illo inquiſitum ac controverſum fuiſſe, qui, ſi Janſenianis fides, obvius eſt ac naturalis Propoſitionum ſenſus: qui certè cùm à Trid. Concilio ſufficienter damnatus fuiſſet, tam longum ac moleſtum haud dubiè non poſtulabat examen: tum quia de illo agebatur ſenſu, qui, fatentibus Janſenianis, nonniſi à viris in Theologia verſatiſſimis dignoſci poteſt; de quo neceſſe erat publica in diſputatione audiri partes diſſidentes: qui cum dogmate gratiæ à ſe efficacis intimè conjunctus eſt, & Thomiſticæ Scholæ proprius; qui ut apprimè notari poſſet, cenſuerat in prima Congregatione Cardinalis Spada, luſtranda eſſe quæcunque ſub Pio V. & Gregorio XIII. in cauſa Baji, & ſub Urbano VIII. in cauſa Janſenii acta fuerant; quem denique aliqui è Conſultoribus à cenſura vindicabant. An quæſo hæc in ſenſum Calvinianum cadere poſſunt? An tam profunda rerum Theologicarum ſcientia opus eſt, ut erroneus ille ſenſus detegatur? An quiſquam erat inter Epiſcoporum Deputatos, qui ſenſum illum defenderet, & idcirco in publica Congregatione à ſuis æmulis redarguendus audiri deberet? An Calvinianus ſenſus proprius eſt Scholæ Thomiſticæ, & cum dogmate gratiæ per ſe efficacis intimè conjunctus? An de ſenſu Calvini actum fuit tempore Pii V. Gregorii XIII. & Urbani VIII. An denique nonnulli è Conſultoribus 5. Propoſitiones in ſenſu Calvini à cenſura vindicarunt? En anguſtiæ, ineptiæ & abſurditates, ad quas Janſenianos cæcum defendendi Libri Janſenii ſtudium pertraxit.

Verùm, inquies, nonne Innocentius X. ſæpius declaraverat Deputatis pro Janſenio, *nolle ſe omnino ut de Janſenio mentio fieret*? Nonne Cardinalis Spada, DD. de Lalane & de S. Amour dixerat, *Propoſitiones conſiderari præcisè in Congregatione ſecundùm ſe ipſas, abſtrahendo à ſenſu unius vel alterius*? (Diarii parte 5. cap. 7.) Nonne Vincentius de Pretis Commiſſarius S. Officii, ſuffragium ferens circa primam Propoſitionem, aſſeruit *eam propoſitam fuiſſe in abſtracto*, ut præſcindit ab omni proferente? Nonne idem de omnibus Propoſitionibus affirmavit Vvadinghus in ſua brevi Relatione de quinque Propoſitionibus? Nonne denique Innocentius X. in ſua Conſtitutione ait, primam Propoſitionem jam anathemate damnatam fuiſſe? Et Epiſcopi 85. in ſua ad hunc Pontificem Epiſtola dicunt, mo-

Diar. p. 4. cap. 2. 178.

Defenſionis Eccleſiæ Roma. p. 391.

motus illos (circa 5. Propoſitiones) *ſedari oportuiſſe Conc. Trid. auctoritate?*

Quæ certè omnia eò manifeſtè tendunt, de ſenſu nempe Calvini in quinque Propoſitionibus expreſſo, & jam anathemate percuſſo, controverſiam dumtaxat tunc temporis fuiſſe. Quod etiam nonnullorum judicio (referente de S. Amour) verbum ipſum *declaramus*, quo Innocentius X. in ſua Conſtitutione utitur, demonſtrat. *Non enim*, inquiebant, *conſtituit novum jus & cenſuram, ſed tantùm confirmat & ſtabilit jam factum & ſtabilitum*.

Diar. p. 7. c. 2. pag. 557. col. 2.

Deplorata profectò cauſa eſt, quæ tam infirmis nititur præſidiis. Juſſit equidem Pontifex nullam de Janſenio fieri mentionem. Sed quo conſilio? Nempe ut poſtpoſita Urbani VIII. Conſtitutione, qua Liber ipſius proſcriptus jam fuerat, ab omni errore non purgaretur, ſicut eum purgare tentaverant Janſeniani. Ipſe verò Innocentius nonne Janſenium nominatim appellavit, tum cùm Cardinali Pimantel ferendæ Conſtitutionis conſilium aperuit, tum ipſamet ſua Conſtitutione?

Ib. par 6. cap. 27. p. 528. col. 1.

Quando Cardinalis Spada Abbati de Lalane & de S. Amour dixit, quinque Propoſitiones in Congregatione ſecundùm ſe ipſas conſiderari, abſtrahendo à ſenſu unius vel alterius, non excludebat ſenſum Janſenii, ſed varios dumtaxat ſenſus Calvini, gratiæ efficacis Thomiſticæ, vel Molinianæ, quos Janſeniani in dictis Propoſitionibus diſtingui debere contendebant: quibus tamen ſepoſitis, rectè oſtendebat Hallerius, Scripto antea relato, quinque Propoſitiones cenſuram mereri. Idem ſenſus eſt Vincentii de Pretis & Lucæ Vvadinghi.

Et certè ſic ipſemet Vvadinghus initio ſuæ Relationis loquitur. *Exortis & creſcentibus in dies tumultibus in Belgio, deinde in Gallia, mox in Polonia, quibuſdam acriter invehentibus in doctrinam Librumque Janſenii*, Auguſtinus *nuncupatum, aliis ex adverſo illum mordicùs defendentibus, venerunt à Lutetia Doctores Sorbonici cauſam utrimque proſecuturi*. Ergo de Libro & doctrina Janſenii, ac Propoſitionibus ex illo extractis, & in ſenſu ab auctore intento, agebatur, non de Propoſitionibus in ſe ipſis & in abſtracto ſpectatis. Quòd ſi duo vel tres contrarium aſſeruerint, deſerendi illi ſunt, quorum certè auctoritas prævalere non poteſt tot certiſſimis, quæ prolata ſunt, teſtimoniis; quæ quidem eò plus momenti ac ponderis habent, iis quæ ab adverſariis nobis opponuntur, quòd hæc poſtrema & numero pauca ſint, & eorum qui ipſis apertiſſimè favent, ac proinde in propria ſua cauſa; alia verò ex ipſamet adverſariorum confeſſione, maxima ex parte habeamus. Quibus per modum coronidis non poſſumus quin addamus, quod ipſe candidè profitetur D. de S. Amour Diarii parte 6. cap. 2. in fine, ubi Domino de Sainte Beuve conquerenti, quòd in Scripto trium Columnarum, in fronte primæ columnæ ſeu ſenſus Calviniani, dictum fuiſſet, ipſum eſſe ſenſum quem propoſitio legitimè ſumpta non habet (quaſi ſenſus efficacis à ſe gratiæ eſſet legitimus ac proprius,) reſpondet, ea dumtaxat ratione ſenſum gratiæ ex ſe efficacis dictum fuiſſe in Scripto trium Columnarum, ſenſum proprium ac legitimum quinque Propoſitionum, quia hunc Janſenius unicè in ſuo Libro exprimit. Ergo vel ipſi Janſeniani, dum perſuadere volunt actum non fuiſſe de ſenſu Janſenii, inſcriptionem ſui trium Columnarum Scripti vindicare non poſſunt, niſi per ordinem ad Librum Janſenii, quem unum, ut defenderent, præ oculis habebant.

Inno-

Digitized by Google

Innocentius X. meritò aſſeruit primam Propoſitionem anathemate percuſſam jam fuiſſe, in Bajo ſcilicet, & in Calvino. In Bajo quidem, eo ipſo ſenſu, quem Janſenius renovavit, ſed qui in Bullis Pii V. & Gregorii XIII. nulla ſpeciali nota perſtrictus fuerat. In Calvino etiam, ſed alio planè ſenſu à Janſeniano. Calvinus impoſſibilia dicebat etiam viris ſanctis Dei mandata cum gratia maximè efficaci, nimirùm propter adhæreſcentem omnibus eorum actionibus concupiſcentiæ labem: Janſenius verò docet eſſe impoſſibilia, quia cùm minor eſt gratiæ delectatio, fieri non poteſt ut majorem & oppoſitam vincat concupiſcentiæ delectationem. Atque ita eadem Propoſitio dici poteſt damnata, tum duro ac rigido Calvini ſenſu, tum ſenſu Janſenii paulò mitiori ac magis temperato: quomodo in Semiarianis Ariana, & in Semipelagianis Pelagiana hæreſis iterum damnata dici meritò poteſt.

Quamquam re ipſa, prima illa Janſenii Propoſitio, in proprio ac rigoroſo verborum ſenſu ad ſenſum Calvini revocari non poteſt. Propoſitio quippe agit de aliquibus præceptis & de aliquibus juſtis volentibus atque conantibus: Calvinus autem omnia præcepta quibuſcumque juſtis impoſſibilia eſſe contendit. In tertia pariter Propoſitione mentio fit meriti: ac certum eſt Calvinum nullum in homine agnoſcere etiam ex gratia meritum. Igitur non Calvini, ſed Janſenii ſenſus examini tunc temporis Romæ ſubjectus fuit; nec quinque Propoſitiones in abſtracto, ſeu ut jacent in ſe ipſis, expenſæ ſunt, ſed prout ſunt in Janſenio. Ea enim ipſa ratione Romæ diſcuſſæ ſunt, qua fuerant ſacræ Facultati Pariſienſi oblatæ, ut diſcuterentur: at certum eſt ex ipſiſmet Janſenianis, oblatas illas fuiſſe Facultati tanquam extractas ex Janſenio, ejuſque ſenſu proſcribendas. Sic illi loquebantur in famoſo Scripto, *In Nomine Domini*. pag. 10. *Cùm norint omnes, Magiſtros egregios delectos eſſe ad Theſim propoſitam non ut per ſe ſonat, ſed ut jacet in Janſenio accuratiùs examinandam, videant ſedulò ne quid durius in eam pronuncient, quod hac in parte ſaniſſ.mam Janſenii Theologiam notet aut perſtringat.*

Supina eſt rerum Theologicarum ignorantia, vim facere in verbo, *declaramus*, quo Pontifex in ſua Conſtitutione utitur. Quaſi ignoret vel unius diei Theologus, Eccleſiam fidei dogmata non conſtituere, ſed ea quæ in verbo Dei ſcripto vel tradito expreſſa eſſe Deo aſpirante cognoſcit, declarare, & ad credendum fidelibus proponere. Cùm igitur Eccleſia novos errores proſcribit ac declarat à fide alienos, declaratio quidem nova eſt, at fidei veritas declarata, nova non eſt, ſed ipſi Eccleſiæ coæva.

Judicium Romanum de quinque Janſenii Propoſitionibus.

Celebratis duorum annorum ſpatio triginta & ſex Congregationibus; præmiſſa, inquit Vvadinghus, longa & matura diſcuſſione, cauſa Janſenii *ea diligentia, qua major deſiderari non poſſet*, ait Alexander VII. *diſcuſſa eſt*: ac tandem Innocentius X. die ultima an. 1653. Conſtitutionem edidit, in qua ſingulas Propoſitiones variis affectas cenſuræ notis, condemnat. *Cùm*, inquit Pontifex, *occaſione impreſſionis Libri cui titulus*, Auguſtinus, *Cornelii Janſenii Epiſcopi Iprenſis, inter alias ejus opiniones orta fuerit, præſertim in Galliis, controverſia ſuper quinque ex illis: complures Galliarum Epiſcopi apud nos inſtiterunt*, *Recueil des Bulles, p. 76.*

runt, ut eaſdem Propoſitiones nobis oblatas expenderemus, ac de unaquaque earum certam, & perſpicuam ferremus ſententiam. Tum relatis quinque Propoſitionibus, ſic pergit: *Pro rei gravitate coram aliquibus S. R. E. Cardinalibus ad id ſpecialiter ſæpiùs congregatis, à pluribus in ſacra Theologia Magiſtris eaſdem quinque Propoſitiones fecimus ſigillatim diligenter examinari, eorumque ſuffragia, tum voce, tum ſcripto relata maturè conſideravimus, eoſdemque Magiſtros, variis coram nobis actis Congregationibus prolixè ſuper eiſdem ac ſuper earum qualibet diſſerentes audivimus. Cùm autem ab initio hujuſcemodi diſcuſſionis ad divinum implorandum auxilium, multorum Chriſti fidelium preces, tum privatim, tum publicè indixiſſemus, poſtmodum iteratis eiſdem ferventiùs, ac per nos implorata S. Spiritus aſſiſtentia, tandem divino numine favente, ad infraſcriptam devenimus declarationem & definitionem.* Tum unamquamque Propoſitionem ſpeciali nota perſtringit. *Primam declarat eſſe temerariam, impiam, blaſphemam, anathemate damnatam & hæreticam, & uti talem damnat.*

Secundam, ut hæreticam.

Tertiam pariter, ut hæreticam.

Quartam, falſam & hæreticam.

Quintam, falſam, temerariam, ſcandaloſam: & intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute dumtaxat Prædeſtinatorum mortuus ſit, impiam, blaſphemam, contumelioſam, divinæ pietati derogantem & hæreticam declarat, & uti talem damnat.

Conſtitutionem hanc ſuam cum Epiſtola ſeu Brevi ad Regem Chriſtianiſſimum Innocentius tranſmiſit, die ultima Maji ejuſdem anni, ſicut & ad Imperatorem, cæteroſque Catholicos Orbis univerſi Reges. Tranſmiſit & ad Epiſcopos Gallicanos, ipſis gratulatus quòd in tam gravi controverſia ad Petri ſedem confugiſſent. Rex Chriſtianiſſimus pro ſuo in tuenda Religione ſtudio ac indefeſſa vigilantia, juſſit dictam Conſtitutionem in Regno ſuo promulgari, & ad Facultatem Theologicam Pariſienſem deferri: quam Facultas eo, quo par erat, reverentiæ & obedientiæ ſenſu admiſit, decreta expulſionis à ſuo Ordine pœna adversùs rebelles ac contumaces, ſi qui forent.

Epiſcopi Gallicani eodem annó congregati, Præſide Cardinale Mazarino, ſolemniter ac communi omnium plauſu Innocentii Conſtitutionem exceperunt, datis ad Pontificem Litteris die 15. Julii, quibus & gratias referunt, & gratulantur ipſi, quòd pro ſua auctoritate, graſſanti peſti, & certiſſimam

Rec. p. 88 Relation. p. 35. perniciem allaturæ obſtitiſſet. *Optata*, inquiunt, *pervenit ad nos tandem Conſtitutio illa, quæ veſtræ Sanctitatis auctoritate quid ſentiendum ſit de controverſis quinque Propoſitionibus, quæ ſunt excerptæ è Cornelii Janſenii Iprenſis Epiſcopi Libris, perſpicuè decernitur. Excitatæ in Belgio contentiones flagrabant etiam in Galliis, & latiſſimum incendium per univerſas Eccleſiæ partes minabantur, ni peſti graſſanti & certiſſimam perniciem allaturæ obſtitiſſet Beatitudinis veſtræ indefeſſum ſtudium, & ex alto petita poteſtas; quæ ſola acerrimam illam animorum colliſionem compeſcere poterat .... Quo in negotio illud obſervatione dignum accidit, ut quemadmodum ad Epiſcoporum Africæ relationem, Innocentius I. Pelagianam hæreſim damnavit olim, ſic ad Gallicanorum Epiſcoporum conſultationem, hæreſim ex adverſo Pelagianæ oppoſitam, Innocentius X. auctoritate ſua proſcripſerit. Enim verò vetuſtæ illius ætatis Eccleſia Catholica, ſola Cathedræ Petri communic-*

Digitized by Google

munione & auctoritate fulta, quæ in Decretali Epiſtola Innocentii ad Africanos data elucebat, quamque dein Zozimi altera ad univerſos Orbis Epiſcopos Epiſtola ſubſecuta eſt, Pelagianæ hæreſis damnationi abſque cunctatione ſubſcripſit. Perſpectum enim habebat, non ſolùm ex Chriſti Domini noſtri pollicitatione Petro facta, ſed etiam ex actis priorum Pontificum, & ex anathematiſmis adversùs Appollinarium & Macedonium, nondum ab ulla Synodo Oecumenica damnatos, à Damaſo paulò antea jactis, Judicia pro ſancienda regula fidei à SS. Pontificibus lata, ſuper Eſcoporum conſultatione (ſive ſuam in actis relationis ſententiam ponant, ſive omittant, prout illis collibuerit) divina æquè ac ſumma per univerſam Eccleſiam auctoritate niti: cui Chriſtiani omnes ex officio, ipſius quoque mentis obſequium præſtare teneantur. Ea nos quoque ſententia ac fide imbuti, Romanæ Eccleſiæ præſentem quæ in Summo Pontifice Innocentio X. viget auctoritatem, debita obſervantia colentes, Conſtitutionem divini numinis inſtinctu à Beatitudine veſtra conditam, nobiſque traditam..... & promulgandam curabimus in Eccleſiis ac Diœceſibus noſtris, atque illius executionem apud fideles populos urgebimus.

Janſenii defenſores hac Innocentii Conſtitutione velut fulmine percuſſos, hærere primùm attonitos, tum collectis animis eam aut malignè laceſſere, aut eludere. Juvat hic Apoſtolicæ hujus cenſuræ æquitatem, ad ſeveriores juris regulas exactam, à Janſenianorum cavillationibus vindicare.

Conſtitutionis Innocentii X. æquitas vindicata.

In externis duntaxat Conſtitutionis Innocentii cauſis hìc hæremus: rem verò ipſam, ſeu doctrinam illa Conſtitutione proſcriptam jam non expendimus, quæ eo ipſo meritò proſcripta cenſenda eſt, quòd æquiſſimum fuerit & ad omnes juris regulas accuratiſſimè exactum Romanum de quinq; Janſenii Propoſitionibus Judicium. Solent autem, ut plurimùm, qui judicio contendunt, judices ipſos, pendente lite, effuſis laudibus ſibi demereri; ea perdita, procaciùs laceſſere. Janſeniani verò, non tantùm poſt, ſed etiam ante latam damnationis ſententiam, tum ex dolore amiſſæ, tum ex metu ſiræ amittendæ cauſæ, Romanum iſtud judicium deprimere ac maligno dente arrodere non erubuerunt. *Si Pontifex,* ajebat de S. Amour, *non conceſſa priùs ſolemni ac publica Congregatione, in qua partes adverſæ redarguentes audiantur, quinque Propoſitiones damnaret, eo ipſo ſententia informis & inaudita eſſet, contraria omnibus juris regulis, ac nulla; omnibus viris cordatis & ſapientibus indignationi futura.* Ibidem cap. 8. poſtulanti Regis Chriſtianiſſimi Legato, *an futuræ definitioni Janſeniani acquieſcerent*, reponebat idem de S. Amour, *ita quidem fore, ſi definitio ad præſcriptas Eccleſiæ leges conderetur; ſin verò iis omiſſis, à D. Albizzi, aut aliis hujus farinæ hominibus æquè ignaris, malevolis, & à nutu Jeſuitarum pendentibus fieret, nequaquam ſecum ſuis obſecuturum. Ita ſe in mandatis habere ab Epiſcopis, quorum erat deputatus.* Et parte 6. cap. 8. ait: *Inſtitutam à Pontifice Congregationem Cardinalium non reſpondere aut rei gravitati, aut dignitati eorum, qui ad Sedem Apoſtolicam confugerant, nec juris regulas ſequi.* Et cap. 11. ait, *Pontificem eo in negotio omnia humana præſidia veritati detegendæ neceſſaria prorſus neglexiſſe.* Et parte 3. cap. 6. unus è Janſenii defenſoribus dicebat: *Si præcipiti judicio quinque Propoſitiones damnarentur, viſurum ſe quid facto eſſet opus. Eccleſiam regulam eſſe; ac expendendum*

Diarii part. 3. c. 1 p. 85. col. 2.

Lib. pag. 130. col. 2.

Ib. p. 398. col. 1.

Ib. p. 111. col. 1.

Digitized by Google

dendum fore, quinam Pontifices ad verum propiùs acceſſerint, an Innocentius X. an qui eum præceſſerunt. Ita Janſeniani præ moderatione ac modeſtia Chriſtiana docilem induerant erga Pontificem animum, cujus futuram, quam timebant & totis viribus avertere conabantur, definitionem jam tum ſugillabant. Ita prompti ad obſequium, ſi Pontifex eorum votis primus obſequeretur, vel abſtinendo à ferenda ſententia, vel quinque Propoſitiones abſolvendo à cenſura. Sin minus, & Pontifices, & Cardinales, & Conſultores, & omnia quæcunque eo in judicio definita factaque fuiſſent, flocci facienda, nulloque loco habenda.

Quamquam verò paſſim ac data occaſione, jam præoccupata fuerint à nobis convitia & maledicta, quibus Romanum iſtud de quinque Propoſitionibus judicium infamant, non pigebit ea in unum collecta hic reſumere ac paucis confutare.

Ad hæc porrò capita revocantur.

Ad Cardinales & Conſultores qui diſcutiendis quinque Propoſitionibus præpoſiti fuerunt.

Ad formam Congregationum.

Ad rem ipſam quæ in controverſiam vocabatur.

Ad Pontificem qui pronuntiavit.

Ad firmitatem latæ definitionis.

I. Solemnis iſte ſemper fuit mos Janſenianorum, ſuos plurimùm deſpicere ac deprimere adverſarios. Si audiantur; nullibi eruditio, pietas, ingenium, amor purioris doctrinæ viget quàm apud ſuos. Si Cardinales ad examen Propoſitionum delecti, eas à cenſura immunes declaraſſent; quantæ in eos laudes congeſtę! Illico de imperitis doctiſſimi; de politicis, profundiſſimi Theologi evaſiſſent. Eas damnarunt? *Congregatio non reſpondebat nec rei gravitati, nec dignitati eorum qui ad S. Pontificem confugerant.* Quaſi quinque ex præcipuis

Diarii part. 6. c. 8 p. 398. col. 1.

ſacri Collegii Cardinalibus, ac tredecim inter doctiſſimos Romanos Theologos, qui plures alios in conſilium adhibuerunt, rei Theologicæ diſcutiendæ minùs idonei fuiſſent? Quaſi ſupremus Pontifex non reſponderit dignitati Epiſcoporum à quibus conſultus fuerat? Ut quid ergo eam conſulendo rem Epiſcopatu digniſſimam illos feciſſe teſtatus eſt Epiſcopus Graſſenſis in jam citata ad D. de Valençay Regis Chriſtianiſſimi in Urbe Oratorem Epiſtola? Non ignorabant illi profectò, excitatas de Religione controverſias, non aliter Romę diſcuti ac diſceptari quàm per Cardinales ac Conſultores Theologos, quorum auditis ac maturo examine diſcuſſis ſuffragiis, Pontifex ex alto petita au-

Diarii part. 4. c. 4.

ctoritate pronunciat. Non ignorabat ipſemet de S. Amour, quantùm Romæ illorum Cardinalium eximia merita omnium ore prędicarentur: quantùm ipſe

Ibid. cap. 5. & 7.

ſingulorum benignitatem, ac humanitatem expertus fuiſſet: quàtùm imprimis Cardinalem Chigium, omnium Innocentii Conſiliorum ac curarum participem, commendaſſet ob ejus modeſtiam, pietatem, fidem, probitatem, eruditionem, curam ac religionem in cauſis tractandis ac finiendis. Qua igitur fronte dici potuit, *virum tantæ fidei ac probitatis, plùs aliis omnibus veritati nocuiſſe?*

Ib. part. 7. c. 2. p. 557. col. 1.

Quantùm ad Conſultores Theologos, mira hìc eſt Janſenianorum æquitas. Ii ſoli (ajunt) optima quęque protulere, qui Propoſitionibus favebant: alii

Ibid. par. 6. c. 13.

inepti ac ſtupidi. Benè eſt. At inepti illi ac ſtupidi, veritatem tuebantur; alii errorem, quem tandem cognitum ac Conſtitutione Apoſtolica proſtratum, illi ipſi

Digitized by Google

ipſi ejuravere. Teſtis ſit ipſe Vvadinghus unus è Conſultoribus Janſenianæ
doctrinæ aſſertor. *Si aliquis*, inquit in ſua brevi Relatione de quinque Propo- *pag.429.*
ſitionibus, *ante hanc definitionem aliter ſenſerit, quibuſcumque Doctorum aucto-
ritatibus innixus, nunc captivare debet intellectum in obſequium fidei, ſicut ſuadet
Apoſtolus. Id ipſum ego toto corde me facere profiteor, omneſque illas Propoſitio-
nes ſupra dictas in omnibus & ſingulis ſenſibus, quibus eas condemnatas voluit ſan-
ctiſſimus Innocentius X. condemno & anathematiſo; quantumvis ante hanc defini-
tionem, in aliquibus ſenſibus eas ſuſtineri poſſe judicaverim, ſicut in ſupraſcri-
ptis meis votis explicavi.* Cui potiùs fidem habebunt Janſeniani? An Vvadin-
gho, Propoſitiones in Congregationibus defendenti; an eidem poſt cen-
ſuram Pontificis, illas damnanti?

Cæterùm vel ipſo judice de S. Amour, illorum omnium Conſultorum ſpe-
ctata fides, probitas, eruditio ſingulis probata eſſe debuit, nullis ſuſpecta.

Diarii parte 4. cap. 6. aſſerit, *neque ſe, neque ſuos dubitaſſe de fide, ſolertia* *pag.205.*
& eruditione Conſultorum; imò, non ſine læto animi ſenſu, ac gratiis Deo redditis, *col.2.*
intellexiſſe illos omnes in doctrinam S. Auguſtini benè affectos ac propenſos eſſe.

Parte 5. c. 3. refert ex Cardinali Roma, *Conſultores Judices non eſſe, eorum-* *pag.270.*
que ſuffragia non habere vim definitionis, ſed Conſultationis dumtaxat. Præ- *col.2.*
*ſentes adfuturos benè multos ſpectatæ pietatis ac ſcientiæ Religioſos, quos nefas
ſuſpicari velle cognitam ac ſibi perſpectam veritatem diſſimulare aut deſerere.*

Parte 6. cap. 17. D. de Sainte Beuve, inter prætenſos Auguſtinianos vir ma-
gni certè nominis, D. de S. Amour in hæc verba ſcribebat. *Nihil*, inquiebat,
adverſi pertimeſco ex Congregatione quæ coram Pontifice habenda eſt, dum ocu- *pag.437.*
los conjicio in vim veritatis, aſſiſtentem Pontifici Spiritum ſanctum, magni- *col.1.*
*tudinem ingenii ipſius Pontificis, Conſultorum peritiam ac generoſam indolem,
cauſæ noſtræ cum Dominicanis ſocietatem, numerum denique eruditorum qui no-
bis patrocinantur, omnem depono anxietatem, & omnia fauſtiſſima ſpero ex fu-
tura Congregatione.*

Paſſim ex privatis colloquiis, egregia multa dicebat idem de S. Amour, de *Diar.*
Commiſſario S. Officii, Magiſtro ſacri Palatii, de Patre Celeſtino, ac de tota *part.5.c.*
Congregatione. *In qua*, inquiebat Pater Mariana, *in dies magis comprobabatur* *13.*
*quàm viribus parum valeret Pater Palavicinus: cui cùm Pater Tartaglia Car-
melita diſcalceatus adhæreret, univerſam in ſe concitavit Carmelitarum familiam,* *pag.328.*
totis obſiſtentem viribus, ne in Congregatione Moliniſtæ perſonam ſuſtineret. *col.1.*
Nihilominus Pater Palavicinus, qui hic deprimitur multùm, ab Auctore
Obſervationum in vota Conſultorum, vocatur *moderatiſſimus Molinæ diſcipu-
lus*. Et reipſa, moderationis ac in ferendo ſuffragio libertatis ſpecimen dedit, *Inter*
ibidem pag. 182. cùm quartam Janſenii Propoſitionem *in ſe ipſa, & prout à* *Collect.*
Janſenio prolata fuit, ab omni cenſura immunem judicavit. *p.180.*

Palavicinus, ait Vvadinghus in ſua Relatione, *diſertè, ſed diffusè, multa* *Ib. pag.*
dixit de doctrina Janſenii; & Propoſitionem (4.) abſolutè per ſe prolatam, nullam *182.*
dixit mereri cenſuram. Immeritò igitur Janſeniani virum hunc tam diſer-
tum, tam moderatum, ſuſpectum habebant, & è numero Conſultorum *pag.422.*
poſtulabant removeri.

Quantò meliori jure, ſi licitum id fuiſſet, Janſenianorum æmuli de non-
nullis Conſultoribus ſibi manifeſtè adverſantibus expoſtulare potuiſſent? Igno-
rat nemo quanto animi ardore pro defenſione quinq; Propoſitionum, in Con-

grega-

Digitized by Google

gregationibus egerint Generalis Auguſtinenſium, Commiſſarius S. Officii, & Magiſter ſacri Palatii. *Generalis S. Auguſtini, poſtquam votum abſolvit*, ait Vvadinghus mox citatus, *obtulit clauſum exemplar cujuſdam Epiſtolæ Cardinalis Bellarmini ad Clementem VIII. in materia de auxiliis, in qua dixit, gravia monita & arcana recondi, quæ cupiebat ipſe legeret Pontifex.*

Ibid. *pag.421.* Magiſter verò ſacri Palatii non ſolùm in 27. Congregatione *de mente Janſenii, conformiter cum doctrina S. Auguſtini loquutus eſt*, ait idem Vvadinghus; ſeque toto corpore proſtravit in terram *coram Pontifice*, (adeo res cordi erat) *Ibid pag. 424.* ſed rurſus in 31. tum ipſe, tum ſancti Officii Commiſſarius, *voluit genuflexus dicere, quantumvis ſanctiſſ.mus Dominus juſſerit ſemel & iterum ut ſurgeret; totoque ſui ſermonis diſcurſu, voluit probare eandem Janſenii & Dominicanorum doctrinam.*

Inter Collect. Diarii p. 173. Denique, cùm, fatente ipſomet Auctore citato Obſervationum in Vota Conſultorum, *omnes penè Conſultores, doctrinam de gratia per ſe efficaci, quæ maximè* inquit ille, *noſtræ Scholæ propria eſt, omnibus locis Catholicam, Orthodoxam, ac veram eſſe profiterentur.* Cùm Hallerius declaraſſet, ſe doctrinam hanc ſimul cum Epiſcopis Gallicanis quinque Propoſitionum delatoribus tueri; ac publico Scripto demonſtraſſet, nihil illi commune eſſe cum doctrina quinque Propoſitionum, oportuiſſet Janſenianos conquieſcere, nec ullo pacto ſuſpectos habere Conſultores.

II. Adversùs Congregationum formam, de duobus maximè conqueſti ſunt Janſenii defenſores. Nempe quòd nec auditi coram ſuis adverſis partibus fuiſſent, nec varii Propoſitionum ſenſus diſtincti.

Quàm intempeſtiva fuerit & parum æqua prima hæc querimonia, Catholici facilè demonſtrabant. 1. Quia ſæpiùs tum Pontifex, tum Cardinales repoſuerant, de liti dirimenda nullatenus hìc quæſtionem eſſe, pro qua neceſſe foret adverſas partes audiri; ſed de ſenſu obvio & proprio quinque Propoſitionum, vel notando, vel à cenſura eximendo. 2. Nullas hìc adverſas eſſe debere partes, cùm omnes conſentiant, ſartam ac tectam eſſe doctrinam SS. Auguſtini & Thomæ. 3. Sine fructu, ut plurimùm, celebrari publicas illas diſceptationes Theologorum inter ſe, in quibus partium ſtudium, rixæ perſonales, ac vincendi deſiderium ita litigantium animos occupant, ut à quærenda veritate prorſus avocent. 4. Fruſtra Janſenianos objicere ſe tantùm ſemel auditos fuiſſe in re tanti momenti, quæ tam longam ac ſeriam poſtulat diſquiſitionem ac diſceptationem: ſiquidem ipſi, quamquam ſæpius honeſtiſſimè invitati à Cardinali Spada, adeſſe noluerint *Diar. p. 6.c.2.& part.5. cap. 15.* Congregationi quæ 21. Januarii an. 1653. celebrata fuerat, ut quidquid exponendum haberent, liberè & fusè quantùm voluiſſent, exponerent. Nec priùs eorum æmuli introducti & auditi fuerunt, quàm ipſimet pro Janſenio Deputati conſtanter ac protervè recuſaſſent, ſicut ipſis exprobratum à Dominicanis fuerat, ſe eidem Congregationi ſiſtere.

Quòd ſi ſcrupulus tibi occurat, cur in 22. duntaxat Congregatione moniti ac invitati fuerint ex utraq; parte Deputati, ut accederent ad Congregationem momenta ſua prolaturi: ratio in promptu eſt, & quidem ad vindicandam judicii Romani æquitatem aptiſſima. Nempe Pontificem & Cardinales judicaſſe, priùs inter ſe ventilandas eſſe quinque Propoſitiones, quàm audirentur Deputati, ut ſi ex iis, quæ audirent nova lux affulgeret, vota ſua tutiùs vel confirmare,

re, vel emendare poſſent. Quapropter tribus diſtinctis vicibus rem totam ab origine repetierunt: primò in 21. Congregationibus ſecretò inter ſe: tum poſtquam invitati ex utraque parte fuerunt deputati, & auditi qui accedere voluerunt; ubi de novo ſingula Conſultorum vota recognita fuerunt, & Pontifici, ut ea expenderet, communicata: tum denique præſente Pontifice in undecim Congregationibus, in quibus de unaquaque Propoſitione ſinguli Conſultores ſententiam ſuam tertiò juſſi ſunt liberè aperire. Quàm meritò igitur Alexander VII. dixit, cauſam Janſenii *ea profectò diligentia diſcuſſam fuiſſe qua major deſiderari non poterat*. Verùm, Janſeniani diverticula quærebant & effugia, quibus cauſæ definitionem protraherent ac omnino eluderent. Non obſcurè id innuebat de S. Amour, cùm Pontifici diceret, futurum ut cùm ſolemnem aliquando edidiſſet definitionem, longè meliori jure Eccleſia de ipſo, quàm poeta de Fabio, caneret: *Unus homo nobis cunctando reſtituit rem*. *Diarii part.5.c. 4.p.275. col.1.*

Re ipſa quippe manifeſtum erat, non aliud eſſe eorum conſilium, quàm ut moras necterent, ac totum implicarent negotium. Eum in finem per quatuor horas integras coram Pontifice perorantes, extra cauſam divagati fuerant, ac benè multa Scripta & Memorialia Pontifici ac Cardinalibus obtulerant, partim ad probandam divi Auguſtini auctoritatem, quaſi de ea quiſquam dubitaret; & neceſſitatem efficacis à ſe gratiæ, de qua nulla erat quæſtio: partim contra doctrinam Jeſuitarum, quos, ad diſtrahendum Pontificis animum & cauſam aliò deflectendam, in judicium vocari exoptaſſent; partim ad varios exponendos quinque Propoſitionum ſenſus, quos reipſa in Scriptis *Trium Columnarum In nomine Domini, & in Catholica expoſitione V. Propoſitionum*, ſic expoſuerant ac elucidaverant, ut ſi centies auditi fuiſſent in publicis Congregationibus, amplius nihil attuliſſent ad evolvendam & vindicandam Janſenii mentem.

Æquior profectò non erat altera eorum querimonia, circa denegatam in examine Romano quinque Propoſitionum diſtinctionem ſenſuum, in quos inflecti illæ poſſunt. Tum quia de ſolo ſenſu Propoſitionum obvio ac naturali agebatur, qui facilè menti occurrit, diſquiſitio è contra aliorum ſenſuum, rem totam infinitis circa verba, circa mentem auctoris, controverſiis implicaſſet & obſcuraſſet. Tum quia à ſuis adverſariis habebant totum id quod ex diſtinctione ſenſuum ſperare potuiſſent, nempe efficacem à ſe gratiam ſalvam & integram remanere, id enim ſæpius & voce & ſcripto conteſtatus fuerat Hallerius. Si hanc unam voluiſſent Janſeniani, ac non potiùs efficacem Janſenii ſenſu gratiam, datis ſibi ab adverſariis pacis conditionibus haud dubiè ſtetiſſent, approbata Janſeniani ſenſus cenſura: at non hæc erat eorum mens, non iſtud conſilium. Quin ſi Pontifex, ut poſtulabant, ſenſum efficacis à ſe gratiæ ad mentem S. Auguſtini ſua in Conſtitutione diſtinxiſſet & à ſenſu Janſenii ſeparaſſet, adhuc illi profectò litigaſſent circa illum Janſenii ſenſum ita ſepoſitum, quem à Thomiſtico & Auguſtiniano nihil differre pugnaciter adhuc contendiſſent. Adeo verum eſt in eorum hominum principiis qui cauſam hanc ad factum pertinere volunt, in quo diſcernendo, non modò Pontifex, ſed Eccleſia Univerſa falli poteſt, nuſquam hujuſmodi controverſiam finiri ac terminari poſſe.

Et

Et verò ab annis ſexaginta & ampliuſ inclamant & nuſquam aſſignatum fuiſſe proprium ac individualem Janſenii ſenſum, & ſe Conſtitutioni Innocentii ultrò adhærere quantùm ad jus, ſeu doctrinam; quæ duo certè inter ſe apertè pugnant. Si enim ſenſus ille deſignatus nuſquam fuit, quem, amabo, illi rejiciunt, cùm proteſtantur ſe doctrinam 5. Propoſitionibus expreſſam damnare? An ſenſum aliquem vagum & indeterminatum? Si autem ſincero animo Apoſtolicis Conſtitutionibus ſe ſubjiciunt, qua rationis ſpecie affirmant, ſenſum illum deſignatum non fuiſſe? At in rei veritate, & aſſignatus fuit ſenſus ille, obvius ſcilicet ac naturalis, quem verba Propoſitionum apud Janſenium præſeferunt: & Janſeniani Conſtitutionibus Apoſtolicis nuſquam ſincero animo obſecuti ſunt, qui Propoſitiones non eo Janſenii ſenſu damnant, quo damnatæ ſunt, ſed ad ſenſus alienos & extraneos detorquent, ut legitimum ac germanum Janſenii ſenſum Eccleſiæ cenſuris eripiant.

III. Ex his manifeſtum eſt, quàm falsò Janſeniani obtenderent, ſe pro una laborare aſſerenda gratia efficaci; ſuos verò æmulos, ad eam labefactandam conatus omnes convertere. Centies Hallerius cum ſuis, & verbo & ſcripto contrarium affirmaverat. Atque, ut antea obſervavimus, quo tempore Romæ fervebat hæc controverſia, Præpoſitus Generalis Societatis Jeſu Picolomini, renovabat Decretum Aquavivæ latum an. 1613. contra ſententiam gratiæ ex puro voluntatis conſenſu efficacis. Quàm ſtupidi illi ac hebetes fuiſſent, ſi quam Pontificia Conſtitutione voluiſſent labefactare gratiæ efficaciam, hanc tot publicis teſtimoniis ſponte aſſeruiſſent ac confirmaſſent.

IV. Adversùs Pontificem cauſæ totius judicem æquiſſimum, quid Janſeniani? Theologus, inquiunt, non erat; & aliunde præ ſenectute multùm provecta omnino impar ſuſtinendo rei implicatiſſimæ tam longo ac laborioſo examini. An ergo ſic implicatus erat Calvini ſenſus, quem unum Janſeniani Propoſitionibus affingunt; ut difficile fuerit eum dignoſcere ac notare? An in Pontificibus, cùm de fide pronunciant, perſonales animi dotes, non verò potiſſimum Sedis dignitas & auctoritas, atque Spiritus ſancti aſſiſtentia attendenda? *Nihil adverſi ex Congregatione pertimeſco*, inquiebat Sambovius antea citatus, *cùm oculos converto ad vim veritatis, aſſiſtentem Pontifici Spiritum ſanctum, & Pontificis ipſius ingenii magnitudinem*. Nullum certè humanum præſidium veritati dignoſcendæ neceſſarium prætermiſit Innocentius, quamquam ætatis adeo provectæ. In prima Congregationum quæ ipſo præſente habitæ ſunt,
Pag. 419. referente Vvadingho, dixit, *ſe conſideraſſe hujus rei gravitatem, magnumq; momentum: propterea orationes indixiſſe per omnes Urbis Eccleſias, ut Spiritus ſanctus ei inſpiraret quid agendum eſſet, & definiendum in quæſtionibus Theologiæ difficillimis. Deinde ſubjunxit*, (pergit Vvadinghus) *ſe quantumvis acceperit in ſcriptis omnium Conſultorum ſuffragia, nihilominus præſentium omnium ſententias circa quinque iſtas Propoſitiones audire velle*. Quæ major poterat adhiberi diligentia? Non ſatis fuit Innocentio, omnium Conſultorum ſingula ſuffragia ſcripto data maturè apud ſe expendere, ſed etiam eos differentes in undecim ſeſſionibus, ſingulis in tres quatuorve horas productis, audire voluit; quos re ipſa tanta cum attentione, patientia & animi voluptate audivit, ut Epiſcopo Lodevenſi teſtatus fuerit, ſe, Deo aſpirante ac Scripturarum ſenſum aperiente, ſinus omnes ſubtiliſſimæ hujus controverſiæ, ac etiam verborum Scholæ ſignificationem dilucidè penetraſſe; ac tantam animi lætitiam expertum.

Digitized by Google

tum ſe in his diuturnis Congregationibus, ut doleret, quando nocte ſupervenienti diſcedendum erat. Ita in plenis Cleri Gallicani Comitiis rem narrabat Epiſcopus Lodevenſis die 14. Martii an. 1656. Cujus narrationem retulit in ſuo Diario D. de S. Amour pag. 577. His porrò auditis, ac ſedulò diſcuſſis Conſultorum ſuffragiis, proclive fuit Pontificem ex eorum ſententia rem definiiſſe. *Nihil enim abſurdius fingi poſſet*, ait auctor Obſervationum in Vota Conſultorum, inter Collectanea Diarii de S. Amour, *quàm ut Summus Pontifex, tredecim viris doctis in Conſilium adhibitis, id hæreticum pronunciet, quod illorum omnium calculo tanquam Orthodoxum comprobatum ſit.* Tam altè Pontifex animo imbiberat quæcumque fuerant ab illis Conſultoribus diſputata, ut Cardinali Chigio ſcribenti tenorem ſuæ Conſtitutionis memoriter dictaverit. Meritò igitur Epiſcopi Gallicani in Comitiis generalibus Congregati an. 1653. in Epiſtola die 15. Julii ad Innocentium ſcripta, ejus *Conſtitutionem divini numinis inſtinctu conditam*; & in altera data die 28. Martii ann. 1654. *Ordine Canonico latam fuiſſe affirmant*. Jam antea ſub Urbano VIII. ſimul cum Deputatis Lovanienſibus Synnichio & Papio, in examinando Janſenii Libro diuturnam operam ſuam ſtrenuè collocaverat: ut certè mirum hic videatur, divinæ providentiæ conſilium in iis Pontificibus, quos profligandæ Janſenianæ hæreſi deſtinavit. Pius V. qui in Bajo præformatam Janſenii doctrinam omnium primus damnavit, omnium judicio eruditiſſimus fuit ex Ordine Prædicatorum Theologus, doctrinæ Thomiſticæ per plures annos ſumma cum laude Profeſſor; cui non magis obſequentes ſe præbuere Janſenii defenſores quàm Innocentio. Urbanus VIII. à quo Liber Janſenii nominatim proſcriptus fuit, omnis Litteraturæ laude illuſtris commendatur. Innocentius verò X. & Alexander VII. à quibus doctrina Janſenii propiùs confoſſa eſt, maximam per ſe ipſos, dum adhuc in minori Cardinalatus dignitate verſarentur, in ea diſcutienda operam poſuerant. Primus, (Pamphilius) ſub Urbano VIII. alter (Chigius) ſub Innocentio X. At fortè Jeſuitarum immenſæ auctoritati & gratiæ id dedit Innocentius, ut quinque Propoſitiones, quas eorum hoſtes infenſiſſimi propugnabant, proſcriberet? Verùm, Cardinalis Chigius teſtatur apud de S. Amour, Diarii parte 6. cap. 15. *Jeſuitas non fuiſſe in Calendario Papæ*. Et part. 4. cap. 4. Pater Hilario dicebat ipſi de S. Amour, Jeſuitas non ea pollere in Curia Romana auctoritate, qua vulgò creditur. Procul ergo hujuſcemodi Janſenianorum nugæ ac futiles criminationes.

pag. 174. pag. 432. col. 1. pag. 191. col. 2.

V. Denique, nihil ex parte auctoritatis qua quinque Propoſitiones Janſenii damnatæ ſunt, deſiderare poſſunt Janſeniani ad firmitatem & robur inconcuſſum definitionis. Ad poſtulationem quippe Epiſcoporum Galliæ S. Pontifex Judicium protulit, pro ea qua Romana Sedes in univerſa Eccleſia præminet auctoritate; cujus Decretis ad fidem & mores pertinentibus, omnes Chriſtiani obtemperare tenentur, maximè cùm accedit Eccleſiarum omnium conſenſus ſeu expreſſus, ſeu tacitus. Tunc etenim Romani Pontificis Judicium, Eccleſiæ totius, adversùs quam portæ inferi non prævalebunt, Judicium eſt ſupremum ac irrefragabile. Ita docent vel ipſimet Janſeniani. Vide Librum cui Gallicè titulus, *Tradition de l' Egliſe Romaine* Tom. 1. pag. 207. & 217. Item, *Juſtification du reſpectueux ſilence* Tom. 1. pag. 246. Tom. 3. pag. 876. eodem Tom. pag. 1198. Neque verò ad generale Concilium hic recurrere neceſſe eſt; aut ſi recurreretur, quidquam adversùs Janſenianos efficeres, qui cùm in ea ſint

mente,

mente, de mero facto hic controverti circa quod univerſa Eccleſia falli poteſt; non magis univerſalis Concilii definitioni acquieſcerent, quàm Innocentianæ. Porrò Eccleſias omnes Innocentii Conſtitutioni adhæſiſſe, ſive expreſſo ſive tacito conſenſu, res eſt apud omnes explorata. Ne unam quidem appellare uſquam potuerunt Janſeniani, quæ reclamaverit; ne unam quæ damnatas Propoſitiones ab errore abſolverit, vel earum defenſores ad Communionem admiſerit. Ita certè finita eſt cauſa, at non finitus error. Novis quippe artibus, Innocentii Conſtitutionem infringere ac eludere conati ſunt Janſeniani, novis etiam Vaticanis fulminibus repreſſi.

EPOCHA TERTIA.

De iis quæ ſubſecuta ſunt Innocentii X. de quinque Janſenii Propoſitionibus judicium.

Hac tertia hiſtoricæ noſtræ narrationis parte ea præcipua complectemur quæ iteratam doctrinæ Janſenii cenſuram continent, à Conſtitutione Innoc. X. uſque ad Bullam Clementis XI. adverſùs famoſum Caſum conſcientiæ.

Janſeniani excogitata diſtinctione juris & facti Innocentii Conſtitutionem eludunt: Epiſcopi Gallicani Librum Janſenii iterum ad examen revocant, ac de nova contentione monent Innocentium ejuſque ſucceſſorem Alexandrum VII.

Janſeniani poſt Conſtitutionem Innocentii, res duas affirmarunt & aliis perſuadere voluerunt vanas omnino & inanes: alteram, quinque illas Propoſitiones non eſſe Janſenii: alteram, damnatas eſſe in ſenſu qui ad Janſenium nihil pertineat. Atque hinc prima origo famoſæ illius diſtinctionis *Juris & Facti*, ad quam deinceps plenis velis tanquam ad tutiſſimum portum ſe receperunt.

Viſa tunc, ait illuſtriſs. Cameracenſis Archiepiſcopus, in Documento altero quo diluuntur ea quæ variis Scriptis adverſùs primum Documentum propoſita ſunt, pag. 309. verſionis latinæ, *facti juriſque diſtinctio, optatiſſimum tutiſſimumque naufragis illis portum aperire. Temporis quidem ſatis non erat, ut ad quem uſum converterent diſtinctionem illam penitùs inveſtigarent. Quòd ſi textum utrumque ſimul contuliſſent, detexiſſent facilè diſtinctionis illius inanitatem. Verùm derepentè fuit, aut in aliquo, quod oculis pateret, parendum; aut ab Eccleſia deficiendum. Derepentè igitur ut ad Aram, ſic confugerunt ad eam fuci plenam, nec ſatis in ſe ſpectatam diſtinctionem. Ut ut eſt, ita contenſa voce inclamarunt, ut Scriptorum immenſa multitudine lectorum oculis fucum fecerint; ut eam vel apud honeſtos liberaleſque viros conſuetudinem invexerint; ſupponendi jus ipſum integrum ex parte Propoſitionum quinque; integrum verò factum ipſum ex parte Libri ſtare. Hinc illi in Propoſitionibus nihil præter rem juris infallibiliter ab Eccleſia definitam; in Libro autem merum aliquod factum, quod eſſet momenti nullius, & in quo erraſſet Eccleſia, nihil aliud intueri pertinaciter voluerunt.*

Præſules igitur Gallicani, ut novis illis Janſenianorum molitionibus occurrerent, quotquot Pariſiis ann. 1654. aderant, ſimul convenerunt deliberaturi de remedio huic malo citiùs afferendo. Quatuor ſelecti Archiepiſcopi & qua-

tuor

Digitized by Google

tuor Epiſcopi, qui Janſenii Librum ad examen ſedulò revocarent, damnatas quinque Propoſitiones cum illo conferrent; adverſæ partis Memorialia ſeu Scripta expenderent: quibus omnibus in decem Congregationibus diligenter ac maturè ponderatis, communi ſuffragio duo ſtatuerunt; primum, damnatas ab Innocentio quinque Propoſitiones re ipſa extare in Libro Janſenii; alterum, in proprio & naturali verborum ſenſu, & eo ipſo in quo à Janſenio aſſeruntur & explicantur, damnatas illas fuiſſe. Quæ cùm ad plena Epiſcoporum Comitia retuliſſent, omnium calculo probata ſunt, datis ad Innocentium X. die 28. Martii Litteris, quibus eum, & de rebus à ſe geſtis, & de novis Janſenianorum artibus certiorem faciunt. *Diſſidiorum auctor*, inquiunt, *quod palam obtinere non poterat, nempe ut à debita Sedi Apoſtolicæ reverentia per apertum Conſtitutionis datæ contemptum recederetur, callidis molitionibus ad ſimplicium & incautorum mentes ſubvertendas aggredi tentavit .... E vetere fidei depoſito, cujus cuſtodia Cathedræ Petri concredita eſt, partem adimere tentant; Decreti Apoſtolici Majeſtatem ad fictas controverſias dirimendas turpiter dejiciendo. Quinque etenim Propoſitiones Decreto illo proſtratas damnare ſe quoque profitentur; ſed alio planè ſenſu, quàm qui à Janſenio traditus & explicatus eſt; ad quem Propoſitiones illas nullatenus pertinere conſtantiſſimè aſſerunt. Hac arte, reſtaurandis diſputationibus iiſdem ſibi locum apertum relinquere parant, & redivivæ litis prolixam materiam.* Recueil p. 117.

Et in Epiſtola encyclica ad cæteros Galliæ Epiſcopos, ajunt: *Homines illos* (Janſenianos) *affirmare, imò & perſuadere aliis velle res duas vanas omnino & inanes: alteram, quinque illas Propoſitiones non eſſe Janſenii; alteram, damnatas eſſe in ſenſu qui ad Janſenium nihil pertineat.* Tum & Pontifici, & Coepiſcopis ſuis exponunt, quid à ſe geſtum fuerat circa examen Libri Janſenii in ſuis Comitiis an. 1654. Ib. pag. 112.

Innocentius die 29. Sept. ejuſdem anni, Gallicanis Epiſcopis reſcripſit, gratum & acceptiſſimum ſibi eſſe ſtudium ac zelum, quo Apoſtolicam *Conſtitutionem ſervari ubique curabant*, per quam, ait, *damnata fuerat in quinque Propoſitionibus Cornelii Janſenii doctrina ejus Libro contenta, cui titulus Auguſtinus.* Ib. pag. 126.

Hoc ipſo anno die 23. Aprilis, damnaverat Pontifex plurima Opuſcula, Libellos, Tractatus &c. in defenſionem Janſenii editos, & ipſum etiam Librum Janſenii, Lovanii, Pariſiis, & Rothomagi typis excuſum. Declaraverat etiam *illis Actis, quæ ſub nomine Congregationum de Auxiliis habitarum coram Clemente VIII. & Paulo V. circumferebantur ..... nec non Autoprapho ſeu exemplari cujuſdam aſſertæ Conſtitutionis Pauli V. ſuper definitione prædictæ quæſtionis de Auxiliis, ac damnationis ſententiæ ſeu ſententiarum Ludovici Molinæ .... nullam omnino eſſe fidem adhibendam, neque ab alterutra parte, ſeu à quocunque alio allegari poſſe, vel debere.* Ib. pagin. 192.

Anno ſequenti die 17. Maji, Regi Chriſtianiſſimo placuit, mox dictum Innocentii X. ad Epiſcopos Gallicanos Breve promulgari & executioni mandari. E vivis erepto Innocentio die 7. Jan. 1655. ſucceſſit die 7. Aprilis ejuſdem anni, Cardinalis Chigius, dictus Alexander VII. Huic Præſules Gallicani ſupremam Dignitatem gratulantur per Epiſtolam die 2. Septemb. annno 1656. ſimulque aperiunt novas Janſenianorum artes & cavillationes in eludendo Innocentii, contra quinque Propoſitiones Janſenii, Decreto. *Decretum*, inquiunt, *ſtudioſè amplexi ſunt fideles populi, demptis paucis, qui de Janſenii doctri-* Ibid. pag. 134.

na nihil conſtitutum fuiſſe palam cùm ſimularent, intimis animorum ſenſibus ex illius damnatione urebantur. Horum cavillationes ſine mora comprimendas rati, judicio ſuo decreverunt religioſiſſ mi Epiſcopi, quinque propoſitiones illas ad Janſenium pertinere, ejuſque opiniones fuiſſe proſcriptas ..... Iiſdem artibus (quibus Pelagiani) pag. 136.
graſſantur novæ ſectæ diſcipuli, ac prætereaut à capitibus ſuis fulminis Apoſtolici amoliantur ictum, (licèt obfirmato animo quinque Propoſitiones Janſenio iterum adjudicent) ad facti quæſtionem, in qua Eccleſiam falli poſſe docent, controverſiam deducere nituntur. Quas ingeniorum verſutias vera prudentique verborum complexione infregit Breve Apoſtolicum, quod tricis illis ſyllabarum ad umbratiles Scholarum diſputationes relegatis, deciſioniſque auctoritate ad Juris quæſtionem reſtricta, doctrinam Janſenii, quam Opere ſuo ille explicuit, in Propoſitionum confixarum materia, Pontificia Conſtitutione damnatam fuiſſe declarat. At enim ut ſe damnationi ſubducant, celeberrimum B. Auguſtini nomen obtendunt, ejus doctrinæ ſe profitentur eſſe ſectatores, repudiato etiam, ſi res eorum ita ferant, ipſo Janſenio. Hujus tamen pravas & detortas, quas ad Doctoris egregii locos adhibet, interpretationes amplectuntur.

Duo in hac Præſulum noſtrorum Epiſtola obſervatione digna maximè videntur. Primum, quæſtionem, quam Janſenii defenſores facti appellabant, *ad umbratiles illas Scholæ diſputationes amandari, in quibus de tricis ſyllabarum agitur.* Neque enim quæſtio verſabatur, ut ſubdolè ſimulabant illi, an quinque Propoſitiones tot verbis ac ſyllabis expreſſæ in Libro Janſenii legerentur, ſed an earum obvius, proprius & naturalis ſenſus ex tota doctrinæ Janſenii ſerie, totoque Libri ipſius contextu exculpi poſſet: quam quæſtionem propriè, non facti, ſed juris eſſe volunt Gallicani Epiſcopi, *& ad partem depoſiti fidei pertinere*, ut ajunt in mox citata ad Innocentium X. Epiſtola. Quippe ſi ſignificatio verborum & ſententiarum alicujus Auctoris vel Libri, ad meram facti quæſtionem deducatur, in qua falli poteſt Eccleſia, nullus erit Scripturæ ſacrę vel Canonum Eccleſiæ contextus, circa quem, adducta pariter diſtinctione juris & facti, hæreticus quilibet non cavilletur, diſtinguendo ſcilicet in contextu verborum unam quæſtionem facti, quid nempe illa ſignificent; & aliam quæſtionem juris, qualis ſit illorum verborum ſenſus, erroneuſne an Catholicus; atque ex quæſtione facti, aditum ſibi facilem aperiet ad jus ipſum ſeu dogma impugnandum. Ac ne longius accerſamus exempla: quando Janſeniani contendunt damnatum ab Innocentio in quinque Propoſitionibus ſenſum, eſſe ſenſum Calvinianum, meramne dicent hic eſſe facti quæſtionem in qua falli potuit Eccleſia? An ideo permittent eos Conſtitutioni non adhærere, qui factum illud omnino perſpectum non habent? Sic illi arma ſubminiſtrant, quibus Conſtitutio Pontificia eludatur & infirmetur, etiam in eo ipſo ſenſu, quo placet illis eam interpretari.

At in rei veritate, nihilo plùs adversùs homines hujuſmodi proficeres, etiam ſi quinque Propoſitiones totidem verbis ac ſyllabis expreſſas oſtenderes in Libro Janſenii: ad varios enim tunc verborum ſenſus, & ad mentem Auctoris recurrerent; quod reipſa faciunt erga primam Propoſitionem, quam negare non poſſunt totidem verbis extare in Libro Janſenii, cujus cenſuram in ſenſum à Janſeniano planè alienum, detorquent.

Alterum quod notari debet iſtud eſt, Janſenianos ſimulaſſe ſe paratos eſſe ad deſerendam Janſenii defenſionem, ut nimirum hac aſtutia faciliùs obreperent,

perent,

Digitized by Google

perent, ſuppreſſo quidem nomine, ſed reipſa in integro retenta Janſenii doctrina.

Alexander VII. novum illud Janſenianorum effugium ſtatim interclusit, edita Conſtitutione die 16. Octobris anno 1656. *Licèt*, inquit, *ea quæ Apoſtolicis Conſtitutionibus abundè fuerunt definita, novæ deciſionis ſeu declarationis acceſſione nequaquam indigeant, quia tamen aliqui publicæ tranquillitatis perturbatores illa in dubium revocare, vel ſubdolis interpretationibus labefactare non verentur, ne morbus iſte latius divagetur, promptum Apoſtolicæ auctoritatis remedium cenſuimus non eſſe differendum.* Tum poſt relatam de integro Innocentii Conſtitutionem, ſic pergit: *Cùm nonnulli iniquitatis filii prædictas quinque Propoſitiones, vel in Libro prædicto Cornelii Janſenii non reperiri, vel non in ſenſu ab eodem intento damnatas fuiſſe aſſerere magno cum Chriſti fidelium ſcandalo non reformident. Nos qui omnia quæ hac in re geſta ſunt, ſufficienter & attentè perſpeximus; utpote qui ejuſdem Innocentii Prædeceſſoris juſſu, dum adhuc in minoribus conſtituti Cardinalatus munere fungeremur, omnibus illis Congreſſibus interfuimus, in quibus Apoſtolica auctoritate eadem cauſa diſcuſſa eſt ea profectò diligentia, qua major deſiderari non poſſet, quamcumque dubitationem ſuper præmiſſis in poſterum auferre volentes, ut omnes Chriſti fideles in ejuſdem fidei unitate ſe ſe contineant ..... quinque illas Propoſitiones ex Libro præmemorati Cornelii Janſenii Epiſcopi Iprenſis, cui titulus Auguſtinus, excerptas, ac in ſenſu ab eodem Cornelio intento damnatas fuiſſe declaramus & definimus; & uti tales, juſta ſcilicet eadem ſingulis nota, quæ in prædicta declaratione & definitione unicuique illarum ſigillatim inuritur, iterum damnamus.*

Recueil des Bulles pag. 141.

Summo plauſu Conſtitutionem hanc excepit Clerus Gallicanus, tunc temporis in Comitiis generalibus coactus. Jam anno 1655. poſt receptum Innocentii X. Decretum ac Breve, idem Clerus Gallicanus Formulam fidei inſtituerat ab omnibus in ſignum obſequii & reverentiæ ſubſcribendam, quam anno 1657. renovavit, adjecta mentione Conſtitutionis Alexandri VII. lege omnibus è Clero impoſita, ut ipſi ſubſcriberent. Hæc ipſa eſt Formula quam etiamnum ſubſcribunt, quotquot ad aliquem in ſacra Facultate Pariſienſi dignitatis gradum admittuntur. In ea declarat Clerus Gallicanus, *proſcriptam Janſenii doctrinam, non eſſe doctrinam ſancti Auguſtini, quam ille perversè & contra mentem S. Doctoris interpretatus fuerat.* Acceſſit ad robur & executionem Decreti Cleri Gallicani, & Regia auctoritas, qua ſeverè injunctum fuit die 13. Aprilis an. 1661. ut omnes dictæ fidei Formulæ ſubſcriberent.

Prodiere tunc temporis (an. 1656.) è feraci Janſenianorum officina plures famoſi Libelli in contemptum Apoſtolicarum Conſtitutionum. Tres ex illis præcipui iſti fuere. Primus, *Ludovici Montaltii Litteræ Provinciales &c.* faceto quidem ac lepido ad irriſionem, ſed maledicentiam dicaci ſtylo exaratæ: 2. *Notæ Vuillelmi Vuendrochii in dictas Epiſtolas*. 3. *Pauli Irenæi Diſquiſitiones*. Tres illos Libellos à quatuor Epiſcopis, Rhedonenſi ſcilicet, Ruthenenſi, Ambianenſi & Sueſſionenſi, & novem Sorbonæ Doctoribus, accuratè expendi juſſit Rex Chriſtianiſſimus. Qui omnes præmiſſo diligenti examine cenſuerunt, *Janſenianas hæreſes ab Eccleſia damnatas, in iis Libellis propugnari atque defendi ..... maledicentiam & petulantiam tribus illis auctoribus adeo eſſe familiarem, ut nulli hominum conditioni parcant, exceptis Janſeniſtis; non*

M. Paſchal Nicole. Rennes, de Rodès, d'Amiens & de Soiſſôs.

Summo Pontifici, non Epiſcopis, non Regi, non præcipuis Regni Adminiſtris, non ſacræ Facultati Pariſienſi, non Religioſis Familiis; ideoque Librum eſſe dignum pœna Libellis famoſis & hæreticis à jure conſtituta.

Hoc doctrinali Judicio Rex commotus, ſupremi Conſiſtorii Decreto die 23. Sept. an. 1660. dictæ Litteræ Provinciales remiſſæ ſunt ad Prætorem cauſarum civilium in Caſtelleto, ejus ſententia flammis ultricibus tradendæ: quod executioni demandatum fuit die 14. Octobris ejuſdem anni.

S. Pontifex Alexander VII. die 6. Sept. an. 1657. ſuo cenſorio ſtylo eundem Libellum jam confixerat, ut & alia nonnulla Antonii Arnaldi Opuſcula; declaraveratque nullam fidem habendam eſſe iis tredecim Theologorum ad examinandas quinque Propoſitiones ab Innocentio X. ſelectorum ſuffragiis ſeu votis quę circumferebantur. Ea ipſa ſunt quæ ad calcem ſui Diarii typis mandari curavit de S. Amour; non accurata nec ad rei veritatem exacta, quæ idcirco Pontifex inter apocrypha jubet amandari.

Sacra Facultas Pariſienſis an. 1656. die ultima Januar. gravi ſua cenſura perſtrinxit Libellum cui titulus Gallicè, *Seconde Lettre de M. Arnaud Docteur de Sorbonne &c.* Duas in eo Propoſitiones notandas eſſe obſervarunt Theologi Pariſienſes; *Unam facti, alteram juris*. Prior hæc erat: *Quinque Propoſitiones nec eſſe in Janſenio, nec ejus ſenſu damnatas fuiſſe; adeoque circa partem illam Apoſtolicæ Conſtitutionis, ſufficere religioſum ſilentium*. Juris verò Propoſitio erat: *Veritatem eſſe tum ex Scripturis, tum ex SS. Patribus indubitatam, atque in perſona S. Petri manifeſtam, gratiam ſcilicet, ſine qua nihil poſſumus, juſto defuiſſe ea in occaſione in qua dici non poteſt quòd non peccaverit*. Utramque Propoſitionem ſacra Facultas, poſt diuturnum ac moleſtum examen, quod Janſeniani ſuis artibus ac molitionibus plurimùm turbarunt, cenſorio ſuo Judicio notavit. Priorem, quæ facti eſt, *tanquam temerariam, ſcandaloſam, injurioſam S. Pontifici & Epiſcopis Galliæ, ac præbentem occaſionem renovandæ ex integro, poſt damnationem, Janſenii doctrinæ*. Poſteriorem verò, quæ juris dicitur, *tanquam temerariam, impiam, blaſphemam, anathemate damnatam, & hæreticam*. Peramanter invitavit ſacra Facultas Arnaldum, ut ad meliorem mentem reverſus, optimæ matri ſe facilem & obſequentem exhiberet: at in errore pertinacem, ut & alios nonnullos ex albo Doctorum expunctos, è ſinu ſuo ejecit. Æquiſſimam hanc cenſuram cum laude commemoravit Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus an. 1656. Nihil verò non tentavit Arnaldus, ut à ſe hujus cenſuræ invidiam & ignominiam amoliretur, ſive apud Pontificem, ſi fortè eam infirmare vellet; ſive apud alias Academias, ſi dictam ſuam Propoſitionem approbarent; ſive apud ipſammet Facultatem Pariſienſem, ſi fortè exemplo Clementis IX. & Regis Chriſtianiſſimi, à quibus in gratiam receptus fuerat, excitata, priſtinum Magiſterii gradum unde dejectus erat, ſibi vellet reſtituere. Verùm immota Facultas de priori ſuo Decreto nihil remitti voluit, cenſuram ſuam juſſit ab omnibus ſuis ſubſcribi, atque iterum anno 1704. die 1. Sept. eam communibus omnium votis renovavit, confirmavit, & de novo typis mandari curavit.

Gôdrin. Hoc ipſo anno 1656. Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus, rata habuit & confirmavit quæcunque in cauſa quinque Propoſitionum geſta fuerant annis 1653. 1654. & 1655. His in Comitiis Archiepiſcopus Senonenſis, qui anno 1654. declaraverat ſe ex reverentia dumtaxat & ex condeſcenſu, non

autem

Digitized by Google

autem ex animo & propria ſua ſententia, deliberatis à Clero ſubſcripſiſſe, in his, inquam Comitiis an. 1656. à ſua priori declaratione receſſit, affirmans ſe ex conſcientia teneri, verè atque & ex animo adhærere iis quæ à toto Cleri Gallicani cætu deliberata & probata fuerant circa quinque Janſenii Propoſitiones. Hanc declarationem gratam & ratam habuit Clerus Gallicanus; voluitque abſentem Epiſcopum Convennarum per Epiſtolam moneri, ut quantociùs ſimilem declarationem tranſmitteret. *Deliberation du Clergé p. 81. & 82.*

Idem Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus an. 1660. & ad 1661. Formulam fidei, quam die 17. Martii an. 1657. inſtituerat, juſſit ab omnibus Clericis ſubſcribi; ac declaravit, ſe in ea non aliam fidei definitionem inſeruiſſe, quàm quæ in Conſtitutionibus Innoc. X. & Alexandri VII. continetur: nimirum quinque Propoſitiones ex Libro Janſenii extractas, tanquam hæreticas damnatas eſſe in eo ipſo ſenſu quo eas docuit; ita ut qui rebelles & contumaces fuerint, velut hæretici pœnis in iiſdem Conſtitutionibus decretis ſubjaceant. *Relation des delib. p. 105.*

Inter hæreticos accenſent hic Præſules Gallicani, eos qui Propoſitiones quinque ex Libro Janſenii extractas, & ipſius ſenſu damnatas fuiſſe pertinaciùs negaverint. Datis ad Pontificem Litteris die 20. Febr. narrant Epiſcopi quid in ſuis Comitiis geſtum fuerat ad promovendam Apoſtolicarum Conſtitutionum executionem: quibus die 16. Maji ejuſdem anni Pontifex reſcripſit ſibi omnia gratiſſima & acceptiſſima fuiſſe.

Interea cùm Vicarii Generales Cardinalis de Retz Archiepiſcopi Pariſienſis in publico Mandato die 8. Junii an. 1661. dixiſſent, tempore Innocentii X. *nihil aliud actum fuiſſe, quàm inquiſitum an Propoſitiones quinque de Gratia veræ & Catholicæ, an potiùs falſæ & erroneæ forent*: Atque circa attributionem dictarum Propoſitionum Libro Janſenii, ſilentium religioſum ſufficere non obſcurè inſinuaſſent; S. Pontifex Alexander VII. Brevi ad illos dato die 1. Aug. ejuſdem anni, dura & ſevera objurgatione eos increpat *velut temerarios, mendaces, malorum zizaniorum in agro Domini ſeminatores, Eccleſiæ Catholicæ perturbatores, auctores turpiſſimi ſchiſmatis. In quibus protervia dignoſcitur, cavillationibus ſubdolis & circuitibus obviam eundi Eccleſiæ definitionibus.* Quapropter dicti Vicarii Generales die ultima Octobris ejuſdem anni, palinodiam cantare, ac prius ſuum Mandatum revocare & emendare compulſi fuerunt. *Recueil des Bulles, pag. 172.*

Quinque Janſenianorum Articuli.

Magna eſt in præſenti Janſenii cauſa, quinque Articulorum celebritas: quorum duo genera diſtingui ſtatim debent, ne fortè, ut ſæpe fit, confundantur. Alii quippe doctrinales fuere; hoc eſt, deſtinati ad exponendam Auguſtinianorum circa quinque Propoſitiones doctrinam. Alii facti quæſtionem ſpectabant; hoc eſt, naturam reverentiæ & obedientiæ quæ debetur definitionibus Eccleſiæ circa facta. Illorum omnium hæc origo fuit. Summo ardore Rex Chriſtianiſſimus exoptabat turbatæ ob doctrinam Janſenii, Eccleſiæ Gallicanæ pacem ac concordiam reſtitui. Eo animo in mandatis dederat Illuſtriſſimo Convennarum, poſtea Tornacenſi Epiſcopo, ut, pro ea qua valebat ſagacitate & induſtria, viam aliquam aperiret, ſi fortè diſſidia hæc conciliari ac componi inter Theologos poſſent. Rem propoſuit iis quos noverat Janſenio addictos: hi verò, laudato & approbato conſilio, ſtatim manum ad-

movere condendis quinque Articulis totidem damnatis Janſenii Propoſitionibus reſpondentibus, ad ſuam circa illas ſententiam declarandam. Si fides habenda eſt anctori Libelli cui Gallicè titulus, *La paix de Clement. IX.* DD. Girard & Nicole redeuntes à funere quod proſecuti fuerant D. Alphonſi le Moyne Doctoris Sorbonici ac Regii Profeſſoris, quem durum ſemper experti fuerant doctrinæ Janſenii adverſarium, de condendis illis Articulis conſilium inter ſe primò jam dudum inierant, & ad exitum perduxerant feliciter. Ut ut ſit, quinque doctrinales Articuli à DD. de Lalane & Girard cæterorum nomine ſubſcripti, die 17. Junii an. 1663. oblati ſunt Epiſcopo Convennarum, ut eos expenderet, & ad Pontificem Romanum tranſmitteret; data fide paratos ſe eſſe in omnibus Romanæ Sedi obtemperare, quidquid tandem ipſi placeret de illis quinque ſuis Articulis decernere. Ut verò firmior eſſet pax quam dictus Epiſcopus meditabatur, effecit ut DD. de Lalane & Girard ſimul cum Patre Ferrier è Societate Jeſu, apud ſe convenirent collocuturi de illis quinque Articulis, ſi fortè ad concordiam omnes adduci poſſent. Eos re ipſa in quinque Collationibus habitis à die 25. Januarii uſque ad 18. Februarii ann. 1663. ſeriò expenderunt: at non eo ſucceſſu quem ſperaverat dictus Epiſcopus. Multis etenim hinc & inde prolatis, ſive ad improbandos dictos articulos; ſinguli, ut vulgò fit, in ſua priori ſententia firmi ac ſtabiles, re infecta diſceſſerunt. Interim ad Alexandrum VII. S. Pontificem mittuntur dicti Articuli ab eodem Epiſcopo Convennarum.

Placuit Janſenii defenſoribus non ſine jactantia præfidentiùs ſupponere, dictos Articulos ab Alexandro VII. probatos fuiſse; idque apertè ſignificaſſe Pontificem, cùm in ſuo ad Epiſcopos Gallicanos Brevi die 29. Julii an. 1663. ait ..... *Illud autem non mediocri gaudio animum noſtrum perfundit, quod Litteris ex Gallia recens allatis, accepimus illorum in dies creſcere numerum, qui rectè ſapiunt, præfatis Conſtitutionibus ſe ultrò ſubjicientes: illorum verò decreſcere, qui à veritate auditum avertunt, & variis inanium interpretationum argumentis decepti, Decretis Apoſtolicis refragantur. Is fuit egregius ſanè laborum veſtrorum fructus, ut multi, iique cæterorum nomine Primarii exemplo veſtro, conſilio & opera ad ſaniorem doctrinam inducti, ea qua par eſt, ut credimus, animi demiſſione ſe ſe paratiſſimos exhibuerint ad illa omnia præſtanda, quæ ipſis a Sede Apoſtolica præſcribentur.* Cedo, ſi vel unum in his verbis de approbatione quinque Articulorum apicem reperias. De illis ne cogitaſse quidem Pontificem cùm hæc ſcriberet, facile eſt demonſtrare: tum quia ſibi gratulatur Pontifex, multos ad ſaniorem doctrinam reverſos fuiſse: ac fatentur Janſeniani, ſe nuſquam receſſiſse à doctrina quinque Articulorum; imo ſe aliam nuſquam propugnaſse. Quomodo igitur ad ſaniorem doctrinam reverſi ſunt, quam nuſquam illi deſeruerunt? Tum quia Pontifex Gallicanis Epiſcopis gratulatur, quòd eorum conſilio & opera multi ad ſaniorem doctrinam inducti fuerint: at certum eſt Epiſcopos, ad quos ſcribebat Alexander, conſilio & opera non adduxiſse Janſenianos ad illos quinque propugnandos Articulos, de quibus illi, fatente vel ipſomet Convennarum Epiſcopo in Epiſtola quam ad Regem Chriſtianiſſimum ſcripſit die 21. Jan. an. 1664. nihil prorſus audiverant. Ægrè quippe ferens quòd Præſules Gallicani die 2. Octobris anni 1663. declaraſsent, in aliis quinque eorumdem Auguſtinianorum Articulis facti quæſtionem ſpectantibus, Janſenia-

Recueil p. 183.

na m

nam hæreſim contineri; ait, mirum ſibi profectò videri, ita Gallicanos Præſules cenſuiſſe, priùs non diſcuſſis Articulis doctrinalibus, *quos cùm*, inquit, *prorſus ignorarent, diſcutere non potuerant*. Tum quia cùm Pontifex præ oculis haberet quinque illos doctrinæ Articulos, quos ab Epiſcopo Convennarum ad ſe tranſmiſſos acceperat, illos ſi probaſſet, procul dubio appellaſſet; neque ex Litteris dumtaxat Epiſcoporum Galliæ, ſed longè meliùs per ſe ipſum ex lectione illorum Articulorum aſſeruiſſet, ſe intellexiſſe multos in Gallia ad ſaniorem doctrinam reverſos eſſe. Tum denique quia declarat Pontifex quæ ſit illa ſanior doctrina ad quam multi inducti ſunt: videlicet *adhæſio perfecta*, (ut putabat) Conſtitutionibus Apoſtolicis. Reipſa enim profitebantur Janſeniani, *ſe paratos eſſe Conſtitutionibus Apoſtolicis eam reverentiam & obſervantiam, quam Sedis Apoſtolicæ majeſtas & ſumma ejus auctoritas exigit, impendere; eaque alia omnia præſtituros, quæ ab ipſis S. Pontifex exigere voluerit*. Ita fert publicum illud Inſtrumentum, quod cæterorum nomine à DD. de Lalane & Girard ſubſcriptum die 17. Junii an. 1663. ad Alexandrum VII. miſit appellatus ſæpius Epiſcopus Convennarum. Hæc profectò eſt doctrina ſanior, ad quam multos reverſos eſſe Pontifex non ſine magno lætitiæ ſenſu acceperat: de Articulis verò illis, ne verbum quidem; ſive Pontifex illos expendere, aut ſuam circa illos mentem aperire noluerit: nullo etenim certo & authentico Inſtrumento novimus, quid de illis Articulis Romæ ſtatutum fuerit. Hoc certum, fictam ac doloſam fuiſſe eam reverentiam & obedientiam quam Janſeniani præferebant erga Conſtitutiones Apoſtolicas.

Pag. 116. d'un Ecrit intitulé, Refutation de la fauſſe Relation du P. Ferrier en 1664.

Namque non multò poſt quinq; illos doctrinales Articulos ad Pontificem miſſos, alii quinque quæſtionem facti ſpectantes die 24. Sept. an. 1663. juſſu Regis Epiſcopis Gallicanis oblati fuerunt, de quibus ita ſuam, in Epiſtola ad Alexandrum VII. die 2. Octobris ejuſdem anni 1663. ſententiam exponunt. *Productum eſt*, inquiunt, *Janſeniſtarum illud Scriptum, in quinque diviſum Articulos, cujus tenorem integrum ad Sanctitatem veſtram mittimus. Quartum hic duntaxat Articulum referimus, utpote quo præcipuam offenſionis cauſam contineri nos arbitremur..... Quod ſpectat ad deciſiones facti quæ continentur in Conſtitutione Alexandri VII. quibus definitum eſt quinque Propoſitiones ex Janſenii Libro excerptas eſſe, & in ſenſu ab eodem Auctore intento damnatas, declaramus nos eas definitiones omni cultu, obſequio & obſervantia, quam exigit à fidelibus Eccleſia in ſimilibus cauſis & in ejuſmodi naturæ rebus, proſequi & ſemper eſſe proſecuturos; arbitrati ad privatos Theologos nullatenus pertinere in ſanctæ Sedis deciſiones inſurgere, eas oppugnare, vel eis reſiſtere. Mirifica* (pergunt Gallicani Epiſcopi) *noſtrum omnium, quotquot aderamus, in his verbis reprehendendis extitit conſenſio. Viſa ſunt enim ſubdola, ſimulatum duntaxat obſequium præ ſe ferentia, mente verſipelli & callida concinnata, eoque periculoſiora, quòd Formulæ, ideo in Conventibus noſtris inſtitutæ ut veſtræ Sanctitatis Conſtitutioni debita reverentia magis ac magis ſanciretur, uniformitatem diſſolvant & evertant. Iſtud itaque Scriptum rejiciendum cenſuimus, tanquam fictum & nullatenus Catholicum; neceſſumque eſſe duximus, ut mentem apertiùs exponant, exprimantque luculentiùs implicatas animi cogitationes; cùm ex eorum ſcriptis & ſermonibus liquidò conſtet, eos in id juxta incumbere, ut obſequium ſilentio dumtaxat, non verò mutata ſententia & doctrina ſignificent*. Sic Gallicani Præſules judicant de quinque Articulis Janſenianorum, non quidem doctrinalibus, quos non viderant; ſed de

Recueil p. 189.

Digitized by Google

aliis ad quæſtionem facti ſpectantibus. Moleſtè admodum ac graviter tulit dictus Convennarum Epiſcopus in citata ad Regem Chriſtianiſſ. Epiſtola, iſtud Cleri Gallicani de quinque illis facti Articulis judicium, quaſi Catholici non eſſent ac Janſenii doctrinam continerent, priùs non examinatis aliis doctrinę Articulis. Verùm ignorare non poterat dictus Epiſcopus, jam in Comitiis generalibus an. 1660. declaraſſe Clerum Gallicanum, eos pro hæreticis habendos eſſe, qui negarent quinque Propoſitiones ex Libro Janſenii extractas, tanquam hæreticas damnatas fuiſſe, & quidem in eo ipſo ſenſu quo eas Janſenius docuerat. Ignorare non poterat, ab eodem Clero Gallicano ſtatutum, ut omnes & ſinguli Clerici ſubſcriberent formulæ fidei quam inſtituerat. Conſequens igitur erat, ut iidem Epiſcopi pronuntiarent, quinque illos Articulos facti quæſtionem ſpectantes non eſſe Catholicos, quòd Janſenii doctrinam non damnarent. Mirum porrò videri non debet, quòd dictus Epiſcopus tam apertè improbaverit iſtud Cleri Gallicani judicium, ſiquidem in jam citata ad Regem Epiſtola, ſignificat optandum eſſe ut revocetur impoſita lex ſubſcribendi formulæ fidei ejuſdem Cleri Gallicani: quoniàm, inquiebat, hęc una diſcordiam fovet, omni ſpe ſublata poſſe unquam Janſenii defenſores adduci ut dictæ formulæ ſubſcribant.

Priores verò doctrinæ Articuli, tanta fuerant arte ac verborum ambiguitate concinnati, ut quamvis Janſenianum commodiùs quàm Thomiſticum ſenſum repręſentent, quoſdam tamen minùs attentos deceperint. Inde eſt quòd apud Thomiſtas nonnullos à quibus laudati ſunt, caruerint erroris ſuſpicione: non ita verò apud Janſenianos; ſive illorum Articulorum auctores ſpectaveris; ſive eorum Libros in quibus iidem uſurpantur loquendi modi; ſive denique verba ipſa quibus illi conſtant. Nemo neſcit DD. Girard. & Nicole (illorum quinque Articulorum parentes) inter præcipuos & ardentiores fuiſſe Janſenii defenſores. Hic inter cætera multa, Diſquiſitiones ſub nomine Pauli Irenæi, & Notas in Litteras Provinciales ſub nomine Vvendrochii edidit: ille verò Elucidationem circa factum Janſenii, ſub nomine Dionyſii Raymundi. Citiùs verò omnes Oceani aquas exhauſeris, quàm hos Libellos ab erroribus Janſenii purgaveris: atqui tamen de verbo ad verbum repręſentant quidquid in ſpeciem magis Catholicum in dictis Articulis exprimitur. Eaſdem ferè loquendi formulas uſurpant Expoſitio fidei circa gratiam & prædeſtinationem, quam Eminentiſs. Card. Noallius Archiepiſcopus Pariſienſis proſcripſit die 20. Aug. 1696. & Declarationes ſeu Reſponſa Archiepiſcopi Sebaſteni, quas damnavit ac prohibuit S. Pontifex Clemens XI. die 3. Aprilis an. 1704. Quòd ſi ad ipſum contextum verborum dictorum Articulorum attenderimus, apertum erit præcipuam Janſeniſtarum fallaciam in illis contineri. Fundamentum totius ſyſtematis iſtud eſt, ſicut poſtea dicemus, voluntatem ſcilicet pro majori qua trahitur delectatione, ſeu cœleſti ſeu terrena, ſemper ac neceſſariò, neceſſitate (quam emollito infallibilitatis nomine appellant) vel bonum vel malum operari; vimque illam delectationis eſſe relativam; hoc eſt, voluntatem non determinari ad agendum vel non agendum, niſi propter majorem vel minorem oppoſitam delectationem. Quo ſuppoſito principio, auctores quinque Articulorum Art. 1. ſcripſerunt: *De juſtis illis quibus illa magna non adeſt gratia, licèt parva & imperfecta non deſit, verè utrumque dici poſſe; & potuiſſe illos Dei mandata ſervare, & non potuiſſe &c.*

Potue-

Potuerunt ſcilicet potentia abſoluta, abſtracta, antecedente, ac præciſis præſentibus ſubjecti diſpoſitionibus; non potuerunt verò potentia relativa ac iis diſpoſitionibus ſuppoſitis; hoc eſt, ſuppoſita gratia minori & concupiſcentia fortiori: atque hoc ſuo, quem falsò Thomiſticum jactitant, ſenſu, ſufficientem gratiam Thomiſtarum admittere ſe profitentur cum Dionyſio 1. parte cap. 6. art. 6. Verùm à Thomiſtico ſenſu longiùs aberrant. Gratia quippe ſufficiens Thomiſtica, non abſolutam tantùm, verùm etiam relativam, hoc eſt, ad vincendam actualem concupiſcentiam, poteſtatem confert. Ratio verò à priori hæc eſt, quia in ſententia Thomiſtarum, gratia phyſicè præmovens non datur ad poſſe, ſed ad agere; non ad actum primum, ſed ad actum dumtaxat ſecundum. Hinc eſt, quòd præmotione phyſica gratiæ ſufficienti accedente, potentia non augeatur, ſed ad actum ſolummodò reducatur. Delectatio verò ſuperior gratiæ, ſenſu Janſenii, ipſammet potentiam confert; ita ut ſine illa ſuperiori delectatione cœleſti, actuali concupiſcentiæ ſuperandæ impar voluntas remaneat. Pag. 235.

Hunc verò ſenſum Janſenianum præ oculis habuiſſe, atque in dictis Articulis involvere voluiſſe qui eos concinnarunt, manifeſtè demonſtrant verba ſecundi Articuli, ubi poſtquam duplicem gratiam diſtinxere, *unam efficacem, cui nuſquam reſiſtitur*; *alteram verò ſufficientem*: de iſta ſic mentem ſuam aperiunt.

Secunda eſt, quam tum excitantem, tum inefficacem, tum ſufficientem, idem ſignificantibus verbis vocant. Huic verò reſiſtit ac renititur voluntas, eamque eo effectu privat ad quem excitat, & ad quem poteſtatem largitur, ſuperiùs explicato Thomiſtarum ſenſu, ſufficientem. Poteſt quidem illi voluntas conſentire; nec tamen, ſi abſit gratia efficax, unquam conſentit, non defectu antecedentis poteſtatis, ſed libera ſui ipſius in oppoſitum determinatione. Sed quamvis illa gratia in ſe ſpectata effectu illo careat ad quem tendit, ad quem voluntatem excitat, & ad quem per antecedentem Dei voluntatem deſtinatur, adeoque falſum ſit hoc ſenſu, omnem Chriſti gratiam ſemper habere eum effectum quem Deus vult; ſi tamen ſpectetur ut cum abſoluta Dei voluntate conjuncta, meritò hoc ſenſu efficax dici poteſt, quia ſemper id in corde hominis operatur, quod Deus abſoluta voluntate intendit &c. Habemus in his verbis clarè expreſſam potentiam abſolutam & relativam, in qua ultimæ veluti Janſeniſmi fibræ reconduntur. Priorem vocant antecedentem, quia abſtrahit à circumſtantiis ſubjecti; unde ajunt illam concedi per voluntatem Dei antecedentem, quæ à circumſtantiis ſubjecti abſtrahit: altera verò conſequentem, quæ circumſtantias illas ſupponit. Potentia quidem abſoluta & antecedente, poteſt voluntas gratiæ ſufficienti conſentire; at non poteſt potentia conſequente, id eſt relativa ad majores oppoſitæ concupiſcentiæ vires: atque ita relativè ad has præſentes circumſtantias, non poteſt homo cum parva ſeu minori gratia, Dei mandata obſervare. Pariter voluntas gratiæ ſufficienti reſiſtere dicitur, quia in ſe ſpectata privatur eo effectu ad quem tendit, & ad quem per antecedentem Dei voluntatem deſtinatur; & hoc ſenſu falſum eſſe dicunt, omnem Chriſti gratiam ſemper habere effectum quem Deus vult: quæ certè reſiſtentia illuſoria planè ac fictitia eſt. Propriè enim loquendo, gratiæ non reſiſtitur, niſi quando privatur eo effectu quem in his, in quibus datur circumſtantiis, habere poteſt: atqui in his circumſtantiis, ſeu relativè ad majorem concupiſcentiæ delectationem, gratia parva

va Janſeniana effectum plenum & perfectum habere non poteſt; quomodo igitur ei propriè reſiſtitur? Hunc eſſe quinque Articulorum ſenſum, apertè ſignificant illorum Auctores in iis Collationibus ſeu Colloquiis quæ pro explicandis illis Articulis habuere cum Patre Ferrerio coram Epiſcopo Convennarum, Collocatione 4. opponenti Ferrerio, in mente Janſenii *juſtos cum ſola delectatione inferiori nullam habere veram ad obſervanda mandata potentiam, quia delectationi ſuperiori neceſſariò cedit voluntas*; Janſenii defenſores mox citati, hæc reponebant: (verba ſunt Relationis Colloquiorum ab ipſis editæ)-
Pag. 27. *In doctrina Janſenii, voluntatem quidem majori delectationi infallibiliter cedere; ſed neutiquam inde conſequens eſſe, tolli diſſentiendi potentiam: quia ut iſtam potentiam voluntas habeat, ſufficit ut dum concupiſcentiæ allicienti actu obſequitur, auxilium habeat ex ſe ſufficiens ad actum contrarium. Hoc porrò veriſſimum eſſe in doctrina Janſenii, ſecundùm quem ita voluntatem cupiditas ad conſentiendum determinat, ut de virtute quam in ſe contiuet gratia excitans, nihil prorsùs detrahat.* Et paulò poſt: *Motio concupiſcentiæ (ſuperioris) efficientiam gratiæ excitantis (id eſt delectationis inferioris) non minuit; nec impedit quominus hæc ſufficientiſſimam ex ſe, voluntati ad benè agendum potentiam conferat.* Hinc apertum fit, quo ſenſu auctores quinque Articulorum gratiam ſufficientem, & potentiam cum illa agendi admittant: nimirum ſufficientem abſolutè, non relativè ad ſuperiorem cupiditatem. Quàm verò fallaciter ſe eandem, imò majorem quàm Thomiſtæ, ſufficientiam gratiæ non victricis agnoſcere ſe jactitent, paucis jam attigimus, pluribus infra expoſituri.

Epiſtola Epiſcoporum Galliæ ad Alexandrum VII. Deliberatio ſacræ Facultatis Pariſienſis circa formulam fidei Cleri Gallicani. Breve Alexandri ad eoſdem Epiſcopos, Conſtitutio & formula fidei ejuſdem Alexandri VII.

Cùm Alexandri VII. Conſtitutio lata die 16. Octobris an. 1656. in explicationem & confirmationem Conſtitutionis Innocentii X. ab Epiſcopis Gallicanis ſolemniter ac ſumma cum reverentia recepta fuiſſet anno 1657. atque in Comitiis generalibus an. 1660. diſcuſſa etiam diligenter repreſſaque fuiſſent, quæcunque Janſeniani contra ſubſcriptionem formulæ fidei in Comitiis an. 1657. inſtitutæ innumeris ferè Libellis oppoſuerant: confirmata rurſus ac imperata ejuſdem formulæ ſubſcriptione, Litteras ad Alexandrum die 20. Februarii an. 1661. Gallicani Præſules ſcripſere, in quibus res in executionem Apoſtolicarum Conſtitutionum à ſe geſtas referunt; uſum ſubſcriptionum in Eccleſia receptum ac probatum exemplis demonſtrant; ipſumque implorant Sedis Apoſtolicæ præſidium, in confirmanda quam Rege annuente ac protegente, imperaverant, dictæ formulæ fidei ſubſcriptione. *Jamdudum*, inquiunt alloquentes Alexandrum, *Montium tuorum altitudo primos divini Solis excipiens radios, coruſcabat in illo Eminentiſſimorum Purpuratorum Procerum cœtu, è quibus Dominus illuminat tanquam à montibus æternis, & turbantur inſipientes corde: unde adſcitus es à Deceſſore tuo, ut doctiſſimus fidei noſtræ myſtes ad efferenda ex divinis Eccleſiæ adytis fidei dogmata, & ad enucleandos hæreticos, qui in Janſenio latebant, ſenſus, ſcimus te ſummi hujus Pontificis Conciliorum & curarum fuiſſe participem: tuam opem in hoc negotio valde fuiſſe probatam, teque non minùs feliciter, quàm ſtrenuè laboraſſe ......* Addunt Epiſcopos

Recueil p. 149. Deliberation du Clergé p. 113.

pos ad remedium ſubſcriptionum *incitatos fuiſſe per Apoſtolicum Breve quo Innocentius X. eos hortatus eſt, ut ſedulo ſtudio, conatuque prorſus unanimi conſpirantes in Domino, darent operam in id, quod opportuniùs, validiùſque conferret ad executionem ſtabiliendam, firmandumque penitus uſum ſuæ Conſtitutionis. Ita ex præcepto ſanctiſſ. mi Pontificis illius egerunt, nulla alia meliori data via, qua dicta Conſtitutio ipſo uſu roboraretur. Et hoc ex inſtituto majorum, qui ad vindicandam veram fidem, ſanctionibus SS. Pontificum, & Decretis Conciliorum ſubſcribebant.* Tum adductis ex Hiſtoria Eccleſiaſtica nonnullis ſubſcriptionum exemplis, ajunt, *vim ſtatutorum* quibus Epiſcopi Gallicani juſſerant Conſtitutionem Apoſtolicam ſingulorum ſubſcriptionibus firmari, *per non uſum, plurimis non ſubſcribentibus neque de ſubſcriptione requiſitis, aliquatenus imminutam fuiſſe*, ob eam quæ injecta fuerat pacis ac concordiæ ſpem. *Sed quibus*, ajunt Præſules Gallicani, *compoſitis rebus nulla ſpes, omne in turbido concilium, lingua ſua cœperunt concinnare dolos, & veluti ſi æternum ſacramentum Janſenio dicturi eſſent, exquiſierunt novos ſinus, & novos ſenſus interpretandis illarum Propoſitionum vocabulis. Ita novarum rerum avidi, nihil intentatum reliquerunt, ut fides hæc quaſi dubia retractaretur, & damnatæ clariſſimis verbis Janſenii Propoſitiones redivivis conatibus excitarentur. Solertes ſibi videri volunt omnia verba Janſenii ad aliquem ſenſum Catholicum futiliter detorquentes.* Atque hac de cauſa inductos ſe fuiſſe aſſerunt Gallicani Præſules ad renovandam & urgendam ſubſcriptionum legem & diſciplinam. Tum addunt: *Cauſa hæc jam finita, ſi aliqua novitas iterum emerſerit, indiget tantùm in ſolatium, defenſione tua.*

Rec. p. 151.

Ib. p. 154.

Pag. 159.

Hoc ipſo anno 1661. die 2. Maji, ad ſacram Facultatem Pariſienſem acceſſerunt ex parte Regis Illuſtriſſimi Epiſcopi & Magiſtri D. Henricus de la Mothe Rhedonenſis, & D. Harduinus de Perefixe Rhutenenſis, cum Litteris quibus Rex ſignificabat, ſe ad illam mittere fidei formulam à Clero Gallicano in ſtabiliendam executionem Conſtitutionum Innoc. X. & Alexandri VII. editam. Qua formula fidei lecta, lectis item Regiis ad Facultatem Litteris, & audita Rhedonenſis Epiſcopi eloquentiſſima in ampliorem Regiæ mentis declationem Oratione, his denique omnibus expenſis & in maturam deliberationem adductis, omnium, *qui tunc aderant, Magiſtrorum concordibus omnino ſuffragiis, declaravit ſacra Facultas prædictam fidei formulam & formulæ ſubſcriptionem ſibi maximè probari; cùm hæc formula non aliam fidei definitionem contineat, quàm quæ Innoc. X. & Alexandri VII. Conſtitutionibus comprehenſa eſt: ſitque ejuſmodi ſubſcriptio, convenientiſſ. mus modus & validiſſ. ma ratio mandandi executioni Pontificias illas Conſtitutiones, ad obſiſtendum novæ doctrinæ ac ſectæ. Jamque dudum Facultas utramque Conſtitutionem receperit; hanc quidem Alexandri VII. die 4. Aprilis an. 1657. illam verò Innoc. X. 1. Auguſti an. 1653. lata quoque die 1. Septembris ſequentis, contra refragatores excluſionis à Facultate pœna: atque aliunde prædictarum tam Conſtitutionum quàm Formulæ doctrina, tota ſit ab antiquo, mera conſtanſque Facultatis ipſius ſententia; & ſubſcriptionum uſus jam pridem ſit in facultate receptus & ab eadem etiam ſæpius in ſimili occaſione præceptus, ac noviſſimè in damnatione ſecundæ Magiſtri Antonii Arnaldi Epiſtolæ, ubi de hac ipſa, quæ nunc occurrit, materia agebatur. Quocirca, ſacra Theologiæ Facultas unanimi conſenſu decrevit huic fidei formulæ ſubſcribi à ſuis omnibus debere, pari modo & ſub iiſdem pœnis, quibus voluit cenſuram prædicti Arnaldi Epiſtolæ ab omnibus ſubſignari. Ita videlicet, ut nemo poſthac vel ex Doctoribus ad*

Comi-

Comitia & alia quævis jura ad Facultatem pertinentia; *vel ex Licentiatis & Baccalaureis ad ullos actus Theologicos*, *ſive ad diſputandum*, *ſive ad reſpondendum*; *vel è Theologiæ candidatis ad ſupplicandum pro primo curſu*, *aut de Tentativa reſpondendum admittatur*, *niſi prius huic quoque fidei formulæ ſubſcripſerit*. Ita Facultas Pariſienſis.

Gallicanis Epiſcopis reſcripſit Alexander VII. die 16. Maji anni ejuſdem 1661. ac laudato eorum zelo & ſtudio in promovenda Conſtitutionum Apoſtolicarum executione, addit: *Hujus mali vivacitatem nunquam penitus extinguendam fore*, *niſi contra contumaces*, *ad pœnas præſcriptas in Conſtitutione Innocentii X. & in ſua*, *ſeriò procedatur*. Tum *Pontificium patrocinium*, *ubi uſus eſſe poterit*, *benignè pollicetur*.

Recueil des Bulles pag. 164.

Dictæ formulæ fidei à Clero Gallicano inſtitutæ, ſubſcribere multi eo prætextu recuſabant, quòd ad Romanum Pontificem, non verò ad particularem dumtaxat Eccleſiam pertineret, talem fidei formulam condere & ad ſubſcribendum proponere. Quapropter ut omnis tergiverſationi & effugio locus præcluderetur, rogatus eſt S. Pontifex Alexander VII. ut vellet ejuſmodi formulam mittere, ab omnibus & ſingulis Clericis ſubſcribendam.

Lettre de M. l' Eveque de Comëge au Roi le 21. Ian. 1664 imprimée à la fin de la refutation de la fauſſe relation du P. Ferrier.

Anno itaque 1665. die 15. Februarii, Alexander VII. votis Regis Chriſtianiſſimi & Epiſcoporum Galliæ annuens, Conſtitutionem edidit, in qua continetur formula illa fidei. *Cornelii Janſenii hæreſim*, ait S. Pontifex, *in Galliis præſertim ſerpentem*, *ab Innocentio X. felicis recordationis Prædeceſſore noſtro ferè oppreſſam*, *ad inſtar colubri tortuoſi cujus caput attritum eſt*, *in varios gyros & cavillationum deflexus euntem*, *ſingulari Conſtitutione ad hunc finem edita extinguere conati ſumus*. *Sed ut multiplices hoſtis hominum generis artes adhibet*, *nondum planè conſequi potuimus*, *ut omnes errantes in viam ſalutis redirent* ...... Et poſtea .... *Nullum aliud remedium opportunius peſtiferæ hujus contagionis reliquiis extirpandis adhiberi poteſt*, *quàm ſi omnes certam formulam ſubſcribant noſtra auctoritate firmatam*. Hæc verò eſt formula.

Recueil des Bulles pag. 220.

Pag. 221.

Formula ſubſcribenda.

Ego N. Conſtitutioni Apoſtolicæ Innoc. X. datæ die 31. Maji an. 1553. & Conſtitutioni Alexandri VII. datæ die 16. Octobris an. 1656. Summorum Pontificum me ſubjicio, *& quinque Propoſitiones ex Cornelii Janſenii Libro*, *cui nomen* Auguſtinus, *excerptas*, *& in ſenſu ab eodem Auctore intento*, *prout illas per dictas Conſtitutiones Sedes Apoſtolica damnavit*, *ſincero animo rejicio ac damno*, *& ita juro*: *ſic me Deus adjuvet & hæc ſancta Dei Evangelia*.

Hanc verò fidei formulam vult Pontifex, ad *quælibet effugia precludenda*, *omneſque removendos obtentus*, ab omnibus Clericis ſive majoribus ſive minoribus ſubſcribi. Pontificiæ auctoritati & Regia acceſſit, qua cautum fuit, ut illa ſubſcribendi dictæ formulæ diſciplina accuratè in toto Gallicano Imperio executioni mandaretur. Ita concluſis ac coarctatis Janſenii defenſoribus, aut ſubſcribendum fuit, aut ſubeundæ pœnæ quas Apoſtolicæ Conſtitutiones & Regis Edictum ſtatuebant. Varias in partes ſciſſi tunc fuere circa illam quæ poſtulabatur Formularii ſubſcriptionem.

Varia Janſenianorum circa ſubſcriptionem Formularii ſententia.

Duo in formula fidei Alexandri VII. diſtinguenda & ſeparanda eſſe contendebant; Jus, ſeu doctrinam in quinque Propoſitionibus damnatam; & factum, ſeu attributionem hujus doctrinæ Libro Janſenii. Quantùm ad 1. declarabant, ſe ex animo & interiori aſſenſu damnare in quinque Propoſitionibus eum omnem ſenſum erroneum, quem Eccleſia damnare voluit; ſeque ex hac parte paratos eſſe ſincerè ſubſcribere formulæ fidei. De iſta Janſeniorum declaratione mox dicemus. Quantùm verò ad 2. ideſt quæſtionem facti, ſeu attributionem proſcriptæ doctrinæ Libro Janſenii, duas in partes univerſim diviſi ſunt. Alii rigidiores, alii verò remiſſiores dicti; in unum tamen omnes communi conſilio collimantes, ut ſyſtema ſuperioris ac relativæ delectationis, oculorum pupilla carius, intactum & incolume ſervarent.

Inter rigidiores, alii aperti, qui erecto rebellionis vexillo, è nativo ſolo exules, errabundi in alieno liberiùs debacchantur adversùs Apoſtolicas Conſtitutiones. Alii verò occulti, quos domi retinet tum amor commodioris vitæ, tum ſtudium tutiùs juvandi ſuos abſentes ſocios, conſilio, privatis Epiſtolis, quibus variam cauſæ illorum fortunam, occultas ad rem communem promovendam molitiones quantociùs renuntiant; pecuniis tum ſuis, tum amicorum ad commune levamen collectis ac liberali manu effuſis; demum furtiva Libellorum diſtributione.

Remiſſiores autem, ut planam ac facilem omnibus viam ſternerent ſubſcribendæ formulæ, mirum quot vana figmenta excogitaverint ad omnes conſcientiæ ſcrupulos eximendos: ſic tamen, ut factum Janſenii inter illa computarent, quæ non certiſſimè conſtant. Imò duriores ac incompoſitas Janſenii locutiones toti averſantur, ac merito damnandas ac damnatas profitentur; ſervato tamen, ſub emollitis aliis loquendi formulis, erroris Janſeniani capite. Optarent illi quidem, ut placeret Epiſcopis nonnihil remittere de illa ſevera, quam exigunt, Formularii ſubſcriptione: quia tamen ad ſubſcribendum adiguntur, mirè ſunt ingenioſi in eludenda ſubſcriptionis ſignificatione.

Priores rigidiores in ea erant mente, nullatenus poſſe ſubſcribi abſolutè ac ſimpliciter formulæ fidei, ſed jus à facto diſtinguendum ac ſeparandum eſſe.

Poſteriores è contra contendebant, ſubſcribi ei poſſe nulla facta tali diſtinctione ſeu limitatione.

Priores adhuc inter ſe diſſentiebant. Erant quibus videbatur planè neceſſarium, ut in eo ipſo Inſtrumento quo ſubſcriptio continebatur, expreſſa fieret mentio diſtinctionis juris & facti: alii ſatis eſſe affirmabant, quòd ſubſcribenti publicè notum foret, Epiſcopum, qui ſubſcriptionem exigit, approbare illam reſtrictionem ſeu limitationem; tametſi inter ſubſcribendum eam non exprimeret. Imò volebant eum, qui, nulla facta limitatione, ſimpliciter quidem ſubſcribebat, ſed voce declarabat ſe cum tali reſtrictione ſeu limitatione ſubſcribere, reum non eſſe perjurii; licèt ſubſcriptio ſimplex & abſoluta foret, nec Eccleſiæ, quæ talem ſubſcriptionem exigit, reſtrictio manifeſtaretur.

Ratio præcipua qua illi nitebantur ut ſuam ſimplicem & abſolutam recuſarent ſubſcriptionem, hæc erat: Quia exterior ſubſcriptio, niſi falſa & mendax fuerit, ſignum eſſe debeat interioris mentis aſſenſus, quo verum eſſe interiùs

Digitized by Google

teriùs credimus, id quod exteriùs ſubſcribendo teſtatur: adeoque eos omnes qui non judicant interiùs prædicto Janſenii Libro doctrinam hæreticam contineri, vel etiam qui ea de re dubitant, non poſſe ſine mendacii ac perjurii crimine, nulla facta limitatione ac reſtrictione, ſubſcribere formulæ fidei Alexandri VII. quandoquidem tunc ipſis deſunt omnino ea motiva quæ ſola poſſunt mentis conſenſum exprimere; nimirum vel ſumma objecti evidentia, vel ſuprema & infallibilis definientis auctoritas.

Porrò factum Janſenii ex ſeſe non eſſe clarum & evidens, demonſtrant excitatæ de ipſo contentiones: aliunde verò, Eccleſiam in hujuſcemodi factis falli poſſe, tritam ac communem eſſe contendebant Theologorum ſententiam.

Inter remiſſiores ex altera parte Janſenianos, qui putabant ſe abſque ulla limitatione ſeu reſtrictione formulæ fidei ſubſcribere poſſe, varii in varias rurſus abiere ſententias. Nonnulli affirmabant, diſcrimen juris & facti tam apertum eſſe & è re ipſa ſic ſponte naſci, ut ſuperfluum planè ſit illud exprimere quod totum ex ſe prodit, & in oculos omnium ſtatim incurrit. Ita ſentire viſus eſt Epiſcopus Tornacenſis, in Epiſtola ad Regem ſcripta anno 1664. Alii volebant, eum qui Formulario ſubſcribit, agnoſcere dumtaxat ac teſtari exteriùs, quinque Propoſitiones tanquam extractas ex Libro Janſenii in ejus ſenſu damnatas fuiſſe à SS. Pontificibus Innoc. X. & Alexandro VII. quamquam ipſe interiùs non acquieſcat. Hoc eſt, eum ſupponere factum quod jurat, non verò affirmare vel negare: ſicque ſubſcriptionem teſtimonium eſſe rei geſtæ, non autem conſenſus illius qui ſubſcribit. Eo ferè modo quo, inquiebant, Judicii Præſes ſubſcribit ſententiæ, quæ, ſe non conſentiente, pluralitate ſuffragiorum vicit: quo caſu, ſubſcriptio non eſt ſignum conſenſus illius Præſidis, ſed tantùm latæ ſententiæ. Ita ſentiebat celeberrimi Sodalitii Theologus, de quo Auctor Libri cui Gallicè titulus, *De la ſignature du Formulaire pag. 29.* Quidam tandem, quorum ſententiæ parens ac vindex præcipuus fuit Sambovius in Epiſtola ad amicum ſcripta die 6. Jan. an. 1661. paulò aliam iniere viam. Dicebant ſcilicet, ſubſcriptionem Formularii meritò ab Eccleſia exigi & à fidelibus exhibendam eſſe, quia verba Primæ Propoſitionis, in qua cæteræ Theologicè, ut ait citatus Auctor, continentur, extant in ipſomet Janſenio; & in naturali ultroque ſe ſe ingerente ſenſu, hæretica ſunt & blaſphematoria, quamvis habita ratione eorum quæ Propoſitionem in Libro Janſenii ſubſequuntur, ad ſaniorem ſenſum determinentur.

Mirum quo ardore & impetu adversùs molliorem hanc & laxiorem nonnullorum ex ſuis ſententiam, (quam tamen aſſerit amplexas eſſe celeberrimas, doctiſſimas, & ſancti Auguſtini placitis addictiſſimas Congregationes) invehatur Arnaldus 4. parte Apologiæ Monialium Portus Regii, capitibus 2. 4. & 5. quam ait, mendaciis, æquivocationibus, ac perjuriis patentem aditum aperire. Exterior quippe ſubſcriptio fieri debet ex interiori mentis aſſenſu, & quidem juxta mentem ſeu intentionem Eccleſiæ ipſius quæ ſubſcriptionem exigit: quæ verò ſit mens & expectatio Eccleſiæ, demonſtrant ipſamet verba Formularii, in quibus nulla limitatio, nulla reſtrictio exprimitur. Qui ergo ſimpliciter ac nudè ſubſcribit exteriùs, apud ſe autem limitationem aliquam & reſtrictionem reſervat, ille profectò mendax & perjurus eſt: neque

excu-

excuſari omnino poteſt ex prætenſo illo juris & facti diſcrimine tam publico tam noto; quaſi aut diſcrimen illud ignoraret Eccleſia, aut eo non obſtante, ſimplicem & puram non exigeret utriuſque ſubſcriptionem.

Nihil porrò abſurdius, obliquius nihil hic fingi poteſt, quàm quod Janſenianis illis placet fingere, ſubſcriptionem ſcilicet dari in teſtificationem definitionis factæ à SS. Pontificibus, non verò approbationis & conſenſus ſubſcribentis. An, rogo, de veritate hiſtorica rei geſtæ hìc quæritur; aut de teſtimonio huic veritati perhibendo? Apage ineptias. Subſcriptionem à ſuis Eccleſia exigit, ut certum habeat fidei & obedientiæ ipſorum teſtimonium: & qui ſupponit factum Janſenii quod jurat, vel interiùs judicat Libro Janſenii doctrinam hæreticam contineri, vel non judicat. Si id interiùs judicet; factum affirmat, non tantùm ſupponit: ſi non judicet; non ſatisfacit intentioni ſeu fini Conſtitutionis, quæ judicium illud exigit; nec immunis eſt à perjurio, utpote qui juret id quod non judicat verum eſſe. Procul diſtat adductum exemplum Præſidis: ex communi quippe ac recepto uſu, illius ſubſcriptio exigitur ad firmitatem dumtaxat & ſolemnitatem latæ ſententiæ, non ad ſignificandum proprium ejus conſenſum. Quam verò defendit Sambovius ſententiam, refellit miro zelo Auctor Libri de ſubſcriptione Formularii pag. 21. tacito Sambovii nomine. Illam ex eo abſurdam eſſe demonſtrat, quòd ea poſita, hæreſes plurimas extare in Scripturis & in Patribus liceret aſſerere, quia in iis occurrunt multæ Propoſitiones, quæ, prout ſonant, & non habita ratione ſubſequentium, ſenſum hæreticum ultro patiuntur.

Inter illas circa ſubſcriptionem Formularii varias opiniones diviſi fuere Janſeniani, uſque ad pacem illam quam à Clemente IX. redditam arbitrantur. Invaluit enim ab hoc tempore, alia apud ipſos ſententia, exploratum ſcilicet omnibus eſſe, Eccleſiam jam nonnihil remiſiſſe, tum de ſevera exteriùs ſubſcribendi neceſſitate, tum de illo intimo, puro ac ſimplici, quod hactenus poſtulaverat, ſubſcribentis obſequio & conſenſu: quatenus nempe interiorem illum mentis conſenſum, ad quæſtionem juris ſeu dogmatis reſtringit; quantùm verò ad factum, ſilentium religioſum tanquam ſufficiens approbat; hoc eſt, ut neque verbo, neque ſcripto impugnetur Eccleſiæ de facto Janſenii definitio. Hujuſce opinionis præſidium ex Brevibus Clementis IX. & Innocentii XII. immeritò prorſus repeti, declaravit Clemens XI. & nos paulò poſt ex verbis eorumdem Brevium demonſtrabimus. M. de S. Pont.

Cùm verò adversùs religioſum ſilentium inter cætera iſtud opponeretur, nempè illud merè externum eſſe omnique judicio interiori deſtitutum; adeoque non ſufficere, ut à mendacio & perjurio excuſetur qui ſimpliciter ac nudè ſubſcribit: reponebant, reipſa cum illo exteriori ſilentio aliquid internum ex parte mentis conjungi; quid verò illud ſit, variè explicabant. Dicebant alii, illud internum, eſſe actum intellectus judicantis ſervandum eſſe ſilentium; & voluntatis ſe ſe ad illud determinantis. Verùm putida hæc erat irriſio & fallacia, quaſi Eccleſia conſenſum in ſilentium exigeret, & non potiùs adhæſionem judicii in rem definitam. Alii ergo amplius aliquid conceſſiſſe viſi ſunt: in ſilentio nempe religioſo contineri reverentiam & credulitatem quamdam erga rem definitam, propter ſcilicet auctoritatem Eccleſiæ quæ major eſſe debet quacumque privata, unde jure ac meritò præſumitur vera & legitima ejus ſententia, ſaltem tanquam opinio. Habet enim, inquiunt,

quiunt, Eccleſia ſuas opiniones, quibus pro veneranda ejus auctoritate fideles acquieſcere tenentur, longè potiori ratione quàm diſcipuli ſuis Magiſtris. Quò uſque verò illa reverentia erga facti definitionem protendenda ſit, abſolutè definire non auſi ſunt; facta unicuique libertate magis vel minùs eo animo adhærendi ejuſcemodi definitioni, prout ſuperiores, quibus ſenſa ſua exponere tenentur, faciles ſe aut moroſos ac difficiles præbuerint: ea tamen inconcuſſa lege, ut iſta duo pro certis & indubitatis haberentur, 1. merum externum ſilentium non ſufficere, 2. definitionem facti tam certam non eſſe, ut omnem deliberatam animi anxietatem ſeu dubitationem ſaltem ſpeculativam excludat. Verùm hæc ſententia non ſatis ſecum ipſa cohæret. Etenim opinio quælibet incerta eſt, & cum formidine oppoſiti conjuncta: an verò quis rem dubiam & incertam ſub juramento affirmare poteſt?

Duplex præterea diſtinxere religioſum ſilentium: unum, quod jus ſeu dogma; alterum, quod factum ſpectat. Primum, quo nempe quis exteriùs non obloquitur damnationi doctrinæ, quam intus credit eſſe veram, omnino rejiciendum contendunt, non alterum.

Qui Janſenianis ex altera parte adverſabantur, multa in illius religioſi ſilentii patronis irreligionis vitia carpebant. 1. Verum auctoritatis Eccleſiæ contemptum, cui error interiùs imputatur; ac externum dumtaxat linguæ, non mentis obſequium exhibetur. 2. Temeritatem ac ſuperbiam, quòd SS. Pontificum, Epiſcoporum, ac Eccleſiæ totius judicio, privata ſua præponatur ſententia. 3. Defectum ſinceritatis, imò mendacium ac perjurium, cùm exteriùs ſub juramento ut verum affirmetur, quod tamen intus falſum eſſe creditur: manifeſtam præterea ſententiæ contradictionem; quòd ex una parte obnoxia errori dicatur Eccleſia in ſuo de ſenſu Librorum judicio; ex altera verò, cum juramento verum eſſe aſſeratur judicium, quod illa tulit de Libro Janſenii. Quippe ſi errare illa potuit, ſi de facto, ut illi exiſtimant, erravit pronunciando hæreticam eſſe Libri Janſenii doctrinam, qua ratione, qua conſcientia, factum hujuſmodi ſub juramento verum affirmare poſſunt? Nemo neſcit juramentum, ut legitimum ſit, debere excludere omne dubium ſpeculativum deliberatum, ſeu omnem oppoſiti formidinem: Ergo, vel perverſum eſt ac illegitimum eorum juramentum; vel eam ipſam adſtruit Eccleſiæ inerrantiam, quam totis impugnant viribus.

Cùm verò multi ex noſtris intelligerent, futurum ut à Janſenianis obtinere nihil unquam poſſent niſi demonſtraretur Eccleſiam errare non poſſe, cùm de ſenſu Propoſitionum vel Librorum judicat, multis gravibuſque argumentis momentum iſtud proſecuti ſunt. 1. Quòd finiri aliter nuſquam poſſent excitatæ inter fideles de Libris controverſiæ. Quid enim facias hominibus qui protervè aſſerunt, quòd etſi Oecumenica Synodus declaraſſet hæreticam eſſe Libri Janſenii doctrinam, nuſquam ad conſentiendum ſua propria reclamante conſcientia adduci poſſent? 2. Quòd ſenſus integri Librorum contextus, perinde ac ſenſus aliquarum Propoſitionum, non pertineat ad nudum & ſimplex factum, ſed ad doctrinam; adeoque poſſit Eccleſia eodem ſecuro & infallibili judicio pronunciare de ſenſu integri contextus, ſicut de ſenſu aliquarum Propoſitionum. Inde eſt quod Epiſcopi Gallicani in ea Epiſtola quam ad Innocentium X. ſcripſerunt die 28. Martii anni 1654. conqueruntur, quòd Janſeniani, *è vetere fidei depoſito, cujus cuſtodia Cathedræ Petri con-*

credita eſt, partim adimere tentarent. Quippe de prolixo Libri alicujus contextu non poſſet Eccleſia ſine erroris formidine judicare, quòd ad facti quæſtionem pertinere dicatur, Quis ſit totius Libri ſenſus; non poterit etiam certò de breviori contextu, ſeu de aliquibus Propoſitionibus pronunciare, ob eam ipſam rationem. Ad factum enim revocabitur, quis ſit verborum, quibus Propoſitio conſtat, ſenſus, quæ ſignificatio. Par hinc & inde videtur ratio: par igitur Eccleſiæ in utrumque ſenſum diſcernendum ac notandum aſſerenda vel deneganda auctoritas. Et re ipſa, eadem ipſa Eccleſia univerſa, tum integrum Libri Janſenii textum, tum breviorem ac contractum in quinque Propoſitionibus inde extractis damnavit. 3. Ea non admiſſa Eccleſiæ in factis doctrinalibus definiendis inerrantia, nuſquam ſecura & intrepida conſcientia remiſſiores illi Janſeniani ſubſcribere poſſint cum juramento formulæ Alexandri VII. Namque vel illa juramenti veritas ac certitudo fundatur in evidentia objecti, vel in auctoritate Eccleſiæ. Prius videtur abſurdum in re, de qua tot acres ab annis ſexaginta & amplius contentiones excitatæ fuerunt. Si verò auctoritas illa Eccleſiæ errori obnoxia eſſe poteſt, nec, ut jam diximus, excludit omne dubium ſpeculativum deliberatum, nuſquam poteſt eſſe fundamentum juramenti.

Fruſtra reponeretur, ad legitimum juramentum ſatis eſſe, quòd præſumatur, imò piè credatur Eccleſiam reverâ hoc in facto non aberraſſe, quamquam abſolutè potuerit errare; cùm nullum ſatis firmum privato cuiquam ſuppetere poſſit motivum, quod auctoritati totius Eccleſiæ præponderet. Fruſtrà, inquam, id reponeretur, quandoquidem ad juramentum ſimplex non ſufficit præſumptio, ſed omnimoda requiritur certitudo quæ omne dubium excludat; ac recurrit prius argumentum. Unde enim, quæſo, poteſt quis certò perſuaſum habere, Eccleſiam, quæ abſolutè errare potuit, re ipſa non erraſſe in facto Janſenii? An ex evidentia rei? An ex auctoritate Eccleſiæ? Si ex evidentia rei; ergo qui talem non habet rei evidentiam, ad ſubſcriptionem juramento firmandam teneri non poteſt. At quàm pauci ſunt, qui hujuſmodi evidentiam habere valeant? Quàm multi verò contrariam habere ſe aſſerent, qui proinde pertinaciæ ſuæ dimittendi erunt. Hæc enim eſt mentis noſtræ nativa indoles, ut contra propriam quam putat habere rei alicujus evidentiam, ab aſſenſu vel diſſenſu retrahi non poſſit, niſi ex infallibili loquentis auctoritate. Si ergo evidens tibi ac compertum videbatur ante definitionem Eccleſiæ, non aliam in Janſenio, quàm puram divi Auguſtini doctrinam contineri: ſi aliunde perſuaſum habeas, Eccleſiam ea in re definienda errare poſſe; qui, quæſo, adduci poteris ut certò credas eam de facto non aberraſſe? Ex ſola igitur infallibili & erroris neſcia auctoritate Eccleſiæ repeti debet certitudo, veritas & firmitas juramenti quo ſubſcribitur formulæ Alexandri VII. 4. Non poſſet Eccleſia certò judicare de ſenſu Traditionis ſcriptæ, hoc eſt, illius quæ in Libris SS. Patrum conſignata legitur, niſi pari certitudine judicaret de ſenſu ſingulorum. Dignoſci quippe non poteſt univerſalis SS. Patrum Traditio, niſi ex doctrina ſingulorum: Si ergo falli poſſet Eccleſia in vero ac legitimo uniuſcujuſque ſenſu diſcernendo, falli quoque poſſet in diſcernenda univerſali Traditione ſcripta; quod certè poſtremum nemo Catholicus admiſerit. Longa diſparitas eſt, reponunt Janſeniani: Quia ſicut unuſquiſque Epiſcopus falli poteſt, non tamen omnes legitimè congrega-

ti; ita & falli poteſt Eccleſia in ſenſu hujus vel illius auctoris dignoſcendo; non in ſenſu totius Traditionis. Verùm à ſcopo longiùs aberrant, nec veram attingunt diſcriminis cauſam & rationem. Unuſquiſque Epiſcopus falli poteſt, non verò omnes. Quare? quia donum infallibilitatis nulli privato Epiſcopo datum eſt, ſed toti dumtaxat Eccleſiæ, quæ non ab uno aut altero, ſed ab omnibus legitimè congregatis repræſentatur: inde eſt quòd omnes vel ſimul legitimè congregati, vel diſperſi, in unam conſpirantes de fide ac moribus ſententiam, errare non poſſint. In re autem noſtra præſenti, eadem eſt Eccleſia, adeoque eadem auctoritate infallibili inſtructa, quæ judicat de ſenſu uniuſcujuſque è SS. Patribus, & de ſenſu totius Traditionis ſcriptæ. 5. Argumento ad hominem contra Janſenianos demonſtrabatur, Eccleſiam non minùs certo ac infallibili judicio de doctrina Janſenii hæretica pronunciaſſe, quàm de Orthodoxa & Catholica doctrina ſancti Auguſtini, quam ab omnibus idcirco ſequendam eſſe ac tenendam affirmant, quia ſana & orthodoxa judicata eſt ab Eccleſia. Quippe ſi Eccleſia falli potuit, cùm de doctrina Janſenii pronunciavit; quidni cùm de doctrina ſancti Auguſtini? Quo ſuppoſito, nullo prorſus jure adſtringi poſſet ad eam amplectendam, ille qui conteſtaretur privata ſua evidentia ſibi compertum eſſe Eccleſiam reipſa non ſatis aſſecutam fuiſſe B. Auguſtini mentem. Si verò falli ea non potuit; cùm de mente ſancti Auguſtini pronunciavit; dicant, quæſo, quo fato ab illa ſua infallibilitate exciderit in negotio Janſenii. 6. Hanc Eccleſiæ ſupremam & infallibilem auctoritatem noſtri demonſtrabant ex uſu & perpetua Eccleſiæ praxi, quæ ſemper de Libris, eorumque auctoribus ſupremo judicio pronunciavit; impoſita etiam fidelibus lege, ut ſuæ definitioni ſubſcriberent: qua in praxi, viva quædam ac ſpirans continetur infallibilis auctoritatis Eccleſiæ expreſſio ac definitio. Aliàs, aut tyrannidem in ſuos exercuiſſet Eccleſia, cogendo ipſos ad ſubſcriptionem; aut in jus ipſum ſeu doctrinam peccaſſet, arrogando ſibi auctoritatem, quam, ſi Janſenianis fides, Christus ipſi non contulit. Eandem auctoritatem in plurimis Cleri Gallicani Comitiis generalibus aſſertam obſervabant; ne id quidem diffitentibus Janſenianis, ſed merum eſſe Illuſtriſſimi de Marca figmentum contendentibus: quaſi verò quadraginta Gallicani Præſules Illuſtriſſimi de Marca tam putidum approbaſſent figmentum. Sicilli de noſtris Epiſcopis modeſtè ac reverenter ſentiunt ac loquuntur. Poſtulantibus verò Janſenianis, quodnam foret motivum aſſenſus illius qui facto in formula fidei contento ſubſcribit? Reſpondebatur, non eſſe quidem motivum fidei divinæ ſupernaturalis, quæ divina nititur revelatione, in qua procul dubio nihil de Libro Janſenii; ſed eſſe motivum fidei Eccleſiaſticæ, omni humana majoris. Quemadmodum enim præcepta Eccleſiaſtica veluti media ſunt inter ſimpliciter divina, & ſimpliciter humana; ita motivum credulitatis ſeu conſenſus qui datur Eccleſiæ de ſenſu Librorum & Auctorum judicanti, nec ſimpliciter divinum, nec ſimpliciter humanum eſt, ſed Eccleſiaſticum, fundatum in ſuprema Eccleſiæ auctoritate. Verùm de hoc argumento, de quo pleniùs aliàs & ex profeſſo diſputavimus, hæc breviter dicta ſufficiant occaſione variæ Janſenianorum circa ſubſcriptionem Formularii ſententiæ. Quid verò iidem de quinque Propoſitionibus ſenſerint, paucis jam exponendum.

Varia

Varia Janſenianorum de quinque Propoſitionibus ſententia.

Quinque Propoſitiones, ac de illis Janſenianorum ſententia, ſub triplici temporis differentia conſiderari poſſunt: 1. ante Romanum de illis inſtitutum examen. 2. eo pendente examine. 3. poſt examen & judicium Romanorum Pontificum.

I. Ante examen, ſtatim ac die 1. Julii an. 1649. à D. Cornet Syndico delatæ fuerunt ad ſacram Facultatem Pariſienſem, Janſeniani eas verbis ambiguis malignè ad invidiam doctrinæ SS. Auguſtini & Thomæ concinnatas fuiſſe conqueſti ſunt; pluresque in illis ſenſus diſtinguendos eſſe contenderunt. Ita legere eſt in multis eorum Scriptis ante Conſtitutionem Innocentii X. editis; qualia ſunt 1. Scriptum dictum, *In Nomine Domini*. 2. aliud cui titulus, *Conditiones ad examen doctrinæ de gratia, oblatæ Facultati Pariſienſi*. 3. illud cui titulus Gallicè, *Conſiderations ſur l'entrepriſe de M. Cornet*. 4. *Quinque Propoſitionum de gratia quas Facultati Theologicæ Pariſienſi Magiſter Nicolaus Cornet ſubdolè exhibuit...... vera & Catholica expoſitio*. 5. *Quæ ſit S. Auguſtini & doctrinæ ejus auctoritas in Eccleſia*. 6. Scriptum dictum trium Columnarum, ſeu *Brevis quinque Propoſitionum in varios ſenſus diſtinctio*.

Immeritò prorſus cauſabantur defenſores Janſenii, dictas Propoſitiones obſcuris & ambiguis vocibus conceptas fuiſſe. Tum quia ſingula, quibus illæ conſtant, verba, clara & ſimplicia ſunt; ac ſenſum præſeferunt minimè implicatum. Tum quia, quæcunque à Janſenianis ad eas explicandas prolata ſunt, ſive in Scripto trium Columnarum, ſive in ſuis famoſis quinque Articulis, longè magis ſunt involuta, ac multò pluribus æquivocationibus obnoxia. Tum quia Baccalaureis, qui eas, renitente Syndico, propugnabant, atque in ſuis Theſibus inſerebant animo defendendæ Janſenii doctrinæ, procul dubio obſcuræ & ambiguæ non videbantur. Quòd ſi à Pontificibus ad ſenſum Janſenii reſtrictæ ac determinatæ ſubinde fuerunt, non inde factum, quòd dubiæ & ambiguæ forent ſignificationis, ſed quòd à defenſoribus Janſenii verba ad libitum interpretantibus, ad ſenſus alienos & extraneos detorquerentur, ſalvo Magiſtri ſui ſenſu.

Ex duplici verò illarum Propoſitionum ſenſu; unus Calvini, alter verò ſancti Auguſtini & Janſenii doctrinam referre ipſis videbatur. Uter autem dicendus eſſet ſenſus verus, germanus & legitimus, concordes inter ſe non fuere. Paulò ante Conſtitutionem Innocentii X. ſicut antea ex Diario de S. Amour parte 6. cap. 21. & 26. obſervavimus, non magis conſtabat inter ipſos ante examen ſcilicet, uter dicendus eſſet ſenſus ſtrictus & rigoroſus. Plures exiſtimabant, utrumque verborum ſenſum ex æquo Propoſitionibus, prout ſonant, convenire: quidam ſolum Calvini; alii, ſancti Auguſtini, ſeu gratiæ ex ſe efficacis ad mentem Janſenii, ſenſum eſſe ſtrictum & rigoroſum illarum Propoſitionum arbitrabantur. Ad mentem hujus tertiæ ſententiæ loquebatur, inter alios, Auctor Libelli cui titulus, Quæ ſit Auguſtini auctoritas, editi an. 1650. *Paucis abhinc menſibus*, ait, *Propoſitiones vero per ſe & Catholico ſenſu præditæ, ſed quæ prava interpretatione aliò deflecti poſſent, quarum aliquas conſtabat eſſe Auguſtini, Theologicæ Facultati Pariſienſi examinandas ſuffigendaſque propoſuit ejuſdem Facultatis Syndicus, paris cum hoc Cenſore animi &* Pag. 117.

conſilii. Quod non ſolùm ab omni Eccleſiaſtica lege ac veritate diſſidet, ſed ad univerſam fidem, Religionemque evertendam accommodatiſſimum eſt. Quis enim non videt, ſi probatiſſima quæque & antiquiſſima Eccleſiæ dogmata ad amuſſim hanc redigantur, nulla fore tam certa, tam Catholica, tam capitalia fidei principia, Conciliorum & Pontificum Decretis Scripturarumque oraculis robuſta, quæ vitioſè accipi nequeant, nulla, quæ non jam à perverſis ingeniis in perverſos diſtracta ſint ſenſus? Paulò antè dixerat ...... *Quis verò fando audivit fuiße unquam hunc in Eccleſia morem, ut Propoſitiones per ſe veræ & idonea auctoritate nixæ, atque ita ſemper in Eccleſia ſuſceptæ, cenſuræ idcirco ſubiicerentur, quòd poſt multa tandem ſæcula à nonnullis in alieno ſenſu deduci eſſent cœptæ.* His verbis alludebat Auctor ad Propoſitiones Baji, & Janſenii. Igitur in mente illius, quinque Propoſitiones Orthodoxum & Catholicum ſenſum præſeferunt, quibus nonniſi malignè ſenſus hæreticus poterat affingi. Idem ſenſiſſe & ſcripſiſſe alios quoſdam teſtatur Sambovius in Ep. jam citata.

Secundò, pendente Romano examine, qui pro Janſenio Romam deputati fuerant, teſtati ſunt, plures graviſſimos in Urbe Theologos cenſuiſſe,
dictis Propoſitionibus juxta vim verborum rectè exprimi ſenſum S. Auguſti-
Pag. 200. col. 1. ni, hoc eſt, gratiæ à ſe efficacis Janſenianæ, qualem illi Deputati defende-
bant. Ita Cardinalis S. Clementis teſte de S. Amour Diarii parte 4. cap. 5. Ita
Pag. 444. col. 2. & alius Cardinalis quem non appellat, & cujus cum Cardinali Chigio collo-
quium refert ibidem, parte 6. cap. 19. Ita & Doctus ille Dominicanus, cu-
Pag. 298. col. 2. jus perhonorificam mentionem facit parte 5. cap. 9. Idem planè ſentiebant
nonnulli è Conſultoribus, imprimis Lucas Vvadinghus, ut ex eorum ſuffra-
giis facile eſt demonſtrare.

Quantùm verò ad Deputatos pro Janſenio, viſi illi ſunt initio nolle ſuam ea de re mentem aperire; donec habita inter ſe deliberatione circa eum ſenſum qui dicendus foret verus, germanus & legitimus, tandem ſtatuerunt in eo Scripto quod trium Columnarum dictum fuit, ac Pontifici oblatum die 19. Maji anni 1653. ſenſum 1. Columnæ ſeu Calvini, dicendum eſſe alienum & extraneum qui malignè Propoſitioni affingi poſſet, quem legitimè ſumpta non habet, quique ab ipſis reſpuebatur. Senſum verò 2. Columnæ, ſeu, ut dicebant, ſancti Auguſtini ac afficacis à ſe gratiæ, eſſe verum, germanum ac legitimum qui ab ipſis defendebatur.

Diſſimulari nihilominus non debet, non placuiſſe D. de Sainte Beuve, ut teſtatur Dominus de S. Amour part. 6. cap. 26. iſta verba, quæ in fronte ſenſus Calviniani legebantur, *quem tamen legitimè ſumpta non habet*. Quia nempe prævidebat, hac declaratione præcludendum ſibi fore aditum ad defendendam gratiam ex ſe efficacem ad mentem Janſenii, ſi quinque Propoſitiones ſemel damnarentur. Cùm enim faterentur ſenſum illius gratiæ, eſſe verum, legitimum ac germanum Propoſitionis ſenſum, è contra ſenſum Calvini eſſe alienum & extraneum, & quem legitimè ſumpta non habet, proclive omnino erat affirmare, veriſimile non videri, quòd Pontifex ſenſum alienum & extraneum Propoſitionis, quemque legitimè ſumpta non habet, damnaſſet, poſtpoſito ejuſdem Propoſitionis ſenſu vero, germano & legitimo. Eventus demonſtravit, longè conſultius fuiſſe D. de Sainte Beuve conſilium. Orthodoxi etenim, hoc ipſo hujus Doctoris ratiocinio opportunè adversùs Janſenianos uſi fuere, ut demonſtrarent ſenſum gratiæ efficacis Janſenianæ,

quem

quem illi propugnabant tanquam verum, legitimum ac germanum Propoſitionis ſenſum, à S. Pontifice damnatum fuiſſe. Quapropter à ſua, ut jam diximus, priori ſententia recedere coacti, ſenſum Calvini, quem anteà ita alienum & extraneum Propoſitionibus dixerant, ut malignè tantùm ipſis affingi poſſet & ipſum legitimè ſumptæ non haberent, poſt Conſtitutionem Innocentii, earundem proprium ac naturalem eſſe aſſeruerunt.

Conqueruntur Janſeniſtæ, ſibi immeritò variationem imò contradictionem objici. Quia, inquiunt Dionyſius Raymundus, Paulus Irenæus, Auctor Libri qui Gallicè dicitur, *Defenſe des Propoſitions de la ſeconde colomne*, item de S. Amour, diſtinguendus eſt ſenſus ſtrictus, rigoroſus & naturalis Propoſitionum, à ſenſu vero, germano & legitimo. Qua diſtinctione poſita, potuit ſenſus gratiæ efficacis ad mentem Janſenii, dici verus, germanus ac legitimus quinque Propoſitionum; & ſenſus Calvini, rigoroſus, naturalis, & ſtrictus earundem Propoſitionum, idque ſine ulla aut variatione aut contradictione.

Verùm præpoſterè ac ſeriùs omnino excogitata diſtinctio hæc, & ab uſu loquendi prorſus aliena. Cui enim unquam veniſſet in mentem, ſenſum naturalem à germano diſtinguere? Cùm ipſe Sambovius, vir ſagaciſſimus, conſilioque cum prætenſis Auguſtinianis conjunctiſſimus, illam ſuſpicari nullatenus potuerit teſte de S. Amour, Diarii parte 6. cap. 26. Et certè diſtinctionem hanc etiamnum ignoraremus penitus, ſi abſtruſum hunc & longè poſt Innocentii Conſtitutionem adinventum ſenſum, auctores ipſius nobis aperire non ſatagiſſent.

Neque verò ſolùm inaudita eſt, ſed etiam ab eorum mente tunc evidenter aliena erat diſtinctio hæc. Namque ſenſus Calvini non poterat ab ipſis haberi ut rigoroſus & naturalis Propoſitionum ſenſus, quippe qui nonniſi malignè poſſet affingi Propoſitionibus, quem legitimè ſumptæ non habent, ut ipſimet loquuntur in ſuo trium Columnarum Scripto. Quænam, quæſo, malignitas, affingere Propoſitionibus ſenſum qui rigoroſus & naturalis eſt? Et quomodo ſenſum, qui rigoroſus & naturalis eſt, Propoſitiones legitimè ſumptæ non habent? Imò, quo animi candore ac rectà fide diſtinctionem tam ratam, tam ſingularem Pontifici non reſerarunt in eo trium Columnarum Scripto, in quo candidè & apertè ſententiam ſuam aperire videbantur? Certè aut Pontificem deludere volebant, ſibi reſervata tacita ad Conſtitutionem ipſius eludendam via; aut dictæ diſtinctionis arcanum & uſum tunc penitus ignorabant.

Tertiò denique, poſt damnatas ab Innocentio X. quinque Propoſitiones, neceſſe fuit Janſenianos aut Conſtitutioni ſe ſubjicere, aut erecto rebellionis ſigno diſcedere ab Eccleſia. His illi anguſtiis preſſi, ad diſtinctionem juris & facti, velut ad optatiſſimum tutiſſimumque portum ſe recepere: contra apertam rei evidentiam affirmarunt, ſolum Calvini ſenſum, quem ſemper ipſi apertè rejecerant, in quinque Propoſitionibus damnatum eſſe, non Janſenianum. *Poſt Conſtitutionem Pontificiam*, ait de S. Amour Diarii parte 6. cap. 2. *damnationi Propoſitionum acquievimus, omittentes ullum bonum ſenſum illis attribuere, aut illas ullo reſpectu defendere*. Montaltius Epiſtola 17. ad Provincialem, *profitetur quoque proprium & naturalem ſenſum quinque Propoſitionum alienum eſſe à ſenſu gratiæ efficacis Auguſtinianæ, ideoque Pontificem iſtas Propoſitiones damnaſſe, iſtique damnationi omnes acquieviſſe*. Declaratio certè fuit

Digitized by Google

& doli plena! Profitentur quidem Janſenii fautores, ſe nullo ſenſu defendere Propoſitiones; at non ajunt, ſe nullum defendere illarum Propoſitionum ſenſum: quæ duo in recenti Janſenianorum vocabulario valde diverſa ſunt. *Aliud quippe eſt* apud illos, *quinque Propoſitiones in aliquo ſenſu; aliud, aliquem ſenſum Propoſitionum defendere. Iſtud licet, & ſemper licuit*, inquiunt, *illud poſt definitionem non licet*. Id eſt, licet defendere aliquem ſenſum Propoſitionum; at non licet uti verbis Propoſitionum, ad hunc ſenſum defendendum, *Catholicam efficacis gratiæ doctrinam tueri licitum eſt*; ait Auctor Defenſionis Eccleſiæ Romanæ adversùs Leydeckerum, (hoc eſt in ejus mente, doctrinam Janſenii) *hanc verò damnatæ Propoſitionis verbis exprimere poſt Conſtitutionem nefas eſt*. Sic illi Eccleſiæ illudunt, cui non aliud quàm circa verba obſequium præſtant; quaſi Eccleſia mera foret Schola Nominalium de verbis unicè ſolicita: aut licitum foret, mutatis ſyllabis eundem, quem ipſa damnavit, ſenſum retinere verbis aliis æquivalentibus.

Relatio Vvadingi, p. 450.

Pag. 431.

Ergo non licebit quidem amplius crudè affirmare, mandata Dei juſtis volentibus ac conantibus eſſe impoſſibilia, aut deeſſe ipſis gratiam qua poſſibilia fiant: at licebit dicere, abſque gratia efficaci, quæ invincibiliter & inſuperabiliter dat agere, illos nihil poſſe. Non licebit amplius dicere, in ſtatu naturæ lapſæ nuſquam gratiæ interiori reſiſti; iſtam ut & priorem Propoſitionem his verbis conceptam ultro rejicient: at ſecurè dicere poterunt, quamlibet gratiam eum omnem in voluntate effectum ſemper operari, quem permittit oppoſita relativè delectatio concupiſcentiæ. Pariter non dicent impoſterum, ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiri in homine libertatem à neceſſitate, ſed ſufficere libertatem à coactione: at dicent, ad meritum vel demeritum actionis, ſatis eſſe quòd ſubſit in objecto aliqua vel leviſſima mali vel boni ſpecies, quę voluntatem vel ad proſequendum vel ad fugiendum illud objectum pro ſua flexibilitate excitare aut movere poſſet: aut dicent, ſatis eſſe ut homo peccati reus habeatur, quòd non omnes, quas poteſt abſolutè ad non peccandum vires conferat; quamvis relativè ad majorem oppoſitæ concupiſcentiæ vim ac delectationem, eas conferre non poſſit. Aut denique afferent, ſatis eſſe ad libertatem quòd Deus vim non inferat voluntatibus noſtris, quas ſuaviter allicit & delectabiliter excitat: id eſt, quòd omne voluntarium eo ipſo ſit liberum, quo eſt voluntarium. Non dicent etiam, voluntatem gratiæ non poſſe reſiſtere: at affirmabunt, gratiam relativè victricem nuſquam fruſtrari poſſe effectu ſuo: Denique, ab iſta quidem Propoſitione abſtinebunt, *Chriſtus Dominus pro ſalute dumtaxat* prædeſtinatorum mortuus eſt: at eundem ſenſum reddent, affirmando vel illum pro reprobis mortuum dumtaxat quantùm ad ſufficientiam pretii; vel pro juſtis non prædeſtinatis ſalvandis illum hoc ſenſu mortuum, quòd ipſis gratias quaſdam promeruit, quæ ex ſe propriaque natura ad ſalutem tendunt, ad quam tamen, defectu prædeſtinantis Dei voluntatis, nuſquam perducent aut perducere poſſunt.

Vide le Manifeſte des Theologiens. De S. Amour, p. 55. Collect.

Hac arte obrepunt Janſeniani, & ſe Catholicos fingunt. Quinque Propoſitiones damnatas, quantùm ad verba rejiciunt quidem: at integrum Janſenii errorem in iis contentum, aliis æquivalentibus terminis exprimunt; quales ſunt mox relatæ loquendi formulæ, aut aliæ ſimiles quas pro loco & tempore variant Janſenii defenſores. Id ita eſſe judicabit, quiſquis ſedulò cogitaverit: iiſdem omnino probationibus, principiis, ratiociniis ac reſponſis,

tum

tum Janſenium, tum ejus defenſores doctrinam ſuam tueri ac confirmare; fictum ergo, ſimulatum ac doloſum erat, non ſincerum, non verum, obſequium illud quod Innocentii Conſtitutioni exhibere ſe ventitabant.

Et verò, ſi ſuis illi principiis hærere, ſi aut ad Conſtitutionem ipſam in ſe ipſa, aut ad externas ejus cauſas attendere voluiſſent, apertiſſimè huic conſtanter reſiſtere ac refragari debuiſſent. Namque ex una parte, videbatur ipſis Conſtitutio contra jus omne lata, non præmiſſo ſufficienti quinque Propoſitionum examine; variis earum ſenſibus non diſtinctis; non auditis ſimul in publica & ſolemni Congregatione adverſis partibus, nec Scriptis earum invicem communicatis; examini perficiendo ſelectis Cardinalibus & Conſultoribus magna ex parte aut ſuſpectis aut ignaris; Judice Pontifice, qui & præ gravi ſenectute, & præ rerum Theologicarum imperitia, par non erat tam arduis ac implicatis quæſtionibus intelligendis ac diſſolvendis. Tam abjecta profectò Janſenianorum de externis Conſtitutionis Innocentii cauſis opinio, eos ab obſequio removere penitus debuiſſet, niſi ficta & ſimulata obedientia incautos fallere voluiſſent.

Quin & in ipſamet Conſtitutione nihil erat quod eos apertè non offenderet, & ad defectionem non irritaret; ſive qui Calvinianum, ſive qui efficacis gratiæ Janſenianæ dicebant proprium eſſe ac naturalem quinque illarum Propoſitionum ſenſum. Priores enim, etſi faterentur proprium & naturalem illarum ſenſum, Calvinianum eſſe; nihilominus non negabant ad ſenſum gratiæ ex ſe efficacis dictas Propoſitiones legitimè revocari, eumque ita cum ſenſu Calvini in dictis Propoſitionibus damnato permiſceri ac confundi, ut periculum foret, ne ſi non diſtingueretur, ſimul cum iſto eadem cenſura involutum fuiſſe adverſarii contenderent. Quapropter enixè à Pontifice poſtularunt, ut ſenſum utrumque diſtingueret & ſepararet: quod cùm in ſua Conſtitutione non præſtiterit Pontifex, non debuiſſent illi, ſi cohærenter egiſſent, huic Conſtitutioni adhærere. Parum illos juvat, quòd idem Pontifex non ſemel affirmaverit, velle ſe ut intacta & integra remaneret SS. Auguſtini & Thomæ doctrina: quaſi his verbis, quæ certè vim Decreti non habent qualis competebat latæ Conſtitutioni, ſtare illi debuiſſent; & non potiùs obloqui Conſtitutioni ſcriptæ in qua prætendi poſſet, ſenſum illum ſimul cum Calviniano proſcriptum fuiſſe.

Adde quòd in mente Janſenianorum, attributio ſenſus Calviniani dictis quinque Propoſitionibus ab Innocentio X. facta, perinde ac ſenſus Janſeniani, ſit mera facti quæſtio in qua definienda Eccleſiam univerſam falli poſſe contendunt. Quomodo igitur Eccleſiæ (ut ipſis videtur) definienti quinque Propoſitionum ſenſum eſſe Calvinianum, tam promptè obſecuti ſunt; & reipſa definienti ſenſum illum eſſe Janſenianum, non acquieſcunt? Ex utraque enim parte, ſi illos audiamus, factum eſt; & quidem hinc & inde inter viros graves controverſum: inde iſtud pondus & pondus?

Qui verò, inter Janſenianos, exiſtimant ſenſum gratiæ efficacis Auguſtinianæ, (id eſt Janſenianæ) proprium ac naturalem eſſe quinque Propoſitionum, ii totis viribus adverſùs Conſtitutionem Innocentii, in qua Janſenianus ille ſenſus damnatur, reclamare debuerunt; nec unquam ſincero animo ei adhærere: utpote qui perſuaſum habeant, ſenſum illum damnatum, verum & Catholicum eſſe; ac Pontificem errore facti deceptum fuiſſe, cùm

alium, cumque erroneum Janſenio ſenſum affinxit. Eorum quippe judîcio, damnata Janſenii doctrina, ipſius Auguſtini imò & Eccleſiæ totius circa gratiam Chriſti doctrina conclamata eſt. Hac cohærente ratione nixus inter eos recentior, projectæ quidem vir audaciæ, ſed animi candidioris, Clementis XI. Conſtitutionem latam die 15. Junii anni 1705. qua Conſtitutiones Innocentii X. & Alexandri VII. renovantur ac confirmantur, toti Eccleſiæ ferali Scripto denunciavit, *tanquam evertentem doctrinam gratiæ qua Chriſtiani ſumus; tanquam reſuſcitantem Pelagium cum ſuis aſſeclis, tanquam objicientem Eccleſiam extraneorum ſcandalo*. *Uno verbo*, ut in decurſu Libelli, ait auctor, *dignam cui adveniens Antichriſtus coronam imponat*.

Nihil recentior ille Janſenianus ſcripſit, (quamquam impium & horrendum) quod omnes hujus ſectæ homines admittere non teneantur, cùm neceſſario fluxu ex communibus eorum principiis ſequatur: nihil quod vel in ipſo controverſiæ hujus exordio non agnoverit, verbis quidem honeſtioribus ac magis temperatis, inter Janſenianos fervidus Scriptor D. Nicole, in eo Libello cui Gallicè titulus: *Examen d'un Ecrit de M. Dirois, Docteur de Sorbonne, touchant la ſoumiſſion qu' on doit aux Jugemens de l' Egliſe ſur les Livres*. Articulo enim 6. declarat apertiſſimè ab ea ſententia, quæ legem imponit ſubſcribendi formulæ fidei in cauſa Janſenii, legitimè provocari poſſe ac debere ad *Senatum, Synodum Provincialem aut Nationalem, ad R. Pontificem, ad Concilium ipſum generale*. Quid ergo in mente Janſenianorum peccavit recentior ille D. de Vvite, (ſtyli acerbitate ſepoſita) cùm Clementis XI. Conſtitutionem, qua ultimum gratiæ efficaci Janſenianæ excidium inferri arbitratur, toti Eccleſiæ denuntiavit, ac in confirmationem ſuæ denuntiationis, novo Scripto demonſtravit, quod demonſtraverat Illuſtriſſ. Cameracenſis Archiepiſcopus in Epiſtola ad Quenellium ſcripta, nihil à ſe dictum ſcriptumve ea in re fuiſſe, quod omnes Janſenii diſcipuli ambabus ulnis amplecti non debeant: imò & ipſum mox appellatum Illuſtriſſ. Archipræſulem, adversùs Quenellii criminationes, contumelias, convitia, dicteria, egregiè vendicat ac defendit.

Divers Ecrits touchãt la ſignature du Formulaire en 1706. Pag du dit Examen 65. & 66.

Ex quibus certè omnibus manifeſtum eſt, Janſenianos Conſtitutioni Innocentianæ nec ſincerè unquam obſecutos fuiſſe; nec ſi ſuis ſtent principiis, obſequi unquam poſſe, niſi & Alexandrinæ pariter obtemperent.

Quatuor Gallicani Præſules, facti limitatione, ſubſcribunt formulæ Alexandri VII. Eam ob rem iis ſubinſenſus S. Pontifex Clemens IX. tum placatus, & qua ratione.

Formulæ fidei ab Alexandro VII. præſcriptæ, ſinguli in ſuis Diœceſibus ſubſcribebant Epiſcopi, & à ſuis ſubſcribi curabant. Ex illis verò quatuor, ſcilicet Andegavenſis, Bellovacenſis, Apamienſis, & Alectenſis, in ſuis pro dicta ſubſcriptione publicis Mandatis, duas in formula Alexandri VII. quæſtiones contineri aſſeruerunt: unam juris, qua V. Propoſitiones tanquam hæreticæ meritò proſcriptæ fuerant ab Innocentio X. alteram facti, qua Propoſitiones iſtæ dicebantur excerptæ ex Libro Cornelii Janſenii Iprenſis Epiſcopi. Primæ quæſtioni, ſeu juris definitioni, aſſenſum fidei; facto autem ſilentii dumtaxat reverentiam deberi.

Ea de cauſa, in invidiam apud Pontificem & Regem illico vocatis tanquàm in Decreta Apoſtolica contumacibus, plenum moleſtiarum ac periculi negotium ipſis creabatur. Alexander VII. ad Regis Chriſtianiſſimi poſtulationem, cogitabat de nominandis in Gallia Epiſcopis delegatis ſeu Commiſſariis, qui

dicto-

Digitized by Google

dictorum quatuor Epiſcoporum Mandata diſcuterent, rigoroſo ſubjicerent examini, relaturi ſubinde quod in eis malum deprehendiſſent Sedis Apoſtolicæ Judicio reſecandum. Ut duodecim Judices delegati, pro more in Galliis recepto, nominarentur, Rex poſtulaverat: Pontifex ſe ad hunc numerum non adſtringi, ac novem ſufficere contendebat. Interim hac pendente incidenti controverſia moritur Alexander VII. cui ſuccedens Clemens IX. ac Prædeceſſoris ſui veſtigiis inſiſtens, dictos quatuor Epiſcopos in jus vocare decrevit, facta eam in rem Epiſcopis delegatis ampliſſima poteſtate. Dicti verò quatuor Epiſcopi, alios novemdecim, quos in partes ſuas pertraxerant, precibus induxerunt, ut in ſui gratiam tum ad Regem, tum ad Pontificem ſcriberent. Scripſere & ipſimet quatuor encyclicam ad cæteros Galliarum Epiſcopos, opem ac præſidium eorum implorantes. Litteras illas omnes Rex plurimùm improbavit, eaſque ſuppreſſas voluit, quòd animos commovere, & ad graves diſcordias excitare potuiſſent. Pontifex verò ad Epiſtolam novemdecim Epiſcoporum, qui cum aliis quatuor conſentiebant, nihil omnino repoſuit. Gravitas rei, numerus Epiſcoporum illis quatuor faventium; periculum quod illis quatuor imminebat; judicii forma libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ non ſatis, ut dicebatur, conſentiens, negotium illud magis in dies implicatum, moleſtum ac difficile reddebant. Quapropter de illo amicè componendo actum cum Nuncio Apoſtolico. Volebat Pontifex, ut quatuor Epiſcopi ſua dicta mandata expreſsè revocarent: recuſabant verò illi, nequid fortè ſuæ auctoritati apud ſuos inde decederet. Medius occurrit Epiſcopus Laudunenſis, poſtea Eminentiſſimus Card. Eſtræus. Mediam ille aperuit incundæ concordiæ viam, quæ ſupplere retractationem aliquo modo poſſet: nempe, ut priori illa ſubſcriptione Formularii, quam vulgaverant in ſuis Diœceſibus illi Epiſcopi, inſufficiente judicata, novam præſtarent & exigerent, atque hinc nova & accuratiori hac ſubſcriptione, priorem, cujus nulla haberetur ratio, quaſi abolitam & irritam remanſuram eſſe. Placuit iſtud conſilium; & in eo diligens opera poſita eſt, ut ad id adducerentur quatuor Epiſcopi. Acquieverunt tandem iſti, & convocatis ſuis Diœceſanis Synodis, novam ſubſcriptionem imperarunt formulæ Alexandri VII. ſtatimque Clementi IX. per Litteras propria ſua manu ſubſignatas, teſtati ſunt ſe ſincerè & abſque ulla exceptione aut reſtrictione, dictæ formulæ ſubſcripſiſſe. Ita rem compoſitam fuiſſe iiſdem verbis narrabat die 4. Junii an. 1693. Innocentio XII. Eminentiſſ. Card. Eſtræus, pacifici conſilii auctor: quique addebat, ſe unum omnium optimè commemorare poſſe quid geſtum fuerat, cùm eſſet, inquiebat, unus ex iis tribus qui inter Pontificem Clementem IX. & quatuor dictos Epiſcopos Mediatoris partes agebat, ſimul cum Archiepiſcopo Senonenſi & Epiſcopo Catalaunenſi, qui omnes pariter datis ad Clementem Litteris, teſtati ſunt quatuor illos Epiſcopos *optima fide egiſſe ... eos damnaſſe, & à ſuis damnari juſſiſſe quinque Propoſitiones, ſincerè, abſque ulla exceptione ſeu reſtrictione, in eo omni ſenſu quo ſunt ab Eccleſia damnatæ.* Ita ſcribebat Epiſcopus Catalaunenſis. Pontifex his munitus teſtimoniis, ſuam quatuor Epiſcopis benevolentiam ac paternum affectum reſtituit. Gôdrin. Vialart.

Mirum profectò, quantùm Janſeniani ea quatuor Epiſcoporum cum Clemente IX. reconciliatione, quam ſuperbo, ſed falſo titulo, Eccleſiæ pacem ſemper nuncupavere, abuſi fuerint in patrocinium ſui illius religioſi ſilentii, quod Clemens XI. ſolemniter tandem proſcripſit.

Duo

Dūo ſcilicet affirmarunt: primum, Epiſcopos illos quatuor in nova ſubſcriptione quæ continetur in Actis Verbalibus Synodorum Diœceſanarum, rurſus inſeruiſſe limitationem ſeu reſtrictionem juris & facti; atque huic obedientiam, illi reverentiam dumtaxat ſilentii promiſiſſe: alterum, S. Pontificem Clementem IX. quatuor Epiſcopos ad pacem & communionem ſuam recepiſſe, quamquam non ignoraret dictam ſubſcriptionis ab ipſis factæ limitationem ſeu reſtrictionem, unde jactantiùs ventitarunt approbatam à Clemente IX. fuiſſe ſuam de religioſo ſilentio ſententiam.

Verùm tutius longè ac conſultius fuiſſet, occulta illa Synodorum Acta Verbalia, iiſdem planè tenebris æternum conſepulta relinquere, quibus dicti quatuor Epiſcopi tanta cura ea involvi voluerunt. Neque enim quidquam inde commodi decerpere Janſeniani poſſunt, quod non vergat in præjudicium honoris ac ſinceritatis dictorum Epiſcoporum, quos neceſſe erit vel fraudis incuſare, ſi nova ſubſcriptione quæ à priori judicata inſufficienti non diſtaret, illudere Pontifici voluerunt; vel Pontificem turpis conniventiæ, ſi reſtrictam illam ac limitatam ſubſcriptionem novit nec improbavit; imò & doli reum, ſi quam tacitè toleraſſet, publico Inſtrumento à ſe toleratam pernegaret. Ita Janſeniani res ſuas agere curant, quamquam alieno detrimento. Ut ut ſit de illa Epiſcoporum quatuor agendi ratione, quam præ reverentia refricare nolumus, obducto ſupra totum iſtud myſterium velo; pro certo & explorato illud habendum & ſecreta illa Acta Verbalia ad Pontificis notitiam nuſquam perveniſſe; & Pontificem perſuaſum ſemper habuiſſe dictos quatuor Epiſcopos ſincero animo abſque ulla limitatione ſeu reſtrictione ſubſcripſiſſe formulę Alexandri VII. quandoquidem teſtante eodem Card. Eminentiſſ. Eſtræo jam citata Epiſtola S. Pontifex reſpexit ad declarationem, quam dicti quatuor Epiſcopi ſuper Epiſtolam propria ſyngrapha munitam dederunt ſuæ ſinceræ ſubſcriptionis, verbis adeo claris & expreſſis conceptam, ut ad conciliandam

Recueil des Bulles, pag. 253. fidem nihil amplius deſiderari poſſet. Unde Pontifex in ſuo ad Regem Chriſtianiſſimum Brevi die 28. Sept. an. 1668. ait ſe, *cum lætitia cognoviſſe in ſimplici ac pura ſubſcriptione Formularii, quatuor illorum Epiſcoporum obedientiam*. Et in

Ibid. pag. 266. Brevi ad Epiſcopos pacis Mediatores die 19. Jan. an. 1669. ſic loquitur. *Non ſine lætitiæ ſenſu pervidimus ex Litteris Fraternitatum veſtrarum ..... de perfecta & integra obedientia nobis & Apoſtolicę Sedis præſtita per Epiſcopos Andegavenſem, Bellovacenſem, Apamienſem, & Alectenſem, ſubſcriptione Formularii ſincero animo & juxta præſcriptum Litterarum Apoſtolicarum ab eis facta.*

Ib. pag. 269. Pariter in Brevi ad illos quatuor Epiſcopos dato eodem die, ait: *Cùm ingenti obſequii nobis & huic ſanctæ Sedi per vos debiti teſtatione ſignificabatis, vos juxta præſcriptum Litterarum Apoſtolicarum ..... ſincerè ſubſcripſiſſe & ſubſcribi feciſſe Formulario .... Nam Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutionibus firmiſſimè inhærentes, nullam circa illud exceptionem aut reſtrictionem admiſſuri unquam fuiſſemus.*

Hoc ipſum teſtatur Cardinalis Roſpiglioſius, in ſua de rebus circa Janſeniſmum hiſtorica narratione, quam omnium primi laudarunt Janſenii defenſores. *Neque in re tanti momenti*, ait, *quidquam connivere, quin imò acerrimè*

Ibid. pag. 263. *obviam ire decreverat* (Clemens IX.)

An quæſo tutiorem teſtem hîc audire poſſumus, quàm ipſummet Clementem IX. conceptis verbis affirmantem, dictos Epiſcopos ſincerè ſubſcripſiſſe

juxta

juxta præſcriptum Litterarum Apoſtolicarum; nec ullam unquam circa iſtud exceptionem aut reſtrictionem ſe admiſſurum fuiſſe?

Quòd ſi ſingulę graviſſimi hujus negotii circumſtantiæ ſedulò expendantur, patebit illas omnes eò collimaſſe, ut Pontifici ſuaderent ſinceram fuiſſe illorum quatuor Epiſcoporum novam ſubſcriptionem; nec aliter illum prudenter opinari potuiſſe. 1. Epiſcopus Laudunenſis (Card. Eſtræus) iſtam, ut dictum eſt, pacis viam aperuerat, quæ retractationem expreſſam, quam poſtulabat Pontifex, quodammodo ſuppleret; ut nempe Epiſcopi nova ſua ſubſcriptione & quidem accuratiori, priorem, quæ inſufficiens judicata fuerat, velut abolitam & irritam haberent: Si verò poſterior illa ſubſcriptio nihil aliud præ ſe tuliſſet quàm altera, quomodo iſtam irritaſſet? Quomodo nova illa ſubſcriptio retractationis loco fuiſſet? 2. Quatuor illi Epiſcopi, per Epiſtolam propria ſua ſyngrapha munitam, Pontifici teſtati fuerant ſe, ut doctrinam Galliæ Epiſcoporum, (indefinitè loquuntur, non, ſicut ajunt Janſeniani, plurimorum) ita & ad ſubſcribendum, eamdem diſciplinæ formam planè ſequutos fuiſſe. Alii porrò Epiſcopi Gallicani ſine ulla limitatione ſeu reſtrictione ſubſcripſerant, ne quidem exceptis illis novemdecim, quos paulò antè diximus aliis quatuor conſenſiſſe, non quantùm ad formam ſubſcriptionis, ſed tantùm quoad modum ſeu viam quæ propoſita fuerat componendi iſtud moleſtiſſimum negotium. Addunt quatuor Epiſcopi, novam hanc ſubſcriptionem ſibi arduam ac perdifficilem fuiſſe, non ignaris quot malevolorum voculas excire poſſet hæc diſciplinæ mutatio. Unde porrò ſubodorari potuiſſet Clemens IX. ortam illam difficultatem, niſi ex prioris ſuæ ſententiæ mutatione? 3. Tum Epiſcopus Catalaunenſis, tum alii pacis Mediatores ſcripto Pontifici declaraverant, Epiſcopos illos quatuor *optima fide egiſſe .... eos damnaſſe & à ſuis damnare juſſiſſe quinque Propoſitiones ſincerè abſque ulla exceptione ſeu reſtrictione in eo omni ſenſu quo ſunt ab Eccleſia damnatæ*. 4. Novemdecim Epiſcopi, qui aliorum quatuor defenſionem ſuſceperant apud Pontificem, ut aliquem iis excuſandi prætextum obtenderent, aſſerebant *eos non aliam impugnaſſe opinionem, niſi eam, quæ contendit humana & quotidiana facta non revelata, non minùs quàm revelata in Scripturis & Traditione dogmata, fide eſſe tenenda. Quòd ſi*, inquiunt, *ita ſentire criminoſum exiſtimetur, non hoc proprium ipſorum, ſed omnium noſtrum, imò totius Eccleſiæ crimen fuerit*. Ad hæc omnia intuens Pontifex, non poterat ſuſpicari fraudis aliquid deliteſcere in ſecretis Actis verbalibus quæ dictam Epiſcoporum quatuor novam ſubſcriptionem continebant; & ſi quid in illis ſubinde reſeratis & in lucem prolatis, deprehenſum fuit ſinceritati, candori, ac optimæ fidei non ſatis conſentaneum, quibus id, quæſo, Janſeniani imputandum exiſtimant?

Denique, circa Clementis IX. mentem nullus ſupereſſe amplius poteſt ſcrupulus, poſt Clementis XI. Conſtitutionem latam die 15. Junii an. 1705. in qua Prædeceſſoris ſui Clementis IX. mentem exponens, eos ſeverè perſtringit qui dicti Clementis IX. *Litteras, in erroris ſui patrocinium advocare temerario planè auſu non erubeſcunt, perinde ac ſi memoratus Clemens Prædeceſſor, qui eiſdem ſuis Litteris ſe Innocentii X. & Alexandri VII. Prædeceſſorum Conſtitutionibus firmiſſimè inhærere ac à dictis quatuor Epiſcopis veram & totalem obedientiam, adeoque formulæ à præfato Alexandro editæ, ſincerè per eos ſubſcribi voluiſſe declaravit, aliquam in tam gravi negotio exceptionem ſeu reſtrictionem, quam nullam prorſus ſe*

ſus ſe unquam admiſſurum fuiſſe poteſtatus fuit, re ipſa admiſiſſet. Eant ergo Janſeniani, & ſibi blandiantur adhuc propter illam pacem, quam Clemens IX. non quidem Eccleſiæ, ut ipſi falsò jactitant, ſed quatuor dictis Epiſcopis reſtituit.

Nonnulli Duacenſes doctrinæ Janſenii defenſores occulti deteguntur.

Cùm anno 1686. unus è Regiis in Academia Duacena ſacræ Theologiæ Profeſſoribus nomine Gilbert, errores Janſenii docuiſſet, Rex juſſit codices quos ille dictaverat, deferri ad Profeſſores Sorbonæ, ab ipſis diſcutiendos. Suo illi doctrinali Judicio die 28. Jan. an. 1687. declararunt dictum Profeſſorem, in ſuo de Gratia Tractatu, doctrinam Janſenii non obiter nec perfunctoriè, ſed meditato conſilio ac conſtanter renovare: nec permitti poſſe ſine manifeſto Academiæ Duacenæ damno ac periculo, ut in ſuo Profeſsoris Officio pergeret. Die verò Auguſti ejuſdem anni, Illuſt. Epiſcopus Atrebatenſis dictum Tractatum gravi cenſura confixit,& à Profeſsore retractationem obtinuit aliquot articulis comprehenſam, quā ille novo conſilio etiam ſubinde retractavit,ſignificata Epiſcopo Atrebatenſi provocatione à cenſura quā tulerat.

Anno 1690. prodiit in ſcenam perſonatus Arnaldus, qui ſubodoratus nonnullos in Academia Duacena Janſenii doctrinæ impenſiùs, at ſecretò, favere; occultum virus, ut caveretur, detegendum ſibi propoſuit. Aſsumpta igitur Antonii Arnaldi larva,in quem noverat homines illos animo & voluntate propenſiſſimos eſse, fictis quibuſdam Epiſtolis ſimulata ſubſcriptione per duplicatam Litteram initialem A. A. intima illorum ſenſa rimari & expromere cœpit novus explorator. Nec fruſtra. Etenim viri illi ſimplices ſubita confidentia & familiaritate Magni, ut putabant, Arnaldi, ineſcati ac velut fulgore quodam perſtricti, craſsam ac ſupinam illarum Epiſtolarum, quæ hominem Belgam ad oculum referebant, fraudem detegere non valuerunt. Hac arte illecti, intimos animi ſui ſenſus, circa Janſenii doctrinam, in ſinum illius perſonati Arnaldi datis Litteris eò liberiùs effundunt, quòd rem totam occultiſſimam fore confidebant. Simulaverat fictus ille Arnaldus, ſe non procul ab illis eo in loco verſari, in quo vera S.Auguſtini doctrina per latus Janſenii impetebatur, adeoque egere ſe prompto eorum auxilio ac ſubſcriptione, qua pateret doctrinam Propoſitionum quas ad illos, ut ſubſcriberentur, mittebat, ſanam & orthodoxam eſse. Subſcriptas à ſe Propoſitiones, quantociùs laboranti doctrinæ Auguſtinianæ opem allaturi, tranſmittunt. Verſabamur nos tunc temporis, Regis Chriſtianiſſimi juſsu ac gratia, in Academia Duacena, ignari prorſus ac inſcii occultæ quæ texebatur machinationis, donec tandem prodiit in lucem Anonymi Epiſtola ad Doctores Duacenos. Creditum eſt ab ipſomet perſonato Arnaldo totius Comœdiæ parente, ſcriptam illam fuiſſe, poſtquam munitus fuit omnibus Litteris & ſubſcriptionibus eorum quibus laqueum injecerat. Hac autem Epiſtola, Doctores Duacenos de periculo Academiæ imminente ex prava quæ ſerpebat, doctrina, feriò admonebat. Rei gravitate ac novitate commotus Rex Chriſtianiſſimus, ſepoſita exploratoris fraude, rerum ab ipſo detectarum notitia utendum eſse duxit. Qua propter autographa Epiſtolarum, Propoſitionum & Theſium illorum Duacenſium, juſſit reponi in manus Profeſsorum Facultatis Theologicæ Pariſienſis, qui

qui de illis ſuum proferrent judicium. Poſt accuratum examen, die 26. Decemb. an. 1691. declararunt, in multis articulis dictarum Theſium expreſſè nec ſine quibuſdam frigidis dicteriis renovari doctrinam trium priorum Janſenii Propoſitionum ab Innoc. X. & Alexandro VII. proſcriptam. Inter multos illos articulos, nonnullos hic retuliſſe ſufficiet, ex quibus de cæteris judicare pronum erit.

Libertas indifferentiæ in ſtatu naturæ corruptæ, figmentum eſt purè humanum, ex reliquiis Philoſophiæ Pelagianæ natum.

Sine gratia efficaci non tantùm nihil boni facimus, ſed nec facere poſſumus: qui ſecus ſentit, Semipelagianus eſt.

Gratia ſufficiens ſenſu Moliniſtico, error eſt & hæreſis: ſenſu Thomiſtico, fatuitas, ineptiæ.

Epiſcopus Iprenſis factione Moliniana damnatus eſt. Non aliam ille circa gratiam, quam purè Auguſtinianam doctrinam propugnavit. Nec ullus Pontifex apertiùs uſquam ſuæ fallibilitatis dedit Argumentum, quàm cum damnatæ ſunt quinque Propoſitiones in ſenſu à Janſenio intento.

Alexander VII. ſua Conſtitutione altum gratiæ Evangelicæ vulnus inflixit; cujus nondum obducta cicatrix.

Impatienti prorſus animo tulit verus Arnaldus, ementito ſuo nomine tam turpiter illis Duacenſibus illuſum fuiſſe. Adversùs fraudem, dolum, mendacium, furtum, contentiori voce inclamavit: ſuas illi querimonias ultro condonaſſent Orthodoxi; ſi, cum fraude exploratoris, ſimul doctrinam in Theſibus & Epiſtolis contentam improbaſſet.

Anno 1690. die 20. Decembris S. P. Alexander VIII. triginta & unam Propoſitiones ex Libris Janſenianorum (ſi duas exceperis 20. & 21.) excerptas, *tanquam temerarias, ſcandaloſas, malè ſonantes, injurioſas, hæreſi proximas, hæreſim ſapientes, erroneas, & hæreticas, reſpectivè damnavit.*

Additio facta Formulario per aliquos Belgii Epiſcopos ab Innocentio XII. improbata.

Additio facta Formulario ab aliquibus Belgii Epiſcopis.

Anno 1692. ſubortis in Belgio novis circa ſubſcriptionem Formularii contentionibus, nonnulli Epiſcopi ad omnes fraudes & cavillationes declinandas, majoris interpretationis gratia exigere voluerunt ab iis qui ſubſcribebant, ut jurarent, 1. *Non tantùm in reverentiam Conſtitutionum Apoſtolicarum, ſed etiam in veritatem earum.* 2. *Non tantùm in veritatem eorum quæ in prædictis Conſtitutionibus ſpectant ad quæſtionem juris, ſed etiam in veritatem eius, quod ſpectat ad quæſtionem facti ab Alexandro VII. definiti: hoc eſt, ut non ſolùm jurarent ſe damnare quinque Propoſitiones famoſas, in omni ſenſu hæretico quem habent, ſed etiam ſeriò & ſincerè illas damnare, ut excerptas ex Libro cui titulus* Auguſtinus Cornelii Janſenii Iprenſis: *& in ſenſu à Janſenio intento, ſeu in prædicto ejus Libro expreſſo.*

Leydesker pag. 80.

Cùm hæc additio ſeu explicatio Formularii novas in Belgio diſſenſiones excitaſſet, miſſi ex utraque parte fuerunt ad Innocentium XII. Deputati. Pontifex Breve ſcripſit die 6. Februar. an. 1694. ad Epiſcopos Belgii, in quo poſt confirmatas Innocentii X. & Alexandri VII. Conſtitutiones, ſic loquitur. *Præcipimus, ut quemadmodum ii qui ad juramentum adigendi ſunt, illud præſtare debeant ſincerè abſque ulla diſtinctione, reſtrictione, ſeu expoſitione, damnando eas Propoſitiones ex*

Recueil p. 318. & ſeq.

Libro

Libro Janſenii excerptas, in ſenſu obvio quem ipſamet Propoſitionum verba præſeferunt, prout ſenſum illum damnarunt SS. Pontifices Prædeceſſores noſtri damnatumque haberi voluerunt à Chriſti fidelibus: ita per Fraternitates veſtras, ab iis qui Formulario prædicto ſubſcribent, ac juramentum præſtabunt, præter formulam ipſam traditam verbaque in Conſtitutione Apoſtolica præſcripta, aliquid aliud vel minimum declarationis, interpretationis, aut explicationis, verbo vel ſcripto, non exigatur, etiam ſub prætextu, quòd additiones ad nos tranſmiſſæ comprehendantur, ſeu contineantur in Formulario Alexandri VII. Cæterùm ad præcavendas omnes diſſidiorum cauſas, quæ Chriſtianam pacem dilacerant, nos, quoſcumque alios ſenſus Formularii, præter eum quem ipſius verba exhibent afferri, vel uſurpari, aut de his diſputari interdiximus & prohibuimus, ac ſuper ejuſdem Formularii interpretatione, ſicut & prædictarum Propoſitionum, in alios ſenſus præter eum quem ipſa verba per ſe exhibent, perpetuum ſilentium impoſuimus... Demum... injungimus, ne ulla ratione quemquam vaga iſta accuſatione, & invidioſo nomine Janſeniſmi traduci aut nuncupari ſinatis, niſi priùs ſuſpectum eſſe conſtiterit, (ſuſpectum, ait Pontifex non convictum, ut volunt Janſeniani) *aliquam ex his Propoſitionibus docuiſſe aut tenuiſſe; nec quemquam ſub hoc prætextu repelli ab Officiis, Muniis, Beneficiis, Gradibus & Concionibus habendis, vel alia quacumque functione Eccleſiaſtica permittatis, niſi, ſervato juris ordine, eam pœnam, quæ viris alioquin Catholicis graviſſima eſt, commeruiſſe probatum fuerit.* Hæc Innocentius XII. quæ Decreto dato die 28. Jan. ejuſdem anni jam ſtatuerat.

Janſeniani verò, qui vel minimam, ubi affulget, reſpirandi occaſionem avidè arripiunt, multis, ut par erat, laudibus tum Breve, tum Decretum Innocentii proſecuti, novum exinde præſidium ſibi acceſſere, novoſque triumphos canere (quos tamen brevi poſtea vel ipſimet recantarunt;) occaſione ſcilicet iſtorum verborum, *in ſenſu obvio, quem verba ipſa præſeferunt.* Quaſi hoc unum exigeret S. Pontifex, ut quinque famoſæ Propoſitiones damnentur in ſe ipſis, in ſenſu obvio quem verba ipſa præſeferunt, nulla omnino facta mentione ſenſus Janſenii. At quàm iſtud contra tenorem verborum, quæ mox citavimus, immeritò fingant Janſeniani, apertum eſt cuicumque oculos habenti: tum quia Innocentius XII. confirmat Conſtitutiones ſuorum Prædeceſſorum Innocentii X. & Alexandri VII. in quibus damnantur quinq; Propoſitiones Janſenii, & in ſenſu ab illo intento: tum quia jubet juramentum fieri ſine ulla diſtinctione, reſtrictione ſeu expoſitione.

Verùm omnem effugii locum ipſis præcluſit Innoc. XII. altero ſuo Brevi ad eoſdem Belgii Epiſcopos dato die 24. Novemb. an. 1696. in quo ſic loquitur. *Non ſine admiratione intelleximus, nonnullos iſtis in Diœceſibus reperiri, qui verbis & calamo auſi fuerint affirmare, ſupradicto noſtro Brevi alteratam ſeu reformatam eſſe Conſtitutionem Alexandri VII. 16. Octobris an. 1656. editam, necnon Formularium ab ipſomet pronunciatum; cùm dicto Brevi utrumque ſpecificè confirmetur, & omnino intenderimus & intendamus iiſdem adhærere, & nequaquam ſinere ut aliquid addatur vel dematur à prædicto Formulario, illud quovis modo alterando in aliqua ejus minima parte, ſed quod in omnibus & ſingulis ejuſdem partibus, uti mandavimus, mandamus etiam ad amuſſim obſervari.* Non potuere non fateri Janſeniani, hoc poſtremo Brevi funditùs everti quidquid præſidii ac commodi ex priori ſperaverant.

Ib. p. 325. & ſeq.

Extat nihilominus in hoc ipſo poſtremo Brevi una vocula, quæ Janſenianis aptiſſi-

aptiſſima viſa eſt ad probandum nullos eſſe reipſa Janſeniſtas, ſed fictos; ſeu, ut loquitur Pontifex, *prætenſos*. *Quòd ſi*, inquit, *prætenſi Janſeniſtæ internè & abſque eo quòd deveniant ad ullum actum externum, dum jurant Formularium, non aliter damnent quinque Propoſitiones, quàm in ſenſu obvio, non habito reſpectu obvii ſenſus dicti Formularii, ſuoque arbitrio effingant ejuſmodi ſenſum obvium; Eccleſia non judicat de occultis, quæ ſoli Deo cordium ſcrutatori innoteſcunt. Sin verò iidem prætenſi Janſeniſtæ, voce aut ſcripto edant proprios ſenſus Apoſtolicarum Conſtitutionum prædictique Brevis ſenſui diſſentaneos, debent Epiſcopi, prout de jure contra eos procedere &c.* pag. 328.

Quis tam imperitus vel obcæcatus non videat, verbum, *prætenſi*, hìc non ſignificare fictos Janſeniſtas, ſed eos qui ut tales prætenduntur; hoc eſt, denunciantur, declarantur, demonſtrantur? Iſte quippe ſenſus eſt verbi, *prætendo*, ſicut manifeſtè patet ex oppoſitione ſeu diſtinctione, quam Pontifex adducit, Janſeniſtarum, in internos ſeu occultos qui nullo externo actu ſe manifeſtant, & in externos. Utroſque Pontifex *prætenſos* appellat: an verò externos illos prætenſos, id eſt fictos ſeu falſos appellaret, quos tamen jubet ad rigorem juris puniri? Quis tam inſulſam contradictionem in uno & eodem loco Pontifici tribuerit?

Quatuor Propoſitiones circa Janſeniſmum à Clero Gallicano in Comitiis generalibus an. 1700. proſcriptæ. Famoſus conſcientiæ Caſus. Bulla Clementis XI. adverſùs illum Caſum.

Anno 1700. Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus congregatus, damnavit quatuor iſtas Propoſitiones circa Janſeniſmum excerptas ex Libro cui titulus eſt, *Auguſtiniana Eccleſiæ Romanæ doctrina, &c.* Cenſura Cleri Gallicani anno 1700.

I. *Phantaſma Janſeniſmi quæſitum ubique, ſed nuſquam repertum, preterquam in laboranti quorumdam phantaſia.*

II. *Conſtitutione Innocentii nihil aliud actum, quàm ut renovarentur atque exacerbarentur diſputationes.... In eandem viam pertractus eſt Alexander VII..... Innocentius quoque XII. cùm ex officio teneretur claram proferre ſententiam, generalibus equivocíſque verbis adhibitis, dat locum exiſtimandi ſe non auſum eſſe clariùs loqui, tanquam errare metuentem ..... atque illud, in ſenſu obvio, ejuſdem Pontificis, magis adhuc generale eſt & vagum, quàm verba Alexandri VII. in ſenſu à Janſenio intento. Epiſcopi denique Gallicani, libertates Eccleſię Gallicanæ, ſub earum aſſerendarum ſpecie, labefactarunt, ſuper recipienda Conſtitutione Innocentii X. contra Janſenium.*

III. *Aliquam huic malo medicinam attuliſſe videbatur Innocentius XII. in Brevi ſuo 6. Feb. 1694..... Verùm, mitigationem illam preſumptam non parùm extenuavit Brevi 24. Novemb. an. 1696. ubi Pontifex diſertè negat, Conſtitutionem aut Formularium Alexandri VII. Brevi ſuo alterata aut reformata ..... in aliqua minima ejus parte.... Nec placet eorum opinio, que ex ipſo primo Brevi 6. Febr. 1694. edito, aliquid mitigationis circa factum tentavit exſculpere ..... ſed & nihilo majorem in queſtione juris progreſſum factum eſſe, jamquoque convenit oſtendere.*

IV. *Circa condemnationem Auguſtini Janſenii, opus eſſet collatione regulari habita vel coram Judicibus à Romano Pontifice, vel à Rege datis .... Nondum omnes interierunt, qui ſciunt deliberationes* (de Janſeniano negotio) *quas nunc.*

Epiſ-

Epiſcopi ut regulas ſuarum hodiernarum Deliberationum (circa novum Quietiſmum) *ſumunt, Cleri Gallicani æternum fore propudia.*

Hæ quatuor Propoſitiones, ait Cenſura Cleri Gallicani, *quibus inquieti homines Innocentii X. & Alexandri VII. Conſtitutiones, Innocentii quoque XII. Brevia æquiſſima & ab omnibus approbata apertè contemnunt, Epiſcopos Gallicanos rebus judicatis adhærentes inceſſunt maledictis, & cauſam hanc de integro retractari poſtulant, tanquam tot Conſtitutionibus Apoſtolicis, etiam accedente Eccleſiarum conſenſione, cauſa nondum finita fuerit; falſæ ſunt, temerariæ, ſcandaloſæ, contumelioſæ in Clerum Gallicanum, Summos Pontifices, & in Univerſam Eccleſiam, ſchiſmaticæ, & erroribus condemnatis faventes.*

Janſeniani tot Vaticanis fulminibus attriti, non quieverunt; ſed novis in dies conatibus, innumeriſque ferè Libellis, toties proſtratos errores ſuos recudere ac excitare tentarunt. Unus inter eos prodiit an. 1702. dictus famoſus conſcientiæ Caſus, in quo inducitur neſcio quis Clericus cui Sacramentalis abſolutio denegata fuerat, eò quòd declaraſſet, *ſe revera quinque Propoſitiones ſimpliciter & abſolutè damnare, ac formulæ fidei Alexandri VII. ſubſcripſiſſe quidem; nihilominus quantùm ad quæſtionem facti, ſeu attributionem illarum quinque Propoſitionum Libro Janſenii, exiſtimare ſe religioſum ſufficere ſilentium.* Nihil unquam tam cordi fuit diſcipulis Janſenii, quàm, obtentu hujus religioſi ſilentii, Magiſtri ſui doctrinam cenſuris eripere ac clanculùm diffundere. Quadraginta Doctores Theologos Pariſienſes, & quidem ex iis aliquos non ſine malis artibus, adduxerunt ad ſubſcribendam propoſiti in dicto conſcientiæ Caſu articuli reſponſionem, his verbis: *Doctores infra ſcripti, viſa caſus expoſitione, cenſent, hujus Eccleſiaſtici viri ſententiam, nec novam eſſe, nec ſingularem, nec ab Eccleſia damnatam; neque talem, ut Confeſſarius poſſit ipſi Sacramentalem denegare abſolutionem niſi eam retractaverit. Deliberatum in Sorbona die 20. Julii an. 1701.* Numero ac pondere quadraginta illorum Doctorum, ſpem certam conceperant Janſeniani, futurum ut votis ſuis tandem fruerentur. At vana profectò ſpes. Statim enim S. Pontifex Clemens XI. hanc dicti caſus reſponſionem Decreto dato die 13. Februarii an. 1703. damnavit ac reprobavit: miſſo ad Regem noſtrum Chriſtianiſſimum Brevi, in quo ſic loquitur. *Audivimus nuper audaci planè ac ſubdola nonnullorum hominum opera, qui in id nati eſſe videntur, ut Eccleſiæ ac Reipublicæ pacem turbare non ceſſent, Libellum quemdam prodiiſſe, cui titulus*, Cas de conſcience, &c. *quo ſanè plura pernicioſæ doctrinæ capita erroreſque damnati revocantur in lucem, & ipſa etiam hæretica Janſenii dogmata non obſcurè foventur; dum editæ olim pro iis omnibus abolendis Apoſtolicæ Conſtitutiones captioſis ſubtilitatibus eluduntur.*

Caſus cōſcientiæ. Recueil p. 339.

Eodem anno 1703. die 22. Februarii, Eminentiſſ. Card. Noallius, Pariſienſis Archiepiſcopus, cenſoria virgula eundem Caſum perſtrinxit. Judicio Eminentiſſimi Præſulis, Theologi Pariſienſes qui dictum conſcientiæ Caſum approbaverant, paucis exceptis, revocata priori ſua ſubſcriptione, ſe ſubjecerunt. Duo pertinaces reſtitere, quorum unus ad communem tandem ſententiam reverſus; alter verò, pro ſua contumaci inobedientia, è Catalogo Doctorum expunctus fuit, judicio ac ſententia ſacræ Facultatis.

D. Delan. D. Petitpied.

Die ſcilicet 1. Sept. an. 1704. Syndicus de dicta Caſus conſcientiæ reſponſione conqueſtus, poſtulavit à ſacro Ordine. 1. *Ut Facultas renovet ac confirmet cenſuram latam 31. Januarii an. 1656. in Libellum cui titulus eſt*, Lettre de M. Ar-

M. Arnaud &c. *& Decretum ſuper formula fidei, datum die* 2. *Maji an.* 1661. 2. *Declaret Propoſitionem contentam in Libello cui titulus eſt*, Cas de conſcience &c. *qua de Clerico qui ſubſcripſit formulæ fidei ab Alexandro VII. ſancitæ hoc ſtatuitur*: Il lui ſuffit d'avoir une ſoumiſſion de reſpect & de ſilence, prout ce que l'Egliſe è decide ſur le fait de Janſenius, *adverſarii prædictæ Cenſuræ in Epiſtolam Antonii Arnaldi, & Decreto ſuper formula fidei.* 3. *Hanc eandem Propoſitionem damnatam pronunciet in prædicta cenſura adverſùs Epiſtolam Antonii Arnaldi, eamque afficiat iiſdem notis, quibus proſcripta fuit Arnaldina Propoſitio, quę dicitur facti.* 4. *Addat, memoratam Propoſitionem favere mendacio & perjurio: qua ratione ipſam proſcripſit Eminentiſſ. Archipræſul, in Mandato adverſùs prædictum Scriptum*, Cas de Conſcience, *promulgato die* 22. *Februarii an.* 1703. 5. *Declaret ſe nunc non attingere aut expendere cętera Scripti, cui titulus*, Cas de conſcience 6. *Decernat duos è Magiſtris pertinaces, è ſinu ſuo repellendos, expungendoſque ex albo Doctorum, & ipſo facto repulſos, expunctoſque, niſi intra menſem conſilium mutaverint; cęterorumque, quos in probando Scripto ſocios habuere, Magiſtrorum exemplo, inconſultam Deliberationem revocaverint, & inſuper Cenſurę adverſùs Epiſtolam Antonii Arnaldi, Decreto ſuper formula fidei, & pręſenti Concluſioni ſuſcripſerint. Quę cùm miſſa fuiſſent in deliberationem in generali Congregatione cui adſuere pluſquam* 150. *Cenſura S. Facult. Caſus conſcient. an.*1704.
Magiſtri, communibus votis ſic cenſuit ſacra Facultas. 1. *Dictam Propoſitionem contentam in Libello, cui titulus*, Cas de conſcience, *adverſari cenſurę ſacrę Facultatis latę die ultima Jan. an.* 1656. *in Epiſtolam Ant. Arnaldi, & Decreto ejuſdem ſuper Formula fidei, dato die* 2. *Maji an.* 1661. 2. *Inhęrendo prędictę Cenſurę adverſùs Epiſtolam Ant. Arnaldi, pręfatam Propoſitionem damnandam eſſe; ut & ipſam damnat, iiſdem notis quibus in prędicta Cenſura proſcripta eſt prima ejuſdem Ant. Arnaldi Propoſitio, quę dicitur facti; nempe, ut temerariam, ſcandaloſam, injurioſam SS. Pontificibus & Epiſcopis Gallię, atque etiam ut prębentem occaſionem renovandę ex integro, poſt damnationem, Janſenii doctrinę; & in quantùm eadem pręfata Propoſitione dicitur, illud obſequium reverentię & ſilentii ſufficere, etiam iis qui ſubſcripſere formulę fidei quę adjunctum habet juramentum ex ſanctione Alexandri VII. prędictis notis hanc etiam eſſe adjiciendam, ut & adjicit, nempe, quòd faveat mendacio & perjurio.* 3. *Stare debere inconcuſſam, ſicut & reipſa apud ipſam ſemper ſtetit & ſtat, auctoritatem prędictę Cenſurę adverſùs Epiſtolam Ant. Arnaldi, & prædicti Decreti ſuper formula fidei: adeo ut quicumque Magiſter aut candidatus, adverſùs utrumque aut alterutrum, ut & adverſùs præſentem Concluſionem, aliquid ſcripſiſſe, dixiſſe, aut prędicaſſe deprehenſus fuerit, eo ipſo à ſacra Facultate pulſus habeatur.* 4. *Duos Magiſtros pertinaces, ipſo facto à Facultate excluſos habendos eſſe, niſi intra ſpatium unius menſis, ſubſcriptionem ſuam dicti Caſus conſcientię revocaverint &c. Denique ut omnibus magis ac magis innoteſcat, S. Facultatem in docenda ſana doctrina & aſſerenda Eccleſię auctoritate, conſtare ſibi ſemper, Typis mandanda eſſe latino ac vernaculo idiomate, cura D. Syndici, & publici juris facienda, pręſentem Concluſionem, Cenſuram adverſùs Libellum*, Seconde Lettre de M. Arnaud *latam ultima Jan.* 1656. *& Decretum ſuper formula fidei, datum* 2. *Maji an.* 1661. Atque hæc ſacra Facultas Pariſienſis.

Benè multi Galliarũ Epiſcopi, ſuis graviſſimis Mandatis ac doctiſſimis Do-

cumentis Paſtoralibus, certatim ſtylum exacuere adverſùs dicti Caſus conſcientiæ doctrinam.

Acceſſit tandem & ipſa Pontificia Clementis XI. auctoritas, emiſsa ſolemni Conſtitutione die 15. Junii an. 1705. quæ incipit ab his verbis, *Vineam Domini Sabaoth*. In qua, poſtquam confirmavit ac renovavit Conſtitutiones Innocentii X. & Alexandri VII. Clementis verò IX. & Innocentii XII. Brevia ſeu Epiſtolas à pravis Janſenianorum exceptionibus & interpretationibus vindicavit, de doctrina in Caſu conſcientiæ expreſſa, tum de ipſius auctoribus hæc
Recueil des Bulles, pag. 387. habet. *Præterea iidem inquieti homines, ſparſis undequaque ſcriptionibus ac Libellis exquiſita ad fallendum arte compoſitis, non ſine gravi Apoſtolicæ Sedis injuria, maximoque totius Eccleſiæ ſcandalo docere non ſunt veriti, ad obedientiam præfatis Apoſtolicis Conſtitutionibus debitam non requiri, ut quis prædicti Janſeniani Libri ſenſum in antedictis quinque Propoſitionis, ſicut præmittitur, damnatum, interiùs, ut hæreticum, damnet; ſed ſatis eſſe ſi ea de re obſequioſum (ut ipſi vocant) ſilentium teneatur. Quæ quidem aſſertio, quàm abſurda ſit & animabus fidelium pernicioſa, ſatis apparet, dum fallacis hujus doctrinæ pallio, non deponitur error, ſed abſconditur; vulnus tegitur, non curatur; Eccleſia illuditur, non paretur; & lata*
pag. 386. *demum filiis inobedientiæ via ſternitur ad fovendam ſilentio hæreſim ..... Quin etiam eò impudentiæ nonnullos deveniſſe compertum eſt, ut veluti naturalis honeſtatis, nedum Chriſtianæ ſinceritatis obliti, aſſerere non dubitaverint, præfatæ formulæ à memorato Alexandro Prædeceſſore præſcriptæ ſubſcribi licitè poſſe, etiam ab iis, qui interiùs non judicant, prædicto Janſenii Libro doctrinam hæreticam contineri. Quaſi verò, contra quod ſcriptum eſt, Qui loquitur veritatem in corde ſuo. Et, Qui jurat proximo ſuo, & non decipit; hujuſmodi erroris ſectatoribus liceret Eccleſiam ipſam jurejurando decipere, ſimulque Apoſtolicæ Sedis providentiam fallere..... Ne hujuſmodi pravi homines Catholicæ Eccleſiæ pacem ſubvertere impunè pergant, & ſimplicium ac puſillorum mentibus imponere .... ut quævis impoſterum erroris occa-*
pag. 390. *ſio penitùs præcidatur, atque omnes Catholicæ Eccleſiæ filii Eccleſiam ipſam audire, non tacendo ſolùm (nam & impii in tenebris conticeſcunt) ſed & interiùs ob-*
pag. 391. *ſequendo, quæ vera eſt Orthodoxi hominis obedientia, condiſcant, hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione. Obedientiæ, quæ in præinſertis Conſtitutionibus debetur, obſequioſo illo ſilentio minimè ſatisfieri; ſed damnatum in quinque præfatis Propoſitionibus Janſenii Libri ſenſum, quem illarum verba præſeferunt, ut præfertur, ab omnibus Chriſti fidelibus ut hæreticum, non ore ſolùm, ſed & corde rejici ac damnari debere; nec alia mente, animo aut credulitate ſupradictæ formulæ ſubſcribi licitè poſſe: ita ut qui ſecus, aut contra, quoad hæc omnia, & ſingula, ſenſerint, tenuerint, prædicaverint, verbo vel ſcripto docuerint, aut aſſeruerint, tanquam præfatarum Conſtitutionum tranſgreſſores, omnibus & ſingulis illarum cenſuris & pœnis omnino ſubjaceant, eadem auctoritate Apoſtolica decernimus, declaramus, ſtatuimus, ordinamus.*

Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus an. 1705. Pariſiis congregatus, hanc Clementis XI. Conſtitutionem ſolemniter recepit ac probavit, datis tum ad Pontificem gratulatoriis, tum ad cæteros Galliæ Epiſcopos encyclicis Litteris die 14. Sept. ejuſdem anni; quibus eos, & de dicta Conſtitutione à ſe communi omnium plauſu recepta, certiores faciunt; & invitant, ut eam pariter recipiant ac promulgent. Rem ſumma religione executi fuere ſinguli ſuis in Diœceſibus Epiſcopi.

Qua-

Digitized by Google

Quapropter jam cauſa finita eſt, dejectis & expugnatis omnibus illis præſidiis, quibus hactenus Janſeniani tutos ſe ac ſecuros confidebant; falſas intelligo, tum Clementis IX. tum Innocentii XII. Decretorum interpretationes, tum ipſummet religioſum ſilentium, ad quod velut ad munitiſſimam & inexpugnabilem arcem confugerant. Inde expulſi, non eſt in quo certi conſiſtant, nec aliud videtur ſupereſſe, quàm ut Eccleſiæ ſincerè obſequantur.

Fallimur; infinitæ ſunt hominum illorum aſtutiæ, fraudes, vitilitigationes, fallaciæ. At enim, ut Conſtitutioni parere videantur, vel ipſum Janſenii Librum, ſarta tectaque ejus doctrina, multi repudiant; hiſque qui palàm & apertè rebellionis ſignum contra Clementinam Conſtitutionem erigunt, adverſari ſe, indignabundi profitentur. Verumtamen ut ſpecioſum magis, quàm verum Eccleſiæ præſtetur obſequium, ejuſque Conſtitutio eludatur potius quàm ad ejus mentem omni ex parte obſervetur, varii varias iniere vias. Eorum ſententias nitidè refert refellitque anonymus quidam, in Libello cui titulus eſt, *Defenſio Epiſtolæ Leodienſis confutata*. Cùm verò ferè omnes ante Clementis Conſtitutionem emerſiſſent, eas data occaſione, ubi de Formularii ſubſcriptione, attigimus.

Unam quæ præ cæteris acriùs impugnata & defenſa fuit, neceſſe eſt hìc exponere. Eam propoſuit Leodienſis Eccleſiæ Canonicus Theologus, in brevi quadam Epiſtola Latinè ſcripta, typis edita an. 1705. tum in prolixiori Libro cui titulus, *Defenſio auctoritatis Eccleſiæ*, Leodii typis edito.

Obſervat pag. 5. Defenſionis, poſt Conſtitutionem Clementis ſtare non poſſe ſententiam quorumdam, qui antea cenſebant, quòd etſi formula manifeſtè contineat factum Janſenii, nihilominus exiſtimabant mentem Alexandri VII. fuiſſe, ut ſubſcriptio nec directè, nec obliquè traheretur ad factum, ſed ſolummodò ad jus: eo quòd arbitrarentur, factum eſſe conſiderandum dumtaxat tanquam connotatum, aut propoſitionem incidentem. *Juvat*, inquit Auctor, *rem illuſtrare comparatione, qua nullam vidi hactenus magis appoſitam afferri. Puta Regem jubere comprehendi talem virum in tali domo commorantem. Mandatum nil definiret, niſi hunc eſſe comprehendendum, non ſpectaret directè niſi ad hominis incluſionem; mens Regis eò tantùm reipſa vergeret, ut iſte comprehenderetur ubicumque latitaret. Circumſtantia adjuncta, illum commorari in tali domo, eſſet mera indicatio incidens, aut connotatio accidentaria, ut loquuntur, erga Mandatum. In hac comparatione, per Regem intellige Papam: per hominem damnatum ad vincula, quinque Propoſitiones: per domum, Librum Janſenii. Ita ſatisfeciſſet Eccleſiæ, qui juraſſet ſubmiſſionem erga jus, & ſervaſſet reverentiam erga factum debitam Eccleſiæ, nempe non contradicendo.* Quòd iſtam nobis quorumdam ſubſcribentium detexerit fallaciam, eamque poſt Conſtitutionem intolerandam eſſe addiderit, Auctori gratulandum eſt.

Verùm monere debuerat, nec ante Conſtitutionem tolerari potuiſſe. Ad quid enim inſtituta fuerat formula, niſi ad ſenſum Janſenii unicè proſcribendum? Attributio ergo Propoſitionum Libro Janſenii, non eſt incidens aut connotata tantùm, reſpectu ſubmiſſionis quæ per ſubſcriptionem exhibetur; ſed eſt determinatio ſenſus qui à ſubſcribente damnari debet.

Jam verò ut Leodienſis ſyſtema penitùs intelligatur, ad hæc capita revocari poteſt.

I. Factum Janſenii relinqui à Summo Pontifice, inter ea quæ non certiſſimè *Pag. 41.*

 mè

mè conſtant: ex quo conſequens eſt, adhæſionem mentis circa tale factum, omni ex parte firmam non eſſe, & ab omni formidine erroris immunem.

II. Submiſſionem illam inniti piæ credulitati quam ſpiritus pietatis inſtillat; perſuadendo credibile non eſſe, Eccleſiam in illis circumſtantiis unquam deceptum iri. Motivum autem illius credulitatis, infallibilitatem Eccleſiæ minùs famoſam appellat pag. 79. & 80.

III. Ut explicet quomodo non obſtante errandi formidine, poſſit Formularium cum juramento ſubſcribi, aſſerit non jurari factum, ſed tantùm ſinceritatem & piam mentis credulitatem, qua facto ſubſcribitur. Gratulatur ſibi de ſuo ſyſtemate dictus Theologus, jactatque ita removeri vana terricula, Pag. 26. & 27. quibus animæ Deum metuentes à formula ſubſcribenda deterrebantur: addit, vix reperiri poſſe, qui tali ſententia poſita, ſubſcriptionem refugere poſſint.

Notanda eſt imprimis ratio, qua aſſerit poſſe adduci ad ſubſcribendum, vel eos ipſos qui ex propria ſententia certò ſe ſcire aſſerunt Janſenium reipſa non docuiſſe quinque Propoſitiones. *Totidem*, inquit, *verbis propoſitiones in* Pag. 33. & 34. *Janſenii Libro contineri nemo contendit*; *imò*, *nec Janſenio voluminis auctori*, *animum fuiſſe illas docere*: *ſed tantùm*, *in Janſenii Libro reperiri ſenſum naturalem quinque Propoſitionum*, *ſive ex mente ipſius*, *ſive præter mentem ob minùs accuratos loquendi modos*. Et poſtea .... *Janſenius dum nimis extendit Auguſtini dogmata*, *ſic loqui potuit ut ſancta Sedes ſenſum quinque Propoſitionum meritò ipſi tribuerit*, *tametſi* ...... *dum per ſe ipſum advertit rem iuſto longiùs progredi*, *rectè ſit locutus* .... *Quin imò*, *nec ſancta Sedes*, *nec Epiſcopi negant*, *rectum ſenſum tribui poſſe volumini damnato*. Sic animas Deum metuentes ſolatur, ſcrupuloſque quibus vexantur, Scriptor ille depellit. Omnibus, ſi paucos excipias, diſplicuit inaudita, licèt facilis ſubſcribendi via. Ex una parte, contra eam Janſenii defenſores rigidi plura edidere Opuſcula, qualia ſunt, *Defenſio Epiſtolæ Leodienſis confutata*, de qua ſuperiùs. *Obedientiæ credulæ vana religio. Divers Ecrits ſur la ſignature du Formulaire. La juſtification du ſilence reſpectueux.* Eam pariter ex altera parte confutarunt ſcriptis ſuis plures Catholici: inter eos eminet Illuſtriſſimus Cameracenſis Archiepiſcopus, tribus Epiſtolis nervosè, nitidè ac eleganter conſcriptis.

Sereniſſimus Elector Colonienſis, Epiſcopus & Princeps Leodienſis, die 10. Maji an. 1708. vetuit, idque, ut ipſe teſtatur, de mandato S. Pontificis Clementis XI. ne typis Leodii mandaretur, aut alibi impreſſum venderetur, quod Auctoris iſtius doctrinæ favere videretur. Prohibitionis hanc affert rationem: *Ne ſcilicet*, *cum gravi animarum periculo irrepat doctrina auctoritati ſanctæ Sedis Apoſtolicæ contraria*, *diſcrepanſque à mente S. Pontificis nominatim expreſſa in Conſtitutione quæ incipit*, *Vineam Domini Sabaoth*.

His ferè momentis videtur confutari poſſe dicta opinio.

I. Intoleranda prorſus viro Catholico videri debet opinio, quæ aſſerit factum Janſenii relictum eſſe inter ea quæ non certiſſimè conſtant: quaſi verò poſt tot emiſſas ab Eccleſia Conſtitutiones, in problema deduci poſſit, utrùm doctrina Libri Janſenii hæretica ſit & perverſa. Firmam verò & ab omni formidine erroris immunem eſſe debere mentis adhæſionem, ſuprà demonſtravimus.

Et certè hæc verba Formularii, *ſincerè damno ac rejicio*, aut certitudinem omnimodam, aut opinionem tãtùm ſeu credulitatem quamdam ſignificant. Si cer-

certitudinem omnimodam; ergo omnino certus eſſe debet qui ſubſcribit, in Janſenio extare quinque Propoſitiones: ſi ſolam opinionem; ergo nec ſufficienter exprimitur firma adhæſio mentis, circa hæreticam pravitatem Propoſitionum: iiſdem enim verbis, & juri facto adhæſio exprimitur.

II. Fundamentum ſubmiſſionis qua ſatisfieri Eccleſiæ contendit, illud præſertim habet incommodi, quòd eos ſolos qui ſpiritu pietatis aguntur, impellere ad obſequium valeat; imparque ſit revincendæ pertinaciæ, aut captivandæ menti hominum illorum, qui Eccleſiam in facto erraſſe compertum ſibi ac evidens eſſe aſſerunt.

III. Si factum non juratur, nec ipſa quoq;] hæreticitas Propoſitionum jurabitur. Præterea ſi factum non juratur; ergo ſola mentis ſubmiſſio, qua quinque Propoſitiones Janſenio tribuuntur. Cùm verò illa mentis adhæſio, non ſit niſi probabile judicium de facto Janſenii, juxta illum Auctorem; atq; probabile judicium de veritate alicujus facti, judicium probabile contradictorium non excludat, ita fieri poterit, ut qui jurat ſe damnare quinque Propoſitiones in ſenſu Janſenii propter auctoritatem Eccleſiæ, eaſdem ſubinde ſe probare juret, propter aliud quodcumque motivum probabile.

Dum verò lætus & ovans plaudit ſibi, quaſi facilem omnibus viam ad proſcribendum Janſenii Librum aperuerit, ipſe ſe parum ab eo defendendo alienum prodit ac demonſtrat. Extant quidem in Auguſtino Janſenii, juxta ipſum, minùs accurati loquendi modi, dum nimis extendit Auguſtini dogmata. Sic loqui potuit, ut ſancta Sedes ſenſum quinque Propoſitionum meritò ipſi tribuerit; ſed tamen dum per ſe ipſum advertit ſe juſto longiùs progredi, rectè locutus eſt; imò, nec ſancta Sedes nec Epiſcopi negant, rectum ſenſum ex collatis totius Operis ſententiis, ſeu ex toto Volumine erui poſſe. Ergo duriores tantùm loquendi rationes apud Iprenſem carpit Eccleſia? Ergo ſyſtema doctrinæ illius defendi poteſt, ſalvo Eccleſiæ judicio? Ergo temperatis vocibus eadem dogmata propugnare licebit? Ita in Janſenianorum partes abire cogitur, qui *famoſam*, ut loquitur Auctor Epiſtolæ, *Eccleſiæ infallibilitatem* abjudicare non dubitat.

Atque hæc nobis hiſtoricè referenda erant de cauſa Janſenii. Jam verò, quod alterum promiſimus ac gravioris momenti eſt, ſyſtema doctrinæ ipſius evolvendum.

Syſtema Doctrinæ Janſenii.

Ex quo Apoſtolicis Conſtitutionibus doctrina Janſenii quinq; famoſis Propoſitionibus expreſſa, confoſſa fuit, ſectatores ejus contentiori voce inclamare non ceſſarunt, illam cenſuram nihil ad Janſenium pertinere, ac in vanum dumtaxat erroris phãtaſma ſeu quoddam ſimulacrum recidiſſe. Infinita propemodum hinc & inde edita Librorum volumina, controverſiam exacuere magis, necdum finire potuerunt: Diviſis animorum ſtudiis, Eccleſiæ pax turbatur, ac debita Sedis Apoſtolicæ Decretis reverentia violatur. Ex iis qui Janſenio vel ejus defenſoribus favere impenſiùs viſi ſunt, multi rem, de qua agitur, neque norunt, neque omnino noſſe potuerunt, quales imperitæ mulieres, Moniales, illiterati. Multos aliunde cæca quædam ſectandæ novitatis prurigo, deſiderium aucupandę ingenioſi hominis gloriolę, cujuſdam auſterę pietatis ac ſeve-

ſeverioris diſciplinæ ſpecies ſeduxit ac Janſenianis addixit; quibus affectu & mechanico potius impetu etiamnum adhærent, quàm diſcretionis ac ſcientiæ judicio. Qui verò ſcientia & Litteris apud eos plurimùm valuerunt; ii ſtupenda mole voluminum, multiplici verborum apparatu, fallacia & ambiguitate, controverſiam totam ſic involverunt & obſcurarunt, ut Janſenianam hæreſim, in fumos & evanidum phantaſma convertant. Quamobrem rei Catholicæ plurimùm intereſt, genuinam Janſenii doctrinam ex immenſa illa voluminum mole, ac offuſis non ſine conſilio tenebris extricare, & in apertam lucem educere; ut apertiſſimè pateat, Eccleſiam non falſa quadam erroris imagine deluſam fuiſſe, ſed veram ac realem hæreſim in Libro Janſenii deprehendiſſe ac proſcripſiſſe.

Quotquot extitere hactenus defenſores Janſenii, omnes communi conſilio univerſam ejus doctrinam ad unum gratiæ ex ſe efficacis, ſenſu ſcilicet Janſenii, caput, revocandam eſſe affirmarunt: hoc unum ipſi capitale dogma eſſe, cum quo cætera nexu indiſſolubili cohærent ac connectuntur. Janſenianis id ultrò concedimus, quos ut imitemur, ac preſſiùs ſequamur, totum Janſenianæ doctrinæ ſyſtema ad unam delectationem relativè ſuperiorem, in qua gratiam efficacem Janſenius ipſe collocat L. 8. de Gratia Chriſti cap. 2. & alibi paſſim, revocabimus. Hæc primum àc unicum principium eſt, in quod grande Janſenii volumen reſolvitur. Hæc origo eſt àc radix, unde, velut à fonte fluvii, quinque Propoſitiones neceſſariò dimanant; quas Janſenius ipſe, velut totidem concluſiones à ſuo principio indivulſas derivavit: quo ſtante, ſtant: quo everſo, evertuntur.

Janſenianæ doctrinæ circa delectationem victricem ac ſuperiorem brevis ac contracta delineatio.

Duplex eſt delectatio, una cœleſtis, quæ ad bonum; altera terrena, quæ ad malum inclinat & atrahit. Utraque victix & ſuperior dici poteſt. Victrix, quia voluntatis conſenſum certò exprimit: ſuperior, quia illum exprimit propter majores quas habet vires, comparatè ac relativè ad oppoſitam minorem delectationem. Vox ipſa, *Superior*, relationem hanc ſeu reſpectum ad inferiorem importat: non ita verò vox hæc, *Victrix*, quæ abſoluta eſt, & à gradibus oppoſitæ delectationis, ſive majoribus, ſive minoribus, planè independens. Quo ſenſu, ut dicemus poſtea, nonnulli Theologi victricem agnoſcunt, & quidem innoxiè, gratiæ delectationem; non verò ex gradibus, ſeu relativè ſuperiorem.

Janſenius è contra, victricem ideo cenſet, quia viribus ſeu gradibus ſuperior eſt oppoſita delectatione: quapropter in titulo, victricem & ſuperiorem ſimul appellamus.

De illa victrici gratiæ delectatione fusè diſſerit Janſenius L. 4. de Gratia Chriſti primis undecim capitibus.

Summa doctrinæ ipſius hæc eſt: Voluntatem hominis infirmam & per peccatum multùm depreſſam, nonniſi victrice quadam ac dominante indeliberata delectatione, ſeu cœleſti ſeu terrena, ad bonum vel ad malum inflecti ac determinari poſſe. Delectationem hanc unicum eſſe pondus quo jam ad agendum neceſſariò applicatur; juxta iſtud quod centies obtrudit S. Auguſtini effatum:

Se-

Secundùm id operemur neceſſe eſt, quod amplius nos delectat. Ita ut impoſſibile ſit majorem delectationem vinci à minori. Quomodo ſi in bilance duo fuerint pondera inæqualia, neceſſe omnino eſt eam bilancis partem deprimi ac inclinari, in qua majus eſt pondus: nec unquam fit, imò nec fieri poteſt, ut majus à minori trahatur; cùm nulla ſit inter illa duo proportio. Tota ſcilicet vis delectationis, in mente Janſenii, relativa eſt; id eſt, per comparationem ad oppoſitas ſibi vires. Si major fuerit vis gratiæ, quàm concupiſcentiæ, neceſſe erit voluntatem benè operari: è contra malè, ſi viribus prævaluerit concupiſcentia. Major enim eſt reſiſtentia concupiſcentiæ, quàm virtus gratiæ parvæ, ait unus ex præcipuis Janſenii patronis. Sainte Beuve.

Atque ita in eo ſyſtemate Janſenii, delectatio illa ſuperior quaſi ex mechanica lege voluntatem movet ac rapit, ſive ad bonum ſive ad malum, prout cœleſtis vel terrena præponderat. *Quia*, inquit Auctor recentior, *hæc eſt in omni ſtatu, immobilis divinæ providentiæ lex conſtituta, ut actio ex proportione majoris inæqualitatis oriatur, qua agens ſibi ſubjiciat paſſum, & major vis vincat minorem.* Neque id profectò mirum in ſyſtemate Janſenii videri debet, cùm ne æqualem quidem delectationem ab alia oppoſita æquali ſuperari unquam poſſe, ac voluntatem eo in caſu in medio æquali in ſuſpenſo remanſuram eſſe doceat: *Alternante delectationum fluctu*, inquit c. 10. Lib. 4. de Gratia Chriſti, *in medio remanebitur*. Imò, in hoc potiſſimum Semipelagianos erraſſe contendit, quòd dicerent, in æqualitate virium gratiæ & concupiſcentiæ voluntatem ſuperare poſſe cōcupiſcentiam & ad benè agendum ſe ipſam determinare. *Maſſoulié T. 2. diſ. 3. q. 6. art. 1. p. 209.* *T. 3. pag. 184. col. 2. C.*

Cùm hęc paucis mox delineata Janſenii circa delectationem ſuperiorem doctrina, totius ſyſtematis ipſius baſis ac fundamentum ſit, paulò enucleatiùs ac diſtinctiùs evolvemus hujus delectationis naturam, neceſſitatem, modum agendi, intimam cum famoſis quinque Propoſitionibus connexionem; diſcrimen denique, tum à Thomiſtica phyſica præmotione, tum à delectatione ſimpliciter victrice, ex qua Catholici nonnulli vim ac efficaciam gratiæ repetunt.

Natura delectationis.

Delectatio eſt vitalis animi motus indeliberatus, quo voluntas fertur in aliquod objectum, tanquam ſibi conveniens ac jucundum. *Quid eſt delectari hominem juſtitia, vel mendacio*, ait Janſenius L. 4. de Gratia Ch. c. 11. *niſi actu aliquo in juſtitiam vel mendacium tanquam ſibi convenientia & jucunda moveri? Motus autem ejuſmodi voluntatis, non fit niſi actu quodam vitali..... Delectatio iſta quam ad omnia opera bona S. Auguſtinus exercenda poſtulat, non eſt aliud, quàm actus quidam indeliberatus cœlitùs immiſſus in voluntatem, per quem ei bonum propoſitum ſuaviter placet..... Dicimus igitur, delectationem iſtam ſeu ſuavitatem in Aug. celebrem, eſſe partim primum illum & indeliberatum affectum animæ, qui actualis complacentia eſt, partim etiam & crebrò ſecundum, qui deſiderium deliberatum dicitur, quibus anima ita ſuaviter ac delectabiliter in bonum appetendum rapitur, ut voluntas ei actu libero conſentiat ac bonum diligat, tantò vehementiùs, quantò fortiùs illis actibus rapitur.* *T. 3. pag. 185. col. 1. B.* *Ibid. D.*

De ipſa pariter concupiſcentiæ delectatione, ibid. ait, *Delectationem quæ conſenſum in peccata præcedit, & ſuggeſtionem ſequitur, non aliud eſſe niſi deſiderium illicitum, indeliberatum, quo animus etiam repugnans in peccatum inbiat;* *pag. 186. col. 2. A.*

biat; vel certè primum ipſum concupiſcentiæ motum, tanquam amorem quemdam indeliberatum, per quem homini etiam invito peccare lubet, quamvis conſenſio non ſequatur.

Delectatio illa dicitur actus indeliberatus, quia rationis advertentiam & voluntatis conſenſum antevertit. *An ipſa voluntas*, ait Janſ. L.8. de Gratia
Ibid pag. Chriſti cap. 3. *facit ut delectet ſi voluerit? Abſit. Hoc enim ut occurrat*, inquit
344. col. 2. A. *Auguſtinus, non eſt in hominis poteſtate*. Et iterum. *Quis habet in poteſtate ut*
L.1. ad *vel occurrat, quod eum delectare poſſit, vel delectet cùm occurrerit?*
Simpl. q. 1. Illi verò motus primùm indeliberati, ſubinde deliberatos producunt. *Ut ſanè meritò S. Auguſtinus*, ait Janſen. L.4. cap. 11. *actus illos indeliberatos amoris ac deſiderii, quibus anima ſuaviter in Deum deliberato actu diligendum*
Ibid pag. *ſuſcitatur, invitatur, trahitur, rapitur, nomine dulcedinis, ſuavitatis ac dele-*
185. col. 2. E. *ctationis deſignaverit.*

Præter duplicem illum delectationis motum, unum indeliberatum, alterum deliberatum, tertius eſt, ait Janſenius ibid. initio capitis, *qui dicitur gan-*
Ibid pag. 184. col. *dium, per quem animus in bono præſente, cum quadam ſatisfactione & fruitio-*
2. E. *ne conquieſcit. De iſto delectationis actu non loqui Auguſtinum perſpicuum eſt. Eſt enim terminus deſiderii, tanquam cujuſdam motus quo voluntas ad delectationem iſtam tanquam ad quietem ſuam tendit. Delectatio verò ſeu ſuavitas, de qua multa S. Doctor tradidit, etiam ad deſiderandum & amandum Deum libero voluntatis motu neceſſaria eſt.*

Neceſſitas delectationis.

Duo hic docet Janſenius.

I. Delectationis neceſſitatem, non ex natura præcisè voluntatis, ſed ex infirmitate ipſius proficiſci.

II. Delectationem unicum eſſe pondus, quo voluntas nunc, ſive ad bonum ſive ad malum inclinatur.

Primum demonſtrat ex profeſſo L.4. de Gratia Chriſti cap. 9. cujus hic ti-
T.3. pag. 182. 2. tulus eſt: *Neceſſitas delectationis cœleſtis ad benè volendum & operandum, non ex*
col. *natura voluntatis, ſed ex ejus pœna proficiſcitur*. Probat verò, tum ex pec-
Ibid. E. cato primi hominis quod *ſine delectatione præcedente perpetratum eſt*: tum ex gratia ejuſdem, quæ in delectatione ex ſe victrice non conſiſtebat. *Non enim,*
Ibid. pag. ait, *dominabatur voluntati, ſed ei potius dominanti ſubjacebat, ut cum ipſa vo-*
183. col. *luntas ageret aut non ageret, prout ipſi videretur*. Et cap. 10. *Deerat*, inquit,
1. A. *dominatus ille delectationis quæ conſenſum libertatis in alterutram partem flecteret.*
pag. 184. col. 1. A. *Vera itaque ratio*, inquit cap. 9. *cur cœleſtis delectatio ad actus bonos neceſſaria ſit,*
Pag. 183. *ex natura medicinæ ſeu medicinalis adjutorii petenda eſt. Voluntas enim per pec-*
col. 1. B. *catum primi hominis in libidinum imperium præcipitata eſt, ex quibus fit ut in omnibus actionibus ante gratiam, delectatione quadam libidinoſa præeunte ac titillante provocetur, cui conſentiendo peccat.*

Secundum, Voluntatem ſcilicet nec ad bonum nec ad malum, ſine prævia impellente delectatione, ferri poſſe, infinitis propemodum locis repetit Janſenius Lib. 4. mox citato cap. 7. *Cœleſtis illa ſuavitas*, inquit, *mollit viam, ut vo-*
Pag. 177. *luntas ex carnalium rerum viſco emergere poſſit, & ſe ipſam in juſtitiam dili-*
col. 2. C. *gendam figere .... Ex quo fit, ut ſi illa deſit, voluntas veluti torpens ac mortua*

nihil

nihil omnino boni amplecti poſſit: quemadmodum etiam è contrario, nihil in carnalibus diligendis proſequi poteſt, niſi quod eam antea delectaverit. Paulò poſt ait, *delectationem illam eſſe animo inſtar olei aut pinguedinis cujuſdam, ſine qua cardo voluntatis torqueri aut moveri nullo pacto ad bonum poteſt.* Pag. 178. col. 1.B.

Et cap. 10. *Cùm nulla ſit gratia operandi, præter iſtam ſuavitatem Dei, niſi iſta tanta fuerit, ut ei delectationes rerum creatarum ceſſerint, vel peccabitur, vel alternante delectationum fluctu, in medio remanebitur.* Pag. 184. col. 2.C.

Et cap. 9. dixerat. *Quamdiu in hac vita poſt acceptam gratiam militat Deo,* (creatura) *alternante creaturæ & Creatoris delectatione, nunc rectè, nunc perperam facit, prout cæli aut terræ delectatio conſenſum ejus abripuerit.* Pag. 183. col. 2.G.

Peccata etiam ex delectatione prævia perpetrari, docet ibidem cap. 3. *Delectationem cæleſtem*, inquit initio capitis, *eſſe verum ex Auguſtini ſenſu medicinalis gratiæ adjutorium, quod Deus ad juſtitiam operandam voluntati tribuit, ex eo demonſtrari poteſt, quia ſimiliter docet, delectationem terrenam eſſe cauſam cur ab Adami poſteris juſtitia deſeratur ac deſerendo peccetur ..... Hanc igitur delectationem peccatorum antecedere, & ex illa proficiſci quòd ab hominibus peccetur*, non uno loco S. Auguſtinus profitetur. Pag. 172. col. 1.E. Col. 2.B.

Non jam inquirimus quàm parùm cohærenter Janſenius gratiam Angelis & Adamo innocenti datam, in hac ipſa delectatione reponat (Lib. de gratia primi hominis cap. 12.) Namque cùm hæc cœleſtis delectatio nulla contraria oppugnaretur, neceſſe fuiſſet, in mente ac doctrina Janſenii, Angelos & Adamum in bono perſeveraſſe. Hæc enim eſt lex delectationis, ut etiamſi levis fuerit, ſi tamen nulla contraria oppugnetur, neceſſariò conſenſum voluntatis exprimat. At certum eſt, nullam in Angelis & Adamo innocente fuiſſe delectationem terrenam contrariam delectationi cœleſti: neceſſe igitur fuiſſet, Angelos & Adamum neceſſariò amare Deum & perſeverare in bono. Quomodo iſtud cohæreat cum principiis doctrinæ Janſenianæ, non jam quærimus: ſatis nobis eſt impræſentiarum, quòd Janſenius agnoſcat, in præſenti lapſæ naturæ ſtatu prorſus neceſſariam eſſe delectationem. Quis porrò ſit ejus agendi modus, ex Janſenio ejuſque diſcipulis juvat expendere.

Modus agendi delectationis relativè per gradus.

Modus ille agendi poſitus eſt in majori & relativa delectationis virtute, ſecundùm quam neceſſe eſt voluntatem quaſi ex mechanica lege, ut diximus, operari. In conflictu enim duarum delectationum, quarum una gradibus alteri præponderat, neceſſe eſt minorem cedere majori. Audiamus Janſenium.

Libro 8. de Gratia Chriſti cap. 2. *Delectatio victrix*, inquit, *quæ Auguſtino eſt efficax adjutorium, relativa eſt. Tunc enim eſt victrix quando alteram ſuperat. Quòd ſi contingat alteram ardentiorem eſſe, in ſolis inefficacibus deſideriis hærebit animus, nec efficaciter unquam volet quod volendum eſt.* T. 3. p. 344. col. 2.C.

Ex iſto autem agendi modo delectationis relativæ ſeu per gradus, neceſſariò ſequitur, quod mox dicebamus, ſuperiorem nempe delectationem à minori nunquam vinci poſſe. Quod ipſe agnoſcit Janſenius.

Libro 4. cap. 9. *Conflictus ille delectationum ſopiri non poteſt, niſi altera alteram delectando ſuperaverit, & eò totum animæ pondus vergat. Quod enim ampliùs delectat,* Pag. 183. col. 2. A.

Digitized by Google

ctat, ſecundùm id operemur neceſſe eſt. Vigente enim delectatione carnali, impoſſibile eſt ut virtutis ac honeſtatis conſideratio prævaleat.

Pag. 175. col. 1. B. Capite 6. jam dixerat. *Perſpicuè intelligitur, tantopère neceſſariam eſſe iſtam delectationis divinæ gratiam, quando cum terrenarum rerum tentationibus ac delectationibus dimicamus, ut niſi major fuerit quàm terrena, qua noſter affectus detinetur, fieri non poſſit, quin propriæ voluntatis infirmitate vincamur. Major enim delectatio nunquam ſanè delectatione minore ſuperabitur.*

Pag. 184. col. 2. C. Et cap. 10. *Cùm nulla*, inquit, *ſit gratia operandi præter iſtam ſuavitatem Dei, niſi iſta tanta fuerit, ut ei delectationes rerum creatarum ceſſerint, vel peccabitur, vel alternante delectationum fluctu, in medio remanebitur.*

Pag. 315. col. 1. D. Denique, ut infinita hujuſmodi prætermittamus, Lib. 7. cap. 5. *Cùm igitur*, inquit, *juſtitiæ vel peccati delectatio ſit illud vinculum, quo liberum arbitrium injuſtitia vel peccato ita firmiter ligatur & retinetur, ut quamdiu iſto ſtabiliter poſſidetur & conſtringitur, actus oppoſitus ſit extra ejus poteſtatem, ita videlicet ut arbitrium non liberatum eum velle non poſſit.*

Diſcipuli Magiſtrum ſumma conſenſione ſequuntur. Ne unum quidem reperias, qui vim gratiæ efficacis non repetat ex delectatione ſuperiori, ſeu relativè victrice. Ex innumeris hic ſufficient

Cauſa Arnaldina. Pag. 383. col. 1. in fine. Antonius Arnaldus diſſertatione de Gratia efficaci parte 4. art. 6. *Nihil*, inquit, *aliud eſt efficax gratia, quàm victrix delectatio, ſeu amor Dei, quo fit, ut plùs delectet quod præcepit Deus, quàm delectat quod impedit.*

Inter Collect. Diarii p. 212. col. 1. Sambovius his in Scholis quondam Regius Profeſſor, quem Paulus Irenæus Diſquiſitione 4. art. 3. dicit *virum fuiſſe notiſſimæ eruditionis, probitatis, ſinceritatis*, Auguſtinianæ doctrinæ addictiſſimum, qui *enucleatiùs ſenſum Auguſtinianorum aperuit*. Sambovius, inquam, Tractatu de Gratia, quem anno 1651. dictavit, & cujus fragmentum refert loco mox indicato Paulus Irenæus, exponens varios 2. Propoſitionis ſenſus, ait, falicè intelligi poſſe, qua ratione gratiæ reſiſtitur vel non reſiſtitur, ſi tria ſupponantur. 1. *Quòd omnis gratia voluntatis, eſt delectatio victrix.* 2. *Quòd non eſt victrix niſi comparatè.* 3. *Quòd eodem modo de hac re philoſophandum ſit, quo Phyſici de actione & reactione.*

Verba hæc non retulit Paulus Irenæus.

D. Nicole. Pag. 245 Paulus Irenæus Diſquiſitione 5. exponit quomodo gratia ſit comparatè ac relativè victrix, & tamen ſemper vinci poſſit ex majori concupiſcentia. *Gratia efficax*, inquit, *ex Auguſtino eſt delectatio victrix: victrix autem dicitur, quatenùs aliam delectationem vincit. Vincit autem, quia validior & fortior eſt; ſed fortior eſt comparatè ad concupiſcentiæ vires, cum quibus confligit. Ita, ſi augerentur illæ concupiſcentiæ vires, non jam ſuperior, ſed infirmior eſſet; ideoque non vinceret, ſed vinceretur. Ergo, quia concupiſcentia ſemper augeri poteſt & inflammari vehementiùs, nullus eſt gratiæ gradus in hac vita, in quo non poſſit gratia vinci per validiorem concupiſcentiam.*

Pag 105. Dionyſius Raymundus in Libro cui Gallicè titulus, *Eclairciſſement du fait & du ſens de Janſenius*, 1. parte cap. 3. art. 1. ait, *quamlibet gratiam non ſufficere ad omnem effectum producendum, ſed ejus vim & actionem relativam eſſe ad reſiſtentiam ſubjecti.*

Pag. 27. Idem planè legere eſt in famoſis Colloquiis, quæ de quinque Articulis habita ſunt anno 1663. coram Illuſtr. Epiſcopo Convennarum, inter DD. de Lalane & Girard ex una parte, & P. Ferrier Societatis Jeſu ex altera. Integra

gra

Digitized by Google

gra Collatio 4. tota eſt de efficacia gratiæ relativa, ac poteſtate tum abſoluta, tum relativa.

Idem & Auctor Epiſtolæ ſcriptæ anno 1661. ad unum Epiſcopum qui Comitiis generalibus Cleri Gallicani aderat, quam Epiſtolam plurimùm commendant, tum Paulus Irenæus, tum Dionyſius Raymundus.

Plura in re apud Janſenianos certa & conſtanti, quam eorum nullus negavit, referre planè ſuperfluum ducimus.

Ex doctrina hactenus expoſita, ſponte ſua fluit ac naſcitur famoſa diſtinctio poteſtatis abſolutæ & relativæ, quæ cùm Janſenianis tam clara, opportuna & commoda ſit eludendis Eccleſiæ cenſuris, paulò uberiùs ex ipſiſmet videtur exponenda.

Janſeniani duplicem poteſtatem diſtinguunt, unam abſolutam, alteram relativam. Quæ diſtinctio communis clavis eſt qua omnes eorum fallaciæ & æquivocationes in uſurpandis Catholicorum loquendi modis, reſerantur ac deteguntur.

Duplex poteſt obſervari ac diſtingui ad opus bonum potentia quæ per gratiam confertur: una abſoluta, ſpectata ſcilicet tum ipſa in ſe natura gratiæ, tum voluntate Dei antecedente, qua ad bonum tendit & ordinatur, præciſis ſubjecti circumſtantiis: altera verò relativa, facta nempe comparatione illius ad majorem vel minorem actualis oppoſitæ cupiditatis delectationem.

In hac diſtinctione totius Janſeniani ſyſtematis quaſi medulla & ultimæ veluti fibræ reconduntur. Hæc fœcundiſſima radix fallaciarum & æquivocationum omnium, quibus Catholicorum argumenta declinare, ac Eccleſiæ cenſuris ſubducere ſe, verbis in ſpeciem Catholicis, conati ſunt.

Nullo ſcilicet graviori momento Catholici Janſenianos fatigarunt, quàm quòd in eorum ſyſtemate, homo juſtus ſola gratia parva inſtructus & abſente efficaci, veram & expeditam non habeat ad ſuperandam tentationem, præceptumque obſervandum potentiam: eo nempe quòd in ipſo tunc ſupponatur actualis concupiſcentia dominari, ac major eſſe ipſa gratia; adeoque impoſſibile ſit, ut parva illa gratia ſuperiorem vincat cupiditatis hujus delectationem.

Huic eludendo Catholicorum argumento, opportuna maximè viſa eſt æquivocatio vocis hujus, *potentiæ*, cujus involucro tecti Janſenii defenſores, audacter ac jactantiùs aſſeruerunt agnoſcere ſe ac profiteri in eo juſto *ſufficientiſſimam eſſe, perfectiſſimam, completiſſimam, expeditiſſimamque ad ſuperandam tentationem & mandatum obſervandum, facultatem ſeu potentiam*. Verùm, pace dixerim, completiſſima hæc eſt eorum fraus atque fallacia. Perfectiſſimam enim ac completiſſimam intelligunt potentiam abſolutè ac præciſis circumſtantiis, non verò relativè ad illas. Sed juvat eorum verba referre.

Janſenius ſyſtematis parens, Lib 8. de Gratia Chriſti cap. 20. expreſſis verbis ait, remanere in voluntate *perfectiſſimam peccandi poteſtatem, quæ non ſolùm adeſt ineſtque voluntati quando gratiæ delectatione caret, ſed etiam quando intima ejus ſuavitate efficaciter trahitur*. Et paulò poſt. *Quemadmodum igitur*, inquit, *qui ſub gratia ad opus bonum determinante operatur, ſimul etiam peccare poteſt; ita quoque è contrario, qui iſta gratia deſtituitur, ſive fidelis, ſive infidelis, & peccandi tentationibus quatitur, poteſt benè facere*. Potentia certè illa benè agendi, *T. 3. p. 367. col. 2. D. Pag. 368. col. 1. C.*

quam

quam Janſenius agnoſcit ſub ardentiori cupiditate, & malè agendi, ſub mo-
Ib. p. 181. tione gratiæ victricis, relativa eſſe non poteſt. *Vigente enim delectatione carna-*
col. 2. B. *li, impoſſibile eſt*, ait Janſenius L. 4. c. 9. antea citato, *ut virtutis ac honeſtatis*
Ib. p. 344. *conſideratio prævaleat. Tunc enim*, ait idem L. 8. c. 2. *delectatio eſt victrix, quan-*
col. 2. C. *do alteram ſuperat. Quòd ſi contingat alteram ardentiorem eſſe, in ſolis inefficacibus*
deſideriis hærebit animus. Ergo potentia illa merè abſoluta eſt & abſtracta, quæ
ad uſum & exercitium boni vel mali operis nihil omnino conferre poteſt.

Auctor Libelli qui incipit ab his verbis, *In nomine Domini*, ac in lucem
Pag. 14. prodiit anno 1649. ſic loquitur. *Præſtat*, inquit, *animadvertere non docere*
& 15. *nos divinæ gratiæ ſimpliciter & per ſe nunquam reſiſti: quin imò eidem novimus mo-*
Pag. 14. *dò reſiſti, modò non reſiſti, comparatione ſcilicet cupiditatis cum ipſa gratia; ut al-*
tera viciſſim reſiſtat alteri, prout altera viciſſim alteri aut cedit, aut obedit, aut
dominatur, & prævalet. At nec inde fit ut omni prorſus effectu careat aut caruerit
unquam divina gratia, quandoquidem ipſa quatenus ſuperior aut inferior eſt adver-
ſariæ cupiditati, deſiderium efficax aut inefficax in humana voluntate perpetuò gi-
gnit. Et paulò poſt...... *Antiſtes Iprenſis non docuit, divinæ gratiæ ſimpliciter*
Pag. 15. *aut abſolutè nunquam reſiſti, ſed reſpectu ſolummodo cupiditatis, prout hæc gratiæ,*
cum qua dimicat, prægravat, vel ſuccumbit. Cæcus ſit qui hìc non deprehendat
poteſtatem abſolutam & relativam.

Sambovius in Tractatu de Gratia jam citato, Diſputatione 5. art. 6. apud
Pag. 215. Paulum Irenæum Diſquiſ. 4. art. 4. *Legitima eſt*, inquit, *diviſio gratiæ volunta-*
tis propriæ ſtatus naturæ lapſæ per Chriſtum Dominum reparatæ, in gratiam ſuffi-
cientem & efficacem, ſi per gratiam ſufficientem intelligatur gratia parva, ea ſcili-
cet, quæ, cùm ſit efficax ejus effectus ad quem proximè ordinatur, & quem Deus
abſoluta voluntate non intendit, non eſt tamen efficax ejus effectus, ad quem Deus
abſoluta voluntate non intendit, & ad quem ordinatur, quantùm eſt de ſe.

Audis gratiam illam parvam, quantùm eſt ex ſe, id eſt, abſolutè, ten-
dere ad opus bonum perfectum, non verò relativè: quia Deus abſoluta ſua
voluntate, ac ſpectata majori hominis cupiditate, non vult amplius opus
bonum per talem gratiam parvam fieri. Tum rurſus pergit Sambovius: *Gra-*
tia quæ parit deſideria parva, & imbecillem dat voluntatem, licèt ſit efficax ratio-
tione hujus effectus, eſt tamen ſufficiens reſpectu ulterioris effectus; quia quòd eum
non ponat, non eſt defectu virtutis, quæ de ſe habet omnia quæ requiruntur ad effe-
ctum illum ponendum, ſed ratione reſiſtentiæ ſubjecti, quia ſcilicet gratia victrix
eſt, non abſolutè, ſed comparatè duntaxat ad minorem concupiſcentiam. Deus ve-
rò non intendit ſua abſoluta voluntate ultimum hunc effectum poni in ſubjecto ſic reſi-
ſtente. Major enim eſt, ait ibidem, *reſiſtentia concupiſcentiæ, quàm virtus gra-*
tiæ parvæ. Nihil clarius ac diſertius proferri poteſt.

Cauſa Arnaldina p. 318. col. 2. Arnaldus in ſua Diſſertatione de Gratia efficaci, parte 2. art. 4. *Si de aliquo*
juſto, inquit, *cui gratia efficax in aliqua tentatione deſit, quæratur an ſine gratia*
efficaci ad vincendam tentationem neceſſaria, quam ſupponimus ipſi defuiſſe, tenta-
tionem vincere potuerit; tunc ex communi omnium loquendi ratione reſpondebitur,
non quidem abſolutè, ſed in illa hypotheſi, ſine hac gratia non potuiſſe.

Audis, in illa hypotheſi; hoc eſt, relativè ad majorem cupiditatem. Idcir-
Pag. co verò aſſerit talem juſtum potuiſſe abſolutè ſuperare tentationem, quia gra-
357. col. tiam ſufficientem habet: quæ, inquit ibid. parte 3. art. 12. *in nobis initia bonæ*
1. *voluntatis producit, atque adeo quamdam benè agendi potentiam & virtutem largi-*
tur;

Digitized by Google

tur; quæ, *niſi validior ei concupiſcentia reſiſteret, non modò boni operis deſiderium*
fructu vacuum, ſed ipſum bonum opus re ipſa produceret. Rem ibidem art. 5. illu-
ſtrat naturali exemplo ignis. *Quemadmodum*, inquit, *omnis ignis urendi virtu-*
tem & poteſtatem habet, non tamen quidvis urendi, v. g. auri liqueſaciendi, vel Pag.
lapidis in calcem redigendi; ita ut ſi de igne generatim quæratur, an poſſit urere, 340. col.
abſolutè reſpondendum ſit poſſe: ſed ſi quæratur utrùm exiguus ignis poſſit lapidem in 1.
calcem redigere, vulgò non poſſe reſpondebunt. Sic omnis charitas vel exigua, poteſtas
eſt bonorum operum; & ſi quæritur, utrùm qui bonam voluntatem habet, poſſit be-
nè agere, poſſe procul dubio reſpondendum eſt. Non tamen omnis bona voluntas ad
quidvis efficiendum ita ſufficit; ut non aliquando pleniorem voluntatem requirat.

Paulus Irenæus poteſtatem illam abſolutam quæ eſt in gratia parva, diſer- Pag.
tiſſimè exponit Diſquiſitione 1. art. 4. *Etiamſi juſti*, inquit, *in hoc ſtatu conſtitu-* 190. col.
ti veram habeant implendi mandata poteſtatem per gratiam illam tum habitualem, 1.
tum actualem; illa tamen poteſtas non complectitur omnia ad agendum neceſſaria .....
Si gratia ſufficiens Thomiſtico ſenſu uſurpetur pro ea quæ tribuit poſſe internum à gra-
tia efficaci applicandum, certum eſt omnes juſtos volentes & conantes, nunquam ca-
rere ejuſmodi gratia. Et art. 5. *Inefficax gratia eadem prorsùs eſt atque ea quam Tho-* Ib. col. 2.
miſtæ modò ſufficientem vocant, modò excitantem. Hæc tribuit poſſe & vires ad alium
effectum quem non habet ...... quamvis iſta gratia ſit inefficax reſpectu boni operis, ad
quod ex natura ſua tendit. Vides per gratiam illam parvam, conferri potentiam
ad bonum opus, ad quod ex natura ſua tendit; potentiam, inquam, abſolutam.

Diſquiſitione 2. art. 5. in quarto ſenſu contendit, Janſenium nuſquam ab Pag.
homine juſto removiſſe potentiam illam in actu primo. *Ridiculum mihi vide-* 198. col.
tur, inquit, *Janſenio conſilium tribuere, ut grande volumen compoſuerit ad ever-* 1.
tendam potentiam quamdam in actu primo, quæ nunquam in actum prodeat. Quid
enim illi obeſt talis potentia? ..... Omninò magna quædam & gravis quæſtio eſt, utrùm
ſit neceſſaria gratia efficax ad benè agendum. At illa ſemel ſtabilita, de gradibus il-
lius benè agendi potentiæ, quæ in juſtis, etiam gratia efficaci deſertis, manet, quæ-
que nullum unquam ſola producit actum, operosè diſputare, otioſorum hominum eſſe
videtur. Quamobrem, ne quis mihi de illa negotium faceſſat, profiteor illam me lo-
care in ſummo gradu, dummodo nunquam ex illo gradu in actum ullum prodeat ſine
efficaci Dei auxilio. Quam hìc in ſummo gradu ſe collocare potentiam affirmat
Paulus Irenæus; hanc Diſquiſitione 3. art. 22. dicit *eſſe ſufficientem, ſufficientiſſi-*
mam, completam, completiſſimam, plenam, pleniſſimam, expeditam expeditiſſimam.

Diſquiſitione 4. art. 3. ait *gratiam illam parvam fruſtrari eo effectu ad quem or-* Pag.
dinatur per voluntatem Dei antecedentem. Eadem Diſq. art. 4. oſtendit Janſenia- 206. col.
nos nuſquam impugnaſſe gratiam ſufficientem *ſenſu Thomiſtico*. Et art. 5. ad- 2.
dit, *nec eos impugnaſſe proximam potentiam ſenſu Thomiſtico, licèt eam remotam* Pag.
congruentiùs dicendam eſſe ſentirent. Ibid. art. 20. *Cùm*, inquit alloquens Anna- 215. col.
tum, *expeditiſſimas, completiſſimas, ſufficientiſſimas, proximas potentias, ſine ef-* 1.
ficaci auxilio nunquam in actum prodeuntes plenis manibus tertia Diſſertatione in ſi- Pag. 84.
num tuum congerebam, nemo Auguſtinianorum reclamavit, aut me queſtus eſt libe- Pag.
raliorem eſſe quàm par erat. Nullus opinor fraudem non detegit in his magni- 223. col.
ficis titulis, quibus Paulus Irenæus potentiam illam liberaliter exornat, *ne-* 2.
mine, ut ipſe ait, *Auguſtinianorum reclamante*: quia ſcilicet una eſt eorum
omnium mens atque ſententia, his vocibus unam dumtaxat ſignificandi po-
tentiam abſolutam & abſtractam; minimè verò relativam. Capitaliter

etenim

etenim repugnat Janſeniano ſyſtemati, quòd gratia parva completiſſimam, expeditiſſimamque conferat relativè poteſtatem ad vincendam majorem actualem cupiditatem.

Auctor Epiſtolæ jam citatæ ad Epiſcopum ſcriptæ an. 1661. reſpondens Patri Annato contendenti omnem gratiam, in mente Janſenii, eum ſemper effectum aſſequi, quem Deus intendit, ait, Annatum hærere in æquivoco. Quia licèt hujuſmodi gratiæ parvæ quæ impingunt *in animum majori rerum terrenarum amore occupatum, eum non convertant, eo quòd voluntas ſemper eò tendit quò fortiori amore rapitur; attamen ſi in ſe ipſis abſolutè conſiderentur, vim habent ſufficientem ad producendum effectum ad quem tendunt, eumque reipſa producerent, niſi major eſſet concupiſcentiæ reſiſtentia.*

D. Girard. Dionyſius Raymundus in Libro cui Gallicè titulus, *Eclairciſſement du fait & du ſens de Janſenius*, paſſim agnoſcit & commendat potentiam illam veram, quam gratia parva Janſeniana confert ad opus bonum. Vide art. 4. Pag. 18. capitis 1. quartæ partis, ubi ex profeſſo probare nititur, Janſenium gratiam ſufficientem ſenſu Thomiſtico agnoviſſe; eique longè perfectiorem ad opus bonum tribuiſſe potentiam, quàm revera ipſi competat in opinione Thomiſtarum: quia ſcilicet gratia parva ſenſu Janſenii, ſine ullo novo ex parte Dei auxilio poteſt à voluntate bonum opus exprimere, per ſolam ipſius concupiſcentiæ imminutionem; non ita gratia ſufficiens Thomiſtica, quæ quantumcumque voluntas ſana & integra ſupponatur, nuſquam in actum erumpit, niſi ex parte Dei novum accedat auxilium.

Pag. 68. Ibidem art. 4. capitis 2. ait, Deum abſoluta ſua (ſeu conſequente) voluntate, gratias illas parvas, quia parvæ ſunt ac debiles, non deſtinare quidem ad opus perfectum; ſed nihil obſtare quin dicantur ad illud opus deſtinatæ per voluntatem Dei antecedentem: tum quia hæc ſemper tendit ad id quod in ſe bonum eſt: tum quia illæ parvæ gratiæ continent in ſe vim omnem activam, ſeu principium boni operis effectivum, quod reipſa perficerent, ſi Pag. 113. minor foret cupiditatis oppoſitæ reſiſtentia. Idem repetit cap. 6. paralleli.

In famoſis Collationibus quæ an. 1663. habitæ ſunt inter DD. de Lalane & Girard & P. Ferrier Societatis Jeſu, præſente Illuſt. Convennarum, poſtea Tornacenſi Epiſcopo, circa quinque Janſenianorum Articulos, de quibus ſuperiùs diximus, Collatione 4. opponenti Ferrerio, in mente Janſenii juſtos tum ſola delectatione inferiori nullam habere veram ad obſervanda mandata potentiam, quia delectationi ſuperiori voluntas neceſſariò cedere debet; defenſores Janſenii mox appellati reponebant: (verba ſunt Relationis Conferentes, p. 27. Colloquiorum ab ipſis editæ) *In doctrina Janſenii, voluntatem quidem majori delectationi neceſſariò cedere; ſed neutiquam inde conſequens eſſe, tolli diſſentiendi potentiam; quia ut iſtam potentiam voluntas habeat, ſufficit ut dum concupiſcentiæ allicienti actu obſequitur, auxilium habeat ex ſe ſufficiens ad actum contrarium. Hoc porrò veriſſimum eſſe in doctrina Janſenii; ſecundùm quem, ita voluntatem cupiditas ad conſentiendum determinat, ut de virtute, quam in ſe continet gratia excitans, nihil prorſus detrahat.* Et paulò poſt ..... *Motio concupiſcentiæ* (ſuperioris) *efficientiam gratiæ excitantis* (id eſt delectationis inferioris) *non minuit; nec impedit quominus hæc ſufficientiſſimam ex ſe voluntati ad benè agendum potentiam conferat.* Ibidem repetunt quod mox ex Dionyſio Raymundo audivimus; longè perfectiorem ad bene agendum potentiam conferri per gratiam par-

parvam ſenſu Janſenii, quàm per gratiam ſufficientem ſenſu Thomiſtarum?

Auctores quinque Articulorum rem claré explicant Articulo 2. *Quamvis*, inquiunt, *illa gratia ſufficiens in ſe ſpectata effectu illo careat ad quem tendit, ad quem voluntatem excitat, ad quem per antecedentem voluntatem deſtinatur; adeoque falſum ſit, hoc ſenſu omnem Chriſti gratiam ſemper habere eum effectum quem Deus vult: ſi tamen ſpectetur ut cum abſoluta Dei voluntate conjuncta, meritò hoc ſenſu efficax dici poteſt*. Audis gratiam ſufficientem ſeu parvam ſenſu Janſenii, ex ſe tendere, ac ex Dei antecedente voluntate deſtinari ad effectum perfectum, quæ potentia abſoluta eſt; non tamen effectum illum obtinere ex voluntate Dei abſoluta, quæ potentia eſt relativa ad majorem cupiditatis delectationem, qua ſuppoſita, non poteſt illa parva gratia effectum illum producere.

Infinitus eſſem ſi omnia Janſenianorum in rem eandem teſtimonia referre vellem. Lege Librum inſcriptum, *Conformité de Janſenius avec les Thomiſtes*, an. 1667. 1. parte art. 11. pag. 41. & 2. parte pag. 8. 9. & 18. Alium inſcriptum, *Expoſition de la Foi Catholique, touchant la Grace & la Predeſtination*, pag. 167. Alium cui titulus, *Tradition de l'Egliſe Romaine*, Tom. 3. Dominum Nicole in ſuo Syſtemate pag. 39. 40. & 59. Auctorem defenſionis Arnaldinæ, Antverpiæ an. 1700. pag. 510. 511. 512. Librum cui titulus, *La paix de Clement IX*. pag. 92. & pag. 106. Collectaneorum ibidem. Alium inſcriptum, *Reponſe aux remarques ſur les declarations de M. Covet*, apud Hiſtoriam Caſus conſcientiæ Tom. 3. pag. 548. & 556. ubi citat quoque in eandem ſententiam, auctorem Libri inſcripti, *Defenſe des Propoſitions de la ſeconde colonne*. Alium inſcriptum, *Juſtification du reſpectueux ſilence*, Tom. 3. pag. 1316. 1329. 1340. & 1341. Lege denique Epiſtolam ſcriptam ad Dominum Decker Decanum Eccleſiæ Mechlinienſis, pro defenſione Archiep. Sebaſteni & Quenellii. Ejus verba omittere religioni ducimus. Pag. 98. & 99. Auctor Epiſtolæ Quenellius ait, *Gratias inefficaces non dari ex voluntate Dei antecedente, ad aliquos particulares effectus, v. g. converſionem, perſeverantiam, ſalutem: quia nempe voluntas hujuſmodi, in genere tantùm ſeu abſolutè tendit ad illos effectus, abſtractione facta præſentium ſubjecti circumſtantiarum, ad quas attendere debet, qui vera & propriè dicta voluntate effectus illos intendit, mediaque illis obtinendis idonea & proportionata attemperare. Adeoque gratias illas idcirco tantùm ſufficientes appellari reſpectu alicujus effectus, quia ex ſe propriaque natura ad eum tendunt, cujus in ſe activum continent principium; quem de facto aſſequerentur, niſi ſuperior cupiditas primo Dei conſilio in illis gratiis decernendis obſiſteret, ac perfectam impediret mandati executionem. Namque gratiæ illæ*, pergit auctor citatus, *veram conferunt voluntati ad bonum potentiam, tametſi debilem & infirmam: non quidem defectu propriæ virtutis, ſed exceſſu majoris cupiditatis quæ illis gratiis prævalet ac præponderat.*

Quotquot laudavimus hactenus Janſenianæ doctrinæ aſſeclas, ii ſummo conſenſu agnoſcunt in ea parva Janſenii gratia, qua juſti, abſente efficaci, inſtructi ſunt, veram, propriam, perfectiſſimam, completiſſimam, expeditiſſimamque ad ſuperandam tentationem, & præceptum obſervandum poteſtatem. At fallunt illi profectò, ambigua ſignificatione vocis, *potentiæ*. Abſoluta enim ſubintelligunt & abſtractam, conſiderata ſcilicet una gratiæ natura in ſe, præciſis ſubjecti præſentibus diſpoſitionibus: unde talem gratiam per voluntatem antecedentem (quæ à circumſtantiis præſcindit) conferri aſſerunt, non verò relativam ad alias diſpoſitiones ſubjecti. His etenim

con-

conſideratis, Deus voluntate ſua conſequente & abſoluta non vult opus bonum perfectum impleri per talem gratiam parvam, ſed aliquod dumtaxat imperfectum ac inchoatum boni operis deſiderium: quia nempe capitale iſtud eſt apud omnes Janſenianos principium, ſuperiorem delectationem, ſeu cœleſtem, ſeu terrenam, nuſquam ab oppoſita inferiori ſuperari poſſe. *Eſt enim*, ait Janſenius Lib. 3. de Gratia Chriſti cap. 15. *paradoxum in principiis S. Auguſtini, quòd charitas quamvis minima ſufficiat ad quamcumque tentationem ſuperandam, vel quæcumque præcepta ſine tranſgreſſione ſervanda*. Unde planè conſequens eſt, voluntatem hominis juſti ſub motione actualis ardentioris concupiſcentiæ, abſente gratia efficaci, expeditam, ea in hypotheſi ſeu relativè non eſſe, ut poſſit tentationem ſuperare & obſervare mandatum: ac viciſſim, ſub motione gratiæ victricis, expeditam non eſſe relativè ad malum.

T. 3. p. 144. col. 1. E.

Id apertè ſignificant ſuis in Scriptis Janſenii defenſores. Auctor Scripti quod dicitur, *In nomine Domini* an. 1649. *Exiſtimo*, inquit, *duplicem eſſe neceſſitatem, conditionatam alteram, alteram abſolutam. Conditionata eſt quæ ad bonum determinat, per inconſtantem & amiſſibilem gratiam, ut in fidelibus ſanctis: abſoluta eſt quæ ad bonum determinat, per immortalem & inamiſſibilem gratiam, ut in Angelis & beatis. Conditionata dicitur altera, quòd gratia adſiſtente vel abſiſtente, bonum vel malum poſſimus ſimpliciter velle: poſito tamen quòd adſit gratia, jam non poſſimus niſi bonum velle*. Hoc eſt, præſente gratia, ſimpliciter quidem ſeu abſolutè poſſumus malum operari; at relativè non poſſumus. Pariter abſente gratia efficaci, abſolutè & ſimpliciter poſſumus bonum operari ex gratia parva; ſed relativè ad majores cupiditatis vires, non poſſumus.

L'Abbè de Bourzeis. Pag. 20.

Auctor Libri cui titulus, *Conformitè de Janſenius avec les Thomiſtes* an. 1667. parte 2. ait, dominante quidem cœleſti gratia & de cupiditate victrice, cupiditatem ſatis virium non habere ut voluntatem ad illicita pertrahat, quamquam poſſit eam pertrahere. (abſolutè ſcilicet) Unde vice verſa ſequitur, ſub dominio cupiditatis, gratiam parvam ſeu inferiorem non ſatis habere virium ut illam cupiditatem vincat, licèt vincere eam poſſit; nempe abſolutè & facta præciſione majoris illius reſiſtentiæ, non verò relativè ad illam.

Pag. 20.

Paulus Irenæus Diſq. 3. art. 22. non alio ſenſu potentiam illam perfectiſſimam & completiſſimam appellat, quàm abſolutè, non relativè: qua nominis ambiguitate præſuppoſita, confidenter ait, alloquens Annatum, *Juſtis gratia efficaci inſtructis, potentiam non agendi quibuslibet nominibus ornatam tribue quantùm voles: & iiſdem gratia efficaci deſtitutis, quamlibet benè agendi potentiam largire*. Fallit ille profectò: neque enim concederet potentiam relativè expeditam ad vincendam dominantem concupiſcentiam; uti nec relativè expeditam ad impediendum effectum gratiæ victricis. Vide Diſquiſitionem 4. art. 11. & 5. art. 14. quæſtione 3.

Pag. 56.

Similia prorſus docent Dionyſius Raymundus 1. parte cap. 1. art. 5. & 6. & parte 4. cap. 10. Arnaldus in ſua diſſertatione parte 2. art. 4. & parte 3. art. 5. Auctor Libri qui anno 1666. editus ſub hoc titulo, *L'explication de la queſtion de fait* pag. 41. 42. 48. 51. 53. & 72. Et alii quotquot perfectam illam admittunt, ſub motione gratiæ victricis, potentiam ad malum; & ſub dominio cupiditatis ardentioris, potentiam ad bonum.

Pag. 59. & ſeq. & pag. 121.

Ex dictis facilè colligitur,

I. Janſenianos omnes illam abſolutam admiſiſſe potentiam ad obſervandum mandatum, in juſtis ſola gratia parva inſtructis, abſente efficaci.

II. Er-

II. Errorem Janſenianorum, in tali neganda potentia non conſiſtere; imò, ſe idem hac in parte cum Thomiſtis & ſentire & loqui profitentur: tametſi, ut poſtea dicemus, amplum diſcrimen ſit.

III. A Janſeniſmo alienum ac remotum neminem cenſeri debere, eo quòd aſſerat ſe talem abſolutam agnoſcere potentiam: ſed neceſſe eſſe fateri, in homine juſto, abſente gratia efficaci, ex ſola ſufficienti gratia, eſſe potentiam veram, propriam & expeditam relativè ad actualem ejus concupiſcentiam, ut eam nempe ſuperare poſſit. In eo enim præcisè poſitus eſt error Janſenii & diſcipulorum ejus, quòd negent talem potentiam relativam. Si verò in eo non conſiſtat, rogo, aſſignent nobis delectationis ſuperioris patroni qui ſe à Janſenio tam alienos ac remotos jactitant, in quo præcisè poſitus ille ſit. At caveant, ne fictum ac phantaſticum pro vero ac reali errorem obtrudant.

IV. Hanc unam diſtinctionem potentiæ abſolutæ ac relativæ, communem veluti clavim eſſe qua aditus aperitur ad omnes intimos Janſeniſmi receſſus; filum, ſine quo è labyrintho fallaciarum & æquivocationum quibus Janſeniani cenſuram quinque Propoſitionum eludere conantur, extricare ſe nemo unquam poterit. Hac etenim unica vocis, *potentiæ*, æquivocatione ſe ſe involventes, quinque damnatas Propoſitiones verbo damnant, ac reipſa tuentur. 1. Juſtis impoſſibilia non eſſe Dei mandata, impoſſibilitate ſcilicet abſoluta, non autem relativa. 2. Gratiæ interiori reſiſti; nempe quoad effectum ulteriorem ac perfectum quem habere poteſt abſolutè, at non relativè. 3. A libertate excludi neceſſitatem; nimirùm abſolutam & antecedentem, non relativam & hypotheticam. 4. Humanam voluntatem gratiæ reſiſtere poſſe vel obtemperare; ſi nempe gratia in ſe ſimpliciter & abſolutè conſideretur, non verò ſi relativè, ac quatenus ſuperior eſt oppoſita actuali cupiditate. 5. Denique, Chriſtum pro omnibus eſſe mortuum, & Deum velle omnes ſalvos fieri; ob eas ſcilicet gratias ſufficientes quæ multis è reprobis conceduntur, quæque in ſe ſpectatæ, abſolutè poſſunt eos ad ſalutem perducere, non verò ſpectatæ relativè ad præſentes illorum hominum diſpoſitiones. Ita Janſeniani vel unius vocis æquivocatione cenſuras Eccleſiæ eludunt, ac ſeſe in Catholicos transformant.

Illam verò ſuam abſolutam potentiam, quæ totius ſyſtematis arcanum eſt ac quaſi nucleus, multis aliis nominibus, idem planè ſignificantibus, involvunt ac implicant. Quæ, ne fraudi ſint, juvat hìc indicare. 1. Appellant potentiam quæ nunquam erumpit in actum. 2. Potentiam antecedentem, quia præſcindit à circumſtantiis ſubjecti. 3. Potentiam quæ aliquo novo adjutorio indiget ut in actum exeat. 4. Potentiam in actu primo. 5. Potentiam quæ voluntatem perficit in genere potentiæ ſeu actus primi. 6. Potentiam ſuo in genere perfectiſſimam & completiſſimam, nempe abſolutè & in actu primo. 7. Potentiam ſenſu Thomiſtico ſufficientem, quia ſola nunquam actum obtinet. 8. Potentiam in ſenſu diviſo; (nempe circumſtantiarum ſubjecti.) 9. Potentiam abſolutam. 10. Potentiam quam delectatio ex ſe ipſa confert. 11. Potentiam quæ in actum exiret, niſi oppoſita cupiditas fortiùs obſiſteret: quo ſenſu non recuſant eam incompletam appellare, quia ipſi aliquid deeſt ut erumpat in actum; atque ita eadem manu completam dabunt vel incompletam, prout volueris. 12. Potentiam quæ in ſe continet omnem vim activam boni operis producendi. 13. Potentiam à delectatione inſeparabilem. 14. Potentiam ex ſe ſufficientem. 15. Potentiam ab omni obice ſeu impedimento ex parte actus primi liberam & abſolutam. Uno verbo, potentiam per-

perfectiſſimam, completiſſimam, &c. ex lege verò oppoſitorum, relativam potentiam contrariis plarè nominibus appellant.

Delectatio ſuperior ſeu relativè victrix, Janſeniani ſyſtematis baſis ac fundamentum eſt.

Non alium hic teſtem volumus quàm Janſenium. Ipſi autem, delectatio victrix, gratia victrix, gratia efficax, & adjutorium *quo*, idem omnino ſignificant.

T. 1. p. 69 col. 1. C. Libro de Gratia primi hominis & Angelorum cap. 17. loquens de diſtinctione adjutorii *quo* & *ſine quo*, *Hæc eſt*, inquit, *vera clavis, qua aditus in Scripta ejus* (S. Auguſtini) *aperiendus eſt, & ſine qua qui ea molitur ingredi, velut cæcus palpabit in meridie, ac tot tantiſque difficultatibus implicabitur, ut quaſi monſtris occurrentibus territus, Auguſtinum tanquam perplexitatibus, imò, ut quidam auſi ſunt dicere, mille erroribus refertum averſetur. Qui verò, jacto iſto fundamento, diſtinctionem illam* (adjutorii quo & ſine quo non) *velut filum in labyrintho Scriptorum ejus ſecutus fuerit, mirabilis ei occurrit contextus rerum: reſpondent extrema primis, media utriſque, omnia omnibus.*

T. 3. p. 51. col. 2. E. Lib. 2. de Gratia Chriſti cap. 9. *Hæc*, inquit, *in Auguſtini doctrina ſunt planiſſima, ſi filum appareat, quo in iſto te labyrintho regas.*

Et Lib. 7. cap. 6. poſtquam pluribus oſtendit libertatem à peccato conſiſtere, non tantùm in remiſſione præteriti peccati, ſed maximè in adjutorio

Ib. p. 316. col. 2. E. gratiæ quo delectatio titillantis concupiſcentiæ ſuperetur, ait: *Hæc eſt vera & genuina baſis doctrinæ cæleſtis Doctoris de arbitrii ſervitute & oppoſita libertate,*

Pag. 417. col. 2. E. *per quam actus bonos velle poſſit & facere.....* Et poſtea. *Tota moles diſputationis de Chriſti gratia cum Pelagianis, & neceſſitatis ejus, huic veluti cardini innititur, eaque ſubſtracto, eam tueri impoſſibile eſt.*

Idem dixerat Lib. 8. de Hæreſi Pelagiana cap. 1. in ea nempe delectatione

T. 1. p. 181. col. 1. D. victrici, *totam Auguſtini doctrinam de gratia & prædeſtinatione, velut in radice comprehendi.*

Denique Auctor ſynopſeos vitæ Janſenii refert, *eum ſolitum dicere, Auguſtinum à diſcipulis, non à Magiſtris velle intelligi; & falli quiſquis alia opinione occupatus accederet ad ejus lectionem. Addebat omnia pendere ab uno primo principio, unde tota doctrinæ ejus de gratia catena devincta eſſet; & hinc factum, ut qui eò aberrant, extra viam & ſpem inveniendæ veritatis vagentur. Unde ſubridebat potiùs, non mirabatur, quòd contrariarum & diverſiſſimarum opinionum Scholaſtici, omnes tamen Auguſtinum ad ſe traherent; quia unus hunc, alter iſtum annulum medium catenæ arriperent, nemo teneret primum illum capitalem.*

Primus autem ille ac capitalis annulus, eſt delectatio ſuperior relativè victrix: cujus naturam, vim, neceſſitatem, poſtquam Janſenius expoſuit novem primis capitibus Libri 4. de Gratia Chriſti, quæ inde conſequuntur corollaria, evolvit cap. 10.

Quinque autem famoſæ Propoſitiones veluti totidem Concluſiones à delectatione ſuperiori & relativa tanquam à nativo principio derivantur, quod impoſterum demonſtrandum nobis incumbit.

Quinque famoſæ Propoſitiones ex delectatione ſuperiori relativa velut à fonte ac radice à Janſenio derivantur.

Cùm delectatio ſuperior ac relativa, totius doctrinæ Janſenianæ baſis ac fundamentum ſit, neceſſe eſt Janſenium ad eam, velut ad primum ac radicale

cale

cale quoddam principium; revocare quæcumque docet in ſuo grandiori volumine, cui titulus, *Auguſtinus*. Ea verò ſolent revocari, tum ad quinque famoſas Propoſitiones, quibus perfecta continetur totius voluminis analyſis; tum ad duo hæc univerſim capita, nempe, excluſionem gratiæ purè ſufficientis, & neceſſitatem benè agendi, quamquam illæſa libertate, ſub motione gratiæ victricis.

Hæc porrò duo Janſenius infert ex delectatione ſuperiori ac relativa, tanquam ex nativo principio, Libro 4. de Gratia Chriſti cap. 10.

Primò, excluſionem gratiæ purè ſufficientis, his verbis. *Sextò*, inquit, *hinc etiam claret, cur Auguſtinus omnem omnino gratiam purè ſufficientem, ſive ante fidem ſive etiam poſt fidem auferat*. En corollarium ſeu conſecutio, cujus principium ſtatim aſſignat Janſenius. *Ratio perſpicua eſt*, inquit, *quia cùm ei* (Auguſtino) *nulla ſit gratia operandi præter iſtam ſuavitatem Dei, niſi iſta tanta fuerit, ut ei delectationes rerum creatarum ceſſerint, vel peccabitur, vel alternante delectationum fluctu, in medio remanebitur; ſin autem iſta ſuperaverit, jam ſine dubio benè voluntas operabitur: Quod enim amplius nos delectat, ſecundùm id operemur neceſſe eſt, ſed utrumlibet fiat, non erit ſufficiens gratia, ſed vel efficax, vel ita inefficax, ex qua operatio nequidem poſſit ſequi, niſi eius inefficacia per aliam ſuppleatur*. T. 3. p. 184. col. 2. B.

Secundò, neceſſitatem operandi bonum ſub motione gratiæ victricis, ex eadem ſuperiori delectatione Janſenius colligit, abutendo his verbis ſancti Auguſtini, *Quod enim ampliùs nos delectat, ſecundùm id operemur neceſſe eſt*. Ibid. A. Idem verbis paulò mitioribus inſinuat eodem cap. 10. *Nunc*, inquit, *ipſum adjutorium beneficæ ſuavitatis facit, ut bonum velit, quo ſi deſertum fuerit, ipſum adjutorium, ut ita loquar, noxiæ ſuavitatis facit, ut malum velit. Illam quippe ſuavitatem quæ ſuperaverit, voluntas conſentiendo ſequitur .... nec ullum hic periculum deſtructæ libertatis*. Lib. 2. cap. 4. pluribus oſtendit diſcrimen gratiæ ſanitatis ac medicinalis in eo eſſe, quòd hæc non ſubſit libero voluntatis arbitrio. Ib. p. 41. col. 1. *Gratia ſanæ voluntatis*, inquit, *in ejus libero relinquebatur arbitrio, ut eam ſi vellet, deſereret, aut ſi vellet, uteretur: gratia verò lapſæ ægrotæque voluntatis, nullo modo in ejus relinquatur arbitrio ut eam deſerat, aut arripiat ſi voluerit*. Mens igitur Janſenii hæc eſt, conſenſum voluntatis ſub motione delectationis victricis ita neceſſarium eſſe, ut ab illo ſe ipſam cohibere non poſſit. *Juſtitiæ vel peccati delectatio*, inquit cap. 5. Lib. 7. de Gratia Chriſti, *eſt illud vinculum, quo liberum arbitrium in juſtitia vel peccato ita firmiter ligatur & retinetur, ut quamdiu iſto ſtabiliter poſſidetur & conſtringitur, actus oppoſitus ſit extra ejus poteſtatem, ita videlicet ut arbitrium non liberatum eum velle non poſſit*. Ibid. p. 315. col. 1. D.

Idcirco verò Janſenius ex illa neceſſitate nullum imminere libertati periculum contendit, quòd, juxta ipſum, quidquid fit ex delectatione, eo ipſo maximè liberum ſit, quia voluntarium.

Non minori profectò evidentia ac pari connexionis vinculo, Janſenium ſuas quinque famoſas Propoſitiones ex eodem delectationis ſuperioris fonte derivaſſe, manifeſtum erit ſingulas percurrenti. Circa unamquamque verò demonſtrandum nobis eſt,

I. Eam ſaltem quoad ſenſum & doctrinam, legitimè extractam ex Libro Janſenii.

II. Connexam eſſe cum delectatione ſuperiori, & inde à Janſenio erui.

III. Quis ſit illius apud Janſenium verus ac legitimus ſenſus.

IV. Qui ſenſus alieni & extranei, qui malignè affingi poſſunt, quos tamen legitimè ſumpta apud Janſenium non habet.

V. denique, Quis Catholicus & orthodoxus Eccleſiæ ſenſus.

PRIMA PROPOSITIO.

Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia: deeſt quoque illis gratia qua poſſibilia fiant.

Propoſitio ex Janſenio legitimè extracta.

Extat ea Propoſitio totidem verbis expreſſa apud Janſenium Lib. 3. de Gra-
T. 3. p. tia Chriſti cap. 13. *Hæc igitur omnia*, inquit, *pleniſſimè planiſſimeque demon-*
138. col. *ſtrant, nihil eſſe in ſancti Auguſtini doctrina certius ac fundatius, quàm eſſe præce-*
2. E. *pta quædam, quæ hominibus non tantùm infidelibus, excæcatis, obduratis, ſed fidelibus quoque & juſtis, volentibus, conantibus, ſecundùm præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia; deeſſe quoque gratiam qua fiant poſſibilia.*

Janſeniani qui Librum Janſenii defendendum ſuſcipiunt, conqueruntur Propoſitionem iſtam, eum, in tota Libri Janſenii ſerie, non habere ſenſum, quem inde avulſa præſeferre videtur. Verùm ſi expendantur ſeu quæ antecedunt, ſeu quæ ſequuntur verba, planum erit hanc eſſe firmam & conſtantem Janſenii doctrinam, aliquibus juſtis, ſecundùm præſentes quas habent vires, id eſt,
Pag. relativè ad præſentes gratiæ vires, impoſſibilia eſſe quædam Dei mandata.
135. col. Ante citata Propoſitionis verba, Janſenius dixerat: *Ex hac indubitata do-*
1. C. *ctrina quædam non parvi momenti ad hanc rem ſpectantia inferri & clareſcere.*

Primum quidem, eſſe quædam homini præcepta ſecundùm ſtatum & vires in quibus conſtitutus eſt, impoſſibilia.

Ibid. D. *Secundum, non adeſſe ſemper gratiam qua poſſumus, hoc eſt, qua illa eadem præcepta implere ſufficiamus.*

Ibid. E. *Tertium, hanc impotentiam reperiri non ſolùm in excæcatis, & obduratis, & infidelibus ..... ſed etiam in fidelibus & juſtis.*

Ib. col. 2. *Quartum, hanc impoſſibilitatem fidelibus accidere, non tantùm quando nolunt*
A. *præcepta facere, ſed etiam quando volunt.* Quæ omnia poſtquam Janſenius fusè demonſtravit, tanquam concluſionem colligens, addit, quæ laudata ſunt, primæ Propoſitionis verba.

Pag. Quæ verò ſubſequuntur, eandem doctrinam ac ſententiam exprimunt.
139. col. *Hoc enim*, pergit ibid. Janſenius, *S. Petri exemplo, aliiſque multis quotidie ma-*
1. A. *nifeſtum eſſe, qui tentantur ultrà quàm poſſint ſuſtinere .....* Vides quàm falsò ac immeritò Janſeniani obtendant, primam illam Propoſitionem *à loco ſuo doloſè avulſam & exhibitam fuiſſe*: quæ cum antecedentibus & conſequentibus tam benè cohæret, imò & cum capitali totius ſyſtematis principio, nempe ſuperiori delectatione, unde à Janſenio eruitur.

Prima Propoſitio cum delectatione ſuperiori connexa, unde à Janſenio eruitur.

Apertè ſignificat Janſenius, ſe primam illam Propoſitionem velut concluſionem ex præmiſſo principio inferre. *Hæc igitur omnia*, inquit, *demonſtrant &c.* Quodnam verò ſit illud principium, ipſemet aperit citato capite 13 Li-
Pag. 137. col. bri 3. *Neutri*, inquit, *vident*, (Pelagiani & Scholaſtici) *non eſſe ſatis velle vel*
1. E. *nolle, ut magna quædam præcepta impleantur, tentationeſque ſuperentur, ſed prop-*

ter

ter libidinum internarum & conſuetudinū arctiſſimarum pertinacem reſiſtentiam opus eſſe ut ardenter & fortiter velit; quod non eſt ſemper in hominis poteſtate: talis enim ardor vel fortitudo voluntatis, non ex ſola libertate hominis proficiſcitur aut haberi poteſt, ſed ex delectationis magnitudine, quam animus ex objecto circa quod verſatur, capit; atque ideo cœlitus inſpirari debet. Et paulò poſt: *Has autem vires ad faciendum quod præcipitur, homo etiam fidelis & juſtus non ſemper habet integras, ſed ex ipſa tentatione diviſas. Concupiſcentiis enim carnalibus praviſque conſuetudinibus vulneratus, earumque motibus diſtractus, bonum quod vult, non fortiter atque integrè vult, ſed, ut Auguſtini voce loquar, ſemiſauciam hac atque illac verſat jactatque voluntatem, parte aſſurgente cum alia parte cadente luctantem. Quam luctam ſanare & integras volendi vires ſibi reddere, libertas voluntatis, vel natura ipſa ſauciata non poteſt, ſed hoc ad ſolam pertinet medicinam gratiæ Dei.* Ib. col. 2. B.

Dixerat paulò antè. *Hinc ergo fit, ut non ſemel de S. Petro etiam volente dicat,* (Auguſtinus) *cùm Chriſtum negaret, invalidas infirmaſque fuiſſe vires ejus; imò non potuiſſe mortem ferre pro Chriſto, quamvis hoc & vellet & ſe poſſe judicaret ...... Quibus omnibus locis .... docet Petrum .... propter defectum virium voluntatis præſtare non potuiſſe quod promiſerat: voluntas enim ejus, hoc eſt, vis volendi divinitùs ei data adhuc parva erat, quam oportebat eſſe maximam, ne mortis oblatæ terrore frangeretur .... Hinc ergo fit iterum, ut ſubinde doceat Auguſtinus, quarumdam cupiditatum tentationes, aliquorum hominum vires ſuperare, ita ut eas ſuperare non poſſint.* Pag. 136. col. 1. A.

Et infrà. *Hanc intuebatur* (magnam juſtitiæ delectationem) *& in Confeſſionum ſuarum Libris, quibus unius voluntatis diviſionem & impotentiam mirificè exponit ...... Sed cur voluntatem ſibi renitentem non illa decantata libertate ſuperabat? Nonne volebat? Nonne ſatagebat? Nonne conabatur? ...... Dicat cauſam ille qui expertus eſt conatum luctamque ſatagentis animæ, & videbis eum hanc ipſam, quam hic trado, intuitum eſſe veritatem. Hoc eſt, nondum poterat eam quocumque voluntatis conatu ſuperare; eo quòd videlicet ipſe conatus defectu virium languidus eſſet, cui cœleſtem delectationem atque ardorem nondum inſpiraſſet Deus, ideoque ſimilis conatibus expergiſci volentium, qui tamen ſuperati ſoporis altitudine remerguntur. Hanc intuebatur, & in Libro de Gratia & libero arbitrio, quando iſtam voluntatis infirmitatem qua fit ut quidquid ſuis viribus conetur homo, non tamen poſſit adverſantes bonæ voluntati ſuæ cupiditates ſuperare, donec gratia Dei majorem vim ardoremque volendi aſpiraverit, tam diſertè explicat.* Pag. 138. col. 1. A. Ibid. E. Ibid. C.

Atque hæc Janſenius velut principia & fundamenta ponit, ex quibus concludit, juſtis ſola gratia parva inſtructis, & abſente efficaci, impoſſibilia eſſe quædam Dei mandata, *defectu virium* voluntatis, ut ait: quia minor gratia non poteſt ſuperare majorem actualem eorum cupiditatem. *Major enim eſt*, ait Sambovius antea citatus, *reſiſtentia concupiſcentiæ, quàm virtus gratiæ parvæ.*

Idem rurſus confirmat Janſenius poſt adducta primæ ſuæ Propoſitionis verba. *Nec illa*, inquit, *implendi talia præcepta difficultas inde proficiſcitur, quòd actus implendi debeat eſſe ſupernaturalis, vel meritorius, vel aliquid ſimile,* (*quæ Auguſtino nunquam in mentem venerunt*) *ſed ex eo quòd vires voluntatis infirmæ ſunt, propter concupiſcentiam à volendo bono retrahentem: cujus reniſu fit, ut vires voluntatis diſtrabantur, atque ita homo non plenè velit, non integrè velit, non tota voluntate velit. Talis autem voluntas, non eſt idonea ut ſuperet alteram vetuſtate roboratam, quia per illam nondum poteſt homo tantùm velle, quantùm ſufficit ut volendo faciat: poterit autem cùm habuerit magnam & robuſtam.* Vides quàm intimo ac neceſſario nexu cohæreat hæc prima Janſenii Propoſitio cum dele- Pag. 139. col. 1. A.

ſtatione ipſius ſuperiori ac relativa: reſpondent extrema primis, media utriſque, omnia omnibus, ut ipſe loquitur.

Quis ſit verus ac germanus primæ Propoſitionis ſenſus apud Janſenium.

Ex dictis ſponte & quaſi ex re nata erumpit obvius, verus ac germanus primæ Propoſitionis Janſenii ſenſus: nimirum, eſſe in aliquibus juſtis, urgente præcepto, eam dumtaxat gratiam, qua, comparatè ac relativè ad actualem eorum majorem concupiſcentiam, illorum voluntas non poteſt & iſtam ſuperare, & mandatum obſervare; nec ad utrumque præſtandum, auxilium impetrare, quia minor delectatio cœleſtis non poteſt relativè ſuperare terrenam majorem. *Vigente enim delectatione carnali*, ait Janſenius L. 4. de Gr. Ch. cap. 9. *impoſſibile eſt, ut virtutis, & honeſtatis conſideratio prævaleat.*

T. 3 p. 183. col. 2. B. Hunc Propoſitionis ſenſum deſignaverat Hallerius in Scripto quod in ſynopſi noſtra hiſtorica retulimus. *Senſus eſt*, ajebat, *mandata Dei hominibus juſtis qui præcepta divina tranſgrediuntur, eſſe impoſſibilia defectu auxilii ſufficientis, quo poſſint eadem adimplere, vel neceſſariam ad ea implenda gratiam petere.*

Diar. p. 284. col. 2. *Nota*, pergit idem Hallerius, *per has voces, defectu auxilii ſufficientis, non intelligi gratiam illam verſatilem quæ modò effectum ſuum habeat, modò non habeat; ſed eam quæ verè facultatem tribuat juſto, aut implendi præceptum, aut petendi gratiam neceſſariam ad illud implendum; ita ut per eam juſtus inexcuſabilis reddatur quando præceptum tranſgreditur.*

Error igitur primæ Propoſitionis Janſenii in eo præciſè poſitus eſt, quòd juſtis illis ſola parva gratia inſtructis, efficaci abſente, deneget veram & expeditam relativè, vincendæ actualis oppoſitæ delectationis; ac conſequenter mandati obſervandi facultatem: qui ſenſus ſic intimè connexus eſt cum delectatione relativè, ſeu per gradus victrice, ut ea ſuppoſita negari prorſus non poſſit, nec reipſa ab ullo Janſenii defenſore negatur aut reſpuitur. Non alium illi ſenſum profectò ingerunt, cùm in Scriptis Trium Columnarum, In nomine Domini, in Expoſitione quinque Propoſitionum juxta mentem diſcipulorum S. Auguſtini & alibi paſſim aſſerunt, juſtis hujuſmodi impoſſibilia dumtaxat eſſe præcepta *proximè, immediatè, directè, completè, ſeu ea impotentia quæ non habet quidquid requiritur ad actum ponendum, propter abſentiam gratiæ efficacis*. Quibus certè verbis, non aliam exprimunt impotentiam, quàm relativam: (abſolutam enim potentiam, perfectiſſimam, proximam & completiſſimam vocant & admittunt) relativa autem hæc impotentia, non tantùm non conjungitur cum actu, ſed nec conjungi poteſt, defectu nempe delectationis ſuperioris, quæ ſola potentiam ipſam relativam largitur ac complet. In doctrina quippe Janſenii, ſuperior delectatio primum & ſecundum actum relativum ſimul confert; nec unus ab altero poteſt ſejungi. *Hoc ipſo quo datur*, (gratia victrix) ait Janſenius L. 2. de Gratia Chriſti cap. 4. *ſimul uſus ejus & influxus poteſtatis datur. Eſt enim hoc ipſum quod ſuaptè efficacia facit influere facultatem ...... dat enim ſimul & poſſe & operari.* Et cap. 25. *Gratia & opus bonum ita reciprocantur, ut quemadmodum ex gratia data mox effectum operis conſecutum inferre ſolet*, (Auguſtinus) *ita vice verſa, ex defectu operis, gratiam non eſſe datam.* Ergo abſente gratia efficaci, juſtis illis non ineſt vera & expedita relativè potentia, tum ut actualem ac majorem oppoſitæ cupiditatis delectationem ſuperare, tum ut mandatum obſervare poſſint.

Delectatio ſuperior confert actum 1. ſimul & 2. Pag. 41. col. 1. A. Col. 2. C. Pag. 83. col. 2. D.

Ridiculè prorſus ac illuſoriè diceres, voluntatem idcirco non poſſe relati-

va potentia mandatum obſervare, quia non vult; ſi enim vellet ac plenè & fortiter vellet, illud re ipſa obſervaret. Namque, ut ſuprà diximus, voluntas his in circumſtantiis, *defectu virium*, ait Janſenius, non poteſt plenè ac fortiter velle, quia caret ſuperiori delectatione indeliberata, ſine qua non poteſt velle. *Adjutorium iſtud cœleſtis delectationis*, ait Janſenius Lib. 8. de Gratia Chriſti cap. 3. *prædeterminat voluntatem; quia facit ut velis, & ſine illa velle non poſſis: facit etiam ut ardentiùs velis, & ſine illa ardentiùs velle non poſſis: facit denique, ut neceſſe ſit animum iſtud ſequi, & ſecundùm iſtud operari quod ampliùs delectaverit*. Et in hoc ipſo capite 13. Lib. 3. unde prima Propoſitio extracta eſt, ſic ait: *Ut magna quædam præcepta impleantur, tentationeſque ſuperentur..... opus eſt ut voluntas ardenter & fortiter velit, quod non eſt ſemper in ejus poteſtate*. Quia ſcilicet delectatio ſuperior indeliberata, quæ neceſſaria eſt ut ardenter & fortiter velit, ab ea non pendet. Pag. 346. col. 2. D. Pag. 137. col. 1. E.

Fruſtra pariter diceres, aut juſtos hujuſmodi habere ex gratia parva perfectam & completam ad mandatum obſervandum potentiam; aut eos idcirco mandatum non obſervare, quia non orant ſicut oportet. Namque 1. potentia illa quam confert gratia parva, & quam Janſeniani ad illudendum, *ſufficientiſſimam, perfectiſſimam, completiſſimam & expeditiſſimam vocant*; potentia, inquam, illa eſt tantùm abſoluta præciſis ſubjecti circumſtantiis, ac ſpectata nuda in ſe gratiæ natura: non autem relativa ad illas præſentes circumſtantias. 2. Juſti illi, non orant quidem ut oportet, juxta Janſenium, ſed nec poſſunt orare, quippe qui non habent delectationem ſuperiorem cœleſtem, qua terrenam, ab orando ut oportet retrahentem, poſſint refrænare. Cùm enim, in ſyſtemate Janſenii, nulla fieri poſſit actio, niſi ex prævia & indeliberata delectatione, ſi contingat eſſe in juſtis delectationem terrenam cœleſti ſuperiorem, etiam quantùm ad orationem, eo ipſo oratio ipſis impoſſibilis evadit, non quidem abſolutè, ſed relativè ad has præſentes circumſtantias. *Paulus Irenaus Diſq. 3. pag. 56. Ib. art. 5. eam dicit eſſe in ſummo gradu.*

At, inquies, eo ipſo tempore & in his ipſis circumſtantiis quibus juſtus majori actuali cupiditate pulſatur, gratiam habet per quam poteſt cupiditati reſiſtere: ergo etiam relativè ad illam majorem cupiditatem poteſt obſervare mandatum.

Reſp. diſtinguo ant. Gratiam habet per quam poteſt reſiſtere cupiditati, abſolutè & ſecundùm ſe conſideratæ, concedo: relativè, ſeu comparatè ad gradus quibus inferior eſt, nego. Nempe gratia illa quæ concurrit cum actuali majori cupiditate, de ſe quidem nata eſt & apta ad vincendam concupiſcentiam ſecundùm ſe conſideratam, at non poteſt eam ſuperare cui viribus inferior eſt: nec fieri unquam poteſt, in ſyſtemate Janſenii, ut delectatio minor vincat majorem; ſicut fieri non poteſt ut majus pondus à minori trahatur.

Dices. Janſenius impoſſibilitatem de qua loquitur in prima Propoſitione, difficultatem appellat in hoc ipſo citato capite 13. Lib. 3. de Gratia Chriſti. Ergo nonniſi impropriè dicuntur ab ipſo, impoſſibilia aliquibus juſtis Dei mandata.

Reſp. Janſenium quidem, ut fucum faceret pro more ſuo, aſperitatem rei lenitate verbi voluiſſe temperare; verùm ita feciſſe, ut ſemper contenderet, à delectatione inferiori gratiæ ſuperiorem terreſtrem à qua inevitabiliter prævenitur & invincibiliter ad peccandum determinatur quorumdam juſtorum voluntas, ſuperari nullatenus poſſe. Quapropter illa difficultas, apud ipſum vera eſt impotentia; non quidem abſoluta, ſed relativa.

Urgebis. Janſenius non negat juſtis hujuſmodi poſſibilia eſſe Dei mandata, per gratiam ſufficientem Thomiſticam quam nullibi expreſsè rejicit: imò Lib. 3. de Gratia Chriſti cap. 1. ſublata æquivocatione nominis, profitetur, quòd ſi per gratiam ſufficientem intelligatur ea, *quæ ſatis eſt ut homo dicatur poſſe operari, quamvis aliud adhuc neceſſarium ſit, ut de facto operetur*, ex parte Dei auxilium, profitetur, inquam, ſibi de hujuſmodi ſufficienti gratia controverſiam non eſſe, qualem *fortaſſe non difficulter Auguſtinus admiſiſſet*.

Pag. 102. col. 2. C.

Reſp. Manifeſtum eſſe, Janſenium nullibi expreſsè admiſiſſe gratiam ſufficientem Thomiſtarum, quod tamen neceſſarium foret, ut ab errore primæ Propoſitionis vindicaretur: imò, disertè eam excluſiſſe, quoties, cohærenter ad ſua principia, infert debiliorem delectationem cœleſtem, præter quam nullam aliam agnoſcit à victrici diſtinctam, neceſſariò cedere delectationi terrenæ ſuperiori. Gratia quippe ſufficiens Thomiſtica, veram & expeditam confert, etiam relativè ad cupiditatem ardentiorem ſuperandam, potentiam. *Minima enim gratia*, inquit S. Thomas 3. parte q. 70. art. 4. in corp. *poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, & vitare omne peccatum mortale*. Quod, in principiis S. Aug. Janſenio paradoxum videtur. Lib. 4. de Gratia Chriſti cap. 15.

Urgebis iterum. Saltem remanet potentia ad aliquod opus bonum morale eliciendum, etiam dum adeſt delectatio ſuperioris concupiſcentiæ.

Reſp. diſt. ant. Ad bonum opus morale, ratione officii, concedo: ratione finis ſubdiſtinguo: ratione finis particularis & quidem operis, concedo: finis ultimi & operantis, nego.

Dices 2. Impotentia illa quæ eſt in juſtis obſervandi præceptum, non oritur ex defectu gratiæ, ſed ex mala voluntate.

Reſp. Impotentiam quidem illam oriri ex mala voluntate, ſed quæ his in circumſtantiis bona eſſe non poteſt, nempe *propter defectum virium*, ait Janſenius citatus cap. 13. Lib. 3. de Gratia Chriſti, eo quòd ſcilicet, ardenter ac fortiter velle non poſſit. *Talis enim ardor vel fortitudo voluntatis, non ex ſola libertate hominis proficiſcitur, aut haberi poteſt*, pergit ibid. Janſenius, *ſed ex delectationis magnitudine, quam animus ex objecto circa quod verſatur, capit*. Cùm verò hanc indeliberatæ delectationis magnitudinem habere, non ſit in poteſtate hominis poſitum, conſequenter ea abſente, juſto impoſſibilis eſt relativè mandati obſervatio, propter infirmam gratiam, & ardentiorem cupiditatem.

Pag. 137. col. 2. A.

Senſus alieni & extranei, qui primæ Propoſitioni malignè affingi poſſunt, quos tamen legitimè ſumpta apud Janſenium non habet.

Sic ferè loquuntur Janſeniani in ſuo famoſo trium Columnarum Scripto, in fronte primæ Columnæ ubi ſenſum Calvinianum, repræſentant, *qui malignè*, ajunt, *Propoſitioni affingi poſſet, quem tamen legitimè ſumpta non habet*. Quàm longè abſunt ab illa primorum Janſenii diſcipulorum ſinceritate ac fide hodierni, qui primam hanc Janſenii Propoſitionem ſenſu Calvini proſcriptam fuiſſe contendunt: quaſi Pontifex eum Propoſitionis ſenſum damnaverit, qui malignè tantùm poteſt ipſi affingi, & quem legitimè ſumpta non habet?

Diar. p. 470.

I. Igitur, ſenſus primæ Propoſitionis non eſt, fatentibus ipſiſmet Janſenianis in ſuo trium Columnarum Scripto, *Juſtis omnibus, quantumlibet volentibus & conantibus ſecundùm præſentes quantaſcumque vires, quæ à gratia magna & efficace habentur, mandata Dei ſunt impoſſibilia. Deeſt quoque illis ſemper & quamdiu vivunt, gratia qua poſſint vel unum ex mandatis Dei ſine peccato adimplere. Hæc Propoſitio*, ajunt Janſeniani, *eſt hæretica, Calviniana, aut Luthera-*

na,

na, & à Concilio Tridentino damnata. Abſurdus profectò foret, qui nunc Propoſitionis ſenſum Janſenio affingeret, quem refellit toto ferè capite 15. Libri 3. de Gratia Chriſti, & qui vel ipſo Propoſitionis contextu apertiſſimè reſpuitur. De aliquibus quippe mandatis loquitur Propoſitio, non de omnibus; pariter de juſtis qui volunt & conantur ſecundùm præſentes quas habent vires, non de omnibus juſtis in quibuſcumque circumſtantiis conſtitutis.

II. *Erronea & impertinens eſt Propoſitio*, ait auctor Scripti pro informando Cardinale Roma, apud Diarium de S. Amour, inter Collectanea, *ſi à juſtis quamdiu manent juſti, removere intelligatur gratiam neceſſariam ad abſtinendum à peccato mortali, & implenda conſequenter præcepta, ex quorum tranſgreſſione peccarent mortaliter. Cùm enim non ſit juſtus quiſquam, niſi quamdiu perſeverat abſque culpa lethali, ſequitur neceſſariò neceſſitate ſuppoſitionis, quòd quamdiu manet juſtus, hoc habeat per gratiam perſeverantiæ, qua fiunt ei præcepta poſſibilia, & movetur efficaciter pro loco & tempore ad ea implenda, & declinandum à peccato. Unde erroneum foret, nedum contra fidem, ſed & contra ipſum rationis lumen, hanc gratiam poſſibilitatis præceptorum à juſto, quamdiu manet juſtus, removere voluiſſe*. Ita auctor citatus. Pag. 80.

III. Senſus Propoſitionis non eſt, aliqua Dei mandata juſtis eſſe impoſſibilia, impotentia vel abſoluta, vel immutabili, vel antecedente ſuperiorem actualis concupiſcentiæ gradum. Hujuſmodi impotentiam procul Janſenius repellit: abſolutam quidem, tum quia citato mox capite 15. Libri 3. plures admittit gradus poſſibilitatis, quibus mandata poſſibilia ſunt: tum quia in gratia parva agnoſcit abſolutam ab bonum opus vim activam, ad quod natura ſua & voluntate Dei tendit & ordinatur, quod ipſa efficeret, niſi fortior obſtaret oppoſita cupiditas. Immutabilem; quia agnoſcit eſſe in homine hac in vita naturalem ad bonum & malum capacitatem ſeu flexibilitatem. Eam denique rejicit impotentiam, quæ antecedat ſuperiorem actualis concupiſcentiæ gradum: quia antecedenter & præciſione facta hujus majoris gradus, gratia parva ſufficientem ex ſeſe confert potentiam ad opus bonum. Ergo impotentia illa obſervandi mandata, quam Janſenius contendit eſſe in juſtis, abſente gratia efficaci, eſt dumtaxat relativa: eſt & aliquo ſenſu conſequens, quia oritur ex majori actuali eorum cupiditate, quam juſti ſecundùm præſentes quas habent vires, ſuperare non poſſunt; quia minor delectatio gratiæ, nunquam poteſt ob virium inæqualitatem ſuperare majorem cupiditatis delectationem. En verus, genuinus, ac germanus primæ Propoſitionis Janſenii ſenſus.

IV. Senſus non eſt, juſtis illis præceptum violantibus, omnem penitus denegari gratiam qua illud abſolutè adimplere valeant: repugnat vel ipſe Propoſitionis contextus. Agit quippe de juſtis volentibus ac conantibus ſecundùm præſentes quas habent vires; aſſertque Janſenius, ut vidimus, exemplum Petri ante lapſum, cujus voluntatem infirmam ex gratia fuiſſe agnoſcit: at ſenſus eſt, gratiam illam, comparatè ac relativè ad majorem actualem concupiſcentiam, ſatis virium non habere ut iſtam vincere ac reprimere poſſit.

V. Senſus pariter non eſt, juſtos illos cum hac gratia nullos adhibere conatus; ſed eos omnes quos poſſunt tunc adhibere, impares eſſe ac inſufficientes in his circumſtantiis adimplendo præcepto.

VI. Senſus non eſt, aut gratiam illam parvam juſtorum hujuſmodi, non poſſe ex ſeſe propriaque natura abſolutè vincere concupiſcentiam; ſi enim hæc minor

minor eſſet, à gratia vinceretur: ant in ſe non continere omnem vim activam ad opus bonum; hanc enim re ipſa continet, & bonum opus de facto efficeret, ſi minùs reſiſteret oppoſita cupiditas. Verùm ſenſus eſt, gratiam illam tametſi de ſe aptiſſimam & abſolutè idoneam reprimendæ generatim concupiſcentiæ & bono exercendo, non poſſe tamen hic & nunc eam, utpote ſuperiorem, reprimere, & bonum opus ſupra præſentes vires poſitum exercere.

VII. Senſus non eſt, impotentiam quæ eſt in juſtis, abſente gratia efficaci, ad obſervandum mandatum, ſimilem eſſe illi quam habent beati ad malum & damnati ad bonum: hi quippe ita ſunt vel in bono, vel in malo immobiliter obſirmati, ut neque beati unquam peccare, neque damnati bonum opus morale producere valeant. E contra verò agnovit Janſenius, hominem hac in vita non eſſe immutabiliter bono vel malo addictum, ſed ad utrumlibet mobilem ac verſatilem. Præterea, viſio beatifica tanta ſuavitatis abundantia beatas animas perfundit, ut totam earum capacitatem impleat; nec ulla ratio ſublucеſcat, quę ad ſuſpendendum actum provocare poſſit. Non ita eſt in pręſenti ſtatu, ubi delectatio gratiæ quantumlibet victrix ac ſuperior, non omnem excludit oppoſitam actualem concupiſcentiam, qua vires voluntatis diſtrahuntur, ut loquitur Janſenius; nec ita prorſus figit animum, ut ad nullam ſpeciem boni vel leviſſimam in oppoſito amplectendo attendere poſſit. Quapropter impotentia illa juſtorum, nec abſoluta eſt, nec antecedens ſuperiorem concupiſcentiæ gradum, nec immutabilis & perpetua, nec tanta, qualis eſt illa quam inducit viſio beatifica, ſed eſt dumtaxat relativa, tranſiens & aliquo ſenſu conſequens: orta ſcilicet ex majori concupiſcentiæ præſentis delectatione, cui vincendæ ac reprimendæ, impares tantùm ac inſufficientes vires habet gratia parva Janſeniana.

VIII. Senſus non eſt, impotentiam illam juſtorum ſupponere abſentiam cujuſcumque prorſus potentiæ adimplendi præcepti. Janſenius quippe Lib. 3. de T. 3. pag. 143. col. 2. A. Gratia Chriſti cap. 15. docet mandata Dei poſſibilia eſſe, 1. *Remotiſſimè, per ſolam liberi arbitrii flexibilem facultatem ad bonum & malum.* 2. *Paulò propinquiùs.... per fidem, quamvis dilectione Dei, & actuali Dei adjutorio, interniſque viribus voluntatis.....careamus.* 3. *Multò pleniùs propinquiùſque per charitatem per* pag. 144. col. 2. A. *quam homo juſtificatur.* 4. Addere potuiſſet per gratiam parvam actualem. 5. Ib. col. 2. C. *Completiſſimè, quando Spiritus ſancti inſpiratione ſic voluntas præparatur, ut non nudè poſſit, ſed etiam velit.*

Extraneos illos & confictos primæ Propoſitionis ſenſus à Janſenio candidè pag. 195. col. 1. removet Paulns Irenæus, Diſq. 2. art. 2. *Non loquitur Janſenius*, inquit, *de impoſſibilitate abſoluta. Omnibus enim locis fatetur mandatum quodlibet per gratiam efficacem impleri poſſe. Nec de impoſſibilitate involuntaria; nam ex Auguſtino ſæpe ab illo citato, omnes homines mandata ſervarent ſi vellent. Non negat omnem potentiam: nec habitualem, quia loquitur de juſtis quos per gratiam habitualem aſſerit poſſe; nec actualem, quia loquitur de conantibus, qui per gratiam excitantem habent vires invalidas.*

Quam ergo poteſtatem negat? Audiamus ipſum optimum ſui interpretem: Ad hanc, inquit, ſanitatem voluntatis aſſequendam, gratiam invocamus, hoc ipſo clariſſimè profitentes deeſſe nobis ſufficientem ad illa præcepta facienda poteſtatem.... Non negat igitur poteſtatem ſimplicitèr, ſed negat ſufficientem poteſtatem. Quid eſt autem ſufficiens poteſtas Janſenio? Meminerimus fixæ ſuprà notionis; ea ſcilicet cui vibil deeſt ex parte Dei. Quamobrem, cùm hoc loco dicit, mandata eſſe impoſſibi-

lia

Digitized by Google

lia ſufficienter, idem eſt ac ſi dicat: Non ſunt poſſibilia ea poteſtate cui nihil deſit. Itemque, cùm negat poteſtatem illam eſſe completam, non Thomiſtico ſenſu negat; de hoc enim ne cogitavit quidem, ſed Moliniano tantùm negat; quia deeſt ipſi gratia efficax. Quamobrem ut notiones verborum iſtorum magis etiam infigantur, iterum hic repeto illa verba: Poteſtas ſufficiens, completa, proxima: poteſtas cui nihil deeſt ex parte Dei: poteſtas complectens omnia neceſſaria ad agendum, idem omnino apud Janſenium ſignificare, taliſque poteſtatis defectum aliquando exprimi, vel ſimplici voce non poſſe, vel duriùs etiam per vocem, impoſſibile: quæ quidem ſignificatio, etſi dura & minùs propria, non tamen auctoritate Patrum caret, imprimiſque Auguſtini & Proſperi.

Hactenus Paulus Irenæus, qui, ut aſſolet, arte ſumma & induſtria non vulgari quidquid in Janſenio durum & aſperum eſt, verbo temperat; ipſique circumpoſita Thomiſticæ doctrinæ larva, Catholicum ſenſum affingere conatur. Verùm fruſtra. Poteſtas quippe illa ſufficiens, completa & proxima, quam ait à Janſenio hic dumtaxat negatam, vel eſt abſoluta, vel relativa. Abſolutam non eſſe, fatetur ipſemet Paulus Irenæus: ergo eſt relativa. At hoc ipſum eſt, in quo contendimus poſitum eſſe errorem Primæ Propoſitionis: nempe juſtos cum ſola gratia parva, efficaci abſente, non habere relativam ad ſuperandam majorem actualem concupiſcentiam & mandatum obſervandum poteſtatem. Ergo nomine potentiæ ſufficientis, completæ ac proximæ, quam Janſenius negat eſſe in juſtis de quibus prima Propoſitio, intelligitur potentia relativa. Et certè cùm apud Janſenium delectatio gratiæ, qua juſti illi donantur, inferior debiliorque ſit fervidiore ac præpollentiore, quæ in ipſis tunc viget, cupiditate, huic vincendæ omnino impar propter inæqualitatem virium invenitur. Deeſt igitur in Facultate ſeu in voluntate ipſorum, aliquid non tantùm ex parte actus ſecundi, ſed etiam primi. Nihil autem tale ſe habet in ſententia Thomiſtarum. Gratia quippe eorum ſufficiens, non eſt gradibus virtuteque inferior concupiſcentia actuali concurrente: unde pares huic frænandæ vires voluntati conferre clarè intelligitur; nec quidquam quantùm ad actum primum, etiam relativè ad actualem concupiſcentiam ſuperandam, facultati tali gratia inſtructæ deeſſe manifeſtum eſt. Perperam ergo ac mala fide, gratiam ſufficientem Thomiſticam, potentiamque completam & expeditam relativè ab ipſa collatam, cum gratia imbecilliori Janſeniana, virtuteque ipſius tantùm abſoluta; confundit, loco mox citato, Paulus Irenæus.

Quæres, an impotentia illa relativa, quæ juxta Janſenium eſt in juſtis abſente gratia efficaci, dici poſſit phyſica?

Reſp. litem eſſe de nomine. Si nomine impotentię phyſicę intelligatur ea, quæ vel planè involuntaria eſt, vel oritur ex defectu virtutis activę, ſeu gratiæ de ſe, propriaque natura abſolutè proportionatę cum obſervatione præcepti, impotentia dicta juſtorum phyſica non eſt. Tum quia eſt voluntaria, tum quia gratia illa parva, Janſenii ſenſu, continet in ſe omne principium bonæ actionis effectivum, quam re ipſa efficeret, inquiunt Janſeniani, ſine novo ex parte Dei auxilio, per ſolam oppoſitæ concupiſcentię imminutionem. Si verò impotentiæ phyſicæ nomine, intelligatur ea quæ oritur ex abſentia gratiæ quæ voluntatem phyſicè movet ac præmovet ad benè agendum; ſine qua,

ſine qua, relativè ad majorem actualem cupiditatem, ſatis virium non habet ut hanc ſuperare, & præceptum obſervare poſſit, non immeritò impotentia illa juſtorum phyſica dici poteſt: quia nempe carent tunc delectatione ſuperiori cœleſti, quæ, juxta Janſenium, phyſicè voluntatem movet ac præmovet; & ſine qua, delectatio inferior gratiæ parvæ inſufficiens planè ac impar eſt,tum reprimendę concupiſcentiæ,tum obſervando pręcepto.

Inde eſt, quòd ſub vario reſpectu dici poſſit, impotentiam illam juſtorum ſimilem aliquatenus eſſe vel non eſſe impotentiæ v. g. pingendi ſine penicillo, transfretandi ſine navi, videndi ſine lumine, volandi ſine alis; quibus exemplis frequenter Janſenius utitur. Similem quidem, in quantùm ſicut non poteſt juſtus per ſolam gratiam parvam inferiorem relativè, ſuperare majorem concupiſcentiam; ita non poteſt pictor pingere ſine penicillo, nauta transfretare ſine navi &c. Quia nempe, ſicut inſtrumenta hæc neceſſaria planè ſunt, ut potentia completa & expedita fiat in ordine ad illos actus, ita & delectatio ſuperior gratiæ, in ordine ad ſuperandam concupiſcentiam & obſervandum mandatum. Diſſimilem verò, quia juſtus qui caret ſuperiori cœleſtis gratiæ delectatione, per gratiam nihilominus parvam inſtrumentum poteſt habere de ſe aptum ac proportionatum abſolutè, operi bono exercendo: contrà verò, qui caret penicillo ad pingendum, navi ad transfretandum &c. nullum habet aut habere poteſt inſtrumentum aliud de ſe aptum & proportionatum, ſive ad pingendum, ſive ad transfretandum &c.

Hinc intelligi facilè poteſt, quanta fallendi arte Janſeniani in ſuo quarto cum Patre Ferrerio Congreſſu aſſerant, in juſto, quo etiam tempore ardentiori concupiſcentia premitur, ſeu relativè & in ſenſu compoſito, ut jactantiùs ajunt, adeſſe per gratiam parvam omne boni operis effectivum principium, quod oppoſita concupiſcentia, tametſi ſuperiore, non tollitur. Namque vis illa gratiæ activa, abſolutè dumtaxat & in ſe ſpectata, capax eſt vincendi concupiſcentiam, non verò relativè prout hìc & nunc cupiditas ſuperior eſt: ſub illo enim reſpectu & in his circumſtantiis, vis illa activa impotens, impar & debilior eſt, atque ad uſum ſeu exercitium boni operis impares vires conferre tantùm poteſt. Quapropter abuſivè prorſus ac fallaciter relativa dicitur, eo quòd ſimul in eodem ſubjecto ſit cum ardentiori concupiſcentia: Ita enim ſimul cum illa concurrit, ut relativè eam ſuperare non poſſit; nec in mente Janſenii, ut mox dicemus, relativa potentia poteſt ab actu ſejungi.

Senſus Catholicus errori primę Propoſitionis oppoſitus.

Senſus Catholicus oppoſitus errori primæ Propoſitionis, debet eſſe contradictorius ſententiæ Janſenii. Si ergo, ut demonſtravimus, error Janſenii in eo eſt, quòd juſti de quibus agit, abſente gratia efficaci, non poſſunt cum ſola gratia parva relativè majorem actualem, qua premuntur, cupiditatem ſuperare ac præceptum adimplere ob virium inæqualitatem: ſenſus Catholicus eſt, juſtos illos ex gratia, non inferiores aut inæquales, ſed pares vires habere, quibus poſſint vel mediatè vel immediatè ſuam actualem oppoſitam vincere concupiſcentiam, ac præceptum adimplere. Iſtud quidem Janſenio paradoxum videtur Lib. 4. de Gratia Chriſti cap. 15. Verùm ipſa eſt Apoſtoli doctrina 1. Corinth. 10. v. 13. *Fidelis eſt Deus*, inquit, *qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum ut poſſitis ſuſtinere*: Eſt

Pag 144.

& do-

& doctrina Conc. Trid. hunc locum ſeſſ.24.Can.9. applicantis homini per concupiſcentiam vexato. Et ſeſſ. 6. cap. 11. *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis.* Eſt & doctrina S. Thomæ 3. parte q. 62. art. 6. in reſponſione ad tertium. *Minima*, inquit, *gratia poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, & mereri vitam æternam.* Et q. 70. art. 4. in corpore. *Minima gratia poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, & vitare omne peccatum mortale quod committitur in tranſgreſſione mandatorum legis: minima enim charitas plùs diligit Deum quàm cupiditas millia auri & argenti.*

Ante ſanctum Thomam, S. Auguſtinus agnoverat eſſe in quolibet juſto pares ex gratia vires ſuperandæ eorum oppoſitæ cupiditati.

Enchiridii cap. 118. n. 31. *Si autem*, inquit, *reſpexerit Deus, ut ad implenda quæ mandat ipſe adjuvare credatur, & agi homo cœperit Dei ſpiritu, concupiſcitur adversùs carnem fortiore robore charitatis: ut quamvis adhuc ſit quod homini repugnet ex homine, nondum tota infirmitate ſanata, ex fide tamen juſtus vivat, juſteque vivat, in quantùm non cedit malæ concupiſcentiæ, vincente delectatione juſtitiæ.* T.6.pag. 241. A. B.

Libro 2. de peccat. meritis & remiſſione cap. 28. n. 45. aſſerit legem peccati ſeu concupiſcentiam *manere in iis qui ex aqua & Spiritu ſancto renati ſunt, tanquam ſuperatam & peremptam, ſi non illicitis conſenſionibus quodammodo reviviſcat.* Et cap. 39. Libri primi n. 69. dixerat. *De baptizato* infante. *Si poſt baptiſmum vixerit, atque ad ætatem capacem præcepti pervenire potuerit, ibi habet cum qua* (concupiſcentia) *pugnet, eamque adjuvante Deo ſuperet, ſi non in vacuum gratiam ejus ſuſceperit, ſi reprobatus eſſe noluerit.* T.10.p. 64.C. Ibid.pag. 39.D.

In Expoſitione capitis 5. n. 46. Epiſtolæ ad Galatas. *In hac vita*, inquit, *etiamſi exiſtant deſideria carnis de mortalitate corporis, tamen mentem ad conſenſionem peccati non ſubjugant.* T.3.2.p. pag.971. A.

De juſto idem Doctor L. 1. quæſtionum ad Simplicianum q. 1. n. 14. ait. *Reſtat in iſta mortali vita libero arbitrio, non ut impleat homo juſtitiam, cùm voluerit, ſed ut ſe ſupplici pietate convertat ad eum, cujus dono eam poſſit implere.* T.6.pag. 86.C.

His addi poſſent & alia benè multa ejuſdem S. Doctoris teſtimonia, quibus generatim docet, Deum nihil quod impoſſibile ſit homini præcipere. Lib. de natura & gratia cap. 43. *Deus*, inquit, *impoſſibilia non jubet, ſed jubendo admonet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.* Quæ verba Conc. Tridentinum ſua fecit. Et cap. 69. addit rurſus: *Eo ipſo quo firmiſſimè creditur, Deum juſtum & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.* T. 10.p. 148. F. Ibid.pag. 163.F.

Cùm igitur idem S. Doct. Lib. de Gratia & libero arbitrio cap. 17. & alibi duplicem diſtinguit bonam voluntatem, unam parvam & invalidam, quæ non poteſt obſervare præceptum; alteram robuſtam, quæ poteſt: ſenſus ejus non eſt, parvam illam voluntatem nullatenus poſſe, ſed tantùm eam non poſſe immediatè ac proximè præceptum adimplere; at poſſe ſaltem orando impetrare uberius auxilium, ut actu illud adimpleat. Qua ex parte, plurimùm diſtat vera Auguſtini doctrina à falſa & erronea Janſenii. Hic enim ſub dominante actuali concupiſcentia, & abſente gratia efficaci, non agnoſcit, tum ad opus bonum exercendum, tum ad orandum, niſi abſolutam & abſtractam quamdam poteſtatem, non verò relativam, ut ex ſuperiùs dictis compertum eſt.

San-

Sanctus Gregorius Magnus Lib. 9. Moralium cap. 46. aliàs 25. Auguſtino egregiè concinit his verbis. *Pius conditor cum viribus flagella moderatur, ne virtutem pœna tranſeat, & per aſtutiam fortium humana infirmitas excidat. Unde & benè per Paulum dicitur: Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari ſuprà quàm poteſtis, ſed faciet cum tentatione etiam proventum, ut poſſitis ſuſtinere. Niſi enim miſericors Deus cum viribus tentamenta modificet, nullus profectò eſt qui malignorum ſpirituum inſidias non corruens portet: quia ſi menſuram judex tentationibus non præbet, eo ipſo protinus ſtantem dejicit, quo ultra vires onera imponit.*

E.l.N.T. 1.p. 320. D.

Ex dictis hactenus, colliges non poſſe omnino à viris ſuſpectis declinari ſuſpicionem erroris primæ Propoſitionis, niſi ſenſum Janſeniano planè contradictorium conceptis verbis admiſerint: hoc eſt, confeſſi fuerint, in juſtis, urgente præcepto, volentibus ac conantibus ſecundùm præſentes quas habent vires, adeſſe gratiam quæ ſit non inferior, ſed viribus par, ac ſaltem æqualis actuali eorum cupiditati reprimendę, & præcepto adimplendo, ſeu immediatè ſeu mediatè. Quæcumque aliæ primæ Propoſitionis interpretationes quę removent dumtaxat ſenſus illos extraneos & alienos quos retulimus, errorem tegunt ac diſſimulant, non tollunt. Inde eſt quòd à Janſenianis interpretationes illæ ultrò adoptentur, ut vidimus, quarum involucro tecti deliteſcunt. Fateantur illi quantùm voluerint, eſſe in juſtis gratiam actualem interiorem ſufficientiſſimam, quæ ipſis conferat poſſe completiſſimum, proximum, expeditiſſimum adimplendi mandati, atque etiam ſuperandæ præſentis naturæ lapſæ ſtatus concupiſcentiæ ſecundùm ſe ſpectatæ: addant, juſtos gratiæ hujus beneficio, habere quidquid ex parte principii per ſe neceſſarium eſt ad benè agendum, ita ut etiam aliis in circumſtantiis re ipſa efficax foret. Aſſerant quantùm voluerint, ſe gratiam ſufficientem ſenſu Thomiſtico, ut vocant, libenter amplecti. Jactitent ſe gratias excitantes admittere, quibus voluntas ad actum perfectum, ſeu ad impletionem præcepti ita diſponitur, ut niſi voluntas fortiùs obſiſteret validiorque concupiſcentia obſtaret, gratias uberiores Deus largiretur. Appellent impotentiam implendi præcepti, temperato ac emolito nomine impotentiæ moralis aut difficultatis. Prædicent eſſe in juſto, etiam ſub ipſa dominante concupiſcentia & ad malum determinante, expeditam ad bonum potentiam; ſalvus adhuc & integer ſub his loquendi formulis in ſpeciem Catholicis perſeverare poteſt error primæ Propoſitionis Janſenii. Neque enim aliam exprimunt ad bonum potentiam, quàm abſolutam ac ſpectata in ſe natura gratiæ, de qua Paulus Irenæus meritò dicebat otioſorum hominum eſſe, diſputare velle; ac ridiculum eſſe, Janſenio conſilium affingere ipſam negandi: non verò relativam, ſeu talem quæ poſſit actualem ac pręſentem concupiſcentiam reprimere.

Dices 1. Conc. Trid. loco citato ſeſſionis 6. capitis 11. manifeſtè ſupponit juſtos in iis aliquando circumſtantiis eſſe, in quibus non poſſunt obſervare mandatum. *Deus*, inquit, *impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.* Ergo contingit aliquando, juſtum non poſſe obſervare mandatum; ac proinde, recto ſenſu mandatum tunc dici poſſe ipſi impoſſibile.

Reſp. diſtinguo ant. Conc. Trid. ſupponit juſtos aliquando non poſſe proximè & immediatè obſervare pręceptum, concedo: non poſſe mediatè, impetrando ſcilicet uberius Dei auxilium, nego. *Jubendo monet facere quod poſſis, & pe-*

Digitized by Google

tere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis, ait Conc. Trid. Fidelis quippe Deus eſt, qui non patietur tentari nos ſupra id quod poſſumus, pronunciante Apoſtolo 1.Cor.10.v.13. Porrò, ut quis dicatur verè poſſe obſervare præceptum potentia relativa, ſatis eſt quòd vires habeat pares ac ſufficientes ad impetrandum divinum præſidium nec eſſarium ut actu impleatur. In ſyſtemate verò Janſenii, ut jam obſervavimus, vigente ſuperiori cupiditate ab orando retrahente, nulla eſt in juſto poteſtas relativa ad orandum: adeoque præcepti obſervatio planè impoſſibilis ipſi eſt, non tantùm immediatè ac proximè, ſed etiam mediatè.

Urgebis. Non poſſe obſervare præceptum immediatè ac proximè, idem planè eſt ac non poſſe illud obſervare potentia juncta cum actu: atqui Janſeniani, vel ab ipſo controverſiarum exordio, ſæpiſſimè conteſtati fuerunt, ſe hanc dumtaxat unam, cum Thomiſtis, excludere à juſtis gratia efficaci deſtitutis, potentiam junctam cum actu; aliam verò quamlibet perfectiſſimam, completiſſimam,expeditiſſimamque etiam relativè ultrò ſe profiteri ac admittere, modò tamen concedatur,eam,ſi ſola fuerit,nunquam in actum erumpere.

Reſp.diſtinguo min.Janſeniani conteſtati ſunt ſubdolè ac fraudulenter, ſe cum Thomiſtis excludere dumtaxat potentiam junctam cum actu,concedo, verè ac ſincerè, nego. Jamdiu eſt ex quo Janſeniani, ementito Thomiſtarum nomine ac uſurpatis eorum locutionibus, Eccleſiæ turpiter illudunt. Potentia quippe ab actu ſejuncta, quam unam fingunt ſe cum Thomiſtis removere à juſto gratia efficaci deſtituto, non tantùm non conjungitur cum actu, quod ajunt Thomiſtæ, ſed nec conjungi poteſt, quod iidem negant. Nihil quippe, juxta illos, deeſt juſto hujuſmodi ex parte potentiæ ſeu actus primi, ſed tantùm ex parte actus ſecundi. E contra, in ſyſtemate Janſenii, ut ſæpius obſervatum fuit, deeſt actus primus & ſecundus; ſuperior nempe delectatio, quæ ſimul primum & ſecundum actum largitur, hoc eſt, ipſum poſſe & agere.

Quapropter potentia illa ab actu ſejuncta, in doctrina Janſenii, nec eſt, nec dici poteſt relativa; imò implicat in terminis illam eſſe relativam, & tamen ab actu ſejungi. Quia nempe potentia hæc, eſt ipſamet ſuperior delectatio, ſecundùm quam, ex Janſenio, neceſſe eſt voluntatem ſemper operari. Non ita eſt apud Thomiſtas, qui relativam admittunt potentiam, tametſi ſola actum non obtineat. Agnoſcunt enim illi, juſtum beneficio gratiæ ſufficientis, poſſe bonum operari: agnoſcunt voluntatem, abſente gratia efficaci, indifferentem eſſe ſeu indeterminatam ad actum bonum; atque idcirco efficacem gratiam phyſicè præmoventem ipſi eſſe neceſſariam, ut educatur ex illo indifferentiæ ac indeterminationis ſtatu, & ad agendum determinetur. Porrò, indifferens dici non poteſt ad bonum voluntas, niſi ſupponatur habere, per gratiam ſufficientem Thomiſticam, vires æquales ac pares quibus poſſit relativè bonum operari;quamquam nuſquam illud operetur quamdiu ſola fuerit,nec novum acceſſerit ex parte Dei auxilium. At hæc ipſa eſt relativa potentia ab actu ſuo ſemper ſeparata, quam Janſenius velut monſtro ſimilem explodit ac ſugillat Lib. 3. de Gratia Chr. c. 1. Imò, tanquam dogma Pelagianum ac Semipelagianum habet, quòd voluntas in æquilibrio gratię & concupiſcentiæ poſita, poſſit ſe ad bonum flectere; adeo apud ipſum fixum ac ratum iſtud eſt principium, voluntatem non niſi ex ſuperiori delectatione poſſe ad agendum determinari.

Urgebis iterum. Potentia illa relativa, quam agnoſcimus in gratia ſufficiente Catholica ad debellandam quamlibet concurrentem actualem concupiſcentiam, vel inutilis & otioſa videtur, vel eò tendit unicè ut gratia ſufficiens Moli-

Molinæ ſenſu ſtabiliatur. Namque, vel illa potentia nunquam, ſi ſola fuerit, in actum erumpit, vel erumpit ſine novo ex parte Dei auxilio. Si prius; inutilis planè ac otioſa videtur potentia quæ nunquam actum obtinet: imò nec ſatis poteſt explicari, quid ex parte voluntatis neceſſarium ſit, ut talis potentia in actum erumpat, impetrando novum Dei auxilium. Si poſterius; ergo ex ſolo nutu voluntatis pendet, ut cum tali potentia ſeu gratia ſufficiente juſtus benè operetur; ac conſequenter, efficacia gratiæ ex uno eventu ſeu conſenſu voluntatis repetitur, quæ ipſa eſt Molinæ ſententia.

Reſp. nego ant. Duo quippe hìc diſtinguenda, quæ objectio videtur confundere: dogma ſcilicet fidei oppoſitum errori primæ Propoſitionis, & explicatio hujuſce dogmatis. Non hìc jam quærimus, qua ratione potentia illa relativa, quam in gratia ſufficiente Catholica reſpectu cujuslibet oppoſitæ cupiditatis ſuperandæ agnoſcimus, in actum erumpat; an ſola ſine novo ex parte Dei auxilio, an cum illo dumtaxat novo auxilio: neque quid ex parte voluntati neceſſarium ſit, ut, uberius Dei auxilium impetrando, potentiam illam in actum reducat. Pertinet iſtud ad explicationem dogmatis Catholici, quam, variam variis Scholæ opinionibus, ſalva fide, Eccleſia permittit; atque Thomiſtis perinde ac nobis ſolvendus ille nodus eſt. Quod illi dixerint, ut exponant quid ex parte voluntatis, gratia dumtaxat ſufficiente Thomiſtica inſtructæ, neceſſarium ſit, ut impetret uberius Dei auxilium & bonum re ipſa operetur, hoc & nos hic dictum non abnuemus. Verùm, hoc unum impræſentiarum volumus, quod ad inſtitutum noſtrum attinet, doctrinam ſcilicet Janſenii, qua ſtatuit gratiam ſufficientem nihil aliud eſſe quàm inferiorem actuali concupiſcentia delectationem, ipſi proinde vincendæ imparem, omninò adverſari dogmati Catholico contra errorem primæ Propoſitionis definito. Quia nempe in juſtis, ſola illa gratia ſufficiente ſenſu Janſenii inſtructis, nulla eſt, propter inæqualitatem virium, potentia vera & relativa qua poſſint ſuperiorem actualem concupiſcentiam vincere, ac præceptum adimplere; adeoque præceptum reſpectivè ipſis impoſſibile eſt.

Urgebis denique. Si juſtus per gratiam ſufficientem, efficaci abſente, cuilibet concupiſcentiæ ſuperandæ ac præcepto adimplendo pares & æquales vires haberet, ut quid Eccleſia poſtulat à Deo ut in nobis adaugeat fidem, ſpem, charitatem? Ad quid juſtus uberiores à Deo, ſicut tenetur, poſtularet gratias, cùm præſentem habeat ſufficientem? *Nam quid ſtultius*, ait S. Auguſtinus Lib. de natura & gratia cap. 18. *quàm orare ut facias, quod in poteſtate habeas?* T. 10. p. 135. B.

Præterea, ſi minima gratia poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ & vitare omne peccatum mortale, ad quid ſpecialis illa divinæ providentiæ cura, quam juſti in tentationibus quibus pulſantur, & infirmitatibus quibus circumdantur, à Deo ſuppliciter implorant, ut victores evadant? Non alia profectò de cauſa, quàm quòd probè noverint, gratiam, niſi gradibus virtuteque concupiſcentiæ ſuperior fuerit, non poſſe illam ſuperare.

Reſp. 1. Meritò Eccleſiam à Deo poſtulare fidei, ſpei, charitatis cæterarumque virtutum augmentum, quarum nempe vim & ardorem, culpa noſtra ſæpiſſimè in nobis refrigeſcere ac imminui experitur. 2. Multis de cauſis juſtos aliquando teneri ſuis orationibus uberiores à Deo gratias implorare. 1. Quia ſic juſſit Chriſtus. *Vigilate & orate ne intretis in tentationem..... Sine intermiſſione orantes &c.* 2. Quia hæc ipſa gratia ſufficiens, quam habent juſti, Dei donum eſt. *Vult autem Deus à ſe requiri quod pollicetur*, ait S. Bernardus, Homil. 3. ſuper

ſuper Miſſus eſt. 3. Quia tanta eſt in præſenti vita tentationum frequentia & vehementia, tanta naturæ noſtræ infirmitas, tam frequentes noſtræ prolapſiones, ut niſi juſti animus ad Deum ſupplici oratione ſe convertat, brevi ex juſtitia quam accepit, deficiet. 4. Quia cum illa ſola ſufficiente gratia non ſemper juſtus poteſt proximè ac immediatè obſervare præceptum, ſive ex tentationis vehementia, ſive ex adjuncta præcepti difficultate; unde neceſſe eſt juſtum per orationem ad Deum confugere, uberiuſque impetrare præſidium, quo munitus mandatum adimpleat. *Deus enim jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis*, ait S. Auguſtinus. Cùm verò S. ille Doctor aſſeruit, *ſtultum eſſe orare ut facias, quod in poteſtate habeas*, Pelagianos carpebat qui ſolis naturæ viribus univerſam legem impleri poſſe contendebant. *An*, inquit, *iſta irriſoria petitio eſt, cùm id à Deo petitur, quod ſcitur ipſum non dare, ſed ipſo non donante eſſe in hominis poteſtate*? L. de dono perſ. c. 2. Poteſt autem ac debet poſtulari à Deo, id quod ex ipſius dumtaxat gratia habemus in noſtra poteſtate. Inſuper non poſtulatur gratia ſufficiens quæ jam habetur, ſed ea quæ poſtea neceſſaria erit. T. 10. p. 823. D.

Ad 2. Specialis & mira illa divinæ gratiæ in tentationibus occurrentibus ſuperandis ac cordibus noſtris inflectendis providentia, non conſiſtit, ſicut Janſenio placet, in ipſius virtute agendi per gradus; ſeu *in proportione majoris inæqualitatis, qua agens ſibi ſubjiciat paſſum, & major vis vincat minorem*: ſed in miris illis ac ineffabilibus modis, quibus S. Auguſtinus ſæpiſſimè affirmat Deum operari in cordibus hominum bonas voluntates, & habere cordium, quò voluerit inflectendorum, omnipotentiſſimam poteſtatem. In ſyſtemate verò Janſenii, ſicut obſervavimus antea, modus agendi gratiæ quaſi mechanicus pro graduum proportione ac menſura, nihil in ſe mirum ac ſtupendum continet & ad explicandum difficile. Verùm de hoc argumento pleniùs ſuo loco. Maſſoulié.

Dices 2. S. Auguſtinus Lib. 1. de diverſis quæſtionibus ad Simplicianum q. 2. n. 21. fatetur orationis gratiam non omnibus dari. *Nonne*, inquit, *aliquando ipſa oratio noſtra ſic tepida eſt: vel potiùs frigida & penè nulla, imò omnino interdum ita nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus? Quia ſi vel hoc dolemus, jam oramus*. Ergo non tantùm immediatè, ſed etiam mediatè, defectu gratiæ ad orandum neceſſariæ, mandatum eſt aliquando impoſſibile. T. 6 pag. 102. E.

Reſp. 1. S. Doctorem generatim loqui de gratuita orationis gratia omnibus hominibus neceſſaria. Nos autem hic loqui ſpeciatim de juſtis, quibus talem gratiam ad orandum ſufficientem non deeſſe contendimus. 2. Juſti non orant quidem ſemper ut oportet & quantùm oportet, ut uberius Dei auxilium impetrent: verùm eorum culpa eſt quòd ita non orent, cùm habeant ex gratia pares ac ſufficientes vires ad orandum. Unde S. Aug. loco citato, ait quidem orationem noſtram aliquando *tepidam*, *frigidam ac penè nullam eſſe*; at non ait deeſſe gratiam, per quam oratio poſſit ardentior & fervidior fieri.

SECUNDA PROPOSITIO.

Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.

Propoſitio ex Janſenio legitimè extracta.

Hujus Propoſitionis doctrinam adſtruunt ea Janſenii teſtimonia quibus aſſerit, omnem gratiam ejus effectus ſemper efficacem eſſe, cujus eſt capax relativè; ſive plenus ille ſit ac perfectus, ſive imperfectus ac debilis.

Libro 2. de Gratia Chriſti cap. 4. referens diſcrimen gratiæ ſanitatis, & gratiæ medicinalis quæ hujus ſtatus propria eſt, ſic loquitur. *Gratia ſanæ voluntatis, in ejus libero relinquebatur arbitrio, ut eam ſi vellet desereret, aut ſi vellet uteretur: gratia verò læſæ ægrotæque voluntatis nullo modo in ejus relinquitur arbitrio, ut eam deſerat aut arripiat ſi voluerit, ſed ipſa ſit potiùs illa poſtrema gratia, quæ invictiſſimè facit ut velit; & à voluntate non deſeratur* .... Et poſtea. *Alterum adjutorii genus eſt*, quo, *ſimul ac datum fuerit, fit effectus, & ſi non detur, nunquam fit. Nempe quia tantæ neceſſitatis eſt, ut ſine illo non poſſit effectus fieri, tantæque efficaciæ, ut hoc ipſo quo datur, continuò fiat. Dat enim ſimul & poſſe & operari.*

Pag. 41. col. 1. C. — *Ib. col. 2. C.*

Et cap. 24. *Quòd ſi quis*, inquit, *adhuc luculentiùs naturam gratiæ Chriſti medicinalis, prout ab Auguſtino intellecta deſcriptaque fuit, audire expreſſam, & intelligere deſideret .... videbit .... talem ab eo prædicatam eſſe, quæ ſimul ac pulſat fores, rumpit oſtia, repugnantemque domat voluntatem, tollit omnem ejus reſiſtentiam, rapit eam ſecum, & ex invita volentem ac ſe determinantem ineffabili ſuavitate ac poteſtate facit.*

Pag. 80. col. 2. E. Pag. 81. col. 1. A.

Et cap. 25. *Gratia & opus bonum apud Auguſtinum ita reciprocantur, ut quemadmodum ex gratia data mox effectum operis conſecutum inferre ſolet, ita vice verſa, ex defectu operis, gratiam non eſſe datam .... Quod eſt perinde ac ſi apertiſſimè diceret; nunquam illa caret effectu ſuo, ideo quippe tribuitur, ut duritia cordis ſeu voluntatis ablata, qua ſola impeditur operatio, non careat effectu ſuo.*

Pag. 83. col. 2. D. Pag. 85. col. 1. A.

Præter illam verò gratiam victricem, aliam agnoſcit Janſenius non victricem, quamquam ſuo modo ſemper efficacem, quia eum ſemper aſſequitur effectum cujus eſt capax & propter quem à Deo datur, habita ratione circumſtantiarum ſubjecti.

Capite 27. ejuſdem Libri 2. de Gratia Chriſti. *Nullam*, inquit *Auguſtinus agnovit actualem Chriſti gratiam*, quàm efficacem, *nec agnoſcere potuit, niſi regulas omnes fundamentales quibus innixus naturam gratiæ medicinalis tradidit, velit interimere.*

Pag. 87. col. 1. D.

Ibidem initio ſibi objicit *multos divinitùs mente colluſtrari, imò verò & in ipſa voluntate motibus divinæ gratiæ percelli, qui tamen ab ejus interna ſuaſione & inclinatione diſſentiunt*. Cui objectioni reſpondet, diſtinguendo varios gratiæ effectus. *Conſiderandum eſt*, inquit, *multiplices eſſe divinæ gratiæ effectus, quemadmodum & voluntatis. Eſt enim velle perfectum, quod Auguſtinus poſſe vocat; eſt & imperfectum, quod velleitatem appellare ſolent; & hoc ipſum diverſos gradus habet, donec ad ipſam primam tenuiſſimamque boni complacentiam veniatur. Hæc ergo primus eſt cœleſtis illius roris effectus, quem ut minimum in omnibus operatur, quibus eum infundit Deus.*

Pag. 86. col. 2. E.

In ſententia igitur Janſenii, quælibet gratia eum ſemper effectum obtinet, cujus, relativè ad oppoſitam delectationem, capax eſt; & ad quem, habita ratione hujus delectationis ſuperioris, producendum à Deo datur; ſive plenum ac perfectum, ſi concupiſcentia inferior fuerit, & gratia ſuperior; ſive imperfectum, ac debilem, ſi ſuperior fuerit cupiditas, gratia verò inferior. Adeoque, in mente Janſenii, interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nuſquam reſiſtitur.

Secunda Propoſitio cum delectatione ſuperiori connexa, unde à Janſenio eruitur.

Ex eodem delectationis ſuperioris fonte profluit hujus ſecundæ Propoſitionis doctrina, & à Janſenio ipſo deducitur.

Libro

Libro 2. de Gratia Chriſti cap. 24. hic laudato. *Gratia tollit omnem ejus* (voluntatis) *reſiſtentiam, rapit eam ſecum, & ex invita volentem ac ſe determinantem ineffabili ſuavitate ac poteſtate facit.* Pag. 81. col. 1. A.

Lib. 4. c. 7. *Naturali ordine*, inquit, *ex delectatione dilectio, ex dilectione operatio conſequitur.* Paulò antè dixerat: *Id quod amplius nos delectat, etiam amplius velimus ac diligamus neceſſe eſt; tantò enim quidque vehementiùs volumus, quantò delectamur ardentiùs.* Pag. 179. col. 1. A. Pag. 178. col. 2. E.

Non tantùm verò ad bonum, ſed etiam ad malum, delectatione prævia nos opus habere docet ibidem Janſenius. *Voluntas*, inquit, *ſine delectatione velle aut moveri nullo pacto poteſt, quod ſanè reſpectu cujuslibet actionis locum habet. Unde etiam in peccatis eadem neceſſitas delectationis ad volendum, ac majoris delectationis ad ſuperandam oppoſitam delectationem reperitur.* Pag. 179. col. 1. B.

Cap. 8. ejuſdem Libri, docet futuram etiam in beatis peccandi voluntatem, ſi aliquid terrenæ delectationis obrepere in cœlo poſſet. *Diligentis beati impetus*, ait, *ſi adulterinæ cujuſdam delectationis permixtione laxaretur, mens illa beata iterum refrigeſcendo tenebreſceret & peccaret.* Pag. 181. col. 1. D.

Et cap. 10. *Cùm nulla ſit gratia operandi præter iſtam ſuavitatem Dei, niſi iſta tanta fuerit, ut ei delectationes rerum creatarum ceſſerint, vel peccabitur, vel alternante delectationum fluctu in medio remanebitur.* Pag. 182. col. 2. C.

Lib. 8. cap. 3. *Delectatio victrix, quæ Auguſtino eſt efficax adjutorium, relativa eſt. Tunc enim eſt victrix quando alteram ſuperat. Quòd ſi contingat alteram ardentiorem eſſe, in ſolis inefficacibus deſideriis hærebit animus.* Pag. 344. col. 2. C.

Denique Libro 10. cap. 7. *In univerſis*, inquit, *Operibus ejus* (Auguſtini) *non eſt veſtigium, quòd Chriſti gratia cuiquam ſit incongrua, ſed omnis congrua eſt, omnis operatur ac perficit effectum ſuum. Omnis enim delectat voluntatem, & omnis hoc ipſo ad operandum effectum illum ad quem datur, trahit.* Non potuit Janſenius, & ſecundam hanc ſuam Propoſitionem, & principium unde ſequitur, clarioribus verbis exprimere. Pag. 418. col. 2. E.

Magiſtrum diſcipuli ſequuntur, atque ex eodem planè delectationis principio, ſecundæ Propoſitionis doctrinam inferunt ac demonſtrant.

In Scripto cui titulus, Quinque Propoſitionum de Gratia, vera & Catholica expoſitio, apud Diarium de S. Amour inter Collectanea. *Hanc gratiam*, inquiunt, *voluntas nunquam reſpuit, quia ſemper velle donat, ſemper cordis duritiam aufert pro menſura doni divini majoris concupiſcentia, ſeu quantùm Deus miſericorditer vult victricem hanc delectationem & majorem concupiſcentia ſive ad incipiendam, ſive ad confirmandam, ſive ad perficiendam animæ curationem, in cordibus noſtris diffundere.* Et poſtea. *Homo hac Chriſti gratia quæ cordis duritiam aufert motus, non ſemper proinde vult aut agit efficaciter & perfectè quod volendum & agendum eſt: ſæpe enim contingit hominem peccatorem in ſolis inefficacibus deſideriis quæ gratia efformavit hærere, nec ea ad operis effectum ob infirmitatem ſuam ac vitium proprium perducere; abjicere etiam deſideria iſta, & reluctante, ac vincente concupiſcentia non reſipiſcere à peccato, non agere pœnitentiam ut oportet & quantùm oportet ut à peccato reſurgat, illiuſque veniam à Deo conſequatur. Hoc tamen in homine gratia Chriſti proximum effectum quem Deus intendit, boni ſcilicet & inchoati deſiderii motum conſequitur.* Pag. 53. col. 2. Pag. 54. col. 1.

Duplicem hìc gratiam diſtinguunt Janſeniani: unam victricem ſeu per ſe efficacem, *quæ ſemper in cordibus noſtris effectum ad quem à Deo datur, producit*; cui conſequenter nuſquam reſiſtitur: alteram, *quæ cordis duritiam* ex ſe pro-

priaque natura auferre quidem poteſt, ſed qua *homo motus, non ſemper vult aut agit efficaciter & perfectè quod volendum & agendum eſt: nihilominus proximum effectum quem Deus intendit, boni ſcilicet & inchoati deſiderii motum, conſequitur*: cui etiam ea ex parte nuſquam reſiſtitur; quandoquidem eum habet proximum effectum quem Deus intendit. Quantùm verò ad alium effectum ulteriorem, plenum ac perfectum, ad quem ea gratia ex ſe propriaque natura abſolutè tendit & ordinatur, & quem propter oppoſitam majorem cupiditatem non aſſequitur, propriè ipſi non reſiſtitur; quia effectum illum relativè obtinere non poteſt, proter obicem ardentioris concupiſcentiæ: loquendo autem propriè ac ſtrictè, reſiſtere gratiæ, eſt eam fruſtrare eo effectu quem habere poteſt in his circumſtantiis in quibus datur. Porrò hunc modum agendi gratiæ repetunt hujus Scripti Auctores, ex delectatione quæ major vel minor eſt concupiſcentia.

Pag. 11. In alio Scripto quod dicitur, *In nomine Domini*, ſic mentem ſuam pariter exponunt. *Præſtat animadvertere, non docere nos divinæ gratiæ ſimpliciter & per ſe nunquam reſiſti; quin imò eidem novimus modò reſiſti, modò non reſiſti. Comparatione ſcilicet cupiditatis cum ipſa gratia, ut altera viciſſim reſiſtat alteri, prout altera viciſsim alteri aut cedit, aut obedit, aut dominatur & prævalet. At nec inde fit, ut omni prorſus effectu careat aut caruerit unquam divina gratia; quandoquidem ipſa, quatenus ſuperior aut inferior eſt adverſariæ cupiditati, deſiderium efficax aut inefficax in humana voluntate perpetuò gignit: & cùm à Deo non donetur ſaltem immediatè, niſi ob effectum illum quem nata eſt peragere & reipſa peragit, negamus eam propterea eius effectus, ad quem à Deo immediatè & proximè deſtinata eſt, aut aliquando vacuam fuiſſe, aut porrò unquam fore*..... Poſtea idem confirmant ipſa Janſenii auctoritate Lib. 3. de Gratia Chriſti c. 25. *Nec verò*, inquiunt, *memoratis locis docuit Præſul iſte, divinæ gratiæ ſimpliciter aùt abſolutè numquam reſiſti, ſed reſpectu ſolummodo cupiditatis, prout hæc gratiæ, cum qua dimicat, prægravat vel ſuccumbit*. Clarè ac perſpicuè hìc habetis divinam gratiam nuſquam omni effectu carere; ſiquidem quatenus ſuperior aut inferior eſt adverſariæ cupiditati, deſiderium efficax vel inefficax ad bonum excitat in voluntate. Cùm igitur ajunt gratiæ interdum reſiſti, eam abſolutè in ſe ac ſecundùm naturam ſuam conſiderant, quatenus ad bonum perfectum tendit & ordinatur; non verò relativè, quatenus inferior eſt adverſariæ cupiditati: tunc enim propriè ei non reſiſtitur: cùm non poſſit plenum illum ac perfectum effectum relativè conſequi; & imperfectum, cujus ſolius producendi capax eſt habita ratione diſpoſitionum ſubjecti, operatur.

In ſecundo Scripto quod ab uno è Dominicana familia elaboratum eſt pro
Pag. 91. col. 1. informatione Cardinalis Romæ, apud de S. Amour inter Collectanea, ſic legimus. *Tertiò, nequaquam docet Janſenius omnem gratiam eſſe cumulatè efficacem ad plenum opus, quaſi verò inefficaces ad illud excludat gratias, quas Thomiſtæ vocant ſufficientes.... Sic eas ſublata gratiæ efficacis appellatione complectitur, quòd quæ reſpectivè ad ipſum totum & perfectum opus invalidæ ſunt & inefficaces, ſint tamen abſolutè & ſimpliciter efficaces ad opus proximum & immediatum, ad quod decreto Dei abſoluto deſtinantur, & pro quo à Deo conferuntur*.

Pag. 152. col. 1. Paulus Irenæus Diſq. 6. art. 3. arg. 2. *Janſenius*, inquit, *variis in locis aſſeruit gratiæ nonnunquam diſſentiri; gratias quaſdam inefficaces eſſe; gratias quaſdam in ſolis deſideriis inefficacibus hærere, & à concupiſcentia ſuperari*.

perari. Quod probat ex verbis Janſenii depromptis ex Lib. 8. cap. 2. quæ hic laudavimus.

Et Diſquiſitione 1. art. 5. ſic adhuc loquitur: *Quamvis iſta gratia ſit ineſficax reſpectu boni operis ad quod ex natura ſua tendit, & ad quod implendum voluntatem excitat & roborat; alio tamen ſenſu eſt efficax ſecundùm quid; quia ſemper actus illos imperfectos producit ad quos ex decreto abſoluto divinæ voluntatis ordinatur. Atque ita generatim omnis Chriſti Gratia efficax dici poteſt; quia ſemper id efficit quod Deus abſolutè fieri decrevit*. pag. 19. col. 2.

Lege & Dionyſium Raymundum parte 1. c. 3. art. 3. ubi clarè docet gratiæ reſiſti, quatenus dumtaxat abſolutè in ſe ſpectatur ac ex natura ſua tendit ad opus perfectum. pag. 113.

Denique Sambovius in Tractatu de Gratia, quem anno 1651, his in Scholis docuit, hæc habet circa ſecundam, quam expendimus, Janſenii propoſitionem. *Gratia voluntatis vel eſt parva, vel magna. Parvæ reſiſtitur, ſed ita ut aliqua ex parte, ſed majori ſuperetur, minori ſuperet. Superatur, quia non ponit effectum quem in ſubjecto minùs reſiſtente poneret: ſuperat, quià ponit omnem effectum ad quem ordinatur à Deo: facit velle, licèt non plenè, ſed imperfectè*. Et Diſputatione 5. art. 6. *Gratia parva*, inquit, *eſt efficax ejus effectus ad quem proximè ordinatur, & quem Deus abſoluta voluntate intendit: non eſt tamen efficax ejus effectus quem Deus abſoluta voluntate non intendit, & ad quem ordinatur quantùm eſt de ſe ulteriùs, ſed non habita ratione ſubjecti reſiſtentis per majorem concupiſcentiam..... Hæc parva gratia, quæ parit deſideria parva, licèt ſit efficax ratione hujus effectus, eſt tamen ſufficiens ratione ulterioris effectus; quia quòd eum non ponat, non eſt defectus virtutis, quæ de ſe habet omnia quæ requiruntur ad effectum iſtum ponendum, ſed ratione reſiſtentiæ ſubjecti; quia ſcilicet gratia victrix eſt non abſolutè, ſed comparatè dumtaxat ad minorem concupiſcentiam. Deus verò non intendit ſua abſoluta voluntate ultimum hunc effectum poni in ſubjecto ſic reſiſtente*; Hæc Sambovius tam clara & perſpicua, ut expoſitione non indigeant.

In his porrò omnibus, quæ laudata ſunt, teſtimoniis, quaſi ſolaribus radiis deſcripta legitur poteſtas abſoluta & relativa gratiæ, in cujus æquivocatione perpetuò ludunt ac fallunt Janſeniani.

Verus ac germanus ſecundæ Propoſitionis Janſenii ſenſus.

Ex dictis facilè colligitur, hunc eſſe naturalem ac germanum ſecundę Propoſitionis Janſenii ſenſum: nempe gratiam Chriſti eum omnem effectum ſemper conſequi, cujus eſt capax relativè ad oppoſitam cupiditatem; ſeu quem ipſi permittit oppoſita cupiditas. Si hæc ſuperior fuerit, gratia inefficaces tantùm & imperfectos ad bonum motus excitabit; ſeu, ut loquitur Janſenius, *animus in ſolis deſideriis inefficacibus hærebit*: ſi verò inferior fuerit cupiditas, gratia plenum ac perfectum effectum, ſeu opus bonum obtinebit: & ita, gratia ſemper eſt efficax, licèt non ſemper victrix. Semper efficax, quia ſemper aliquid efficit; non ſemper victrix, quia non ſemper ſuperat oppoſitam concupiſcentiam, nec plenum ac perfectum opus producit; & conſequenter nuſquam ei reſiſtitur. Non quantùm ad effectum plenum, ſi fuerit victrix: non etiam quantùm ad effectum imperfectum, ſi victrix non fuerit, quia eo nunquam fruſtratur. Quantùm verò ad effectum plenum & perfectum ad quem gratia

 etiam

etiam non victrix, ex ſeſe propriaque natura abſolutè tendit & ordinatur, propriè loquendo ipſi non reſiſtitur, quia eum relativè ad oppoſitam majorem cupiditatem conſequi non poteſt in doctrina Janſenii: ergo nec ipſi ſub illo reſpectu propriè reſiſtitur. Non alius profectò eſt Janſenii ſenſus, qui intimè connexus eſt cum iis quæ docet circa delectationem ſuperiorem ac relativam: quē ſenſum apertè indicant Janſeniani, in Scripto trium Columnarum. *Gratiæ Chriſti*, inquiunt, *ad ſingulos pietatis actus proximè neceſſariæ nunquam reſiſtitur: hoc eſt, nunquam illa fruſtratur eo effectu ad quem a Deo proximè datur* (voluntate ad circumſtantias attendente.) Qui alium ſenſum quærit & ſibi ad refellendum proponit quaſi Janſenianum, cum larvis & umbris luctatur.

Diar. p. 285. col. 1. Senſum illum aperiebat Hillerius in Scripto jam citato. *Senſus eſt*, inquiebat, *in ſtatu naturæ lapſæ nullam eſſe gratiam Chriſti actualem internam in voluntate reſidentem, cui voluntas humana de facto diſſentiat.*

Nota, addebat, *hic non attingi doctrinam S. Auguſtini de Gratia efficaci à ſe. Aliud eſt enim aſſerere S. Auguſtinum admiſiſſe aliquod genus gratiæ quæ infallibiliter effectum ſuum conſequitur, & à nullo duro corde reſpuitur: aliud aſſerere, S. Auguſtinum nullam aliam gratiam præter efficacem admiſiſſe, quæ ſufficiens ſit. Primum, Catholicum eſt; ſecundum, non niſi à Calvino eiuſque ſequacibus fuit aſſertum.* Et poſtea. *Non itaque hic agitur de gratia ſufficiente verſatili ſtatuenda, quæ modò effectum ſuum habeat, modò non habeat; ſed tantùm in genere quæritur, utrum verum ſit in ſtatu naturæ lapſæ nullam dari gratiam quæ verè ſufficiens ſit.*

Dices. Ex Janſenio L. 2. de Gr. Chr. cap. 27. gratiæ parvæ diſponunt ad victricem, provocantque Deum per actus imperfectos quos ex voluntate eliciunt, quales ſunt velleitates, conatus, vota, ad concedendum gratias uberiores quibus adimpleatur præceptum. *Videmus*, inquit, *plurimos, qui necdum* *Pag. 87. col. 1. C.* *ab immunditiis carnis ſe continere poſſunt, vehementer tamen optare continentiam: cujuſmodi vota divinæ gratiæ ſunt munera, & majoris gratiæ provocativa.* Porrò id ſufficit, ut gratiæ hujuſmodi verè ſint ſufficientes, ac homo iis reſiſtere dicatur.

Reſp. 1. In ſyſtemate Janſeniano neceſſe non videri, ſi ipſis fides, ut gratiæ parvæ diſponant ad novas majores, Deumque provocent ad eas conferendas. Siquidem etiam non accedente novo Dei auxilio interiori, prior gratia per ſolam oppoſitæ concupiſcentiæ imminutionem ſuperior ac victrix fieri poteſt. Eadem quippe entitas gratiæ victrix vel non victrix evadit, pro majori vel minori oppoſitæ cupiditatis reſiſtentia.

Reſp. 2. Eſtò actus illi imperfecti, quos gratia debilior excitat in voluntate, diſponant ac tendant ex natura ſua ad perfectiores: an verò id ſatis eſt, ut voluntas propriè dicatur hujuſmodi gratiæ reſiſtere? Nullatenus. Quia ſcilicet hæret neceſſariò animus in illis inefficacibus deſideriis, conatibus, votiſque imperfectis; dum oppoſita delectatio concupiſcentiæ, utpotè ſuperior, ad perfectiora ulteriùs progredi non permittit.

Senſus alieni & extranei qui ſecundæ Propoſitioni Janſenii malignè affingi poſſunt, quos tamen legitimè ſumpta apud Janſenium non habet.

Ubi ſemel fixus ac determinatus manet ſenſus ſecundæ Propoſitionis Janſenii, facile eſt alios omnes tanquam malignè confictos & ab ejus mente prorſus alienos removere.

I. Iat-

Digitized by Google

I. Itaque excludendus ſenſus iſte Calvinianus ac Lutheranus, quem Janſeniani ipſi excludunt in ſuo trium Columnarum Scripto, ſcilicet: *Interiori gratiæ efficaci in ſtatu naturæ lapſæ eatenus numquam reſiſtitur, quatenus voluntas hominis reſpectu gratiæ efficacis merè paſſivè ſe habet, & velut inanime quoddam nihil omnino agit, nec cooperatur, nec liberè aſſentitur*. Ab eo ſenſu procul abeſſe Jenſenium, defenſores ejus ultrò profitentur.

II. Dictæ Propoſitionis ſenſus non eſt, quòd concupiſcentia ſemper oppugnet gratiam, eique reluctetur: namque ea ratione, gratiæ quantumcumque victrici & efficaci etiam reſiſtitur; ſiquidem concupiſcentia carnis ſemper luctatur cum ſpiritu, ac gratiæ ab bonum ſpirituale invincibiliter inclinanti ſemper reſiſtit, licèt ſine victoria: neque hoc ſenſu negavit unquam Janſenius, quin gratiæ reſiſtatur. Vide caput 4. & 5. Lib. 4. de Gratia Chriſti, ubi luctam illam & conflictum gratiæ & concupiſcentiæ deſcribit.

III. Abſurdus etiam ac planè fictus eſt ſenſus iſte, nimirum gratiam eum ſemper effectum operari quem poteſt abſolutè, tum ex propria ſua natura, tum ex voluntate Dei antecedente. Nihil certè dici poſſet à mente Janſenii magis alienum. Namque gratia quælibet ex ſeſe tendit ad bonum perfectum, quod tamen ab ea ſemper non obtineri, propter majorem oppoſitæ cupiditatis reſiſtentiam, Janſenius centies agnoſcit. Gratia enim victrix, juxta illum, relativa eſt, non abſoluta, ut ſuperiùs demonſtravimus.

IV. Neque etiam ſenſus dictæ Propoſitionis eſt, gratiam non eo effectu interdum privari, quem aſſequeretur in alio ſubjecto minùs reſiſtente. In ſyſtemate quippe Janſenii eadem entitas gratiæ pro majori vel minori reſiſtentia, in uno victrix eſt, & in altero non victrix.

V. Planè confictus etiam eſt alter iſte ſenſus, quamlibet nempe gratiam omne bonum operari ad quod voluntatem movet & excitat. Certum quippe eſt, in ſyſtemate Janſenii, gratiam parvam & non victricem ex ſeſe ad bonum illud movere & inclinare voluntatem, cujus tamen executionem nunquam obtinet, quando major eſt cupiditatis delectatio.

VI. Somniaret profectò qui diceret ſecundæ Propoſitionis ſenſum eſſe, gratiam non tantùm pro eo tempore quo conceditur, ſed etiam poſtea, continuò eum ipſum effectum producere, quem primò produxit: quaſi ita deſipuerit Janſenius, ut unum & eundem gratiæ effectum conſtantem ſemper ac perpetuum in voluntate perdurare voluerit. Nullum eſt, aut in Janſenio, aut in verbis ipſis, quibus dicta Propoſitio cõſtat, ſenſus tam alieni & extranei veſtigium.

VII. Æquè falleretur & à ſcopo aberraret, qui diceret ſenſum Propoſitionis eſſe, motus indeliberatos, in quibus gratia conſiſtit, voluntatem non movere ad actus deliberatos eliciendos: totus enim repugnat Janſenius Lib. 4. de Gr. Chriſti cap. 11. ſuperiùs citato, ubi de natura delectationis ex mente Janſenii.

VIII. Nec ſcopum attingeret, qui dicta Propoſitione ſignificatum vellet, quacunque gratia concupiſcentiam reprimi ac debellari. Quis in doctrina Janſenii tam peregrinus ignorat quod centies repetit, minorem à majori dumtaxat delectationem vinci: adeoq; concupiſcentiam non à qualibet gratia, ſed tantùm à ſuperiori vinci ac ſuperari poſſe?

Denique falsò affingeretur iſte ſenſus, Deum, ſpectata in ſe natura gratiæ, nolle illud omne bonum produci ad quod tendit. Deum etenim voluntate ſua antecedente, quæ à circumſtantiis ſubjecti abſtrahit, velle illud bonum, voluntate autem dumtaxat conſequente, ſeu ſpectato ſuperioris concupiſcentiæ

gradu, cum quo gratia illa concurrit, illud nolle, Janſeniani quos antea laudavimus, agnoſcunt ac profitentur. Deus quippe id velle non poteſt quod, juxta ipſos, impoſſibile eſt: & impoſſibile eſt majorem concupiſcentiæ delectationem vinci à minori cœleſti. *Vigente enim delectatione carnali*, ait Janſenius L.4. cap. 9. de Gratia, *impoſſibile eſt, ut virtutis ac honeſtatis conſideratio prævaleat*. Ergo Deus ſua voluntate conſequente id velle non poteſt.

T.3.pag. 183. col. 2. B.

Senſus Catholicus errori ſecundæ Propoſitionis oppoſitus.

Ex erroneo Janſenii ſenſu proſcripto, facilè dignoſcitur hunc eſſe oppoſitum Eccleſiæ ſenſum: nempe, in ſtatu naturæ lapſæ, quamlibet gratiam non eum omnem ſemper effectum habere, cujus capax eſt relativè ad oppoſitam concupiſcentiæ delectationem; poteſt enim relativè eum effectum habere, quem tamen non habet, quia ex ſancto Thoma antea citato, *minima gratia poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, & vitare omne peccatum mortale*. Quod, ut antea diximus, Janſenio paradoxum videtur L.4. de Gratia Chriſti cap. 15.

Ad removendum igitur erroneum Janſenii ſenſum, non ſatis eſt, ſi tantùm dixeris, vel interiori gratiæ aliquando reſiſti, vel gratiam ulteriori ſuo effectu ad quem natura ſua & voluntate Dei antecedente ordinatur, aliquando fruſtrari, nec cum ipſo ſemper reciprocari, vel inefficacem interdum eſſe. Iſtos enim loquendi modos, quorum unus & idem ſenſus eſt, ultrò ad mentem ſuam intellectos Janſeniani amplectuntur; Arnaldus, D. Nicole in ſuo ſyſtemate, Auctor Epiſtolæ ad Epiſcopum an. 1661. Paulus Irenæus, Sambovius, Auctor Scripti, *In Nomine Domini &c.* in citatis ſuperiùs locis, ubi de poteſtate abſoluta & relativa egimus. Iiſdem & ipſemet Janſenius non infrequenter uſus eſt L. 2. de Gratia Chriſti cap. 27. & Lib. 8. cap. 2. Nihil etenim aliud his terminis ſignificatum volunt, niſi quòd gratiæ in ſe ipſa, ſeu abſolutè ſpectatæ, facta circumſtantiarum ſubjecti præciſione, reſiſtatur; quòd ea victrix ſemper non ſit, nec eum aſſequatur effectum, ad quem & natura ſua, & antecedente Dei voluntate tendit, ordinatur, ac diſponit. Verùm illud apud ipſos ratum ſemper ac firmum ſtat, gratiam relativè ad oppoſitam cupiditatem, eum ſemper effectum à voluntate exprimere, cujus eſt capax, habita ratione actualis oppoſitæ cupiditatis: adeoque ei propriè ſub eo reſpectu, de quo uno quæſtio movetur, non reſiſti; cùm propriè & accuratè loquendo, non reſiſtatur gratiæ ratione hujus effectus, quem his in circumſtantiis habere non poteſt.

Ut igitur nulla planè ſuperſit ſuſpicio erroris ſecundæ Propoſitionis, ſententia doctrinę Janſenii planè contradictoria clarè ac nitidè ſtatuenda eſt; nempe, quamlibet gratiam actualem interiorem voluntatis, non eum omnem ſemper effectum ſortiri, quem intendit Deus, ſpectatis ſubjecti circumſtantiis; & quem voluntati permittit operari gradus concurrentis actu delectationis terrenæ.

Dices 1. Quælibet gratia actualis interior voluntatis, quę datur per voluntatem Dei conſequentem & abſolutam, eum omnem effectum ſemper ſortitur, quem Deus ea voluntate (quæ ſemper impletur) intendit: atqui quælibet gratia quæ datur à Deo, ſpectatis ſubjecti circumſtantiis ſeu relativè ad diſpoſitiones ipſius, datur per voluntatem conſequentem & abſolutam; voluntas quippe antecedens abſtrahit à circumſtantiis: ergo eum omnem effectum ſemper ſortitur, quem Deus intendit, nec proinde ipſi unquam reſiſtitur.

Reſp. nego min. Namque virtute antecedentis Dei voluntatis, conferuntur juſtis, & aliis ſaltem præparantur gratiæ ſufficientes relativè ad diſpoſitiones

ſubje-

ſubjectorum. Diſtinctio enim inter voluntatem Dei, quæ conſequens, vel antecedens dicitur, non repetitur, juxta Divum Thomam in 1. Sent. diſt. 46. q. 1. art. 1. ex præciſis vel ſpectatis circumſtantiis concupiſcentiæ ſubjecti, ſed ex ſuppoſito, vel non ſuppoſito conſenſu voluntatis. *Dicendum*, inquit, T. 7. p. 403. col. 1. A. *ſecundùm Damaſcenum, quòd voluntas eſt duplex, ſcilicet antecedens & conſequens. Et hoc contingit non ex aliqua diverſitate voluntatis divinæ, ſed propter diverſas conditiones ipſius voliti. Poteſt enim in unoquoque homine conſiderari natura ejus & aliæ circumſtantiæ ipſius, (ut quòd eſt volens, & præparans ſe ad ſalutem ſuam; vel etiam repugnans, & contrariè agens ....) Hujus voluntatis* (antecedentis) *effectus eſt ipſe ordo naturæ in finem ſalutis, & promoventia in finem omnibus communiter propoſita, tam naturalia, quàm gratuita .... Bonum eſt eum qui ſe præparat & conſentit, ſalvari per largitatem gratiæ divinæ; nolentem verò & reſiſtentem non eſt bonum ſalvari .... Iſtum Deus vult ſalvari qui eſt volens & conſentiens: Et hoc dicitur voluntas conſequens, eo quòd præſupponit præſcientiam operum.* Igitur voluntas Dei antecedens non abſtrahit ab omnibus ſubjecti circumſtantiis, ſed tantùm à conſenſu vel diſſenſu ſubjecti, ad quem conſequens Dei voluntas attendit.

Urgebis 1. Quidam ex Thomiſtis aſſerunt, idcirco antecedentem appellari Dei voluntatem, quòd abſtrahat ab omnibus circumſtantiis ſubjecti; unde planè ſequitur, gratiam ſufficientem collatam virtute hujus voluntatis antecedentis, relativam non eſſe ad eas circumſtantias.

Reſp. 1. Illorum Theologorum eſſe, ſuam hanc ſententiam conciliare cum mox citato S. Doctoris textu. 2. In hac etiam illorum Thomiſtarum ſententia, gratia ſufficiens dat etiam poſſe relativum ad circumſtantiam actualis concupiſcentiæ; quia juxta D. Thomam, *Minima gratia poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, & vitare quodlibet peccatum mortale. Gratia ſufficiens*, ait Alvares L. 8. de Auxiliis divinæ gratiæ, diſp. 76. n. 6. *eſt ſufficiens comparatione converſionis perfectæ; licèt ſemper ſit efficax reſpectu alicujus effectus.* Unde licèt formaliter explicitè, Pag. 629. in mente illorum Theologorum, gratia ſufficiens non dicat ordinem ad illas circumſtantias, dicit tamen eminenter ob eximiam, quam habet, virtutem, ut poſſit quamlibet debellare concupiſcentiam.

Urgebis 2. cum Auctore Vindiciarum ſancti Thomæ circa gratiam ſufficientem ſect. 3. art. 4. apud cauſam Arnaldinam. Ex S. Th. in 1. diſt. 47. q. 1. art. 2. *Operatio non correſpondet voluntati Dei antecedenti, ſed conſequenti. Et voluntas antecedens non habet effectum, niſi voluntas conſequens adjungatur*, ait Pag. 525. & ſeq. idem S. Doctor Lib. 1. ad Annibaldum diſtinctione 47. q. de voluntate Dei art. 2. ad 2. Ergo voluntas Dei antecedens eſt otioſa & ſterilis.

Reſpondet Gonetus Tom. 1. Diſputatione 4. de voluntate Dei antecedente art. 5. paragrapho 2. refellens ex profeſſo argumentum Auctoris citati, diſtinguendo: Operatio & effectus principalis (qualis eſt collatio gratiæ efficacis Pag. 431. ſeu præmotionis phyſicæ ex parte Dei, ac plenus & perfectus ex parte voluntatis conſenſus in opus bonum) non correſpondet voluntati Dei antecedenti, ſed conſequenti, concedit: operatio & effectus minùs principalis, qualis eſt præparatio auxiliorum ſufficientium, negat. Quare, addit citatus Theologus, Ib. B. C. *Voluntas illa antecedens, in ſtatu naturæ lapſæ non eſt omnino otioſa & ſterilis, nec ſimplex complacentia de ſalute hominum ...... per illam enim Deus omnibus propoſuit ſalutis præcepta, conſilia, remedia; & omnes homines in finem ſupernaturalem ordinavit .... Et per illam ſalus omnium hominum, etiam reproborum,*

fit

ſit ſaltem incompletè & initiativè futura: unde falſum eſt, & à principiis D. Thomæ penitus alienum ..... Deum per voluntatem antecedentem nihil penitus circa hominum ſalutem operari, tum refert textum S. Thomæ mox citatum.

Ibidem reſpondens huic objectioni auctoris de quo ſuperiùs, nempe Deum per voluntatem antecedentem nihil velle ſimpliciter eorum quæ ad hominum ſalutem conducunt, quia voluntas illa non abſoluta eſt, ſed tantùm velleitas; ait, per voluntatem antecedentem Deum nihil velle ſimpliciter eorum quę hominem ad ſalutem conducunt efficaciter, concedit; inefficaciter, negat. *Licèt* (*Pag. 430. col. 2.E.*) *enim*, inquit, *media ad ſalutem efficaciter conducentia, Deus velit & præparet per voluntatem conſequentem .... media tamen & auxilia, quibus homo ſufficienter ad vitam æternam promovetur & ordinatur, ad voluntatem Dei antecedentem referuntur.* (*Pag. 431. col. 1.A.*) Addit, voluntatem illam antecedentem, voluntatem ſecundùm quid dici, non quidem reſpectu *omnis voliti per voluntatem, ſed tantùm reſpectu voliti principalis; hoc eſt æternæ ſalutis, & mediorum efficaciter ad illam conducentium: hæc enim per voluntatem antecedentem Deus non vult ſimpliciter, ſed tantùm ſecundùm quid. Auxilia tamen ſufficientia, quæ ſunt volitum minùs principale, & quæ ad ſalutem efficaciter non conducunt, Deus vult ſimpliciter & abſolutè per voluntatem antecedentem*. Hæc Gonetus è Thomiſtarum Schola inſignis Theologus.

Dices 2. Omnis gratia interior ſemper illuminat ac movet voluntatem: ergo ſemper hunc vitalem effectum aſſequitur, adeoque ipſi nuſquam planè reſiſtitur.

Reſp. 1. Falſum eſſe conſequens in ſententia illorum qui dicunt gratiam formaliter & eſſentialiter eſſe illuminationem mentis & motionem voluntatis, ſic enim illuminatio & motio non eſt effectus gratiæ, ſed ipſamet ejus natura. Ita ſenſiſſe aliquos refert Alvares L. 12. de auxiliis divinæ gratiæ diſput. 120. num. 2.

Reſp. 2. In ſententia eorum qui contendunt cum Alvares L. 7. de auxiliis divinæ gratiæ diſput. 57. nu. 4. *gratiam primò prævenientem, formaliter loquendo* (*Pag. 497.*) *non eſſe actum vitalem indeliberatum, ſed motionem Dei ordine cauſalitatis antecedentem actum noſtrum vitalem ordinis ſupernaturalis*, diſtinguendum eſſe: Gratia illuminando mentem ac excitando voluntatem, aliquem effectum vitalem ſaltem indeliberatum ſemper operatur, verum eſt: quo ſenſu mox cita- (*Pag. 648.*) tus Alvares Lib. 8. diſput. 80. nu. 3. ait, *comparatione hujus effectus indeliberati auxilium ſufficiens ſemper eſſe efficax*. Effectum vitalem deliberatum ſemper operatur, falſum eſt. Neque enim in ſententia Thomiſtarum, gratia exci- (*Denys Raymõd pag. 120.*) tans ſemper actum deliberatum obtinet ex voluntate, ad quem moraliter tantùm diſponit & excitat; ut nempe, accedente gratia operante, actum illum aſſequatur. Namque ſi gratia excitans phyſicè moveret, ſuum ſemper obtineret effectum; ergo moraliter dumtaxat movet. Quapropter non ſemper id obtinet & aſſequitur ad quod movet.

(*Vide Scriptũ cui titulus Conformitè de Janſenius avec les Thomiſtes. p. 55. & 59.*)

Urgebis. Ergo ſaltem quando gratia excitans Thomiſtica, accedente gratia operante, deliberatum actum tametſi inchoatum & imperfectum obtinet, ipſi non reſiſtitur.

Reſp. diſtinguo conſequens. Ipſi non reſiſtitur, ratione illius actus deliberati imperfecti quem producit beneficio gratiæ operantis, cujus actus reſpectu, non eſt tantùm ſufficiens, ſed efficax, concedo: non reſiſtitur ratione effectus ulterioris perfecti, ſeu boni operis quod non producit, & cujus tantùm reſpectu eſt & dicitur ſufficiens relativè, propter æquales quas confert vires.

Digitized by Google

vires ad debellandam actualem concupiſcentiam ab illo bono opere retrahentem, nego. Itaque gratia excitans Thomiſtica non ſemper habet, nec ſemper privatur effectu deliberato. Quando contingit eam effectu illo deliberato privari, hæret in ordine gratiæ purè ſufficientis: cùm verò actum illum deliberatum obtinet; & ſufficiens, & efficax vocatur ſub vario reſpectu: efficax quidem, quantùm ad effectum illum deliberatum, quem ex gratia operante producit: ſufficiens verò, reſpectu effectus ulterioris ad quem producendum diſponit ac ſufficientes relativè vires ſubminiſtrat. *Auxilium actuale quo actus attritionis elicitur*, ait Alvares citatus L. 8. diſp. 71. n. 13. *eſt quidem ſufficiens comparatione converſionis perfectæ, & ſimul efficax comparatione attritionis vel aliorum actuum imperfectorum qui regulariter antecedunt contritionem perfectam: quia idem auxilium quod eſt ſufficiens comparatione unius effectus, ſimul eſt efficax comparatione alterius.* Pag. 607.

Non pigebit hìc monere, Dionyſium Raymundum 1. parte cap. 3. art. 4. (pag. 122.) alioſque Janſenii patronos, quamquam jactitent ſe omnes excuſſiſſe Thomiſtarum Libros, unum tamen ferè laudare Navarretam, quaſi docuerit gratiam excitantem Thomiſticam ſemper producere aliquem effectum deliberatum: cùm tamen verba quæ ex ipſo laudant, innuant tantùm, gratiam excitantem connotare, ac tendere per ſe ad effectum liberum, qui ſenſus toto cœlo differt ab eo quem ipſi affingunt.

Urgebis denique. Gratia ſufficiens Thomiſtica datur tantùm ad poſſe: atqui ſemper dat poſſe; ergo ſemper obtinet id ad quod datur.

Reſp. nego ant. Datur enim non tantùm ad poſſe, ſed etiam ad agere; tametſi actum ſecundum ſe ſola non obtineat. Quòd autem ſemper poſſe conferat, ipſius natura eſt; ſeu, ut ajunt, effectus formalis, de quo non agitur, ubi de reſiſtentia gratiæ.

TERTIA PROPOSITIO.

Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.

Tertia Propoſitio ex Janſenio legitimè extracta.

Ut doctrina Janſenii circa libertatem hac tertia Propoſitione contenta intelligatur

Obſerva 1. Libertatem ſpectari poſſe, vel genericè prout communis eſt Deo, Angelis & homini tum lapſo, tum innocenti; vel ſpecificè quoad ſtatum ejus peculiarem, ſeu quatenus propria eſt hominis lapſi & viatoris. De libertate hoc poſteriori ſenſu hìc agitur.

Obſerva 2. triplicem vulgò libertatem diſtingui: nempe à ſervitute ſeu ſubjectione, à coactione, & à neceſſitate. Liberum à ſervitute dicitur, quod liberatur vel à peccato, vel ab ejus miſeriis, vel ab alia quacumque ſervitute: de hac ſpecie libertatis, nulla hìc eſt quæſtio. Liberum à coactione, idem eſt ac ſpontaneum, & opponitur coacto ſeu violento: eſt autem violentum quod fit ab extrinſeco, paſſo non conferente vim, imò reluctante quantùm poteſt. Liberum denique à neceſſitate dicitur, quod eſt indifferens: quæ indifferentia vel eſt ad duo contradictoria, ſeu ad agendum & non agendum, & vocatur indifferentia contradictionis & exercitii; vel eſt ad eligendum

dum unum de duobus contrariis, bonum vel malum, virtutem aut vitium, & dicitur indifferentia contrarietatis ſeu ſpecificationis. Poſſet admitti tertia quædam ſpecies indifferentiæ, cùm nempe voluntas ad agendum ſive benè ſive malè determinatur quidem, ſed tamen poteſt hoc vel illud bonum, hoc vel illud malum amplecti, aut non amplecti.

Obſerva 3. Triplicem hic potiſſimùm diſtingui debere neceſſitatem: unam coactionis, alteram naturalem, tertiam ſimplicem, Neceſſitas coactionis ſeu violentiæ, fit à principio extrinſeco, nihil conferente, imò reſiſtente paſſo. Talem neceſſitatem nuſquam voluntati inferri poſſe, communis eſt omnium ſententia: quia omnis actio voluntatis, eo ipſo voluntaria eſt, adeoque à principio interno, & conſequenter non coacta. Neceſſitas naturalis inclinationis ea dicitur, quæ determinat eſſentialiter ad unum ex principio intrinſeco naturali, qualis eſt neceſſitas in omni ente intellectuali, amandi beatitudinem in genere; & in Patre divino, generandi Filium ſuum; in Patre & Filio, producendi Spiritum ſanctum. Placet aliquibus Theologis, qui juxta obſervationem Gabrielis in 1. diſt. 10. q. 2. in principio, *loquuntur modo minùs conformi communibus terminorum acceptionibus*, talem productionem, tametſi neceſſariam, appellare liberam: quæ quæſtio parvi certè momenti eſt, totaque de nomine, ut ibidem ait Gabriel; nec ad rem noſtram præſentem pertinet; cùm ipſi Theologi, de quibus mox, aſſerant, & inter illos præcipuè Scotus in 2. diſt. 6. q. 2. §. Ad videndam ſolutionem iſtarum &c. *Appetitum, quantumvis præeunte cognitione intellectiva, non fore liberum libertate ſufficiente ad meritum, ſi deeſſet illi poteſtas ad oppoſitum; ſeu, ut loquitur, ſi non eſſet in poteſtate ejus aliud nec aliter appetere*. Denique neceſſitas ſimplex, eſt invincibilis & inſuperabilis ad unum determinatio. Dicitur etiam voluntaria, quia voluntas tali determinationi cum judicio rationis ſponte obſequitur, tametſi neceſſariò; neque fieri poſſit ut ei non obſequatur ac conſentiat. Quæ neceſſitas rurſus vel eſt perpetua & immutabilis, qualis eſt in beatis ut Deum ament; vel mutabilis ac tranſiens, qualis eſt ea de qua in tertia Propoſitione Janſenii agitur.

His præmiſſis, non ignorabat Janſenius, (Lib. 6. de Gratia c. 6.) doctrinam ſuam de non requiſita in hocce ſtatu ad merendum vel demerendum libertate à neceſſitate, miram ac ſtupendam novitate ſua cunctis videndam fore, ac ea offendendos eſſe viros Catholicos: Ut ergo fucum faceret pararetque ſibi effugium, exiſtimavit prælibanda eſſe quædam de libertate genericè ſumpta, ac in præfatione Librorum 6. & 7. de Gratia Chriſti, in quibus de libero arbitrio agere meditabatur, aſſerendum, ſe de illa libertate genericè ſumpta maximè ſolicitum: nimirum ut ſi contingeret reprehendi quæ de libertate hujus ſtatus dicturus erat, ſtatim reponeret, ſe de libertate generatim ſumpta loquutum fuiſſe. Id ipſum reverà data & non data occaſione identidem obtrudit. Verùm fraus & fallacia Janſenii nullos fefellit. Nemo non vidit illum de libertate hujus ſtatus, non de alia, quæ ad ipſius ſyſtema non pertinebat, unicè cogitare.

I. Ergo aſſerit, inter eſſentiam libertatis genericè ſumptæ & ſtatum ipſius, diſtinguendum eſſe. *Inter actum liberum & ſtatum libertatis permagna differen-*
T. 3. p. 300. col. 1. B. C. *tia eſt*, inquit Lib. 6. de Gratia Chriſti capite 34. *Aliter Deus, aliter Angeli, viatores & primus homo, aliter beati, aliter damnati, aliter homines reparandi, aliter Chriſtus Dominus in via conſtitutus liber fuit. Nec ullo pacto quæ in uno ſtatu libertatis adſunt aut etiam requiſita ſunt, ad alterum extendenda ſunt*. Et paulò

poſt:

Digitized by Google

poſt: *Liberum arbitrium in omnibus ſive beatis, ſive damnatis, ſive viatoribus, ſive Deo, ſive creaturâ, uniformem libertatis rationem obtinet, etſi difformem ſtatum.* Eſſentialis autem libertatis genericè ſumptæ ratio, juxta Janſenium, conſiſtit in voluntario deliberato, tametſi neceſſario, ut mox patebit; quamquam pro vario ſtatu agentis liberi, varia diſparque ſit ea neceſſitas. Quod explicat ibidem Janſenius his verbis: *Liberum arbitrium in Deo per naturæ conſtantiam, in beatis per gratiæ beneficium ad bonum ſemper determinatum eſt; in damnatis ad malum .... Rurſum in Angelis & primo homine viatore indifferentiſſimum fuit ad bonum & malum; in hominibus lapſis viatoribus itidem indifferens, ſed longè minus, utpote qui vident aliam legem in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuæ .... In Chriſto Domino viatore, nullo pacto ad malum flecti potuit. Ita fit,* concludit Janſenius, *ut liberum arbitrium pro naturæ cujuſque, vel ordinis divinitus inſtituti, vel meritorum diverſitate, diverſum ſtatum ſortiatur ..... Citra tamen ullam ipſius liberi, ſeu formalis rationis libertatis varietatem.* Ib.col.2.A. Ibid.

Igitur, ex Janſenio, uniformis eſt in omni agente libero formalis ac eſſentialis ratio libertatis; quòd nempe ſit voluntarium deliberatum, tametſi neceſſarium: quæ neceſſitas varia eſt pro vario ſtatu agentis liberi. Immutabilis & perpetua ad bonum in Deo, in Chriſto, in beatis. Immutabilis & perpetua ad malum in damnatis. In hominibus autem viatoribus, nec perpetua nec immutabilis eſt, ſed flexibilis ad bonum & malum. *Hominum viatorum,* inquit eodem cap. *non ſolùm coactionis expertem eſſe libertatem, ſed etiam neceſſitatis immutabilis voluntariæ, hoc eſt, eam ad utrumque indifferentem eſſe* (id eſt flexibilem) *fatemur perlibenter.* Ib.col.1.C.

Prædicant Janſenii defenſores Paulus Irenæus, Dionyſius Raymundus &c. Janſenium verbis mox citatis tertiæ Propoſitioni adverſari. Sed obſerva quòd in hoc ultimo textu, Janſenius dicit quidem non adeſſe in homine viatore neceſſitatem *immutabilem*; ſeu fatetur voluntatem ipſius remanere ſemper flexibilem: imò non aſſerit ad libertatem hominis viatoris requiri talem excluſionem à neceſſitate immutabili, quod probat verbis ſequentibus hunc textum, ubi apertè profitetur hanc immunitatem à neceſſitate adeſſe vel abeſſe poſſe ſine diſpendio libertatis: nuſquam verò affirmat, requiri ad libertatem hujus ſtatus immunitatem à neceſſitate ſimplici, mutabili ac tranſitoria.

II. Igitur Janſenius aſſerit identidem libertatem in genere in uno voluntario deliberato conſiſtere, nec eſſentialiter aliud poſtulare. *Voluntas ſeu volitio,* inquit eodem Libro 6. de Gratia Chriſti cap. 5. *& libera voluntas idem ſunt, ſicut velle & liberè; & impoſſibile ſit ut velle non ſit liberum. Quia,* inquit paulò antè, *nihil magis facimus quando volumus quàm ipſam volitionem; & ideo nihil magis in poteſtate noſtra quàm ipſa voluntas, id eſt, volitio conſtituta eſt. Eſt enim ipſa radix totius libertatis, quæ in omnibus omnino actionibus ſive externis, ſive internis apparet. Itaque libera eſt voluntas, hoc eſt, volitio ratione ſui, quia eſt eſſentialiter libera; ſicut implicat ut volendo non velimus, aut non faciamus quod volumus; hoc eſt, ut voluntas non ſit voluntas.* Ib.p.263. col.1.D. Ib.p.261. col.2.E.

Voluntarium porrò illud, in quo Janſenius libertatis rationem collocat, debere eſſe deliberatum, hoc eſt, ex advertentia & cum judicio rationis, & approbatione ſeu complacentia voluntatis, docet idem Janſenius citato capite 5. Lib. 6. de Gratia Chriſti, ubi motus indeliberatos quamquam voluntarios, liberos eſſe negat; quia in nobis rationis ac deliberationis uſum antevertunt. Et cap. 35. ejuſdem Libri. *Voluntas,* inquit, *hoc eſt volitio* Pag. 264. col. 2.C.

deli-

Digitized by Google

deliberata, de qua ſola tractamus, ſe ipſa libera eſt; & contradictionem implicat non eſſe liberam; quia fit cùm volumus, non fit cùm nolumus. Et cap. 36. *Conſtat hujuſmodi improviſos voluntatis motus eſſe voluntarios, & ſine violentia ex voluntate fluere, nec tamen etiam illo ſenſu eſſe liberos. Deeſt illis quippe id quod præcipuum eſt, quia non ſunt in poteſtate hominis, non ſumus eorum domini, fiunt ſine plena rationis advertentia, profluunt invita repugnanteque voluntate, quæ ſingula eſſentialiter repugnant libertati.* Cùm plurima Janſenii teſtimonia noſtri protuliſſent, ut inde demonſtrarent eum tertiam Propoſitionem revera docuiſſe, Paulus Irenæus Diſquiſitione 6. art. 3. Dionyſius Raymundus 1. parte cap. 4. & alii paſſim Janſenii apologiſtæ repoſuerunt, nequaquam poſſe colligi tertiam Propoſitionem ex iis locis; quia in illis Janſenius non de libertate hujus ſtatus ad merendum neceſſaria, de qua tertia dumtaxat Propoſitio, ſed de libertate genericè ſumpta locutus eſſet.

Pag. 301. col. 2. C. — *Pag. 303. col. 2. A.* — *Ap 139. uſque ad pag. 194.*

Verùm mala profectò fide, ut fucum imperitis facerent, diſſimularunt illi, Janſenium de libertate utroque modo conſiderata, & quidem potiſſimùm de libertate hujus ſtatus diſputaſſe. Quis enim verò facilè crediderit, eum unicè de libertate generatim & abſtractè ſumpta, quæ parum vel nihil ad inſtitutum ſuum conducebat, egiſſe; non verò de libertate ad merendum vel demerendum in hocce ſtatu neceſſaria, de qua potiſſimùm ſeu potiùs unicè erat quæſtio, ex qua laus aut vituperium actionum noſtrarum pendet? Egit profectò de hac ipſa libertate, quam Manichæi negaverant, Pelagiani verò ac Semipelagiani plùs æquo extulerant, quam eximiè S. Auguſtinus adversùs primos aſſeruit, & adversùs alios intra debitos fines compeſcuit; quam denique Janſenius ipſe, cum efficaci gratiæ motione ſtare ac conciliari oſtendere conatus eſt. Quis porrò ita ſtupidus, qui non intelligat iſta pertinere ad libertatem propriam hujus ſtatus, non verò tantùm ad libertatem univerſim ac genericè ſumptam? Sed juvat adductis ipſiſmet Janſenii verbis id demonſtrare.

III. Janſenius docet, libertatem hujus ſtatus ad merendum vel demerendum neceſſariam, unam excludere dumtaxat coactionem ac violentiam, non verò ſimplicem neceſſitatem mutabilem ac tranſeuntem.

I. Manifeſtè ſequitur hæc doctrina ex prima ejuſdem Janſenii Propoſitione. Cùm enim doceat juſtis aliquibus præcepta eſſe impoſſibilia, & tamen eos peccando demereri; cohærenter affirmat, ad demerendum non requiri libertatem à neceſſitate: eadem porrò, quantùm ad libertatem, Janſenio ratio eſt meriti ac demeriti. *Peccati & operis boni*, ait Lib. 4. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 24. *quantùm ad vetitum & præceptum, dehortationem & exhortationem, vituperium & laudem, ipſamque adeo arbitrii libertatem attinet, par eſt ratio.* Ergo &c.

T. 2. p. 270. col. 1. A. — *Pag. 271. col. 2. D.*

II. Eodem capite de libertate præſentis ſtatus loqui Janſenium patet manifeſtè ex his verbis: *Sic ergo & hic*, (hoc eſt in præſenti vita) *etiamſi ille perverſus amor ſui, in quem ex Dei dilectione rationalis creatura lapſa eſt, & in quo ex juſtiſſima Dei damnatione perſeverat, & ex quo omnis actus vel omiſſio damnatæ voluntatis fluit, firmiſſimè adhæreat voluntati, imò etiamſi non ſolùm ſpecificatione, ut nunc eſt, ſed etiam exercitio, quemadmodum amor beatificus eſſet neceſſarius, non tamen ex Auguſtini mente deſineret eſſe liber.* Vides ex Janſenio, quòd etſi voluntas hac in vita, tam firmiter malo adhæreret, quàm beati in cœlis bono adhærent, adhuc tamen libera foret. Notanda hìc obiter fraus Dionyſii Raymundi 1. parte cap. 4. qui citatum Janſenii textum Gallicè reddens, ſuppreſſit particulam iſtam *hic*, qua indicat Janſenius, ſe de libertate hominis

* Fraudē quæ in mox citatis vocibus latet, nō jam expendimus, id agemus ubi de 4. Propoſitione.

Pag. 154

minis lapſi loqui. Parem fraudem videre eſt in libro cui titulus *Refutation de la fauſſe Relation du P. Ferrier*, ubi hunc textum ex Iprenſi referens latinè, particulam hanc, *hic*, pariter ſuppreſſit.

Libro 6. de Gratia Chriſti cap. 24. poſtquam retulit iſtam S. Thomæ ſententiam in 2. diſt. 25. art. 4. ad quartum. *Nunquam liberum arbitrium ad peccan-* T. 1. p. *dum compelli ſeu cogi, quia jam ſibi in peccatum non imputaretur. Quaſi indicant*, 294. col. 1. E. addit Janſenius, *hoc ſufficere ut in peccatum imputetur, quia non cogitur*. An porrò libertate genericè ſumpta hæc dixit Janſenius, ſicut contendit Paulus Irenæus Diſq. 6. art. 4. argumento 3. Nonne apertè loquitur de libertate hujus ſtatus neceſſaria ad merendum vel demerendum? Ergo docet Janſenius, libertatem illam excludere dumtaxat coactionem, non ſimplicem neceſſitatem.

Ibidem cap. 34. *Neque enim*, inquit, *quiſquam ſpero, ita deſipuerit, ut ho-* Pag. *minem etiam viatorem libertatem amiſſurum putaret, ſi liberrima & liberatrice cha-* 300. col. *ritate in humanum liberaretur & firmaretur arbitrium, ut quod beatis jam in præ-* 1. C. *mium retributum eſt, in hac vita conſtitutus amplius jam peccare non poſſet*. Audis loqui Janſenium de libertate hominis viatoris, quam contendit integram fore & ad merendum ſufficientem, etiamſi amplius, ſicut beati in cœlo, peccare homo non poſſet, nec à bono faciendo ceſſare.

Et Libro 8. cap. 17. *Si etiam in hac vita Dei inſpiratio tam ſtabiliter ac delecta-* *biliter Deo operante inhæreret voluntati, ut eam non poſſet abjicere, feliciſſimum,* Pag. *fortiſſimum, liberrimumque meritò diceretur atque eſſet arbitrium*, 364. col. 1. D.

Et cap. 15. dixerat. *Quæ manifeſtiſſimè clamant, gratiam quamcumque efficacem, etiam talem qualis in cœlo cum ſumma delectatione dabitur, nullo modo tollere libertatem, quia non tollit voluntatem, hoc ipſo videlicet quo eam non cogit aut invitam rapit; ſic enim diligit Deum, ut velit ſe diligere, & ideo in actu volendi ſe ipſum movet & ipſi dominatur, & pro tanto dicitur liberum*. Cæcus ſit oportet qui non videat Janſenium hìc loqui de libertate ſicut & de gratia efficaci præſentis ſtatus.

Cap. 5. dixerat; Auguſtinum contra Pelagianorum querelas liberum defendiſſe arbitrium, *nec tamen nnquam vel ſemel, nec ex profeſſo eum tra-* Pag. 348. col. *didiſſe, nec per tranſennam inſinuaſſe, ſalvam eatenus manere ſub gratia liberta-* 1. D. *tem ejus* (hominis) *quatenus actum volendi ſic exerat, ut eum poſſit ſuſpendendo continere*.

Denique Lib. 6. de Gratia Chriſti cap. 6. *Ex quibus*, inquit, *conſectaneum eſt, omnem omnino voluntatem quantumcunque ad unum determinatam, nulla tali* Pag. 266. col. *neceſſitate, qua dicitur neceſſe eſſe ut velit, deſinere eſſe liberam, quia non deſinit* 2. E. *eſſe voluntas, quæ non eſſet ſi nollemus* ..... Et poſtea. *Sicut libertas eſſe non poteſt ſine voluntate, ita nec voluntas ulla ſine arbitrii libertate*. Et infra ..... *Neſcio quid* Pag. *manifeſtius urgentiuſque proferri poſſet ad demonſtrandum volitionis cujuſque liber-* 266. col. *tatem, etiam illius quam nos habere neceſſe eſt*. Ergo Janſenius non tantùm de li- 1. A. Col. 2. E. bertate in genere, ſed de libertate præſentis ſtatus ad merendum vel demerendum neceſſaria, locutus eſt.

Cùm igitur eodem Libro 6. cap. 6. duplicem neceſſitatem diſtinguit, *unam* Ib. p. 264. *coactionis, & aliam ſimplicem, ſeu voluntariam*: *aitque illam, non verò iſtam re-* col. 2. *pugnare libertati*. Cùm Libro 8. cap. 19. & alibi paſſim aſſerit *nullam neceſſita-* Eſt ipſe capitis *tem actibus voluntatis liberis eſſe formidandam, ſed ſolam coactionem aut neceſſita-* titulus. *tem violentiæ*; non tantùm de libertate in genere, ſed de libertate hujus ſta- Pag. 366. col. tus naturæ lapſæ hæc ab ipſo dicta fuiſſe manifeſtum eſt. 2. D.

Qua-

Digitized by Google

Quapropter ne quis ambigua ſignificatione vocis indifferentiæ decipiatur, providè monet ipſe Janſenius quid eo nomine intelligat; nempe unam ferè naturalem flexibilitatem voluntatis ad bonum & malum. Ita Libro 3. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 13. *Ex quibus omnibus*, inquit, *rectè colligas*, *non alio ſenſu nobis poſt lapſum ante reparationem ſupereſſe libertatem arbitrii ad bonum*, *niſi quia arbitrium eſt tantummodò capax boni*, *hoc eſt*, *quia Deo quod amiſſum eſt reparante*, *actualem libertatem arbitrii boni faciendi recipere poteſt*.

T. 2. p. 210. col. 1. D.

Et Lib. 8. de Gratia Chriſti cap. 20. *Hoc ergo modo*, inquit, *ſentit Auguſtinus & Proſper*, *ſub gratia manere peccandi poteſtatem*, *quia præter naturalem flexibilitatem ad malum*, *manet etiam concupiſcentia*, *per cujus tentationes animus mutari poteſt*. Pauló antè dixerat: *In nobis non ſolùm ipſa potentia voluntatis quæ de ſe ad malum flexibilis eſt*, *ſed etiam pondus ad peccandum remanet*, *quod eſt peccandi poteſtas perfectiſſima*.

T. 3. p. 368. col. 1. B. Pag. 367. col. 2. D.

Pariter per electionem ac deliberationem non id Janſenius intelligit, quod hactenus Catholici: ſed per electionem, determinationem tametſi neceſſariam ex prævia cognitione factam; & per deliberationem, meram objecti cognitionem ac complacentiam. *Luſtratis diligenter fundamentis Auguſtini*, ait Janſenius L. 7. de Gratia cap. 3. *quibus tota doctrina de arbitrii libertate nititur*, *nihil aliud exiſtimamus quàm cognitionem ac delectationem*, *ſeu delectabilem objecti complacentiam eſſe id quod tantam poteſtatem in liberum arbitrium habet*, *ut eam faciat velle vel nolle*; *ſeu*, *ut ea preſente actus volendi ſit reipſa in ejus poteſtate*, *abſente non ſit*.

Pag. 309. col. 2. A.

Tertia Propoſitio cum delectatione ſuperiori connexa, *unde à Janſenio eruitur*.

Nullibi apertiùs eluceſcit connexio doctrinæ Janſenii cum delectatione ſuperiori ac relativa, quàm in hac tertia Propoſitione. Cùm enim totus in eo ſit Janſenius, ut probet liberum in voluntario deliberato reponi, noſque id magis velle quod magis delectat; conſequenter illud magis liberum ipſi eſt, quod voluntatem majori delectatione demulcet ac rapit, tametſi neceſſariò. *Hæc delectatio*, ait Janſenius L. 6. de Gratia Chriſti cap. 35. *ſicut facit voluntatem velle*, *& ſine qua non poteſt velle quia non lubet*, *ita facit eam liberè velle*.

Pag. 303. col. 1. D.

Et Lib. 4. cap. 7. dixerat: *Delectationem omnis operationis ſecuturæ menſuram eſſe ...... Tantò enim quidque vehementiùs volumus*, *quantò delectamur ardentiùs*; *quod autem magis volumus ac diligimus*, *ſecundùm id operemur neceſſe eſt*.

Pag. 178. col. 2. E.

Lib. 7. c. 3. *Quapropter luſtratis diligenter fundamentis Auguſtini ...... nihil aliud exiſtimamus quàm cognitionem ac delectationem*, *ſeu delectabilem objecti complacentiam*, *eſſe id quod tantam poteſtatem in liberum arbitrium habet*, *ut eam faciat velle vel nolle*. Et poſtea ſic pergit. *Cùm igitur vera cauſa cur arbitrium ad appetendum aliquid moveatur*, *ſit delectatio qua intrinſecus in ipſa voluntate mulcetur*, *hinc eſt quod conſequenter Auguſtinus tradit*, *tam in appetendo quàm in omittendo peccato voluntatem delectatione liberam fieri*. *Cùm enim hoc ſit liberum Auguſtino*, *quod eſt in poteſtate ſeu quod fit cùm volumus*, *neceſſe eſt illud ipſum quod arbitrio volendi nolendique cauſa fuerit*, *etiam cauſam eſſe libertatis .... Non aliter poteſt moveri voluntas ad bonum*, *niſi quia delectatur bono*, *quia dulceſcit*, *quia arridet & placet*: *quia delectatione & complacentia ſi deſtituitur*, *velle nullo pacto poteſt ... Quòd ſi delectatio boni velle facit*, *delectatio quoque ponit actum in poteſtate volun-*

Pag. 309. col. 2. A. Pag. 310. col. 1. B. Pag. 311. col. 1. B. Ibid. C.

Digitized by Google

voluntatis, hoc enim eſt in noſtra poteſtate quod fit cùm volumus, & hoc ipſo etiam liberum facit.

Libro 8. c. 9. Pelagianis conquerentibus in ſententia Auguſtini liberum arbitrium per gratiam vel concupiſcentiam penitus ſubverti, non aliter S. Doctorem querimonias illas compeſcuiſſe docet Janſenius, niſi quia id maximè liberum ſit, quod eſt voluntarium; eòque magis voluntarium, quò fit ex majori titillante ac proritante delectatione. *Ad has*, inquit, *acerbas Pela-*
gianorum invectivas nihil iterum iterumque reſpondit Auguſtinus, niſi falſum eſſe Pag. 355. col.
quod querebantur: eò quòd non in homine alius, ſed ipſe homo propria voluntate ac 1. A.
delectatione peccaret .... Nec ad hoc ipſum aliud reſpondet Auguſtinus ut liberum
ſalvet arbitrium; niſi hominem non cogi, ſed libenter cum delectatione, & ideo pro- Ibid. C.
pria & libera voluntate peccare .... Et concludendo, clariùs colligens id quod dixe-
rat, nec aliter liberum arbitrium in peccando quærendum eſſe ſignificans, niſi quia Ibid. D.
vi delectationis iſtius quam dixerat, non alius quiſpiam cogens hominem, ſed ipſe
homo delinitus propria voluntate peccatum facit. Idem affirmat de neceſſaria ad Ib. col. 2.
opus bonum delectatione: *Opus bonum*, inquit ibidem, *ex cæleſti delectatio-* A.
ne, ideoque propria voluntate operatur. Quæ ſanè ſicut capitaliter adverſantur indifferentiæ ad utrumlibet, ita determinationem potiùs voluntatis ad unum evidenter probant. Delectatio quippe non indifferentem facit voluntatem, ſed indifferentem ad alteram partem vehementiſſimè trahit.

Ad hæc cohærenter Janſenius docet, beatos in cœlis liberè amare Deum, eòque liberiùs quo majori voluntatis affectu ex ſumma, qua perfunduntur, voluptate in eum ferantur. Quod ex profeſſo demonſtrat c. 10. Libri 6. de Gratia Chriſti; & Lib. 8. c. 15. ait, *gratiam quantumcumque efficacem, etiam*
talem qualis in cælo cum ſumma delectatione dabitur, nullo modo tollere, Bonaven- Pag. 362. col.
turæ judicio, libertatem, quia non tollit voluntatem, hoc ipſo videlicet quo eam 1. B.
non cogit, aut invitam rapit. Nec inde tamen infert Janſenius, beatos in cœlis mereri, quia ſunt in termino, ubi nullus eſt ampliùs merito locus.

Verus ac germanus tertiæ Propoſitionis Janſenii ſenſus.

Quæ ex Janſenio relata mox fuere teſtimonia, tertiæ ipſius Propoſitionis ſenſum manifeſtè produnt ac oculis ipſis veluti ſubjiciunt.

Senſus eſt, ajebat Hallerius in Scripto ſæpius laudato, *ut actio quæ merito-* Diar. p.
ria aut demeritoria eſt libera cenſeatur, non requiritur ut fiat cum indifferentia, ſed 285. co
ſufficit modò voluntariè & ſine coactione fiat. 1.

Hæc autem ſententia, pergit Hallerius, *eadem eſt ac Calvini, qui nunquam eo ſenſu negavit liberum arbitrium, quaſi actiones noſtræ voluntatis non eſſent voluntariæ, ſed eo ſenſu, quòd negaret nobis ineſſe indifferentiam ad utrumlibet.*

Itaque non alium in hac tertia Propoſitione ſenſum Janſenius expreſsit quàm iſtum: Omnem ſcilicet deliberatum voluntatis actum tametſi neceſſarium, eo ipſo liberum eſſe libertate ad merendum vel demerendum ſufficiente, quòd fiat per delectationem relativè victricem ſeu cœleſtem ſeu terrenam, qua voluntas non invita quidem nec coacta, ſed ſponte ac conſentiendo neceſsitate ſimplici ad unum applicatur & determinatur.

Hunc Magiſtri ſenſum indicant diſcipuli in famoſo trium Columnarum
Scripto, ubi ſic loquuntur. *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ,* Diar. p.
non requiritur in homine libertas à neceſſitate infallibilitatis, ſed ſufficit libertas à 471.
coactione cum judicio rationis, ſi conſideretur præciſè eſſentia libertatis & meriti:

quamquam ex ratione ſtatus ſemper reperiatur indifferentia potentiæ, qua voluntas etiam ſub gratia proximè neceſſaria & ex ſe efficace poteſt non velle; non tamen ut unquam ſimul cum eadem gratia non velit.

Obſerva neceſſitatem infallibilitatis in vocabulario Janſeniano eſſe neceſſitatem ſimplicem, ut ſuprà jam vidimus, & infrà pluribus probabimus. Rurſus indifferentiam potentiæ, vel eſſe dumtaxat flexibilitatem liberi arbitrii ad bonum & malum, vel meram potentiam abſolutam & abſtractam ad actum oppoſitum; non verò potentiam relativam ſenſu toties à nobis inculcato. Denique potentiam nuſquam cum actu conjunctam, eſſe abſolutam non relativam, qua de re ſuperiùs.

Senſus alieni & extranei qui tertiæ Propoſitioni Janſenii malignè affingi poſſent, quos tamen legitimè ſumpta apud Janſenium non habet.

Senſus tertiæ Propoſitionis non eſt, neceſſitatem naturalem, qualem habemus ad amandam beatitudinem in communi; aut involuntariam, qualem etiam experimur in motibus primò primis & indeliberatis; vel neceſſitatem antecedentem, hoc eſt, quæ antecedit & rationis advertentiam & gradum ſuperiorem actualis concupiſcentiæ, & cujus effectus (ut ait D. Nicole in ſuo Syſtemate pag. 64.) independens eſt à voluntate & conſenſu; vel neceſſitatem immutabilem, qua voluntas alicui parti eſt immobiliter ac perpetuò affixa; vel neceſſitatem abſolutam, quæ ex ſe ſemper & ubique ac præciſis ſubjecti circumſtantiis, ad unum quid invincibiliter ac inſuperabiliter determinat; vel neceſſitatem exercitii, qua nempe aliquis actus ſingularis ita neceſſariò elicitur, ut excludatur omnis oppoſita vel minima delectatio, qualis eſt in beatis ad amandum Deum clarè & intuitivè cognitum. Senſus, inquam, non eſt, hujuſmodi neceſſitatis ſpecies non nocere merito hominis lapſi, & in quibuſdam hujuſce ſtatus meritoriis actionibus reperiri: certum etenim eſt, eas omnes à Janſenio difertis verbis excludi tanquam alienas à libertate, ut nunc eſt. Verùm ſenſus eſt, neceſſitatem ſimplicem, deliberatam, voluntariam, mutabilem, relativam, ſpecificationis, quæ abſolutam quidem ſed non relativam ad præſentes ſubjecti diſpoſitiones potentiam relinquit, (quas neceſſitatis ſpecies Janſenius admittit,) cohærere cum libertate hujus ſtatus.

Neque etiam ſenſus Propoſitionis eſt, libertatem hujus ſtatus conciliari cum phyſica neceſſitate; ſi per phyſicam neceſſitatem eam intelligas, quæ aut planè involuntaria eſt, aut aliunde quàm ex ſuperiori delectatione profluit. Hujuſmodi neceſſitatem ultrò reſpuunt Janſeniani, non eam verò quæ oritur ex delectatione ſuperiori, & ex prævia cognitione ac deliberatione voluntatis. An verò talis neceſsitas dicenda ſit phyſica vel moralis in doctrina Janſenii, mox inquiremus.

Iſtos à Mente Janſenii alienos 3. Propoſitionis ſenſus diſcipuli ejus ultrò rejiciunt.

In Scripto trium Columnarum fatentur non niſi malignè iſtum tertiæ Propoſitioni affingi poſſe ſenſum: *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate naturali, qualis etiam reperitur in motibus indeliberatis, ſed ſufficit mera libertas à coactione.* (Diar. p. 471.)

(Pag. 10.) In ſolemni Scripto, *In nomine Domini*, duplicem diſtinguunt neceſsitatem: unam conditionatam, alteram abſolutam.

Con-

Conditionatam appellant, *eam quæ ad bonum determinat per inconſtantem & amiſſibilem gratiam, ut in fidelibus ſanctis: abſolutam* verò, *eam quæ determinat ad bonum per immortalem & inamiſſibilem gratiam, ut in Angelis & beatis. Conditionata dicitur altera, quòd gratia adſiſtente vel abſiſtente, bonum vel malum poſſimus ſimpliciter velle; poſito tamen quòd adſit gratia, jam non poſſimus niſi bonum velle. Abſoluta dicitur altera, quòd fixa in nobis & radicata gratia, jam abſolutè nonniſi bonum poſſimus velle.* Hac expoſita diſtinctione, contendunt in natura lapſa per accidens tantùm neceſſitatem non abſolutam, *ſed conditionatam meritum* parere. *Inde fit*, ajunt, *ob præſentem ſtatum, ſanctorum merita partim contingentia, partim eſſe neceſſaria. Contingentia quidem, quòd fiant ex gra-* Pag. 21. *tia qua ſancti poſſint excidere: neceſſaria verò, quòd poſita gratia ex ea deriventur non mobiliter ſed neceſſariò & liberrimè ſimul; cùm non ex premente, ſed ex liberante fluant neceſſitate....* Et poſtea. *Itaque per accidens fit in natura lapſa, ut ad me-* Pag. 22. *rendum vel demerendum ſola libertas à coactione non ſufficiat, ſed requiratur & libertas ab abſoluta neceſſitate.* Perſpicuè his verbis patet, non aliam à Janſenianis neceſſitatem à libertate excludi, quàm cogentem, vel abſolutam, perpetuam & immutabilem; non verò ſimplicem, fluxam & tranſeuntem, quæ à ſuperiori delectatione ad unum invincibiliter & ineluctabiliter determinante oritur.

Sambovius in Tractatu de Gratia jam citato. *Propoſitio*, inquit, *intellecta* Paul. Irena Diſ. 4. p. 213. col. 1. *de libertate electionis, quæ eſt libertas per quam meremur in via, & eadem intellecta de neceſſitate ab interiori inclinatione procedente, ſive intrinſeca, quæ ſit abſoluta, eſt falſa. Nam libertati electionis eſſentialis eſt indifferentia ex parte potentiæ..... talis autem indifferentia opponitur neceſſitati interiori abſolutæ, qualis eſt ea neceſſitas qua Deus amatur à beatis.* Intelligitis rurſus non aliam huic Theologo videri neceſſitatem libertati hujus ſtatus contrariam, quàm quæ abſoluta eſt ac immutabilis, non relativa, ſimplex ac tranſiens.

Idem docet Dionyſius Raymundus 1. parte cap. 4. art. 9. ubi cùm ait, *rema-* Pag. 181. L. 8. c. 20. *nere in ſanctis ſub motione gratiæ victricis, etiam peccandi potentiam*; abſolutam intelligit ſenſu ipſo Janſenii quem laudat: nimirum propter concupiſcentiam, quæ hac in vita ſemper remanet & ad peccandum inclinat, non verò relativam; quia ſub motione delectationis gratiæ victricis, voluntas non eſt ad actum oppoſitum expedita. *Ex his perſpicuè intelligitur*, inquit Janſenius Lib. T. 3. p. 175. col. 1. B. 4. de Gratia Chriſti c. 6. *tantopere neceſſariam eſſe iſtam delectationis divinæ gratiam, quando cum terrenarum rerum tentationibus ac delectationibus dimicamus, ut niſi major fuerit quàm terrena qua noſter effectus detinetur, fieri non poſſit, quin propria voluntatis infirmitate vincamur. Major enim delectatio numquam ſanè delectatione minore ſuperabitur.* Paulus Irenæus Diſq. 6. pag. 254 col. 2. *Hoc tantùm docuit Janſenius*, inquit, 1. *libertati in genere ſolam repugnare coactionem, quatenus hac etiam comprehenditur neceſſitas naturalis &c.*

Quæres 1. an Janſeniani delectationis neceſſitantis voce utantur.

Reſpondet Paulus Irenæus Diſq. 4. art. 7. *Auguſtinianos neceſſitatis nomine ra-* Pag. 216. col. 2. *rò admodum, nec ferè unquam ſine explicatione ſubjecta uti. Neceſſitantis verò gratiæ voce, quia malo animo ficta & compoſita eſt, nuſquam illos uſos reperies.*

Ludovicus de S. Amour Diarii parte 6. c. 21. ait, *nuſquam Auguſtinianis in* Diar. p. 457. col. 2. *animo fuiſſe ridiculum illud ac inſulſum gratiæ neceſſitantis, quo indifferentia voluntatis penitus tollitur, phantaſma defendere..*

D. Nicole in ſuo de Gratia Syſtemate, dicit omnes prorſus homines ſolo naturæ ductu in eam conſpiraſſe ſententiam, nemini ad pœnam imputari poſ- Pag. 68.

ſe, quod neceſſitate phyſica & antecedente commiſit. Per neceſſitatem phyſicam eam ille intelligit, quæ antevertit rationis & deliberationis uſum.

Abbas de Bourzeis in 4. Colloquio pariter aſſerit Auguſtinianos facilè conſentire reticendum eſſe nomen neceſſitatis ſeu phyſicæ ſeu moralis.

Quia neceſſitatis nomen invidioſum eſt, ultrò Janſeniani ne Catholicos offendant, illud ſupprimi conſentiunt, modò tamen ſenſum nomine expreſſum retineant. *Certo ſenſu*, ait mox citatus Abbas, *dicimus nos non poſſe non*
Pag. 211. *conſentire gratiæ, ſeu gratiæ neceſſariò conſentire .... de hujuſmodi loquendi formulis parum ſolliciti ſumus, iis non adhæremus, raró aut nuſquam iis utimur. Nobis ſufficit*, pergit ille, *quòd hæc ſola nobis veritas concedatur, quoties nimirum gratiæ Dei conſentimus, id oriri ſemper ex eo quòd rectus amor quem Deus inſpirat, viribus ſuperior eſt perverſo amori, & quia viribus ſuperior eſt, idcirco eum certiſſimè ſuperare.*

En radix ac fundamentum veræ, propriæ ac realis neceſſitatis cui voluntas reſiſtere relativè non poteſt. Modò fundamentum iſtud in tuto ſit, parum de nomine ſoliciti videntur Janſeniani, rem nomine ſignificatam fovent ac retinent, tametſi repudiato ipſo nomine.

Quæres 2. an in rei veritate neceſſitas quam delectatio ſuperior imponit, juxta doctrinam Janſenii, dici meritò poſſit antecedens, abſoluta, phyſica vel moralis.

Reſp. litem eſſe de nomine, quæ remota omni ambiguitate facilè ſolvitur.

I. Si antecedens neceſſitas ea dicatur, quæ vel rationis ac deliberationis uſum, vel ſuperiorem delectationis gradum antevertit, vel cujus effectus eſt independens à voluntate & conſenſu, procul dubio neceſſitas agendi ſub motione delectationis ſuperioris, antecedens dici non debet in mente Janſenii; quia actio ex tali neceſſitate elicita voluntaria eſt ac deliberata, ipſumque ſupponit actualem delectationis ſuperiorem gradum. Alio tamen ſenſu antecedens meritò dici poteſt, quia oritur ex delectatione prævia indeliberata, quæ, ut loquitur Janſenius, non eſt in poteſtate voluntatis, ut eam nempe habeat vel rejiciat; & quæ actum voluntatis deliberatum neceſſariò producit, cùm neceſſe ſit, ex Janſenio, voluntatem ſecundùm id operari quod eam magis delectat.

Neque porrò eadem eſt ratio præmotionis phyſicæ Thomiſtarum: hæc enim unum actum ſecundum reſpicit, non verò primum; adeoque ea vel præſente vel abſente potentia eſt relativè expedita ad oppoſitum. E contra delectatio ſuperior Janſenii, potentiam ipſam ſimul & actum ſecundum confert; unde ſine illa non tantùm actio non fit, ſed nec fieri poteſt. *Non aliter*, ait Janſenius
T. 3. p. 311. col. 1. B. Lib. 7. de Gratia Chriſti cap. 3. *poteſt moveri voluntas ad bonum, niſi quia delectatur bono, quia dulceſcit, quia arridet & placet: quia delectatione & complacentia ſi deſtituitur, velle nullo pacto poteſt*. Et Lib. 2. cap. 4. *Hoc ipſo quo datur*, (adjutorium quo) *ſimul uſus ejus & influxus poteſtatis datur. Eſt enim hoc ipſum quod*
Ib. p. 41. col. 1. A. *ſuapte efficacia facit influere facultatem..... Dat enim ſimul & poſſe & operari.*

Ib. col. 2. C. II. Inde liquet quo ſenſu eadem neceſſitas agendi ſub motione ſuperioris delectationis, dici poſſit conſequens vel non conſequens. Janſeniani conſequentem appellant, ac ſimilem ei quam Thomiſtæ, ſecundùm illos, admittunt in ſenſu compoſito ſuæ phyſicæ præmotionis; eo nempè quòd ſupponat præviam mentis cognitionem ac deliberationem voluntatis. Verùm ſpecioſis illis verbis imponunt. Iſta quippe voluntatis deliberatio apud ipſos, non eſt, ſicut Catholici vulgò intelligunt, vis electiva, ſeu activa illa indifferentia

tia

Digitized by Google

tia, qua voluntas poteſt relativè ad præſentes circumſtantias agere vel non agere; ſed eſt mera voluntatis, præeunte judicio rationis, in objecto ſuaviter alliciente complacentia & quidem neceſſaria, à qua ſe ipſam cohibere non poteſt, cùm neceſſe ſit ut ſequatur id quod eam magis delectat. Ergo cùm neceſſitas illa agendi ſub motione delectationis ſuperioris, non oriatur ex indifferentia voluntatis ſe ipſam pro arbitrio determinantis, imò potiùs voluntatem ad unum invincibiliter & inſuperabiliter determinet; prorſus abuſivè & ad fraudem conſequens appellatur. Namque recepto & communi Scholarum uſu, neceſſitas conſequens ea eſt, quæ ſequitur ex ipſa libera voluntatis determinatione, ſeu ex uſu & exercitio libertatis; qualis eſt neceſſitas loquendi in eo, qui cùm liber ac indifferens foret ut loqueretur, ſe ipſum tamen ad loquendum liberè determinavit.

Non minùs abutitur Janſenius cum ſuis iſto Thomiſticæ Scholæ loquendi modo, *in ſenſu compoſito*. In ſententia quippe Thomiſtarum, ſenſus compoſitus præmotionis dicit tantùm, non poſſe quidem componi actionem cum non actione aut ejus contraria; at ſemper remanet relativè expedita & libera facultas ad oppoſitum. In mente autem Janſenianorum, neceſſitas illa in ſenſu compoſito delectationis ſuperioris, importat ſecum non ſolùm actum ad quem determinat, & excluſionem actus contrarii, ſed & negationem potentiæ relativè ad oppoſitum expeditæ.

Janſ. L. 8. de Grat. Ch. c. 20. p 367. 2. col. A. exponit ſenſum compoſitum & diviſum.

III. Eadem illa neceſſitas aliquo ſenſu dici poteſt abſoluta & non abſoluta. Non eſt abſoluta, Janſenii ſenſu, id eſt talis quæ competat delectationi naturæ in ſe abſolutè ſpectatæ, ſine ullo ad præſentes ſubjecti circumſtantias reſpectu: quia ſecundùm Janſenium, delectatio in ſe abſolutè neque victrix eſt, neque victa; ſed aut victrix aut victa dicitur relativè per comparationem ad aliam oppoſitam majorem vel minorem. Abſoluta nihilominus dici utcumque poteſt, id eſt propria, vera & realis, cui voluntas relativè non poteſt non obtemperare: quamquam in rei veritate, ſatis accurata ac nitida non eſt, nec rei præſenti accommodata hęc loquendi ratio. Neceſſitas enim quę oritur ex delectatione relativè victrice, non abſoluta ſed relativa dicenda eſt: pręſertim cùm Janſeniani, ut vidimus, potentiam abſolutam ad oppoſitum ultrò ſe admittere profiteantur, ac in ea admittenda ſe Catholicos habendos eſſe confidant.

IV. Si neceſſitas phyſica ea tibi ſit quæ eſt involuntaria, aut à voluntate independens, judiciumque rationis antevertit, fatemur ultrò à Janſenio ejuſque diſcipulis rejectam illam fuiſſe. Si verò ea intelligatur, ut intelligi profectò debet quæ oritur ex delectatione ſuperiori voluntatem ita phyſicè movente & applicante ad unum, ut expedita relativè non ſit ad oppoſitum, phyſica eſt in doctrina Janſenii, non tantùm moralis. Sic ille loquitur Lib. 8. de Gratia Chriſti c. 3. *Non aliter*, inquit, *hoc facit* (delectatio gratiæ) *quàm voluntatem inclinando, applicando, determinando, & quia prævenit ipſam voluntatis prædeterminationem, etiam prædeterminando, non ſolum moraliter, ſed vera, reali & phyſica determinatione. Moralis enim prædeterminatio illa dicitur, quæ tantùm ſe habet ex parte objecti, quemadmodum facit ille qui conſulit, ſuadet, præcipit, rogat, blanditur, ſivè extrinſecus ſive intrinſecus; ſed hæc, ſe habet in ipſa potentia voluntatis, quam propriæ ſuavitatis magnitudine ad volendum applicat, & applicando determinat, utpote cauſans in ea hoc ipſum ut ſe determinet, ideoque prædeterminat.*

Pag. 346. col. 1. E.

Hæc Janſenius aperte ac candidè: ex quibus ſequitur, neceſſitatem agen-

di ſub motione phyſica delectationis ſuperioris, eſſe pariter phyſicam.

Verùm diviſi nihilominus inter ſe fuere delectationis ſuperioris relativè patroni, circa neceſſitatem illam phyſicam vel moralem appellandam; qui Janſenii principiis tenaciùs ac preſſiùs adhæſere, ii moralem eſſe negarunt.

Leonardus Van Roy Auguſtinianus Facultatis Theologiæ Lovanienſis Licentiatus ac Theologiæ Profeſſor, in Theologia morali Antuerpiæ typis edita an. 1702, 1. parte Tractatu de Actibus humanis, quæſtione ultima cap. 4. quod eſt de voluntario libero, hæc ſibi objicit. *Sanctus Pater*, (Auguſtinus) *peccata neceſſitatis adſtruens, non de neceſſitate propriè dicta, ſed de morali, juxta quam difficile eſt à peccato abſtinere, loquitur.* Cui objectioni reſpondet, negando aſſumptum. *Quia*, inquit, *gratiam Dei ad benè agendum & peccata evitanda, voluntati ſic neceſſariam aſſerit, quemadmodum lux ad videndum requiritur: porrò ſine luce non dumtaxat difficile admodum, ſed quodam ſenſu impoſſibile eſt cernere; ergo luce ſubtracta gratiæ, voluntas benè agere & offenſam declinare nequaquam poteſt. Deinde ſi de morali tantùm neceſſitate egiſſet, definitionem ſuam à Juliano ſibi objectam, etiam peccato, quod eſt pœna peccati, adaptare facilè potuiſſet; quod tamen ſanctus Pater ne vel conatur: ſolummodo reſpondens, peccatum eſſe voluntatem retinendi vel concupiſcendi quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere.*

Pag. 541. & 542. Auctor recentior Inſtitutionum Theologicarum Tomo 5. Tractatu de Gratia, docet pariter neceſſitatem illam non eſſe moralem, tametſi eam non appellet phyſicam. Et verò exempla quibus Janſeniani paſſim exprimunt neceſſitatem delectationis ſuperioris & ipſius modum agendi, oſtendunt ſuperiorem delectationem vinci non poſſe per inferiorem oppoſitam, nequidem phyſicè. Exempla, inquam, hæc ex phyſicis petita, non tantùm moralem ſed phyſicam arguunt impotentiam; ac conſequenter phyſicam agendi neceſſitatem ſub motione majoris delectationis.

Alii verò inter apertos Janſenii defenſores, hac ſibi conſtituta neceſſitatis phyſicæ notione, quòd nempe involuntaria ſit omnemque rationis ac deliberationis uſum antevertat, invidioſum illud neceſſitatis phyſicæ nomen, quod deſtructæ libertatis ideam ingenerat, omnino rejecerunt, ſubſtituta molliori ac mitiori neceſſitatis moralis appellatione. Ita Arnaldus 2. parte novæ defenſionis Novi Teſtamenti Montenſis adversùs D. Malet L. 9. cap. 6. ubi loquens de obduratis, omni gratia, ne convertantur deſtitutis, dicit eos habere *impotentiam moralem* ad converſionem.

Editionis col. p. 300.

Pag. 8 9. & 10. D. Nicole in Syſtemate gratiæ, repudiata ac negata prorſus phyſica impotentia quæ oritur vel ex defectu potentiæ phyſicæ, ſeu ex abſentia alicujus per ſe & naturaliter, ut ita dicam, requiſiti, vel ex impedimentis phyſicis, ſeu, ut ait, *involuntariis* potentiæ injectis, qualem impotentiam cernere eſt ad ambulandum in eo qui aut fractos habet pedes, aut vinculis ligatos; aliam agnoſcit, quam appellat voluntariam, quia dependenter à voluntate effectum conſequitur. Talem ait eſſe impotentiam quæ ex ardentiſſimo quantumlibet rei alicujus effectu oritur, v. g. amore erga conſervationem vitæ, divitiarum &c. quo fit, ut ſponte vita & divinis ſe privare non poſſit, qui utrumque vehementiſſimè diligit: inde in illo homine neceſſitas voluntaria conſervandi vitam & divitias. Talem contendit ille eſſe neceſſitatem benè agendi ſub motione gratiæ victricis. Vide & pag. 64. ubi negat eam antecedentem dici debere, quia licèt gratiæ motio ſit prævia & antecedens, tamen

men non habet effectus independentes à voluntate ejuſque conſenſu.

Dionyſius Raymundus Paralleli c.5. ait; *in doctrina Janſenii ardentiorem cupiditatem nonniſi moraliter determinare voluntatem ad malum*. Ad marginem citat Janſenium Lib. 4. de ſtatu naturæ lapſæ c. 21. Pag. 111

Auctor Libelli cui titulus, *Défenſe des tous les Theologiens, & en perticulier des diſciples de ſaint Auguſtin, contre l'Ordonnance de M. l'Eveque de Chartres* (du 3. Aout 1703.) art. 15. pag. 326. & apud auctorem Hiſtoriæ Caſus conſcientiæ Tom. 3. pag. 323. ait duplicem impotentiam accuratè diſtinguendam eſſe: unam moralem, alteram phyſicam & abſolutam. Prior, inquit, excludit dumtaxat potentiam quæ in actum reducitur; poſterior verò excludit omnem potentiam, etiam eam quæ nunquam in actum erumpit, quamdiu voluntas ad unum determinata remanet. Priori impotentia morali impoſſibile eſt gravem Magiſtratum hiſtrionem agere: at impoſſibile ipſi non eſt phyſica impotentia, cùm habeat realem, activam & phyſicam ad hoc facultatem, qua tamen nuſquam utetur quamdiu ſui compos erit. Non aliam autem ibidem auctor ille, Janſenio ſi quis alius addictiſſimus, impotentiam ad oppoſitum ſub motione gratiæ victricis agnoſcit, quàm moralem. Idem rurſus probare intendit art. 17. ubi varias vocis neceſſitatis ſignificationes exponit.

Auctor Libelli cui titulus, *Reponſe aux remarques ſur les declarations de M. Covet*. Tomo 3. Hiſtoriæ Caſus conſcientiæ pag. 599. eandem moralem neceſſitatem ad bonum, præſente gratia efficaci; & ad malum, illa abſente, contendit admittendam eſſe; eo ipſo quo admittitur gratiæ per ſe efficacis ad ſingulos pietatis actus neceſſitas.

Uno verbo, quotquot ex Janſenianis volunt, aut à voce neceſſitatis abſtinendum eſſe, aut phyſicam apertè rejiciendam, ii ſub alio mitiori vocabulo neceſſitatis moralis, eundem planè ſenſum ingerunt, talem ſcilicet inducentes neceſſitatem agendi ſub motione delectationis ſuperioris, cui voluntas relativè & in his circumſtantiis non poſſit non conſentire. Dicatur hæc neceſſitas moralis, non verò phyſica, perinde eſt; atque mutato nomine eadem difficultas recurrit. Ne ipſe quidem Janſenius neceſſitatem hujuſmodi recuſaret moralem appellare, quæ nihil planè ſuo noceret ſyſtemati. An verò moralis idcirco dicenda, quia vel delectando operatur, vel ad mores pertinet? Eſtò, ita ſit: at nuſquam id negaverit Janſenius, qui vim illam gratiæ in delectatione ſuperiori reponit, eamque ad mores meliùs informandos pertinere procul dubio non diffitetur. Ergo ad declinandam erroris Janſeniani ſuſpicionem, non ſufficit quòd moralis dumtaxat impotentia vel neceſſitas admitti dicatur, ultrò ſubſcribent Janſeniani; ſed neceſſe eſt eam neceſſitatem rejicere, quæ oritur ex motione ſuperioris delectationis, qua voluntas ita rapitur ac ligatur, ut per oppoſitam, quæ in Janſenianorum ſententia minor eſt, delectationem expedita & libera non ſit, ut poſſit vel reſiſtere, vel actum contrarium elicere.

Abuſivè prorſus, noſtro quidem judicio, talis impotentia vel neceſſitas moralis nuncupatur. Ex communi quippe ac recepto uſu neceſſitas moralis omnino impropria eſt, neque veram ullo modo impotentiam, ſed ſummā dumtaxat agendi vel non agēdi difficultatem ſignificatione ſua importat; ipſique voluntas non tantùm reſiſtere poteſt, ſed aliquando re ipſa reſiſtit. Talis eſt v.g. neceſſitas agendi ex inveterato quodam habitu. An qui v.g. avaritię, vel prodigalitatis diuturnum contraxit habitum, ita ſemper agit ex avaritia, aut prodigalitate, ut avarus nihil unquam donet, aut prodigus retineat? Verùm multum

profectò diſtat impotentia vel neceſſitas moralis Janſeniana. Stante quippe delectatione ſuperiori ad unum voluntatem determinante, actus oppoſitus non tantùm nuſquam fit, ſed nec relativè fieri poteſt, ob virium inæqualitatem delectationis inferioris reſpectu ſuperioris. Illam porrò neceſſitatem appellare moralem, manifeſta videtur illuſio, ac nominis abuſus ad errorem Janſenii involvendum & occultandum compoſitus: quamquam nec patienter ferunt aures Chriſtianæ dici, hominem, ſeu benè, ſeu malè agat, non poſſe unquam, propter impotentiam moralem, qua premitur, aliter agere, quàm agit re ipſa.

Verùm, inquies, in ſententia eorum Theologorum qui admittunt ad ſingulos pietatis actus gratiam moraliter ex ſe efficacem neceſſariam eſſe, nonne ſano ſenſu dici poteſt, ſub motione illius gratiæ moralem adeſſe neceſſitatem ad bonum; & illa abſente, moralem neceſſitatem ad malum? Pariter licèt homo juſtus poſſit abſolutè omnia peccata venialia vitare; licèt Magiſtratus gravis ac ſapiens poſſit phyſica potentia hiſtrionem agere; quia tamen nunquam contingit, ut vel juſtus omnia peccata venialia fugiat, vel ſapiens Magiſtratus ludat in Theatro, idcirco vulgò dicitur moraliter impoſſibile eſſe juſto, ut omnia peccata venialia fugiat; & ſapienti viro, ut ludat in Theatro. Pari igitur ratione, quia nuſquam contingit hominem gratia victrice excitatum malè agere, dici poteſt eum moralem tunc habere impotentiam ad malum.

Reſp. 1. Non poſſe admitti neceſſitatem moralem in illa Catholicorum quorumdam ſententia, ſub motione gratiæ per ſe efficacis. Neceſſitas quippe moralis agendi, juxta communem ac receptam acceptionem, oritur ex difficultate contrarium agendi, aut abſtinendi ab actu: ſæpè verò contingit, ut per gratiam efficacem homo res ſibi difficillimas perficiat, ad quas poſſet dici habere impotentiam moralem; cùm v. g. tentationibus externis & internis undique vexatus, vixque ullo rerum cœleſtium affectu ſenſibili recreatus, nihilominus quod Deo placere novit, conſtanter & heroicè aggreditur, certè non neceſſitate morali ad bonum determinatur, imò impotentiam moralem, qua retardabatur, vincit ac ſuperat.

Reſp. 2. Quòd etſi aliquo ſenſu tolerabiliter admitti poſſet ea in ſententia moralis neceſſitas præſente gratia efficaci, propter nimirum infallibilem connexionem effectus cum tali gratia, & moralem impotentiam ab bonum abſente gratia efficaci; nihilominus tolerari id non poſſe in ſyſtemate delectationis relativè victricis. Ratio diſcriminis aperta eſt; quia præſente gratia efficaci, voluntas etiam relativè expedita eſt ad reſiſtendum; & ea abſente, voluntas per gratiam ſufficientem etiam relativè ad gradus oppoſitæ actualis cupiditatis capax eſt, & pares ſeu æquales ſaltem vires habet ad operandum ſeu immediatè, ſeu ſaltem mediatè: non ita abſente ſuperiori ac relativa Janſenii delectatione; tunc enim voluntas ex ſola gratia parva, comparatè ad ſuperiorem actualem concupiſcentiam, non poteſt benè agere ne mediatè quidem, quia parva illa gratia relativè ſatis virium non habet, ut poſſit oppoſitam illam majorem cupiditatem ſuperare: & quando Janſeniani ajunt, interdum parvam illam gratiam ad majorem diſponere, ludunt profectò; non enim diſponit relativè, ſed tantùm abſolutè: quia hoc dumtaxat ſenſu dici poteſt diſponere, quatenùs ſi ei ardentior cupiditas non reſiſteret, major accederet Dei gratia. (Qua loquendi ratione interdum Thomiſtæ utuntur occaſione ſuæ gratiæ ſufficientis.) At cùm in ſyſtemate Janſeniano non poſſit voluntas relativè non reſiſtere huic parvę gratiæ, quandoquidem majori oppoſita detinetur

dele-

delectatione, non debet quoque his in circumſtantiis gratia illa parva relativè dici diſponere ad majorem: imò nec abſolutè, quia in eodem ſyſtemate, gratia illa parva, ſi fides Janſenianis habeatur, ſe ſola ſine novo ex parte Dei auxilio, per ſolam concupiſcentiæ imminutionem opus bonum perfectum exprimeret; ut quid ergo neceſſe eſt ut ad majorem gratiam diſponat?

Quæ verò prolata ſunt exempla idonea non videntur, nec ad rem noſtram præſentem accommodata. Juſtus etenim non habet poteſtatem veram vitandi omnia ſimul & collectivè peccata venialia, Conciliumque Tridentinum ſub anathemate prohibet dicere, eſſe in ullo homine etiam juſtificato potentiam illa vitandi, ſine ſpeciali privilegio, quod ſoli Beatæ Virgini conceſſum eſt: nec certè ulla eſt in homine facultas quæ correſpondeat illis omnibus ſimul & collectivè declinandis, quamquam ne unum quidem ſit in particulari ac diſtributivè, quod vitare non poſſit. Pariter homo ſapiens, quamdiu ſapiens ſupponitur, non habet niſi valde remotam, impropriam ac merè organicam poteſtatem ludendi in publico Theatro; quia nullum omnino aſſignari poteſt motivum, quo ad ludum illum moveri poſſit: adeoque veriſſimum eſt dicere, impoſſibile eſſe pluſquam moraliter, ut vir ille gravis ac ſapiens hiſtrionem agat. At non ita eſt de homine ſub motione gratiæ victricis: namque preter concupiſcentiam, quæ ipſum continuò ad malum ſolicitat, objectum ſub varia ſpecie ſeu boni, ſeu mali poteſt ipſi repræſentari, adeoque movere ipſum ſive ad bonum, ſive ad malum.

Dices: Senſus quos hic recenſuimus alieni & extranei non ſunt, qui ſoli poſſunt legitimè tertiæ Propoſitioni damnatæ adaptari: atqui ſoli illi ſenſus poſſunt legitimè adaptari tertiæ Propoſitioni, non verò ſenſus proprius Janſenii.

Reſp. nego min. Damnata quippe fuit Propoſitio ſenſu Janſenii: atqui ſenſus Janſenii & diſcipulorum ipſius, nuſquam fuit admittere neceſſitatem vel naturalem, vel involuntariam, abſolutam, antecedentem & phyſicam, ſenſu ſuperiùs expoſito; ergo ſenſus illi planè ſunt alieni & extranei tertiæ Propoſitioni Janſenii. Vide Janſenium L. 6. de Gratia Chriſti c. 37. & Lib. 7. c. 13.

Probabis minorem negatam. Janſenius nuſquam negavit, in hoc colla pſænaturæ ſtatu neceſſariam eſſe ad merendum vel demerendum libertatem à neceſſitate, ſeu veram & activam indifferentiam tum ſpecificationis, tum exercitii. *Hominum viatorum*, inquit Lib. 6. de Gratia Chriſti c. 34. *non ſolùm coactionis expertem eſſe libertatem, ſed etiam neceſſitatis immutabilis voluntariæ, hoc eſt, eam ad utrumque indifferentem eſſe fatemur perlibenter*. Et c. 20. Lib. 8. probat ex profeſſo, agnoviſſe Auguſtinum ſub gratia, & ante gratiam indifferentiam contrarietatis & contradictionis. *Liberum arbitrium*, inquit, *ante gratiam; quemadmodum etiam ſub gratia, indifferentiam contrarietatis & contradictionis habet; ita videlicet, ut quibuſcunque poſitis, quæ ad agendum bonum aut malum requiſita ſunt, poſſit liberum arbitrium in hac vita facere bonum & malum, facere alterutrum, & non facere*. *pag. 300. col. 1. C.* *pag. 367. col. 1. E.*

Et Libro 7. de Gratia Chriſti cap. 11. profitetur ſe tantùm neceſſitatem ſpecificationis ad bonum & ad malum admittere in hoc ſtatu, negare verò neceſſitatem exercitii, quam eo ſenſu intelligit, quòd licèt homo per delectationem ſuperiorem cœleſtem vel terrenam, ad bonum vel malum determinetur, tamen hoc vel illud bonum ſub delectatione cœleſti, hoc vel illud malum ſub delectatione terreſtri pro nutu ſuo liberè amplectatur, quæ libertas ſufficit. *pag. 330.*

Quando igitur idem Janſenius L. 6. de Gratia Chriſti cap. 6. inter probatio- *pag. 266. col. 2. E.*

Digitized by Google

bationes noſtras citato, aſſeruit, *Voluntatem quantumcumque ad unum de-*
Pag. 157. col. 1. *terminatam, nulla tali neceſſitate, qua dicitur neceſſe eſſe ut velit, deſinere eſſe liberam, quia non deſinit eſſe voluntas*; de libertate genericè ſumpta, non de libertate præſentis ſtatus loquebatur. *Tam orthodoxum erit*, ait Paulus Irenæus loco citato, *ſi de libertate generali intelligatur, quàm ſi de ſtatu libertatis in hac vita*, falſum.

Quapropter quæ adverſus Janſenium inter probationes noſtras momenta protulimus, ut expreſſam ab illo tertiæ Propoſitionis doctrinam oſtenderemus, laborant errore facti. Cujus quidem erroris & hallucinationis duplex potiſſimùm ratio & cauſa eſt.

I. Quòd non ſatis diſtinguamus, ſicut Janſenius rectè diſtinxit, inter libertatem genericè & ſpecificè ſumptam, ſeu inter eſſentiam, & ſtatum libertatis; atque concludamus, Janſenium negâſſe requiri ad libertatem hujus ſtatus indifferentiam, eo quòd negaverit eam requiri ad libertatem genericè ſumptam: qui certè arguendi modus vitioſus eſt ac ſimilis ei, quo quis negaret rationa-
Pag. 255. col. 1. litatem non requiri ad conſtituendum hominem, eo quòd non requiratur ad illum conſtituendum in ratione animalis. *Genus enim*, ait Paulus Irenæus Diſq. 9. art. 4. *præſcindit quidem à ſpeciebus, ſed tamen in ſpeciebus eſt. Gradus ſentientis rationem non involvit, & tamen ſentiens in homine eſt qui rationem habet, non quatenus ſentiens, ſed quatenus homo. Similiter* (pergit) *generica illa libertas quam tractat & evolvit Janſenius, ut in Deo & in beatis, ſic etiam in homine lapſo eſt, nec involvit etiam in homine lapſo indifferentiam quatenus libertas eſt, ſed illam aliundè individuo nexu habet adjunctam, quatenus libertas eſt hominis lapſi & viatoris; ſicut ſentiens, cùm non involvat in ſe rationem, eam tamen quatenus in homine eſt, indivulſo nexu habet annexam.* Porrò, ut idem auctor initio citati art.
Pag. 254. col. 1. 4. loquitur, *nemo libenter non agnoſcit S. Pontificem neutiquam ſua Conſtitutione generalem illam attigiſſe quæſtionem, utrum libertas quatenus Deo competit, Chriſto, beatis, hominibus & dæmonibus, poſtulet indifferentiam. Nam & Philoſophica potiùs, quàm Theologica eſt, & nominis plùs fortaſſe quàm rei.* Ergo errore facti deceptus fuit Pontifex, cùm in cenſura tertiæ Propoſitionis exiſtimavit Janſenium ab hocce ſtatu excluſiſſe indifferentiam arbitrii ad merendum vel demerendum neceſſariam. Ita ferè Paulus Irenæus, Auctor Libri Collationum inter DD. de Lalane & Girard ex una parte, & P. Ferrerium ex altera,
Pag. 50. 51. & 52. Colloquio tertio; & Auctor Scripti cui titulus, Reſponſio ad P. Annatum an. 1654. qui omnes ſibi applaudunt, quaſi hoc argumento in fumos habeant omnia quæ contra Janſenium circa tertiam Propoſitionem, ut hanc propugnaſſe convincatur, proferri ſolita ſunt.

Secunda ratio & cauſa hallucinationis noſtræ hæc eſt, inquiunt, quòd quæ Janſenius obiter & in loco quodam remotiori, ex hypotheſi quadam metaphyſica non exiſtente dixit, nempe, ſi homo hac in vita, ex tali gratia qualis in cœlo dabitur, careret indifferentia, ſicut ea carent beati in cœlis erga Deum amandum, adhuc tamen ejus meritum fore; nos ita dictum ſumimus, ac ſi re ipſa ex hypotheſi præſenti docuiſſet Janſenius, hominem viatorem tali gratia donari, aut tali carere indifferentia; quod certè perabſurdum eſt. Manifeſtum enim eſt ex iis ipſis Janſenii locis, quæ laudavimus, eum loqui ex hypotheſi metaphyſica non exiſtente; adhibet enim ſemper particulam conditionalem, *ſi*: porrò à vero prorſus alienum eſt SS. Pontifices voluiſſe tertiam Propoſitionem hoc ſenſu, & in ea ſuppoſitione metaphyſica damnare. Verùm exiſti-

exiſtimarunt illi errore facti, Janſenium nullam hac in vita admiſiſſe activam arbitrii indifferentiam, quam tamen re ipſa agnovit. Ita arguit auctor Libri cui titulus, *Refutation de la fauſſe Relation du P. Ferrier,* pag. 89.

Reſp. nego ant. Utramque enim indifferentiam activam tum ſpecificationis tum exercitii, qualem Catholici requirunt, Janſenius negavit. Indifferentia quippe activa ſenſu Catholicorum ea eſt, per quam voluntas, poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, eſt expedita relativè ad agendum vel non agendum, aut contrarium agendum; at talis non eſt activa Janſenii indifferentia: Poſita enim delectatione ſuperiori indeliberata ad unum movente, voluntas neceſſariò ad illud actu etiam deliberato determinatur, neque ſe ipſam à præbendo conſenſu cohibere poteſt; quia neceſſe eſt ut agat ſecundum id quod magis delectat; adeoque tunc non eſt relativè expedita ad actum oppoſitum, quem non tantùm non vult, ſed nec velle poteſt, defectu delectationis ſuperioris oppoſitæ.

Fallit igitur Janſenius æquivocatione nominis, cùm prædicat in præſenti ſtatu eſſe indifferentiam ad bonum & malum. Hæc quippe nihil aliud ipſi eſt, præter vel flexibilitatem naturalem arbitrii ad bonum & malum, ſicut ipſemet exponit L. 8. de Gratia Chriſti cap. 20. & Libro 3. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 13. verba ſuperiùs relata ſunt; vel potentiam abſolutam & abſtractam ad actum oppoſitum, non verò potentiam relativam; vel neceſſitatem fluxam & mutabilem, ſicut apertè declarat in eo ipſo loco quem Janſeniani perpetuò ventitant ex capite nimirum 6. Libri 6. de Gratia; vel denique ipſum ſolum voluntarium deliberatum. *Pag. 325. col. 1. A.* *Ibid. B.*

Fallit pariter, cùm neceſſitatem exercitii fingit interdum captioſis verbis ſe à præſenti ſtatu rejicere. Hanc etenim conceptis verbis admittit L. 7. de Gr. Chr. c. 9. ubi eorum referens ſententiam qui, ut explicent quo ſenſu Auguſtinus dixerit, majorem eſſe beatorum in cœlis libertatem, aſſerunt inde eſſe *quia liberiùs eligit hoc vel illud bonum*, contendit nihil à mente S. Auguſtini dici poſſe abhorrens magis & alienum. *Itaque verus S. Auguſtini ſenſus eſt*, ait Janſenius, *arbitrium voluntatis in cœlo liberius futurum eſſe, cùm peccare non poterit...... quia à tota illa exhauſta peſte liberatius, quia plenitudine charitatis ſanius, quia ineffabili divini amoris delectatione fortius, ſtabilius, & indeclinabilius*. Negat ergo in beatis indifferentiam exercitii. Idem apertiùs repetit cap. 15.

At ne Janſeniani ad ſolitum effugium recurrant, loqui ſcilicet Janſenium de ſola libertate alterius, non verò hujus præſentis vitæ, audiant quæ paulò poſt adjicit Janſenius in capite 9. citato. *Nonne videtur*, inquit, *quantùm ex iſtis omnibus eius* (S. Auguſtinus) *teſtimoniis liquet, ne ſomniaſſe quidem unquam de abſonis illis gloſſis verborum ejus, quæ in nonnullis proferuntur? Si enim illas de induſtria declinare voluiſſet, non potuiſſet ab eis longiùs recedere, non ſolùm in explicanda majori libertate beatorum, ſed etiam quacumque præſentis vitæ*: (Aures hic arrigant Janſeniani) *Quacumque præſentis vitæ. Hoc enim confidenter mihi aſſerere licet, in univerſis voluminibus quæ contra Pelagianos exarata ſunt.... non eſſe veſtigium ullum quo Auguſtinus unquam de tali indifferentia libertate ad eligendum hoc vel illud bonum cogitaſſe, multò minus ad eam depellendæ calumniæ cauſa confugiſſe videatur*. *Pag. 236. col. 1. B.*

Et cap. 14. *Ipſum*, inquit, *non conſentire & non facere, gratiæ victricis effectus eſt. Facit autem hoc gratia fortiter affigendo effectum ipſi juſtitiæ ne deorſum cadat, idque non aliter niſi cœleſtis delectationis vehementia, quaſi ſuavi amoroſoque* *Pag. 335. col. 1. D.*

vin-

Ibid.E. *vinculo .... Nimirum non ſolùm ut agant bonum & non malum generaliter, ſed etiam ut juſti agant hoc bonum quod non agebant, abſtineant ab hoc malo quod alioquin agerent, vel agebant.*

Eant igitur Janſeniani, ac ſolita ſua confidentia & fide prædicent adhuc, Janſenium neceſſitatem exercitii ex præſenti ſtatu rejeciſſe. Niſi fortè (ut ſunt in excogitandis diverticulis inexhauſti) intelligant neceſſitatem illam fatalem, phreneticam, brutalem, quam Manichæi, Aſtrologi, Stoici, Lutherani invexerunt; qua nempe voluntas imperio ſuo agere non permittitur, ſed ab alio quaſi raptu & impetu quodam præcipitatur: non verò aliam molliorem, voluntariam & infallibilitatis. Revera etenim rem ſic levi manu expedit Vincentius Lenis in Theriaca L. 2. c. 2. pag. 190. & cap. 5. pag. 253. & 261. ubi plenis ille manibus concedit quod volumus, Janſenium ſcilicet non illam ferream ac phyſicam admittere in ſtatu præſenti neceſſitatem contradictionis aut contrarietatis, ſed aliam molliorem, id eſt moralem; voluntariam, quia deliberatam; & infallibilitatis, quia talis eſt, ut voluntas ei relativè reſiſtere, aut ad oppoſitum flectere ſe nullatenus poſſit.

Et certè indifferentia exercitii ſeu contradictionis omnino repugnat ſyſtemati Janſeniano, quod facile eſt demonſtrare.

I. Cùm actu urget aliquod præceptum poſitivum ſeu affirmativum ſupernaturale, deeſt quoque delectatio ſuperior cœleſtis, voluntas tunc neceſſitatur ad omiſſionem illius præcepti in particulari: unde in hac hypotheſi, non ſolùm neceſſitas adeſt peccandi in genere, ſed etiam peccandi hoc peccato in particulari.

II. Si delectatio ad bonum in genere dumtaxat ſpectatum inclinans, neceſſariò voluntatem trahit ad proſecutionem boni in genere, quidni delectatio inclinans ad aliquod bonum in particulari, neceſſariò quoque ad illud determinat?

III. Si voluntas inter plura bona unum præ alio poſſet eligere pro nutu ſuo, quando majus bonum ex iis quæ occurrerent, præferret, id ſibi tribuere poterit, & cum Deo laudem actionis aliquatenus partiri, quod certè cum principiis Janſenii minimè cohæret.

IV. Vel unum ex bonis particularibus eligendis plùs delectat, vel æqualiter omnia delectant: ſi prius, illuc neceſſariò vergit voluntas; cùm ſecundum id quod magis delectat, operetur neceſſe ſit: ſi verò æqualiter placent, ſuſpenſa & anceps in medio remanebit neceſſariò voluntas: ſi enim cùm æqualiter bonum & malum delectat, non poteſt voluntas, etiam in hocce ſtatu, ubi eſt ad peccatum prona, in malum flectere ſe; quomodo inter duo bona æqualia, unum præ alio poterit eligere? Porrò in ſyſtemate Janſenii idem cenſendum de neceſſitate exercitii quantùm malum: ſiquidem apud ipſum, eadem neceſſitas & efficacia delectationis, & majoris delectationis ad peccatum reperitur in hoc ſtatu, quæ ad bonum.

V. denique, cùm in doctrina Janſenii liberum idem ſit ac voluntarium deliberatum, illudque eò magis voluntarium cenſeatur, quod fit ex majori delectatione; conſequenter illud liberum magis eſt, quod ex illa majori elicitur voluptate: unde pronum eſt concludere, ſicut re ipſa concludit Janſenius, perfectiorem fore libertatem beatorum in cœlis, ob magnitudinem & vehementiam delectationis; imò & libertatem hujus ſtatus perfectiorem quoque fore, ſi talis ipſi daretur abundantia delectationis; adeoque neceſſitatem exercitii

L. 4. de gr. c. 7. p. 178.

recté

rectè cohærere poſſe cum libertate hujus ſtatus. *Hanc electionis liberæ conſtantiam*, ait JanſeniusL.4.de ſtatu naturæ lapſæ c.25.*ſi creatura rationalis imitetur, ut pari modo immobiliter in amore creatoris vel creaturæ ad quem ſe ſe ſumma libertate flexerit, non ſolùm quantùm ad ſpeciem actus, ſed etiam quantùm ad exercitium perſeveret, nihil eſt cur actus ille non ſemper dici poſſit liber eadem libertate, qua ab initio liberæ determinationis liber fuit. Talis enim voluntas, juxta principia Auguſtini, eſt in noſtra poteſtate, quia volentibus adeſt. Porrò quia in poteſtate eſt, libera eſt nobis.* Ita Janſenius, quibus apertè ſignificat etiam ſublata ab hoc ſtatu indifferentia exercitii ſeu contradictionis, adhuc in integro futuram libertatem. T.2.pag. 272.col. 2.B.

Quamquam Janſenius veram exercitii indifferentiam admitteret, (quam tamen non admittit) nonne vel una ſpecificationis neceſſitas, Chriſtianas aures offenderet? Quis enim patienter audiat, hominem juſtum v.g. dum peccat mortaliter, neceſſariò peccare? Quid quæſo prodeſt homini juſto, hoc vel illud malum poſſe eligere, ſi à gratia neceſſariò excidat, mortemque æternam incurrere teneatur? Non minus ægrè ferunt aures piæ, quòd aſſeratur juſtum, quoties benè agit, toties ad benè agendum neceſſitate determinari. Quòd verò aſſerit objectio, momenta ſcilicet quæ inter probationes noſtras contra Janſenium protulimus, laborare errore facti, ac duplicem eſſe hujus erroris cauſam & rationem, prorſus negamus.

Ad primam probationem reſpondeo, nos non ignorare diſtinctionem quã ſtatuit Janſenius inter libertatem genericè & ſpecificè ſumptam: ſed diſtinctionem hanc ſuperfluam, inutilem & captioſam hìc æſtimamus; quia Janſenius loquitur de libertate utroque modo ſpectata, ſicut oſtendimus; & ab ipſa ſub hoc utroque reſpectu veram excludit indifferentiam. Quapropter otioſum planè eſt adductum Pauli Irenæi ratiocinium; falsòque ſupponit, nos idcirco concludere Janſenium à libertate hujus ſtatus excluſiſſe indifferentiam: quia illam excludit à libertate genericè ſpectata. Non ita eſt: ſed ex ſentẽtia & verbis Janſenii demonſtramus, eum re ipſa ex libertate hujus ſtatus rejeciſſe indifferentiam, ſeu immunitatem à neceſſitate. Qui enim eo ipſo vult actioñe malam eſſe peccatum etiam in præſenti ſtatu, quòd ſponte fiat, nec cogatur voluntas, ille certè non exiſtimat requiri ex conditione hominis lapſi indifferentiam ad peccatum: ſed Janſenius disertè pronunciat eo ipſo, juxta SS. Thomam, Chryſoſtomum & Auguſtinum, quorum ſententiam adoptat, actionem malam, & omiſſionem boni eſſe meritò arguendam tanquam verum peccatum, quòd non cogatur homo. Ergo &c. Porrò ita Janſenius Libro 6. de Gratia Chriſti cap. 12. *Nunquam*, inquit, *interitum libertati timet* (Chryſoſtomus) *niſi à neceſſitate violentiæ atque coactionis: qua abſente, ſatis ei eſt, quòd ſponte volenteſque peccant & benefaciunt*. Et cap. 24. abutens loco ex S. Thoma deſumpto, in quo agitur de homine lapſo, addit, quaſi indicans hoc ſufficere ut in peccatum imputetur, quòd non cogatur. Et L.2. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 24. *Docet* (Auguſtinus) inquit, *ignorantiæ peccatis plenum eſſe genus humanum; eſſe quamtumvis neceſſaria, tamen vera peccata; ad culpam imputari; remiſſione delenda, pœnis plectenda &c.* Idem paſſim alibi tradit Janſenius, cui ſuffragantur diſcipuli, Auctores Librorum qui inſcribuntur, *Seconde Apologie de Janſenius*. l.2. chap. 5. pag. 51. *Saint Auguſtin victorieux de Calvin & de Molina. Premiere conference*, chap. 53. pag. 142. *Seconde Conference*, chap. 37. pag. 153. *Cinquieme Conference*, chap. 12. pag. 330. Auctor Scripti, *In nomini Domini*, pag. 21. T.3.pag. 278.col. 2.B. T.2.pag. 133.col. 2.A.

pag.21.*&* 24.*Propoſitiones de Gratia*, pag.20. *Apologie pour les SS. Peres, quatrieme & cinquieme point*, *article* 28.pag. 1044. & 1056. *Item*, *troiſieme partie*, pag. 627. 628. & 630. *Item*, *Meditations Chretiennes*, pag. 211. & 212.

Concedimus ergo perlibenter Paulo Irenæo, S. Pontificem neutiquam ſua Conſtitutione generalem illam attigiſſe quæſtionem; utrùm libertas genericè ſumpta poſtulet indifferentiam: neque verò de tali libertate loquitur tertia Propoſitio, ſed de libertate ad merendum vel demerendum in ſtatu naturæ lapſæ neceſſaria; atque idcirco damnata eſt, quòd afferat non requiri libertatem à neceſſitate, ſed ſufficere libertatem à coactione. Ac proinde, etiamſi Janſenius diceret, quod non dicit, ex conditione ſtatus requiri indifferentiam ad libertatem hominis viatoris, non tamen excuſaretur à propugnata tertia Propoſitione; modò affirmaret, ut revera affirmat, ex parte libertatis, & meriti aut demeriti, in homine lapſo non requiri indifferentiam ſeu excluſionem à neceſſitate. Et certè ſi liceret hìc ab errore excuſare Janſenium, eo quòd non dixiſſet ex parte ſtatus, ſed tantùm in præſenti ſtatu non requiri libertatem à neceſſitate, tertia Propoſitio, quæ nihil aliud in rigore ſonat, optimum juxta Janſenianos pateretur ſenſum, adeoque in ſenſu obvio proſcribenda non fuiſſet: atqui tamen meritò proſcripta illa fuit.

Porrò tantum abeſt, ut ex conditione ſtatus hominis lapſi Janſenius requirat libertatem à neceſſitate, quin potiùs præciſè aſſerat, idque cohærenter ad ſyſtema ſuum, non requiri ob conditionem hominis lapſi libertatem à neceſſitate ad merendum vel demerendum in hoc ſtatu. Qui enim contendit peccata, quæ vel ignorantia invincibili, vel ex quacunque alia cauſa neceſſitante nunc committuntur, non potuiſſe ullo modo imputari homini in ſtatu naturæ innocentis, (ſi talia fuiſſe fingerentur) hominique lapſo dumtaxat meritò eſſe imputanda; ille certè præciſè ex conditione ſtatus hominis lapſi affirmat neceſſariam non eſſe immunitatem à neceſſitate. Atqui Janſenius totus eſt L.4. de ſtatu naturæ lapſæ c.22. & 25. & L.2. de eodem ſtatu c.4. ut demonſtret neceſſitatem in præſenti ſtatu cum demerito conciliari, quia illa neceſſitas ortum habet, non à naturæ inſtitutione, ſed à pœna hominis lapſi; ergo &c.

Ad 2. probationem ſeu cauſam (ut prætendunt) hallucinationis noſtræ: fatemur hypotheſim ex qua Janſenius loquitur, metaphyſicam eſſe nec exiſtentem, qua parte ſcilicet ſupponit gratiam hac in vita tantam, quæ hominem in bono conſtanter ac immobiliter figat: verùm alia ex parte, qua nempe ſupponit liberum hominis viatoris arbitrium reverà indifferentia exercitii deſtitutum adhuc poſſe mereri vel demereri, non metaphyſica eſt, ſed vera & realis Janſenii hypotheſis ac ſententia: quia nempe quantò major eſt gratiæ delectatio, eò magis, juxta Janſenium, perficitur liberum arbitrium, quia perficitur voluntarium. *Arbitrari*, inquit Janſenius L. 8. de Gratia Chriſti c.17. *quòd perfectio gratiæ arbitrii libertatem deſtruat, ſtultitiæ ſingularis eſt*. Atque inde concludit, quòd ſi homini viatori tanta daretur, quanta beatis in cœlo gratiæ delectatio, non violaret ſed ſummè perficeret arbitrii libertatem: ergo, juxta Janſenium, ſtat arbitrii libertas cum neceſſitate exercitii. Si hæc duo diſtinguere voluiſſet auctor citati Libri, *Refutation de la fauſſe Relation du P. Ferrier*, non tot vana & inutilia puerili faſtu protuliſſet.

T.3 pag. 364. col. 1. E.

Inſtabis 1. Janſenius non negavit indifferentiam judicii: non negavit enim, etiam poſita delectatione victrice ad aliquod objectum proſequendum determinante, ſubeſſe ſemper in illo objecto varias ſpecies mali ab ipſius proſecutione

tione de ſe retrahentes, ad quas intellectus non ſolùm poteſt attendere, ſed etiam actu & de facto aliquando attendit; ſed hoc ſufficit ad indifferentiam judicii. Porrò ubi eſt indifferentia judicii, ibi neceſſariò occurrit libertas arbitrii, ſeu indifferentia voluntatis: eſt enim hæc judicii indifferentia, radix libertatis.

Reſp. nego ant. Ad probationem nego min. Nam per judicium indifferens intelligitur judicium in actu proponens objectum, non ut neceſſariò amandum vel fugiendum, ſed ut indifferenter ad utrumlibet eligibile: at licèt ſubſint in objecto ſpecies illæ mali de ſe retrahentes ab ipſius proſecutione, & ad ipſas attendat actu intellectus, non tamen propterea formatur judicium proponens actu objectum ut indifferens ad utrumlibet, ſed intellectus determinatur aliquando ad judicandum illud objectum eſſe neceſſariò amandum. Et verò delectatio ſuperior indeliberata, veluti quodam vinculo in objectum amandum figit animum, ex Janſenio L. 6. de Gratia Chriſti c. 35. ita certè ut rationibus retrahentibus non afficiatur. *pag. 303. col. 1. B.*

Ad ſubſumptum, Reſp. nego min. Licèt enim Thomiſtæ ex indifferentia judicii libertatem arbitrii conſequi affirment, longè aliter ſentiendum eſt in ſyſtemate Janſenii, in quo voluntas ita parum judicio intellectus ſubjaceat, ut etiam poſita viſione beatifica peccare poſſe, imò peccaturum beatum aſſerat Janſenius L. 4. de Gratia Chriſti cap. 8. & 9. ſi voluntas beati terreſtri delectatione titillaretur. *Qui diligentis impetus* (inquit cap. 8.) *ſi adulterinæ cujuſdam delectationis permixtione laxaretur, mens illa beata iterum refrigeſcendo tenebreſceret & peccaret*. Unde ibidem impeccabilitatem beatorum ex viſione beatifica oriri conſequenter negat. *pag. 181. col. 1. D.*

Inſtabis 2. cum auctore Libri Collationum inter DD. de Lalane & Girard ex una parte, & Patrem Ferrerium ex altera, Colloquio 3. pag. 19. Nullum eſt objectum ad quod voluntas feratur, quod ita vires ejus exhauriat ut non ſuperſit aliqua pars, ut ita dicam, voluntatis, qua ſe ad aliud objectum convertere valeat: Ergo in ſyſtemate etiam Janſenii nulla occurrit neceſſitas.

Reſp. Voluntatem quidem non totam & totaliter per delectationem ſuperiorem rapi, ſed tantùm majorem ipſius partem. Verùm hoc ſufficit, ut, ſecundùm leges veluti mechanicas in eo ſyſtemate, pondus animæ, & conſequenter conſenſus ſemper vergat neceſſariò in eam partem, in quam delectatio ſuperior inclinaverit.

Inſtabis 3. Janſenius agnoſcit omnes actiones meritorias & demeritorias hujus ſtatus eſſe voluntarias & deliberatas: ſed ex eodem Janſenio, ubi eſt deliberatum voluntarium, ibi eſt libertas contradictionis, L. 6. de Gr. c. 35. Ergo &c.

Reſp. ad min. Janſenium eo tantùm ſenſu dicere adeſſe indifferentiam contradictionis, quòd voluntas poſſit non agere ſi velit, quamvis neceſſariò velit neceſſitate relativa. Unde talem indifferentiam contradictionis ibidem non denegat beatis, quia *poſſent volitionem ſuam mutare ſi vellent*.

Inſtabis 4. Janſenius aſſerit ibidem, quidquid ex quocunque objecto voluptatis & timoris, aut cujuslibet affectus in voluntatem inciderit, voluntatem arbitrio ſuo ſemper remanere ſuperiorem: ergo &c. *pag. 302. col. 2. D.*

Reſp. Janſenium eodem loco id ipſum affirmare de ipſis beatis, quantùm ad voluntatem qua Deo immobiliter & firmiter adhærent. Ludit ergo cùm ait voluntatem eſſe ſemper arbitrio ſuo ſuperiorem; nec alius verborum ipſius

ſen-

Digitized by Google

ſenſus eſt, niſi quòd ſponte velit, nec cogatur volendo.

Non pigebit monere, Iprenſem nonniſi inſidioſè ac falsò aſſerere ſæpius, voluntatem etſi neceſſariò velit, agere tamen quia vult. Namque voluntati tunc tantùm velle ſuum dici poteſt ratio agendi, quando nulla eſt cauſa neceſſaria volendi: at in ſyſtemate Janſenii, delectatio ſuperior indeliberata eſt neceſſaria cauſa volendi.

Inſtabis denique. Janſenius nullam agnoſcit in præſenti ſtatu peccandi neceſſitatem in particulari, ſed in genere dumtaxat, eamque tantùm in infidelibus. Ita profitetur ille Lib. 4. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 19. 20. 22. & 23. Ergo non excluſit indifferentiam exercitii quantùm ad malum.

Reſp. fuci ac doli plenam eſſe hanc Janſenii doctrinam. Non alio quippe ſenſu negat ille peccandi neceſſitatem in particulari, quàm quia homo fidelis non peccaret ſi vellet; ſeu quia non ex coactione, ſed ex voluntate peccat: cum quo rectè ſtat, quòd neceſſariò peccet hoc vel illo pecato ſingulari. Namque in ſyſtemate Janſenii; ut mox diximus, par & eadem eſt neceſſitas delectationis terrenæ ad malum, ac cœleſtis ad bonum: eadem utriuſque efficacia, ſeu vis & modus agendi, nempe relativè ac per gradus quaſi ex mechanica lege. Et ſicut voluntas nuſquam operatur bonum ſine cœleſti delectatione, ita & malum ſine dominante delectatione concupiſcentiæ. Sicut movente delectatione ſuperiori gratiæ, voluntas non eſt expedita relativè ad malum; ita fervente concupiſcentia & abſente gratia victrice, non eſt expedita relativè ad bonum. Sicut delectatio ſuperior gratiæ domat ac ſibi ſubjicit inferiorem oppoſitam delectationem concupiſcentiæ; ita viciſſim cùm prævalet delectatio concupiſcentiæ, ſibi ſubjicit debiliorem gratiæ delectationem. Sicut victrix gratiæ delectatio neceſſariò exprimit conſenſum voluntatis in bonum, ita ut voluntas eum cohibere non poſſit; ita delectatio ſuperior concupiſcentiæ in malum. Denique, ſicut ſub motione gratiæ victricis voluntas ad hoc vel illud bonum in particulari neceſſariò determinatur; ita ſub motione ardentioris concupiſcentiæ, ad hoc vel illud malum. Adeoque nulla in eo ſyſtemate vera indifferentia ſpecificationis & exercitii, nulla vera libertas à neceſſitate, ubi adeſt relativa neceſſitas invincibiliter & indeclinabiliter ad unum determinans.

Porrò docere Janſenium æqualem eſſe neceſſitatem delectationis ſive ad bonum, ſive ad malum, ac parem utriuſque cœleſtis ac terrenæ agendi vim & efficaciam, res eſt apud ipſum explorata.

pag. 303. Lib. 6. de Gr. Chr. c. 35. *Nunc*, inquit, *omnis omnino voluntas juxta naturam*
col. 1. B. *voluntatis ex aliqua delectatione proficiſcitur, ſine qua præunte eſſe non poteſt; ita quoque ſtabilitas voluntatis ex eadem delectatione naſcitur.*

pag. 176. Lib. 4. c. 7. *Dico juxta S. Auguſtini mentem .... in iſta cum tentationibus dimi-*
col. 1. E. *catione, magnam adeoque majorem ac victricem delectationem cœleſtem eſſe neceſſariam, ut delectatio terrena ſuperetur; quia alioquin voluntas tam magnas volendi vires adhibere non poteſt, ſeu, ut Schola loquitur, tam intensè ac fortiter velle*
pag. 179. *non poteſt, quantùm neceſſe eſt ut tentatio ſeu delectatio oppoſitè ſuperetur ...* Et po-
col. 1. B. ſtea versùs finem capitis. *Voluntas ſine delectatione velle aut moveri nullo pacto poteſt; quod ſanè reſpectu cujuslibet operationis locum habet. Unde etiam in peccatis eadem neceſſitas delectationis ad volendum, & majoris delectationis ad ſu-*
Ib. p. 310. *perandam oppoſitam delectationem reperitur.*

col. 1. B. Libro ſeptimo capite tertio. *Cùm igitur vera cauſa cur arbitrium ad appeten-*
dum

dum aliquid moveatur, ſit delectatio qua intrinſecus in ipſa voluntate mulcetur; hinc eſt quod conſequenter Auguſtinus tradit tam in appetendo, quàm in omittendo peccato voluntatem delectatione liberam fieri.

Et Lib. 8. c. 2. *Delectatio victrix relativa eſt. Tunc enim eſt victrix, quando alteram ſuperat. Quòd ſi contingat alteram ardentiorem eſſe, in ſolis inefficacibus deſideriis hærebit animus, nec efficaciter unquam volet quod volendum eſt.* Ibidem docet eodem modo voluntatem moveri ad malum quo ad bonum delectatione ſcilicet. *Chriſti adjutorium*, inquit, *eſt actus verus & vitalis, quo anima haud ſecus afficitur & movetur in Deum, ac quando ſimili delectatione terrenis rebus inhæret.* pag. 334. col. 2. C. Ib. col. 1. D.

Ex his omnibus perſpicuum eſt, nullam eſſe in Syſtemate Janſenii activam in præſenti ſtatu indifferentiam tum ſpecificationis tum exercitii.

Senſus Catholicus errori tertiæ Propoſitionis Janſenii oppoſitus.

Cùm error tertiæ Propoſitionis Janſenii in eo ſit, omne ſcilicet perfectè voluntarium, tametſi neceſſarium, eo ipſo in præſenti ſtatu liberum eſſe ad bonum & malum; nec ad merendum vel demerendum in ſtatu naturę lapſæ requiri libertatem à neceſſitate ſimplici voluntaria, mutabili ac tranſeunte, ſed ſufficere libertatem à coactione; conſequenter veritas Catholica huic errori oppoſita hæc eſt: voluntarium perfectum, ſi ſit neceſſarium neceſſitate ſimplici quamvis mutabili ac tranſeunte, non eſſe liberum ea libertate quæ ſufficiat ad meritum vel demeritum pręſentis vitæ; ſed præter immunitatem à coactione, neceſſariam eſſe immunitatem ab omni neceſſitate ſimplici, ſeu ab inſuperabili & invincibili voluntatis per delectationem relativè ſuperiorem ad unum determinatione & applicatione.

Ut igitur penitus excludatur error tertiæ Propoſitionis, & à viris ſuſpectæ fidei omnis legitima Janſeniſmi ſuſpicio amoveatur, non ſatis eſt ſi dixerint libertatem hujus ſtatus neceſſariam ad merendum vel demerendum excludere neceſſitatem; aut liberum idem non eſſe quod voluntarium: iſta enim ore tenus fateri non recuſant vel apertiſſimi Janſenii defenſores, qui confidenter affirmant neceſſitatis nomine omnem planè excludi potentiam ad oppoſitum, talemque neceſſitatem cadere non poſſe in eas actiones quæ in præſenti ſtatu fiunt ex delectatione cui voluntas ſponte obſequitur (quia nempe in eorum ſēſu remanet ſemper potentia quędam abſoluta & abſtracta.) Et reipſa cùm ſic illi loquuntur, nomine neceſſitatis intelligunt dumtaxat vel coactionem, vel neceſſitatem naturalem, vel eam quæ cæco impetu ſine advertentia & pleno judicio rationis abriperet; vel illam, quam in deliberata ſua, quodam ſenſu, operatione voluntas pateretur, ſi per motionem quamdam quaſi fatalem ſic in unam partem præcipitaretur, ut imperio ſuo ſe ipſam movere non ſineretur, qualem Manichæis, Aſtrologis, Stoicis & Calvinianis placuiſſe fingit Vincentius Lenis in Theriaca; vel ſimplicem, perpetuam & immutabilem. Non excludunt verò neceſſitatem ſimplicem, voluntariam, tranſeuntem ac mutabilem, eam ſcilicet quæ oritur ex invincibili & ineluctabili motione ſuperioris ac relativæ delectationis: quam neceſſitatem fucato infallibilitatis nomine appellant, quamque ſuaviorem ac molliorem vocat Vincentius Lenis, ut eam diſtinguat ab alia, nempe rigida & fatali Stoicorum ac Manichæorum. pag. 261. & 301.

Pariter cùm ajunt liberum idem non eſſe ac voluntarium, à Janſenio planè non recedunt, qui hoc ipſum aſſeruit L. 6. de Gratia Chriſti c. 36. per voluntarium enim ſubdolè intelligunt, ut ipſe Janſenius ait, id quod eſt in voluntate.

Quo ſenſu verum eſt, etiam in ſenſu Janſenii, liberum idem non eſſe ac voluntarium: quia datur voluntarium indeliberatum, (quales ſunt motus primò primi) quod tamen propterea liberum non eſt, ipſo fatente Janſenio. Non ſatis igitur eſt nudè excludere à libertate quamdam in genere tantùm neceſſitatem, ſed addi debet, ſimplicem ac voluntariam & tranſeuntem. Pariter ſatis non eſt rejicere neceſſitatem quæ tollat omnem ad oppoſitum advertentiam, qualis eſt in beatis; ſed etiam illam ſub qua ita apparet ratio aliqua boni, ſeu motivi in objecto quod voluntas refugit & adverſatur, ut non remaneat indifferentia activa voluntatis; talem quippe ad oppoſitum advertentiam, Janſenius ejuſque diſcipuli cum delectatione ſuperiori ineluctabili conciliant: neq; eam tantùm quæ ſit vel abſoluta, vel antecedens, vel phyſica illorum ſenſu ſuperiùs expoſito; ſed eam quæ ſit relativa ad præſentes ſubjecti diſpoſitiones, eaſque comitetur, moraliſque à quibuſdam ex Janſenii diſcipulis vocatur.

Denique ſatis non eſt aſſerere voluntatem ſub motione ſuperioris delectationis, non tantùm in ſenſu diviſo, id eſt abſente, ſed etiam in ſenſu compoſito, id eſt præſente illa motione, retinere potentiam proximam & expeditam ad oppoſitum; dolus quippe eſt ac conſueta fallacia: potentiam quippe illam proximam & expeditam, non aliam volunt eſſe quàm abſolutam & abſtractam; non autem relativam & comparatam ad præſentes ſubjecti circumſtantias ſeu diſpoſitiones, ſicut dictum eſt ſæpius.

Ad omnem igitur fraudem & æquivocationem fugiendam, neceſſe eſt nitidè ſenſu contradictorio affirmare, ad merendum vel demerendum in ſtatu naturæ lapſæ neceſſariam eſſe libertatem quæ excludat illam voluntatis ad unum determinationem, (quocumque tandem nomine eam appellaverint) quæ à delectationis relativè ſuperioris ineluctabiliter prævenientis & invincibiliter flectentis virtute proficiſcitur.

QUARTA PROPOSITIO.

Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici quòd vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare.

Propoſitio ex Janſenio legitimè excerpta.

Hujus quartæ Propoſitionis duæ partes ſunt. Prima eſt facti: utrum ſcilicet Semipelagiani admiſerint gratiam neceſſariam ad initium fidei; qua de re fusè diſputavimus hujus Tractatus initio. Secunda, utrum hæreticum ſit dicere gratiam actualem Chriſti talem eſſe, cui poſſit humana voluntas reſiſtere vel obtemperare.

Utramque Propoſitionis partem docet Janſenius Lib. 8. de hæreſi Pelagiana cap. 6. his verbis. *Itaque Maſſilienſium opinionibus, & Auguſtini doctrina quàm diligentiſſimè ponderata certum eſſe, & indubitatum eſſe debere ſententio, quòd Maſſilienſes præter prædicationem atque naturam, veram etiam & internam & actualem gratiam ac ipſam etiam fidem, quam humanæ libertatis & voluntatis adſcribunt viribus, neceſſariam eſſe fateantur.* Et poſtea. *In hoc igitur propriè Maſſilienſium error ſitus eſt, quòd aliquid primævæ libertatis reliquum putant, quo ſicut Adam, ſi voluiſſet, poterat perſeveranter operari bonum, ita lapſus homo ſaltem credere poſſet ſi vellet: neuter tamen abſque interioris gratiæ adjutorio, cujus uſus vel abuſus relictus eſſet in uniuſcujuſque arbitrio & poteſtate.*

T. 1. p. 185. col. 2. E.

Ib. pag. 188. col. 1. B.

Et pau-

Et paulò poſt rurſus. *Ex quo*, inquit, *relinquitur, quandocumque Maſſilienſes naturalem illam libertatem & poſſibilitatem ex Adami integritate reliquam prædicant, & ei ſaltem fidem tribuunt, nunquam eos illam Adami gratiam excludere.* Ib col.2. B.

Libro 2. de Gratia Chriſti cap. 15. *Prior*, inquit, (Maſſilienſium) *error erat, quòd initium fidei, orationem, gemitus ac deſideria & huiuſmodi ex nobis, hoc eſt, ex libero arbitrio proſilire cenſerent. Et tamen gratiam etiam actualem in eorum opinione fuiſſe ad iſtos actus neceſſariam cuius influxus in eorum libero relinqueretur arbitrio; & hoc eos apertiſſimè docuiſſe, iam ſuprà latè patefecimus.* Ad marginem indicat *Caput* 12. *eiuſdem Libri & Librum* 8. *de hereſi Pelagiana c.*6.7.8.&c. T.3 pag. 62.col.1. D.

Hanc eſſe conſtantem Janſenii doctrinam patet manifeſtè ex lato illo diſcrimine quod reponit inter gratiam ſanitatis & medicinalem, quod cùm ignoraverint Semipelagiani, in errorem lapſi ſunt. *Ex iſto*, inquit initio capitis 4. Libri 2. de Gratia Chriſti, *liberæ ſervæque voluntatis diſcrimine... utriuſque gratiæ ſanitatis & medicinalis differentia...incipit ſeſe oſtendere. In eo quippe ſita eſt, quòd illius primæ integritatis adiutorium ſic adiuvabat voluntatem, ut cum eo operaretur ipſa ſi vellet; nunc autem ipſum adiutorium facit ut velit. Hoc eſt, adiutorium ante ruinam erat tale ut influxus adiutorii proinde atque voluntatis in opus, ab ipſo liberæ voluntatis nutu penderet, adeoque ſalva maneret illa libertatis in utramque partem flexibilis indifferentia: nunc verò poſt ruinam tale eſt, ut faciat annuere, & influere & velle voluntatem.....hoc ipſo enim quo datur, ſimul uſus eius & influxus poteſtatis datur. Eſt enim hoc ipſum quod ſuapte efficacia facit influere facultatem, nec facultatis ipſius libero arbitratui ſubiaceat, ſed invictè facit ut hoc vel iſtud arbitrium arbitretur & velit. Talis eſt influxus omnis cauſæ formalis; hoc ipſo quippe quo adeſt iuſtitia, fit iuſtus animus, & ſine illa iuſtus eſſe nunquam poteſt...Quod* clarius, pergit Iprenſis, *ita dici poſſet, quòd gratia ſanæ voluntatis in eius libero arbitrio relinqueretur, ut eam ſi vellet deſereret, aut ſi vellet uteretur; gratia verò lapſæ ægrotæq; voluntatis nullo modo in eius relinquatur arbitrio, ut eam deſerat aut arripiat ſi voluerit, ſed ipſa ſit potiùs illa poſtrema gratia, quæ invictiſſimè facit ut velit, & à voluntate non deſeratur.* Et poſtea. *Tantæ neceſſitatis eſt, ut ſine illa non poſſit effectus fieri, tanteq; efficaciæ, ut hoc ipſo quo datur, continuò fiat. Dat enim ſimul & poſſe & operari.* Pag. 40. col.2.C. Pag. 41. col.1.A. Ibid.C. Ibid.col. 2.C.

Hæc Janſenius; qui, ut mox dicemus, Semipelagianos in eo potiſſimùm erraſſe contendit, quòd repudiato illo efficaci adjutorio quo datur invictiſſimè velle & operari, aliud admitterent quod, ut falsò putat, proprium fuit naturæ ſanæ & innocentis, ſubditum nempe libero voluntatis arbitrio, cui reſiſtere illa poſſet vel obtemperare.

Quarta Propoſitio cum delectatione ſuperiori ac relativa connexa, unde à Janſenio eruitur.

Hæc Propoſitio cum aliis connexa, commune quoque habet cum illis principium. *Suppoſita enim aliarum falſitate*, ait Hallerius in Scripto ſæpius laudato, *neceſſariò debet falſa judicari. Nam ſi impoſſibilia nunquam ſunt Dei præcepta juſtis defectu gratiæ ſufficientis cui actu reſiſtunt, ſequitur poſſe gratiæ reſiſti: nam ab actu ad poſſe valet conſequentia. Secundò, ſi certum ſit ad meritum requiri indifferentiam, cùm actio qua gratiæ Dei conſentimus, ſit meritoria, ſequitur conſenſum ei præberi cum indifferentia, ac proinde cum potentia diſſentiendi.* Diar. p. 285. col. 2.

Hanc verò Propoſitionem velut concluſionem ſequi ex principio delectationis relativè victricis, per ſe manifeſtum eſt. Si enim voluntas eò ſemper ac ne-

ceſſariò trahitur quò major voluptas ducit; ſi fieri non poſſit ut minor delectatio ſuperiorem vincat, omnino conſequens eſt, ut ſuperior motione inſuperabili & indeclinabili ad unum determinet, nec poſſit voluntas eo in ſtatu tali determinationi non conſentire.

Et reverà non alia ex parte Semipelagianos erraſſe vult Janſenius, quàm quòd rejecto auxilio efficaci invincibiliter ac inſuperabiliter determinante ad bonum, aliud admitterent cui voluntas pro nutu ſuo conſentire vel diſſentire poſſet. Auxilium porrò illud quo, ſeu efficax Janſenii ſenſu, ut antea probavimus, eſt delectatio victrix relativa.

T. 1 pag. 193. col. 2. D. Libro 8. de hæreſi Pelagiana c. 8. in fine. *In hoc ergo*, inquit, *propriè Maſſilienſium & Auguſtini error ſitus fuit, quòd Angelorum ſanctorum & ſtantis hominis adjutorium, in quo intelligendo & admittendo nulla penitus ipſis difficultas fuit, etiam lapſis hominibus hactenus ſufficere voluerint.*

Et c. 10. oſtendit totum diſputationis argumentum inter Auguſtinum & Semipelagianos fuiſſe circa veram Chriſti gratiam; quam quidem Janſenius L. 4. de Gratia Chriſti capitibus undecim, & L. 8. c. 2. probat eſſe delectationem ſupe-

T. 1. pag. 196. col. 2. D. riorem ſeu relativè victricem, non verò gratiam illam ſine qua non. *Non enim ipſa*, (ut loquitur c. 10. Lib. 8. de hæreſi Pelagiana) *pulſa concupiſcentiæ infirmitate robuſtum facit, ſed robuſtum & à concupiſcentia liberatum eſſe ſupponit; ſicut lux, quantumvis magna, non ſanat oculum, ſed ſanatum poſtulat, ut ejus aliquis poſſit eſſe uſus: nam ſine luce quidem non cernitur, non tamen ipſa facit cernere ſi quis noluerit intueri.*

T. 3. pag. 55. col. 1. D. Semipelagiani, ait Janſenius Lib. 2. de Gratia Chriſti cap. 12. *admittebant libentiſſimè adjutorium Dei, cum quo poſſent credere & orare ſi vellent, ita ut & adjutorium, & ipſum velle & nolle, quemadmodum homini primo, in eorum libero relinqueretur arbitrio: horrebant verò illud capitaliter quo ſecundùm Auguſtinum fiebat ut*

Ibid. pag. 317. col. 2. E. *vellent* Et Lib. 7. cap. 6. ait, *totam molem diſputationis de Chriſti gratia cum Pelagianis.... huic veluti cardini innixam eſſe*, nempe neceſſitati gratiæ victricis quæ dat invincibiliter & inſuperabiliter agere. Et Lib. 4. cap. 10. probaverat nullam

Ibid. pa. 184. col. 2. C. jam dari gratiam purè ſufficientem, *quia nulla eſt gratia operandi præter iſtam ſuavitatem Dei*, quæ *niſi tanta fuerit, ut ei delectationes rerum creatarum ceſſerint, vel peccabitur, vel alternante delectationum fluctu, in medio remanebitur.*

Verus ac germanus quartæ Propoſitionis ſenſus.

Non hìc attingitur quæſtio de gratia efficaci à ſe aut cum conſenſu, inquiebat Hallerius, *quia utriuſque opinionis aſſertores fatentur quòd gratiam Dei poſſumus*

Diar. p. 285. col. 2. *abjicere, juxta Conc. Tridentinum ſeſſ. 6. c.* 5. Ergo ſingularis ac proprius Janſenii ſenſus diſtinctus eſt à ſenſu gratiæ efficacis à ſe, vel à conſenſu. Quis ille ſit ſtatim indicat Hallerius: *Quæritur*, inquit, *utrùm gratia in ſtatu naturæ corruptæ*

Ibid. *talis ſit, ut neceſſitatem inferat voluntati, adeò ut ei non poſſit diſſentire, quod nullus Catholicus unquam admiſit.*

Quartæ igitur Propoſitionis Janſenii verus ac germanus ſenſus iſte eſt: Semipelagiani admiſerunt neceſſitatem gratiæ interioris etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici quòd rejecta Chriſti gratia efficaci, hoc eſt delectatione cœleſti ſuperiori voluntatem neceſſitate inſuperabili ac indeclinabili determinante, ſolam admitterent gratiam cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare.

Hunc

Hunc Magiſtri ſenſum diſcipuli aperiunt ac defendunt in laudato ſæpiùs Scripto, *In nomine Domini*. *Cùm*, inquiunt, *in ea tam vehementi inter Catholicos & Semipelagianos concertatione, hanc unam gratiam Catholici propugnarent, quæ inſuperabilem prædeſtinationem & promiſſionem Dei, virtute pariter inſuperabili in effectum demandaret, clarum eſt illam unam inflexibilem & indeclinabilem gratiam Semipelagianos Catholicis eripere voluiſſe*. Eſt poſtea: *Quis quæſo dubitet Semipelagianos hæreticos habitos fuiſſe materialiter ſaltem, quòd ad fidei initium gratiam admitterent, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare proximè & immediatè?*

Auctor Libri cui titulus, *Saint Auguſtin victorieux*. *Verum eſt*, inquit, *liberum arbitrium non poſſe non conſentire gratiæ in iis circumſtantiis in quibus ei conceditur, poſſe tamen ei non conſentire ex conditione ſtatus in quo eſt*; id eſt mutabilitatis & flexibilitatis: ſeu non poſſe non conſentire relativè, ac ſup. poſitis circumſtantiis; poſſe tamen abſolutè, iis circumſtantiis mutatis.

Plura in rem eamdem referre omittimus: quia tam intima connexione cohæret ſenſus ille Janſenii cum delectatione ſuperiori ac relativa, ut ab ea divelli nullatenus poſſit. Quapropter fictitii planè ſunt & alieni alii ſenſus qui dictæ Propoſitioni poſſent affingi.

Senſus alieni & extranei, qui quartæ Propoſitioni Janſenii malignè affingi poſſent, quos tamen legitimè ſumpta apud Janſenium habet.

I. In Scripto trium Columnarum, Janſeniani velut Calvinianum ac Lutheranum excludunt ſenſum iſtum: *Gratia Chriſti præveniens talis eſt, ut liberum arbitrium hominis ab eà motum & excitatum non poſſit diſſentire ſi velit. Aliter dicere, Semipelagianum eſt*. Janſeniani captioſis verbis hic profectò illudunt. Cùm enim affirmant dogma Catholicum eſſe Lutherano & Calviniano adverſum, quòd liberum arbitrium, ſi vellet, gratiæ diſſentiret; ſimul tamen fatentur illud relativè ad ſuperiorem delectationem non poſſe velle diſſentire: quia neceſſitate inſuperabili & ineluctabili movetur ac determinatur ad conſentiendum, qui certè ipſe eſt Lutheri & Calvini error. Adeoque hærent illi ſemper in ſolita & cõmuni ſua æquivocatione, liberum ſcilicet arbitrium gratię victrici diſſentire poſſe abſolutè ac præciſis circumſtantiis, non verò relativè ad illas.

II. Non minùs profectò abſurdus iſte foret, qui diceret, errorem quarta Propoſitione contentum ac proſcriptum eſſe, quòd omnis gratia ſit invincibilis, inſuperabilis & irreſiſtibilis: qui ſenſus nec Semipelagianis, nec Janſenio poteſt accommodari. Non Semipelagianis, quos exploratum eſt adeo capitaliter abhorruiſſe à gratia invincibiliter ac inſuperabiliter determinante, ut non alia de cauſa doctrinam S. Auguſtini infamaverint tanquam novam & erroneam, quàm quòd hujuſmodi gratiam in ea deprehendiſſe ſibi viſi fuiſſent: Non Janſenio, nemo quippe ignorat, admiſſam ab illo gratiam inefficacem non victricem; quia non ſuperiorem oppoſita cupiditate, cum qua animus in ſolis hæret inefficacibus deſideriis.

III. Neque ſenſus eſt, gratiam efficacem, qualis à Catholicis defenditur, talem eſſe ex natura ſua, ut in ſenſu diviſo non poſſit ſuo effectu fruſtrari. Id nuſquam docuit Janſenius, imò planè contrarium. In ejus quippe Syſtemate gratia non abſolutè, ſed relativè eſt victrix; ergo cuicumque gratiæ in ſe & abſolutè ſpectatæ diſſentiri ſemper poteſt, quia oppoſita concupiſcentia ſemper augeri poteſt ac magis inflammari. In eo dumtaxat error ipſius eſt, quòd pertendat

gratiæ relativè ſuperiori voluntatem non poſſe diſſentire, quia neceſſe eſt ut ſecundùm majorem indeliberatam delectationem operetur.

IV. Inde ſequitur, quartæ Propoſitionis ſenſum eſſe non poſſe quòd nempe gratia victrix Janſeniana omnem oppoſitam actualem vel habitualem deſtruat concupiſcentiam: nuſquam tale figmentum venit in mentem Janſenii; imò docet gratiam quantumcunque victricem ſemper hac in mortali vita oppugnari adverſante cupiditate: quo ſenſu Janſeniani, ut fallant, aſſerunt, non tantùm gratiæ parvæ reſiſti, ſed etiam efficaci, quia illi ſemper reluctatur ex adverſo concupiſcentia.

V. A mente quoque Janſenii prorſus alienum eſt dicere, per gratiam efficacem ſeu victricem ſic totam hominis rationem abſorberi, ut nullam ampliùs mali ſpeciem deprehendere poſſit, aut apprehendat in eo bono quod amplectitur. Nihil unquam tale cogitavit Janſenius, qui conſtanter admiſit non eſſe eam in hac vita delectationis victricis abundantiam & magnitudinem, qua gaudent beati: cujus proinde error in eo eſt, quòd negaverit veram & activam, ſub motione delectationis ſuperioris, voluntatis indifferentiam: unamque ferè flexibilitatem voluntatis ad bonum & malum habeat pro vera indifferentia.

VI. Neque hic pariter affingi meritò poteſt quartæ Propoſitioni ſenſus, voluntatem ſub motione ſuperioris delectationis non retinere phyſicam aut etiam moralem potentiam tendendi ad id quò ſuperior delectatio inclinat & rapit; quaſi hæc paſſivè ſe habeat & nihil de ſuo in actum influat. Procul abſunt ab illo ſenſu Janſenius ac Janſeniani omnes, qui fingunt (quamquam falsò) ſuam à Lutherana & Calviniana doctrinam circa libertatem in eo maximè diſtare, quòd Lutherus & Calvinus doceant voluntatem velut inanime quoddam paſſivè ſe habere ſub motione gratiæ victricis; ſe verò contendere, voluntatem activè ſeu vitaliter (tametſi neceſſariò) in actionem influere.

VII. Unde etiam ſequitur, ſenſum dictæ Propoſitionis eſſe non poſſe, quòd voluntas nullam omnino partem habeat in bono opere quod per gratiam exercet; ſiquidem activè ſeſe movet ac determinat: at ſenſus eſt, quòd nullam eo ſenſu in eo bono opere partem habeat, quia neceſſitate inſuperabili & invincibili ita ad bonum determinatur, ut non poſſit non ſequi determinationem illam.

VIII. Denique, ſenſus Propoſitionis eſſe non poteſt, per gratiam victricem tantam voluntati neceſſitatem inferri, quanta ſequitur ex influxu omnis cauſæ formalis. Namque neceſſitas hæc cauſæ formalis totalis eſt ac prorſus metaphyſica, ac à voluntate independens: fieri quippe non poteſt, metaphyſicè loquendo, ut juſtus v. g. ille non ſit, in quo eſt juſtitia; beatus, in quo eſt beatitudo: at talis profectò non eſt neceſſitas quæ ſecundùm Janſenium ſequitur ex motione delectationis ſuperioris. Quapropter quando Lib. 2. de Gratia Chriſti cap. 4. exemplo influxus cauſæ formalis utitur, haud dubiè ultra propoſitum ſuum abripitur, nec vult parem in omnibus eſſe neceſſitatis modum; ſed hoc unum tantùm, effectum ſcilicet æquè certum eſſe ac infallibilem ſub motione gratiæ victricis, ac ſub cauſa formali: ſepoſito modo neceſſitatis, quo ad rem ſuam conficiendam Janſenius non indiget.

Senſus Catholicus errori quartæ Propoſitionis Janſenii oppoſitus.

Senſus Catholicus debet eſſe contradictorius erroneo ſenſui quartæ Propoſitio-

ſitionis, pro utraque ipſius parte. Nempe: Semipelagiani non admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc non fuerunt hæretici, quòd vellent eam gratiam talem eſſe cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare. Ergo doctrina Catholica eſt, ſuppoſita gratia quamtumvis efficaci, quam Semipelagiani rejiciebant, humanam voluntatem, etiam relativè ad hanc gratiam, poſſe huic reſiſtere vel obtemperare.

Inde facile eſt colligere, ad excludendum penitus erroneum quartæ Propoſitionis ſenſum ſatis non eſſe dicere:

I. Semipelagianos in eo hæreticos non fuiſſe, quòd rejecerint gratiam neceſſitantem quæ omnem penitus removeat potentiam ad oppoſitum: ſubintelligi quippe poteſt, ut reverà frauduleter ſubintelligunt Janſeniani, tum neceſſitas, tum potentia abſoluta, non verò relativa, de qua tamen una hìc eſt quæſtio.

II. Non in eo fuiſſe hæreticos quòd admiſerint gratiam cui homo reſiſtere poſſet ſi vellet; per hæc enim verba unam illi intelligunt reſiſtentiam voluntariam vel conditionatam, quæ cùm pendeat à conditione planè impoſſibili, omnino ficta & illuſoria eſt; quippe cùm fieri nuſquam poſſit, ut voluntas velit diſſentire motioni ſuperioris delectationis.

III. Nec ſufficit aſſerere in præſenti ſtatu indifferentiam voluntatis minimè deſtrui per gratiam: namque per indifferentiam, ut vidimus, Janſenii intelligunt flexibilitatem voluntatis, & abſolutam quam habet potentiam faciendi actum oppoſitum ei ad quem neceſſariò determinatur.

IV. Neque ſufficit affirmare, non omnem ſub motione gratiæ victricis tolli potentiam ad non agendum, ſed eam tantùm quæ aliquando in actum reducatur: nam in phraſi Janſeniana, potentia quæ in actum non reducitur, dumtaxat abſoluta eſt; non autem relativa, quæ ſemper eſt efficax.

Antequam finem huic quartæ Propoſitioni imponamus, prætermittere non poſſumus quin ad laudem & commendationem Goneti, inſignis è Schola Thomiſtica Theologi, obſervemus, quòd cùm Tomo 4. Clypei Theologiæ Thomiſticæ diſput. 2. quæ eſt de hæreſi Semipelagianorum art. 3. aſſeruiſſet in prioribus Operis ſui editionibus, quoſdam fuiſſe Semipelagianos qui naturæ viribus gratiam ad initium fidei adjungerent, tandem in editione Lugdunenſi an. 1681. mutaſſe ſententiam circa primam quartæ Propoſitionis partem. Sic enim habet Tomo 6. in Appendice ad Tractatum de Gratia, ubi de Semipelagianis: *Hæc ſententia aliàs mihi placuit, re tamen attentiùs & maturiùs conſiderata, dico breviter Semipelagianos omnes gratiæ prævenientis interioris neceſſitatem ad initium fidei conſtantiſſimè negaviſſe.*

Optandum certè foret, ut parem humilitatis & obedientiæ viam iniiſſet Franciſcus Macedo Franciſcanus Luſitanus. Hic enim in Libello Londini excuſo an. 1653. qui inſcriptus eſt; *Mens divinitus inſpirata ſanctiſſ. mo Patri noſtro Innocentio X. ſuper quinque Propoſitiones Janſenii &c.* art. 5. expendens quartam Propoſitionem idem profitetur, quod Gonetus in primis ſuis editionibus. Ut autem ſuam à Janſeniana ſententiam diſcernat Macedo, contendit Janſenium L. 8. de hæreſi Pelag. putaſſe omnes omnino Semipelagianos in eandem de neceſſitate gratiæ interioris prævenientis ad initium fidei conſenſiſſe opinionem; & eo titulo, aſſertionem hanc Janſenii quarta Propoſitione expreſſam, meritò ut falſam & temerariam damnatam fuiſſe. Monet inſuper idem Macedo, priorem quartæ Propoſitionis partem quæſtionem eſſe facti,

quæ certè fidem propriè non ſpectat, cùm ex humano judicio per ſe incerto diſcutienda & dirimenda ſit. Unde addit cenſuram hæreſeos, qua quarta Propoſitio afficitur, in eam cadere ut complexa eſt & ex duabus partibus conſtans: porrò ad propoſitionis complexæ hæreticitatem ſufficere, ut alterutrum membrum à fide ſit alienum, quod de poſteriori membro hujus quartæ Propoſitionis dumtaxat verum eſt.

Reſpondet Gonetus, citato Tomo 3. quòd licèt prior pars hujus Propoſitionis ſit quæſtio facti quæ propriè fidem non ſpectet; quia tamen altera pars ejuſdem Propoſitionis, quæ juris eſt, cum priore ita connexa eſt ut eam neceſſariò præſupponat, potuerit ac debuerit Pontifex primam ut falſam proſcribere, ut ſubinde alteram damnaret tanquam hæreticam.

Porrò diſtantiam ſententię Macedo à ſententia Janſenii nullam eſſe compertum ait, ſi obſerves quòd licèt Janſ. L. 8. de hæreſi Pelag. non diſtinguat duplicem Semipelagianorum ordinem, non unam tamen eorum omnium fuiſſe mentem profiteatur L. 7. cap. 2. quorum alii ad initium fidei nihil præter naturam exigerent. Quòd autem aſſerit Macedo, primam partem quartæ Propoſitionis damnatam eſſe, quòd de omnibus Semipelagianis indefinitè loquatur, leve eſt; nam fatetur ipſe, damnatam fuiſſe in ſenſu Janſenii: at prout eſt in Janſenio non intelligitur indefinitè, ſed de aliquibus tantùm.

Gonetus candidè fatetur Contenſonium Lib. 8. diſſert. 3. hiſtorica circa errores Semipelagianorum, idem ſentire quod Janſenius. Neque verò id mirum videri debet, cùm idem eodem Lib. Diſſert. 5. aſſerat quinque Propoſitiones in Libro Janſenii, (ſi totius operis ſeu contextus ratio habeatur) unum dumtaxat ſpirare gratiæ per ſe efficacis ſenſum: nihilominus ab Alexandro VII. meritò damnatas fuiſſe in ſenſu Janſenii, quia prudenter arbitratus eſt S. P. illum fuiſſe Janſenii ſenſum quem verba ipſa in ſuo naturali ſenſu indicant. Neque enim tenebatur, inquit, inquirere, an in Operis prolixi decurſu ſolius gratiæ per ſe efficacis ſenſum auctor intenderit, quia quemcumque ſenſum alibi prætenderit, ſatis eſt ut damnetur, quòd ea ſimpliciter affirmet, quæ in connaturali & aperto ſenſu inveniuntur à fide aliena. Hæc Contenſonius, quibus apertè ſignificat quinque Propoſitiones damnatas fuiſſe in ſenſu obvio & naturali, quem verba in ſe ipſis præſefernnt, non verò in ſenſu proprio Janſenii; adeoque errore facti hic lapſum eſſe Pontificem, cùm in hujuſmodi facti quæſtionibus, ut ille ſtatim addit, Eccleſia poſſit errare. Quæ à Janſenii defenſoribus ſtatim proferuntur, ut Janſenium abſolvant à propugnata quarta Propoſitione, à nobis jam ſuperiùs occupata ſolutaque ſunt, & inferiùs pro data occaſione iterum ſolventur.

QUINTA PROPOSITIO.

Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.

Propoſitio ex Janſenio legitimè excerpta.

Propoſitio hæc reſponſionem continet Janſenii ad objectionem petitam ex
T. 3. p. communi Theologorum doctrina, omnibus ſcilicet dari gratias ſufficientes ad
161. col. ſalutem comparandam, quia pro omnium ſalute Chriſtus mortuus eſt. *Aliud*
1. B. *argumentum*, ait Janſenius L. 3. de Gratia Chriſti cap. 21. *pro gratia ſufficienti omnium*

omnium proferri ſolet, quia Chriſtus eſt redemptor omnium, juxta illud primæ ad Timoth. 2. Qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus. Nec enim redemptio omnium ullo modo videtur eſſe poſſe, niſi gratiam ſaltem ſufficientem omnibus præparaverit. En objectio, cui ſic reſpondet Janſenius. *Reſpondetur, & hoc argumentum, ſicut omnia præcedentia, jam olim ad nauſeam uſque à Pelagianis, præſertimque Maſſilienſibus inculcatum fuit, ut mirum ſit recentiores tanto ſtudio trita hæreticorum arma colligere & obſoleta recudere.* Ibid. C.

Janſenius hìc illud ipſum adverſariis exprobat, quod ſibi ab illis jure ac meritò objiciendum præſentit; nihil enim prorſus in hac diſputatione producit, quod olim ad nauſeam uſque à Calvinianis inculcatum non fuerit. *Nec enim*, pergit Janſenius, *juxta doctrinam Antiquorum, pro omnibus omnino Chriſtus paſſus aut mortuus eſt, aut pro omnibus omnino tam generaliter ſanguinem fudit; cùm hoc potiùs tanquam errorem à fide Catholica abhorrentem doceant eſſe reſpuendum.* Et in fine ejuſdem capitis. *Illa extenſio*, inquit, *tam vaga modernorum Scriptorum non alio ex capite, quàm ex iſta generali & indifferenti voluntate Dei erga ſalutem omnium, & ex illa ſufficientis gratiæ omnibus conferendæ præparatione fluxit, quorum utrumque Auguſtinus, Proſper, Fulgentius, & antiqua Eccleſia velut machinam à Semipelagianis introductam repudiavit.* Pag. 164. col. 2. A. Pag. 166. col. 2. D.

Rurſus ibidem. *Quæ ſanè cùm in Auguſtini doctrina perſpicua certaque ſint, nullo modo principiis ejus conſentaneum eſt, ut Chriſtus Dominus vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro juſtorum non perſeverantium æterna ſalute mortuum eſſe, ſanguinem fudiſſe, ſemetipſum redemptionem dediſſe, Patrem oraſſe, ſentiatur. Scivit enim quò quiſque jam ab æterno prædeſtinatus erat..... Ex quo factum eſt, ut juxta ſanctiſſimum Doctorem, non magis Patrem pro æterna liberatione ipſorum, quàm pro diaboli deprecatus fuerit.* Ibid. A.

In his teſtimoniis manifeſtum eſt, docere Janſenium errorem eſſe Semipelagianum dicere quòd Chriſtus pro omnibus omnino hominibus mortuus ſit, aut ſanguinem fuderit.

Quinta Propoſitio cum delectatione ſuperiori ac relativa connexa, unde à Janſenio eruitur.

Vel ipſa diſputationis Janſenii ſeries fontem aperit unde doctrinam hujus ſuæ quintæ Propoſitionis hauſerit. De gratia ſcilicet verè ſufficiente, ſenſu aliquorum recentiorum, loquitur, quæ nempe ſe ſola ex ſolo nutu liberi arbitrii ſine novo Dei auxilio ſufficiat ad benè operandum; ac negat ullam in præſenti ſtatu dari hujuſmodi ſufficientem gratiam. Ad probationem verò in contrarium ex eo ductam, quòd Chriſtus ſit pro omnibus mortuus ac velit omnes ſalvos fieri, reſpondet, utrumque iſtud eſſe falſum; adeoque gratiam verè ſufficientem non omnibus concedi. *Omnibus verò illis*, inquit citato capite 21. Lib. 3. de Gratia Chriſti, *pro quibus ſanguinem fudit, & quatenus pro eis fudit, etiam ſufficiens auxilium donat, quo non ſolùm poſſint, ſed etiam reipſa velint & faciant, id quod ab eis volendum & faciendum eſſe decreverit.* Sufficiens autem illud auxilium quod Deus aliquibus (pro quibus mortuus eſt) donat, aliis verò pro quibus mortuus non eſt, denegat, eſt delectatio ſuperior, ut patet ex novem primis capitibus L. 4. de Gratia Chriſti. Se ipſum clarè interpretatur Janſenius hoc ipſo Lib. 4. cap. 10. in fine. *Hinc claret*, inquit, *cur Auguſtinus omnem omnino gratiam purè ſufficientem ..... auferat. Ratio enim perſpicua eſt, quia cùm ei nulla ſit gratia operandi præter iſtam ſuavitatem Dei, niſi iſta tan-* Pag. 164. col. 2. B. Pag. 184. col. 2. C.

tanta fuerit, ut ei delectationes rerum creatarum ceſſerint, vel peccabitur, vel alternante delectationum fluctu, in medio remanebitur: ſin autem iſta ſuperaverit, jam ſine dubio benè voluntas operabitur .... ſed utrumlibet fiat, non erit ſufficiens gratia, ſed vel efficax, vel ita inefficax, ex qua operatio nequidem poſſit ſequi, niſi ejus inefficacia per aliam ſuppleatur. Hinc perſpicis quàm intimo nexu cohæreat hæc quinta Janſenii Propoſitio cum Syſtemate duplicis delectationis, cujus quæ inferior eſt, alteri neceſſariò cedere debet.

Verus ac germanus quintæ Propoſitionis Janſenii ſenſus.

Diar. p. 285. col. 2. *Duo quæruntur circa hanc Propoſitionem*, ajebat Hallerius, (ad cujus diſtinctionem Innocentius reſpexit in cenſura hujus quintæ Propoſitionis.)

I. Quid de ea ſentiendum, quatenus notam hæreſis affingit communi Catholicorum Theologorum ſententiæ, quæ aſſerit Chriſtum pro omnibus omnino mortuum eſſe: quam Propoſitionis partem, Eccleſia declarat *eſſe falſam, temerariam, ſcandaloſam.*

II. Quatenus ex mente Janſenii Chriſtus non pro omnibus, ſed pro prædeſtinatorum ſalute tantùm mortuus eſt; ita ut omnibus reprobis negata ſint auxilia ſufficientia quibus poſſint ſalvari. Cujus Propoſitionis partem *intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuus ſit*, Eccleſia declarat *impiam, blaſphemam, contumelioſam, divinæ pietati derogantem & hæreticam.*

Verus igitur ac germanus Janſenii ſenſus pro utraque hujus Propoſitionis parte iſte eſt.

Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum fuiſſe, omnibuſque gratias verè ſufficientes, quibus ſalvari poſſint, præparaſſe; quia præter delectationem ſuperiorem ac victricem gratiæ cœleſtis, non dantur gratiæ verè ſufficientes: ac Chriſtus pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuus eſt, ita ut omnibus reprobis negata ſint auxilia ſufficientia quibus poſſint ſalvari. Adeò clarè ac nitidè ſenſum hunc Janſenii repræſentant, tum verba ipſius hìc deſcripta, tum ſeries ac ſcopus totius controverſiæ ab eo inſtitutæ, ut fuſiori expoſitione opus eſſe non videatur.

Senſus alieni & extranei, qui quintæ Propoſitioni Janſenii malignè affingi poſſent, quos tamen legitimè ſumpta non habet.

I. Alienus profectò eſt ſenſus Lutheri & Calvini quem Janſeniani in ſuo
Diar. p. 472. trium Columnarum Scripto rejiciunt his verbis conceptum. *Chriſtus mortuus eſt tantummodo pro prædeſtinatis, ita ut ii ſoli per meritum mortis Chriſti veram fidem ac juſtitiam accipiant. Quæ Propoſitio*, inquiunt, *eſt hæretica, Calviniana aut Lutherana, à Concilio Tridentino damnata.*

II. Dici non poteſt ſenſum Janſenii eſſe, quòd nulla legitima ratione poſſit affirmari Chriſtum pro omnibus mortuum fuiſſe, quandoquidem id expreſsè aſſerit S. Paulus, & Janſenius ipſe citato cap. 21. Lib. 3. de Gratia Chri-
T. 3. p. 163. col. 1. A. ſti fatetur, *mortuum pro univerſa Eccleſia toto orbe diſperſa, & conſequenter pro omnibus hominum generibus, regibus, privatis, nobilibus, ignobilibus &c.* At ſenſus ejus eſt, Chriſtum non eſſe ea intentione mortuum pro omnibus, ut gratias mereretur, quibus omnes poſſent æternam ſalutem conſequi: quia nempe non omnibus, ſed ſolis prædeſtinatis confert gratias illas ſufficientes, ſeu delectationem illam cœleſtem ſuperiorem ac victricem,

quæ

Digitized by Google

quæ ſola poteſt ad ſalutem perducere; & in qua Janſenius virtutem, ſufficientiam & efficaciam gratiæ reponit.

III. Nec minùs à Janſenii mente alienum eſt dicere, Chriſtum nullatenus mortuum dici poſſe pro ſalute aliquorum reproborum. Namque juxta ipſum in citato cap. 21. L. 3. mortuus eſt pro illis temporalibus gratiæ auxiliis, quibus nonnulli reprobi hac in vita donantur; quæ cùm propria ſua natura ad ſalutem æternam tendant ac deſtinata ſint, hoc ſenſu Chriſtus dici poteſt mortuus pro ſalute illorum reproborum. Verùm abuſivè omnino: quia in mente Janſenii, non eo animo mortuus eſt Chriſtus, ut ipſis mereretur gratias pares ac ſufficientes debellandæ majori actuali eorum concupiſcentiæ, & æternæ ſaluti procurandæ. *Illis enim*, ait citato c. 21. *charitatem ſine perſeverantia, aut fidem ſine charitate* concedit ..... *Ac pro his in tantùm* (Chriſtus) *mortuus eſt .... & in tantùm rogavit Patrem, in quantùm temporalibus quibuſdam divinæ gratiæ effectibus exornandi ſunt* .... Et poſtea. *Cui nullo modo prodeſt mors Chriſti*, (nempe ad ſalutem aſſequendam) *pro illo nec ſanguinem fudit, nec mortuus fuit ..... nec magis pro æterna liberatione ejus, quàm pro diabolo Patrem deprecatus fuit.* Ib. p. 164. col. 2. B. C. Pag. 165 col. 1. A. Pag. 166. col. 2. A.

Quapropter diligenter hic obſervanda & præcavenda Janſenianorum æquivocatio ac fallacia. Ultrò negant illi Propoſitionem his verbis conceptam, *Chriſtus pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuus eſt*, referendo particulam iſtam, *dumtaxat*, ad ſalutem; quia nempe fatentur mortuum etiam pro temporalibus illis gratiæ donis, quibus nonnulli reprobi hac in vita exornantur: at ſi particulam, *dumtaxat*, referas, ut referri debet, ad vocem prædeſtinatorum, ut ſenſus ſit, Chriſtus pro ſalute prædeſtinatorum dumtaxat, ſeu pro ſalute ſolorum prædeſtinatorum mortuus eſt, non negabunt; quia iis ſolis concedi à Chriſto volunt gratiam verè ſufficientem, qua ſalus poteſt obtineri.

IV. Neque etiam Janſenii ſenſus eſt, Chriſtum pro omnibus mortuum non fuiſſe quantùm ad ſufficientiam pretii; ſed ſenſus eſt, non eſſe mortuum quantùm ad intentionem offerentis illud pretium, & applicationem illius per media quæ verè ſufficiant omnibus redimendis. Ultrò quippe Janſenius agnoſcit ibidem, *phraſim iſtam, qua quis dicitur ſe pro aliquo redemptionem dare, præſeferre redemptionem ex redimentis animo, in uſum ac liberationem captivorum offerri ac dirigi*: aliàs *dici poſſet Chriſtus etiam pro dæmonibus ſe dediſſe redemptionem, quibus redimendis ſine dubio pretium ſanguinis ejus fuit ſufficiens*. Ib. p. 162. col. 2. E.

V. Nec etiam Janſenio ſenſus iſte poteſt affingi, nullam in Chriſto pro ſalute reproborum velleitatem fuiſſe, aut eam omnino ſterilem & otioſam fuiſſe, quaſi ex ſe ipſo eò non inclinaſſet, ut vel innocenti naturæ gratiam, quam acceperat, conſervaret, vel lapſæ ſufficientem conferret, niſi eam prorſus inutilem ac inſufficientem redderet depravata hominis voluntas: At ſenſus eſt, velleitatem illam tam tenuem & infirmam eſſe, ut Chriſtum non adducat ad conferenda reprobis auxilia, quæ ſatis virium habeant ad oppoſitam majorem ſuperandam cupiditatem, & conſequenter ad procurandam ipſis ſalutem æternam.

VI. Denique, Propoſitionis Janſenii ſenſus non eſt Deum noluiſſe omnes homines ſalvos fieri, eos in ſe ipſis conſiderando, quatenus creaturæ ſunt ad imaginem ſuam conditæ, facta peccati eorum præciſione; neque enim id unquam docuit Janſenius: At doctrina ipſius eſt, Deum conſiderando hominem in ſtatu peccati & ardentioris cupiditatis, non velle ampliùs ipſi conferre gratiam verè ſufficientem, qua poſſit & concupiſcentiæ ſuperioris ardorem temperare ac vincere & ſalutem æternam adpiſci.

Sen-

Senſus Catholicus errori quintæ Propoſitionis Janſenii oppoſitus.

Cùm duplex in quinta Propoſitione ſit Janſenii lapſus, 1. quòd communem Theologorum ſententiam de morte Chriſti pro omnibus, velut errorem Semipelagianorum traducat: 2. quòd aſſerat Chriſtum pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuum fuiſſe, duplex hic eſt oppoſita Eccleſiæ veritas. 1. *Falſum eſſe, temerarium, ac ſcandaloſum dicere*, Semipelagianum eſſe affirmare quòd Chriſtus pro omnibus mortuus fuerit. 2. *Impiam, blaſphemam, contumelioſam, divinæ pietati derogantem & hæreticam eſſe* illorum ſententiam, qui aſſerunt Chriſtum pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuum fuiſſe, ita ut omnibus reprobis negata ſint auxilia ſufficientia quibus poſſint ſalvari.

Diar. p. 285. col. 2. Atque *hoc ſenſu examinata Propoſitione*, ajebat Hallerius in famoſo Scripto toties citato, *intactæ relinquuntur difficultates, quæ occurrunt aut circa infantes ſine baptiſmo decedentes, aut infideles, aut obduratos. Nam qui dicit Chriſtum non pro ſolis prædeſtinatis eſſe mortuum, non dicit conſequenter pro quolibet reprobo in particulari mortuum eſſe, ſed ſufficit quòd pro aliquibus ſaltem reprobis* mortuus ſit. *Quòd autem pro juſtis ſaltem non perſeverantibus mortuus ſit, patet ex Concilio Trid. ubi definit juſtis mandata Dei non eſſe impoſſibilia, quia Deus iis gratiam neceſſariam ſuppeditat.* Si enim poſſunt obſervare mandata, poſſunt ſalvari, ac non niſi ex meritis Chriſti. *Idem* ſeſſione 6. cap. 3. *Verumtamen etſi ille pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt..... at illi non alii ſunt quàm reprobi*. Sic Hallerius eum præcisè ſenſum errori quintæ Propoſitionis contrarium aſſignat, qui ad fidem Catholicam pertinet.

Ut igitur perfectè ac preſsè removeatur error quintæ Propoſitionis Janſenii, non ſatis eſt dicere, vel Chriſtum pro ſalute tantùm prædeſtinatorum mortuum non fuiſſe; vel pretium ſanguinis ejus ſufficientiſſimum fuiſſe omnibus redimendis; vel aliquam pro ſalute omnium velleitatem eum habere; imò voluntatem antecedentem quamdam, vi cujus præparet auxilia vel gratias conferat, quæ ex ſeſe propriaque natura abſolutè ac præciſis ſubjecti præſentibus diſpoſitionibus poſſint ad ſalutem perducere: ſed neceſſe eſt apertè profiteri, præter delectationem ſuperiorem ſeu victricem gratiam electis conceſſam, alias à Deo vi voluntatis antecedentis, aut præparari, aut dari verè ſufficientes, quibus ſaltem quidam reprobi, etiam relativè ad quamlibet ſuam actualem concupiſcentiam, poſſunt ſaltem mediatè, ſenſu ſuperiùs expoſito, & mandatum urgens obſervare, & ſalutem aſſequi; & hoc ſenſu, Chriſtum pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuum non fuiſſe.

Diſcrimen gratiæ victricis per delectationem ſuperiorem relativam ſenſu Janſenii, tum à præmotione phyſica Thomiſtarum, tum à gratia efficaci per delectationem ſimpliciter victricem ſenſu quorumdam aliorum Theologorum.

Solent Janſenii defenſores, ut omnem à ſe ſuſpicionem erroris amoveant, Auguſtinianæ, ut vocant, aut Thomiſticæ Scholæ diſcipulos ſe profiteri, ac duo conſtanter affirmare.

Primum, efficacem à ſe gratiam quam tuentur, eundem habere operandi modum, neque plùs nocere libertati voluntatis, quàm phyſicam Thomiſtarum præmotionem. Ita profitetur Janſenius L. 8. de Gratia Chriſti cap. 4. *Iſtud auxilium*, inquit, *eundem habet operandi modum, qui phyſicæ prædeterminationi tribui ſolet...... eodemque modo libertas voluntatis ſub illo Chriſti auxilio incolumis manet*,

T. 3. p. 347. col. 1. B.

manet, quo ſub phyſica prædeterminatione ſalvatur. Quapropter quidquid phyſicæ prædeterminationis defenſores pro ſua ſententia protulerunt, ut liberum arbitrium ſub ea ſalvum eſſe perſuadeant; quidquid etiam ad diſſolvenda oppugnantium argumenta, telaque repercutienda moliti ſunt, pro hac ſententia dictum puta.

Secundum, plures doctrina & pietate illuſtres Theologos docuiſſe ac etiamnum innoxiè & ſine ulla reprehenſione docere, vim gratiæ efficacem oriri ex interna ipſius ſuavitate ſeu delectatione victrice, quam unam propugnandam ſibi Janſenius propoſuit. *Ib.p 344. col. 1. A.*

E contrà contendimus inter has duas opiniones & doctrinam Janſenii, latiſſimum eſſe diſcrimen.

Magnum eſt diſcrimen inter modum explicandi efficaciam gratiæ per phyſicam Thomiſtarum præmotionem, & per delectationem relativè ſuperiorem Janſenii.

Dico igitur 1. Inter ſententiam Janſenii de gratia efficaci per delectationem relativè ac per gradus victricem; & prædeterminationem phyſicam ſenſu Thomiſtico, multùm eſſe diſcriminis.

Hoc indicat vel ipſum caput ſecundum Lib. 8. de Gratia Chriſti, quod Janſenius ſic inſcribit. *Varia diſcrimina proferuntur inter adiutorium Dei medicinale & prædeterminationem phyſicam, prout à defenſoribus ejus traditur.*

Duobus præſertim modis prædeterminationem ſeu præmotionem phyſicam exponunt ejus defenſores. Nonnulli præter voluntatem divinam, quæ liberam hominis voluntatem ipſa etiam in juſtis habituali gratia inſtructam ad opus applicat, requiri volunt vel qualitatem quamdam tranſeuntem, vel ſaltem motionem quamdam virtuoſam, quæ ſit inſtrumentum Dei ad producendum in libero arbitrio pium voluntatis motum. Alii autem mediam illam vel qualitatem vel motionem virtuoſam omnino repudiant, & ipſam gratiam efficacem nihil aliud eſſe ſtatuunt, quàm gratuitum Dei favorem, miſericordiam ac ipſam Dei operationem, quæ ſimul cum libero arbitrio, priùs tamen ordine cauſalitatis quàm liberum arbitrium, bonam voluntatem in nobis producit. Hic poſtremus modus explicandi phyſicam præmotionem, alio longè communior videtur ac vulgatior inter Thomiſtas; quocunque autem modo explicetur, plurimùm diſtat, judice Janſenio, illa phyſica prædeterminatio, à gratia ſenſu Janſenii efficaci, per delectationem ſcilicet relativè victricem. Varia diſcrimina refert ipſe Janſenius citato capite 2. Lib. 8. de Gratia Chriſti.

I. *Quia*, inquit, *juxta ſententiam iſtorum recentiorum, prædeterminatio phyſica eſt motio neſcio quæ virtuoſa, quæ habet eſſe quoddam incompletum, & ſit in voluntate per modum quo colores ſunt in aere, & impetus in re quæ impellitur ..... Gratia verò Chriſti Auguſtino eſt veriſſimus motus voluntatis.* *Ibid. C.*

II. *Prædeterminatio phyſica non eſt eis actus vitalis animi, ſed alius cui voluntas tantùm paſſivè ſubjacet. Chriſti autem adjutorium eſt actus verus & vitalis, quo anima haud ſecus afficitur & movetur in Deum, ac quando ſimili delectatione terrenis rebus inhæret.*

III. *Prædeterminatio phyſica talis eſſe dicitur, ut in quibuſcumque circumſtantiis voluntas collocetur, ſemper faciat facere & operetur effectum ſuum, omnemque ſuperet reſiſtentiam: Chriſti adiutorium nullo modo. Nam delectatio victrix, quæ Auguſtino eſt efficax adiutorium, relativa eſt. Tunc enim eſt victrix, quando alteram ſuperat. Quòd ſi contingat alteram ardentiorem eſſe, in ſolis inefficacibus* *Ib. col. 2. B.*

Digitized by Google

bus deſideriis hærebit animus, nec efficaciter unquam volet, quod volendum eſt.

Ibid. C. IV. *Quòd prædeterminatio phyſica ſit inſtar concurſus cujuſdam generalis Dei in ordine ſupernaturali: adjutorium Chriſti nullo pacto. Nihil enim ei reſpondet in agentibus naturalibus.*

Ibid. D. V. *Prædeterminatio phyſica neceſſaria ſtatuitur omnibus agentibus ex vi cauſæ ſecundæ, quæ eſſentialiter tam in operari quàm in eſſe ſuo ſubordinatur primæ, à qua ad agendum præmoveri debet: Chriſti adjutorium nequaquam, ſed læſæ voluntati propter ſolum vulnus neceſſarium eſt, quod ei inflixit peccantibus voluntatis audacia .... Nam inde gratia Chriſti medicina, & adjutorium medicinale dicitur.*

VI. *Prædeterminatio phyſica in agentibus liberis inſuper exigitur, propter naturalem indifferentiam voluntatis, quam, ut aliquid agere poſſit, prædeterminare debet: Chriſti adjutorium nequaquam. Nam niſi concupiſcentiis voluntas vulnerata, ſicut in quædam corporis membra, ita etiam in appetitus ſuos proprium perdidiſſet imperium, nulla Chriſti gratia eam determinare debuiſſet; quemadmodum in ſanctis Angelis plenè & Adamo nonnihil patuit, qui diu abſque Chriſti adjutorio in ſanctitate manſerunt.*

Ib p. 145. col. II. A. VII. *Prædeterminatio phyſica expreſsè dicitur ſtatui innocentiæ tam Angelorum quàm hominum fuiſſe neceſſaria: Chriſti adjutorium ei repugnat capitaliter, ſicut* Ibid. B. *Auguſtinus ex profeſſo docet .... Itaque Chriſti adjutorium non propter indifferentiam voluntatis determinandam; non propter generalem cauſæ ſecundæ à prima dependentiam; non propter actuum bonorum ſupernaturalitatem; ſed propter ſolam liberi arbitrii impotentiam, & fractas voluntatis vires, quæ ex libidinum terrenarum do-* Ibid. C. *minatione proſtratæ ſunt, hominibus lapſis .... præparatum eſt ..... Quapropter qui medicinalem Chriſti ſalvatoris gratiam ſic defendere conantur, ut eam in talem prædeterminationem phyſicam transforment, omni ſtatui hominum lapſorum & innocentium ex vi cauſæ primæ & indifferentiæ voluntatis neceſſariam, magis profectò Ariſtotelici quàm Auguſtiniani ſunt. Nam talis prædeterminatio ſic aſſerta ..... univerſam doctrinam ejus inexplicabili confuſione perturbat.* Hactenus Janſenius.

Inter illas verò cauſas diſcriminis à Janſenio mox aſſignatas, duæ maximè ſunt quibus evidenter patet delectationem victricem ac relativam Janſenii maximè nocere libertati voluntatis.

Prima eſt, *præmotionem phyſicam eſſe inſtar concurſus cujuſdam generalis in ordine ſupernaturali: adjutorium verò Chriſti*, hoc eſt, victricem gratiæ delectationem, *nullò pacto*. Si autem præmotio phyſica eſt inſtar concurſus, ſequitur 1. eam dari ad exigentiam cauſæ ſecundæ. 2. eam eſſe actionem ipſam liberam creaturæ, quatenus à Deo procedit. 3. eam ad actum ſecundum pertinere, non ad primum: adeoque facultatem ſeu potentiam, accedente illa præmotione, in eo ipſo remanere ſtatu infirmitatis vel roboris, in quo erat ante præmotionem; ita ut tantùm ab actu primo exeat in ſecundum, nullo novo ex parte actus primi roborata præſidio, ſeu nulla facta ex parte potentiæ reali mutatione. Non ita eſt victrix Janſenii delectatio: namque 1. non datur ad exigentiam cauſæ ſecundæ, quandoquidem, ut vidimus, juſtis quibuſdam volentibus, conantibus ſecundùm præſentes quas habent vires, non conceditur. 2. non eſt actio ipſa creaturæ libera, quia delectatio eſt actus indeliberatus. 3. ad actum primum neceſſaria eſt; hac enim præſente, ut toties ex Janſenio vidimus, potentia eſt expedita ad agendum; abſente, actus non eſt in ejus poteſtate: ergo confert actum primum. 4. Inde fit quòd ea accedente, realis fiat in facultate ipſa mutatio, nec ſit tantùm applicatio ipſius

ad

Digitized by Google

ad actum ſecundum. Ex his omnibus perſpicuum eſt, quàm meritò delectationem victricem à motione prævia ſupernaturali Thomiſtica ſeu à gratia prædeterminante diſtinguendam eſſe prædicet Janſenius.

Ex qua diſcriminis ratione explicatur non incommodè, quomodo ſub phyſica præmotione libera & expedita dici poſſit potentia ſeu facultas, non verò ſub delectatione ſuperiori ac relativè victrice. Namque cùm præmotio illa phyſica unicè ſe teneat ex parte actus ſecundi, ea abſente, facultas, per gratiam ſufficientem Thomiſtico ſenſu, libera & expedita eſt ad bonum, atque ſatis virium habet ut actualem concupiſcentiam, tametſi ardentiſſimam vincere poſſit. Atque proportione ſervata, idem de præmotione ad actum ſupernaturalem judicandum, quod de præmotione ad actum naturalem. Iſta porrò priùs quàm accedat, potentia ſeu facultas apta & expedita ſupponitur in actu primo: v.g. antequam homo actu intelligat, velit &c. ſupponitur habere naturalem facultatem expeditam ad intelligendum, volendum &c.

E contrà, cùm victrix Janſenii delectatio ad potentiam ipſam ſeu actum primum pertineat, voluntas tali delectatione deſtituta nihil boni plenè ac perfectè velle poteſt, atque impoſſibile omnino ipſi eſt per parvam, ſeu inferiorem gratiam, vincere ſuperiorem concupiſcentiæ delectationem: unde neceſſariò ſequitur, facultatem his in circumſtantiis ac relativè ligatam eſſe, ſeu nec liberam nec expeditam ad bonum.

Altera capitalis diſcriminis ratio ex Janſenio hæc eſt, quòd prædeterminatio phyſica in agentibus liberis exigitur propter naturalem indifferentiam voluntatis; hoc eſt, ad illam indifferentiam, indeterminationem & ſuſpenſionem actus tollendam, neceſſe eſt voluntatem ex ſe indeterminatam à prima cauſa determinari: at ſuperior delectatio eum in finem non datur, quia ex Janſenio, nulla in præſenti ſtatu talis eſt activa voluntatis indifferentia. *Tantùm abeſt, juxta S. Auguſtinum,* ait citato capite 2. Lib. 8. *gratiam Chriſti propter indifferentiam voluntatis eſſe neceſſariam; ut potiùs propter amiſſam indifferentiam ejus, & propter ſervitutem ac depreſſionem ejus ſub libidinibus neceſſaria ſit.* *Ib. p. 345. col. 2. E.*

Præmotio igitur phyſica ſupponit præſentem voluntatis indifferentiam, delectatio verò Janſenii eam jam perditam & amiſſam ſupponit: unde ſequitur per præmotionem illam non conferri potentiam ipſam agendi, quæ ſine ipſa perfecta & completa ſupponitur, ſed dumtaxat tolli indifferentiam ac ſuſpenſionem actus; e contra per delectationem Janſenii, non tolli actus indifferentiam, cùm nulla jam ſit; ſed conferri expeditam & completam ad agendum potentiam ſeu facultatem: adeoque ea abſente, facultatem ligatam eſſe, ſeu nec liberam, nec expeditam, nec completam relativè ad oppoſitam delectationem. Notandum porrò indifferentiam illam quam hìc rejicit Janſenius, non eſſe Moliniſticam, ſed Thomiſticam: ea enim ipſa eſt quam quidem fatetur Thomiſtas admittere, ſed admiſſam ab ipſis ingemit.

Dices 1. Janſenius eodem planè modò aſſerit & explicat remanere ſub motione victricis delectationis facultatem liberam & expeditam ad oppoſitum, quo Thomiſtæ ſub phyſica prædeterminatione: non ergo erroris incuſanda magis eſt illius ſententia, quàm Thomiſtarum. Sic ille loquitur Lib. 8. de Gratia Chriſti cap. 20. *Dicimus liberum arbitrium, quantumcumque vehementi atque efficaci gratiæ delectatione præventum atque determinatum ad faciendum bonum, adhuc tamen poſſe bonum non tantùm non facere; ſed etiam malum. Verum eſt enim iſtud non quidem in ſenſu compoſito, ut vulgò dici ſolet, ſed in ſenſu diviſo.* *Ib. p. 367. col. 2. A.*

Nimi-

Nimirum quia eodem tempore, quo voluntatis arbitrium ſub gratiæ delectatione efficaciter eam movente poſitum eſt, imò quo etiam actum voluntatis bonum facit, eſt in eadem voluntate poteſtas illud non faciendi, imò peccandi; non quòd ceſſatio ab actu quem tunc elicit, aut actuale peccatum cum gratiæ delectantis influxu conſiſtere poſſit, (quod ſenſus compoſitus poſtularet) ſed quia ceſſandi & peccandi poteſtas cum eadem gratia ſimul in eodem voluntatis arbitrio coniungi poteſt. Nam quamvis duo actus contrarii ſint oppoſiti, & in eadem voluntate ſimul eſſe non poſſint: poteſtates tamen ad oppoſita non ſunt oppoſitæ, nec ſibi invicem, nec actibus oppoſitis, & in eodem ſimul ſubjecto, ſive agente, ſive quieſcente commorantur.
Pag. 915. Hæc Janſenius omnino conſona modo loquendi Thomiſtarum. Sic enim Alvares diſput. 115. nu. 3. & 4. loquitur. *Potentia ad unum actum non repugnat potentiæ ad actum contrarium, nec etiam repugnat actui contrario; actus autem*
Pag. 916. *contrarii repugnant inter ſe in eodem ſubjecto*. Et infrà. *Notandum 2.* inquit, *quòd, cùm dicitur potentiam liberam eſſe, quæ, poſitis omnibus requiſitis ad operandum, poteſt operari & non operari, etiam in ſenſu compoſito, hoc dupliciter intelligi poteſt: primò, ita ut compoſitio fiat inter prærequiſita ad operandum, & potentiam operandi & non operandi; & tunc ſenſus eſt, quòd potentia ad operandum & non operandum ſtat ſimul in eodem ſubjecto cum antecedenter prærequiſitis ad talem operationem; & hic ſenſus veriſſimus eſt. Secundo modo poteſt intelligi, ita ut compoſitio fiat inter antecedenter prærequiſita ad operandum talem actum, & carentiam talis actus, ſeu actum ipſum contrarium; & tunc ſenſus eſt, quòd omnia prærequiſita, etiam ex parte Dei, ad operandum talem actum particularem, & carentia eiuſdem actus, ſeu actus contrarius, poſſint eſſe aut aliquando ſint ſimul in eodem ſubjecto. In hoc ſenſu intendimus prædictam definitionem impugnare.* Ita Alvares inſignis inter Thomiſtas.

Reſp. reverà Janſenium, ut fucum faciat, conſuetas Thomiſtarum loquendi rationes aliquando uſurpare. Sed quæ apud iſtos innoxiæ ſunt ac omni carent ſuſpicione, apud illum errorem involvunt ac continent, & eo quidem periculoſiùs, quòd ſub verbis in ſpeciem Catholicis deliteſcat. Cùm Thomiſtæ aſſerunt, ſtante præmotione phyſica ad unum, remanere liberam & expeditam facultatem ad oppoſitum; facultatem ſeu potentiam intelligunt, non abſolutè, ſed relativè ad præſentes ſubjecti diſpoſitiones. Abſente v. g. efficaci præmotione ad bonum, agnoſcunt adhuc in juſtis gratiam ſufficientem per quam relativè ad quamlibet actualem eorum concupiſcentiam, poſſint bonum operari, ſaltem impetrando auxilium efficax ac phyſicè præmovens. Econtra cùm Janſenius ait ſub motione victricis delectationis cœleſtis, ſtare poteſtatem ad oppoſitum, poteſtatem intelligit abſolutam, ſpectata ſcilicet natura concupiſcentiæ quæ ad malum tendit, non verò poteſtatem relativam ad ſuperiorem gratiæ cœleſtis delectationem: ſub illo etenim reſpectu, neceſſe eſt inferiorem concupiſcentiæ delectationem cedere ſuperiori delectationi gratiæ. Similiter cùm docet in juſtis, dominante actuali concupiſcentia, veram eſſe per gratiam parvam, ad bonum expeditam facultatem; intelligit abſolutè ac ſpectata in ſe natura gratiæ quæ ad bonum perfectum tendit, non verò relativè ad ſuperiorem concupiſcentiam: hoc enim reſpectu ligata eſt, ſeu non libera nec expedita ad bonum facultas, quia fieri non
T. 3. p. poteſt ut inferior delectatio vincat ſuperiorem. *Juſtitiæ vel peccati delectatio,*
315. col. inquit Janſenius L. 7. de Gratia Chriſti c. 5. *eſt illud vinculum quo liberum arbi-*
1. D. *trium in juſtitia vel peccato ita firmiter ligatur & retinetur, ut quamdiu iſto ſta-*
bili-

Digitized by Google

biliter poſſidetur ac conſtringitur, actus oppoſitus eſt extra ejus poteſtatem.

Hanc abſolutam poteſtatem præ oculis habebat Janſenius, cùm Lib. 8. c. 20. de Gratia Chriſti ſcribebat eſſe in nobis perfectiſſimam peccandi poteſtatem, non tantùm *quia voluntas eſt de ſe ad malum flexibilis; non tantùm quando gratiæ delectatione caret, ſed etiam quando intima ejus ſuavitate efficaciter trahitur. Propter quam ſanè*, inquit, *liberum arbitrium qualicunque gratia ad agendum rapiatur, rectiſſimè dici poteſt poſſe peccare; licèt fieri nequeat, ut ipſum peccatum ſimul in ſenſu compoſito cum gratiæ operatione ſocietur.* Quomodo poteſt liberum arbitrium, in mente Janſenii, ſub efficaci gratiæ motione peccare? An potentia relativa ad ſuperiorem delectationem cœleſtis gratiæ? Minimè: id quippe fieri neutiquam poteſt. Sed potentia dumtaxat abſoluta, ſpectata præcisè natura concupiſcentiæ, quæ ſufficientem de ſe virtutem confert voluntati ad peccandum; ſeu quæ principium ex ſe ſufficiens eſt ad voluntatem ad peccatum inclinandam. *T. 3. p. 367. col. 2. D.*

Eadem æquivocatione poteſtatis abſolutæ vel relativæ abutuntur Janſeniani, cùm ajunt juſtis, abſente gratia efficaci, per gratiam aliam parvam conferri ad bonum opus potentiam *ſufficientem, ſufficientiſſimam, completam, completiſſimam, plenam, pleniſſimam, expeditam, expeditiſſimam.* Non aliam his magnificis vocibus potentiam intelligunt, quàm abſolutam & abſtractam, ſpectata ſcilicet in ſe ſimpliciter & abſolutè natura gratiæ, ſicut ſæpiùs obſervavimus, non verò relativam ad actualem ſuperiorem concupiſcentiam. *Paulus Iren. diſq. 3. n. 22. pag. 206. col. 2.*

Abutuntur pariter Janſeniani iſta loquendi ratione nonnullorum Thomiſtarum; nempe, Voluntas ſub præmotione ad peccatum, non habet potentiam ad oppoſitum junctam cum actu, licèt habeat potentiam ab actu ſejunctam. Illi etenim Catholici, nomine potentiæ ab actu ſejunctæ, non modò abſolutam, ſed etiam relativam potentiam intelligunt: Janſeniani verò ſolam abſolutam, non relativam; quia potentia ab actu ſejuncta, in ipſorum mente, eſt tantùm abſoluta. Namque non poteſt haberi potentia relativa, niſi Deus eam dari velit: atqui non vult eam dari, cùm præbet tantùm delectationem effectu ulteriori vacuam; ut enim eam potentiam relativam velit dari, debet delectationem cœleſtem conferre ex voluntate quæ commenſuret illam, paremque faciat cum gradu actuali concupiſcentiæ vincendæ. Neque enim fieri poteſt, ut caſu & ſine ulla ex parte Dei voluntate, ipſi proportionata gratia inveniatur; alioquin non Deo tunc tribuenda foret victoria concupiſcentiæ. Jam verò cùm Deus delectationem cœleſtem effectu ulteriori vacuam concedit, non commenſurat eam cum gradu concupiſcentiæ actuali vincendæ, quippe quæ conceditur tantùm ex voluntate antecedenti, quæ præſcindit à circumſtantiis concupiſcentiæ, & quæ ſola inefficax eſt; ergo potentia quam tunc habet voluntas, non eſt relativa; ergo potentia quæ non eſt cum actu conjuncta, in ſyſtemate Janſenianorum eſt tantùm abſoluta. Adde quòd potentia ab actu ſejuncta ideo talis eſt, quia fluit à delectatione inferiori concurrente cum delectatione ſuperiori: unde potentia quam poteſt conferre delectatio inferior, non poteſt eſſe relativa propter virium inæqualitatem ad debellandam oppoſitam majorem concupiſcentiam: unde eſt tantùm abſoluta, in quantùm eſt delectatio quæ ex ſe & natura ſua nata apta eſt ad concupiſcentiam in genere debellandam.

Dices 2. Paulus Irenæus Diſq. 6. art. 5. declarat delectationem victricem pertinere ad actum ſecundum, non verò ad primum. *Duplex eſt poteſtas*, inquit, *duplex poſſe: alia actus primi, alia actus ſecundi: alia quæ interiorem vir-* *Pag. 258. col. 2.*

tutem notat, alia quæ etiam impulſionem & applicationem ad agendum involvit. Ex hoc poſtremo genere eſt victrix delectatio: impellit illa ad agendum, movet, applicat, eo prorſus modo quo Thomiſtæ de phyſica prædeterminatione ſentiunt.

Reſp. 1. Janſenium L. 8. de Gratia Chriſti c. 2. mox citato, expreſsè diſtinguere delectationem ſuam victricem à præmotione Thomiſtarum, in eo quòd hæc ſe habeat inſtar concurſus, non verò delectatio victrix. Si autem non ſe habet inſtar concurſus, neceſſe eſt ut ad actum ſecundum dumtaxat non pertineat, ſed ad actum primum: qua ergo fide affirmat Paulus Irenæus, ad actum ſecundum dumtaxat, requiri à Janſenio delectationem victricem, eo planè modo quo Thomiſtæ de phyſica prædeterminatione ſtatuunt. Et certè cùm
T. 3. p. 144. col. 2. C. juxta Janſenium L. 3. c. 15. *gratia Chriſti ſimul afferat poſſe quod volumus, & velle quod poſſumus*: cùm juxta eundem multis in locis, abſente delectatione ſuperiore gratiæ, voluntas non ſit expedita relativè ad oppoſitam delectationem ſuperandam, delectatio ſuperior ad ipſum actum primum neceſſariò requiritur.

Reſp. 2. Nec ab ipſo Paulo Irenæo, nec à quovis defenſore ſyſtematis delectationis utriuſque, meritò dici poſſe delectationem ſuperiorem non requiri ex parte actus primi: manifeſtum enim eſt ex dictis, delectationem ſuperiorem conferre potentiam; porrò quod confert potentiam, ſe tenet ex parte actus primi. Prætereà Dionyſius Raymundus 1. parte c. 1. art. 6. inutilem aſſerit iſtam quæſtionem, poſſeque aſſeri ſine fidei diſpendio, gratiam efficacem ſeu victricem delectationem tenere ſe ex parte actus primi. Neque verò Paulus Irenæus meliori fide exponit doctrinam Janſenii pag. 198. Diſquiſitionum ſuarum, cùm dicit ipſum admiſiſſe gratiam ſufficientem Thomiſticam, ſub nomine adjutorii poſſibilitatis de quo agit L. 5. de hæreſi Pelagiana c. 11. ibi enim Janſenius apertè rejicit ab hoc ſtatu tale adjutorium poſſibilitatis, & ad ſolos Pelagianos remittit.

Dices 3. In ſententia eorum Thomiſtarum quibus placet præmotionem phyſicam eſſe qualitatem quamdam, quæ prioritate temporis aut ſaltem naturæ & cauſalitatis antevertit voluntatis actionem, præmotio ad potentiam ipſam ſeu actum primum, non verò ad actum dumtaxat ſecundum pertinet. Idcirco etenim qualitas hujuſmodi in potentia recipitur, ut eam perficiat & compleat in actu primo: qui profectò modus explicandi phyſicam præmotionem, iis prorſus omnibus incommodis ac difficultatibus ſubjacet, quibus ſuperior delectatio Janſenii; utraque enim tenet ſe ex parte potentiæ ſeu actus primi. Atqui tamen hanc nonnullorum Thomiſtarum opinionem Eccleſia non improbavit; ergo nec improbanda etiam videtur ſuperior Janſenii delectatio.

Reſp. phyſicam præmotionem duobus modis dici poſſe qualitatem.

Primò, ut ſit qualitas ſeu forma quædam completa, quæ prioritate temporis antecedat voluntatis actionem: quo ſenſu, ut verum eſt dicere eam ad potentiam ipſam ſeu ad actum primum connaturaliùs pertinere, ita nec tutò defendi poſſe. Quapropter Thomiſtæ communi ſuffragio eam rejiciunt, in qua norunt ſe non poſſe conſiſtere. *Eam Dei motionem*, ait P. Maſſouliè in Opere cui titulus
Pag. 66. eſt, S. Thomas ſui interpres Diſſertatione 1. art. 16. *quam extranei nobis affingunt qualitatis, vel formæ completæ, quæ voluntatem hominis ad ſuos actus efficiendos veluti trudat & adigat, noſtræ diſſimillimam eſſe dubitari non poteſt.*

Secundò, præmotio dici poteſt qualitas quædam fluxa & tranſiens, ſeu motio quædam virtuoſa, quæ prioritate naturæ & cauſalitatis antecedit actionem
Pag. 60. creatam: *Quæ quidem motio nihil aliud eſt*, ait auctor mox citatus ibid. art. 15.

præ-

præter eam Dei rebus omnibus, ipſique voluntati inexiſtentis operationem; eamque efficacem applicationem, & blandam inflexionem, qua Deus voluntatem flectit, eamque inclinat ad quodcumque voluerit. Quam quidem phyſicam motionem, ibidem ait eſſe *quoddam ens incompletum, cujuſmodi eſt motus impreſſus inſtrumento ab artifice*.

Sepoſita jam veritate aut falſitate hujus ſententiæ, de qua hic non eſt quæſtio, certum eſt hanc præmotionem phyſicam ad actum dumtaxat ſecundum, non verò ad primum, ſeu ad potentiam ipſam, pertinere; cùm ſit ens incompletum & intentionale, cujus ratio *& natura tota*, pergit eodem cap. 15. P. Maſſoulié, *poſita eſt in ipſo fieri, in via & tranſitu: cujuſmodi eſt color ipſaque ſpecies coloris in aere dum fertur ad viſum*. Ergo ex hac maximè parte diſtat præmotio phyſica à delectatione ſuperiori & relativa Janſenii, quòd hæc actum primum ſimul & ſecundum conferat, illa dumtaxat ſecundum. *Pag. 62.*

Neque refert quòd appelletur aliquando complementum actus primi. Cùm enim actus primus ex ſe tendat ad ſecundum, præmotio phyſica quæ dat actum ſecundum, poteſt hoc ſenſu appellari complementum actus primi: non autem hoc ſenſu quòd, ea abſente, vera planè non ſit potentia, ſeu actus primus. Adde Thomiſtas, de quibus loquimur, agnoſcere eſſe in juſtis, abſente gratia phyſicè præmovente, gratiam ſufficientem, per quam verè ac propriè poſſunt, etiam relativè ad quamlibet eorum actualem concupiſcentiam, obſervare præcepta & tentationem ſuperare: quam relativam poteſtatem Janſenius non admittit, nec poteſt in ſuo ſyſtemate admittere.

Dices 4. Janſenii ſyſtema magis favet libertati hominis quàm Thomiſticum, pro ſtatu innocentiæ, quandoquidem quantùm ad illum ſtatum, Molinianum eſt. Econtra, ſyſtema Thomiſticum idem eſt pro utroque ſtatu, ac proinde ſemper & ubique rigidum minuſque favens libertati.

Reſp. 1. Controverſiam hic non moveri de ſtatu innocentiæ qui non exiſtit ampliùs, ſed de ſtatu præſenti.

Reſp. 2. In omni ſyſtemate etiam Moliniano, proindeque & Janſeniano circa ſtatum naturæ innocentis, nonnihil myſterii ac difficultatis intricatæ latere, ſicut obſervat auctor Libri cui titulus, *Syſteme de M. Nicole ſur la Grace*, in fine. Ubique Deus verè eſt abſconditus: neque enim minùs neceſſe eſt recurrere ad altitudinem & profunditatem Judiciorum Dei in illo ſyſtemate, quàm in altero, dum quæritur cur Angelis qui præſciti erant non perſeveraturi, & ipſi Adamo, gratiam uberiorem qua perſeverarent non conceſſit Deus; & illis ſolam eam conferre voluit, cum qua ipſos caſuros noverat.

Reſp. 3. In ſtatu innocentiæ datas fuiſſe in ſyſtemate Thomiſtico gratias verè ſufficientes, quibus Angeli mali & Adam perſeveraſſent, ſi voluiſſent.

Urgebis 1. Etiam pro ſtatu naturæ lapſæ magis libertati favet ſyſtema Janſenii quàm Thomiſticum: quia repugnat actum ulteriorem conjungi cum gratia ſufficiente Thomiſtica, non item cum delectatione parva Janſenii.

Reſp. nego ant. ejuſque probationem. Quod enim repugnat, nunquam contingere poteſt: atqui contingere poteſt actum conjungi cum gratia ſufficiente Thomiſtica.

Probabis antecedens. In ſyſtemate Janſenii, inferior delectatio evadet ſuperior ac perfectum conſenſum voluntatis exprimet, ſi mutentur intrinſecæ diſpoſitiones ſubjecti: at etiamſi, in ſyſtemate Thomiſtico, mutentur illæ diſpoſitiones, gratia tamen ſufficiens Thomiſtica effectum nuſquam obtinebit, niſi accedente phyſica præmotione.

Reſp. In ſyſtemate Janſenii dici non poſſe eandem eſſe potentiam quæ per delectationem inferiorem confertur, & quæ reducitur ad actum cùm mutantur intrinſecæ ſubjecti diſpoſitiones. Namque tunc prorſus mutatur potentia, mutatis ſubjecti diſpoſitionibus, quandoquidem potentia illa tota relativa eſt ad diſpoſitiones ſubjecti. E contra verò, cùm accedit præmotio phyſica, eadem prorſus quæ erat antea permanet potentia; quia, ut ſæpiùs dictum eſt, præmotio tenet ſe dumtaxat ex parte actus ſecundi: nec magis ſequitur in ſyſtemate Thomiſtico, mutari potentiam quando accedit præmotio phyſica, quàm mutetur in aliorum ſententia, per concurſum; quandoquidem præmovens gratia, teſte Janſenio, eſt inſtar concurſus generalis.

Urgebis 2. Saltem minùs aliquid eſt mutari diſpoſitiones intrinſecas ſubjecti, ſeu minui concupiſcentiam, quàm dari novum ex parte Dei auxilium, per modum principii activi eſſentialiter ad actum requiſiti: ſed primum ſufficit in ſyſtemate Janſeniano, ſecundum requiritur in ſyſtemate Thomiſtico.

Reſp. 1. non poſſe minui concupiſcentiam niſi per aliquod auxilium Dei ſaltem externum; aliàs ſibi ipſi homo tribueret efficaciam victricem gratiæ, quæ ex ſola concupiſcentiæ imminutione repeteretur.

Reſp. 2. diſtinguo ant. Eſt quid minus in ordine ad actum ſecundum, concedo: eſt quid minus in ordine ad actum primum, de quo hìc agitur, nego. Porrò phyſica præmotio tenet ſe ex parte actus ſecundi.

Neque te moveat quòd in ſyſtemate Thomiſtico requiratur aliquid novum in ordine ad actum ſecundum: hoc ipſum enim etiam occurrit in ſyſtemate Janſenii, in quo præter imminutionem concupiſcentiæ, aliquid novum neceſſarium eſt ut potentia reducatur in actum, gratia ſcilicet adjuvans & cooperans. Nam minuas quantùm volueris concupiſcentiam, non tamen propterea ſine aliquo ex parte Dei, quantùm ad actum ſecundum, auxilio, fortior voluntas producetur. Unde licèt ex parte potentiæ non requiratur niſi imminutio concupiſcentiæ, aut mutatio diſpoſitionum ſubjecti; tamen ex parte actus ſecundi, requiritur in omni ſyſtemate, etiam Janſeniano, ut potentia reducatur in actum, aliquod Dei auxilium quod vices gerat concurſus.

Urgebis iterum: Saltem non frequenter, in ſententia Thomiſtica, gratiæ ſufficienti accedit phyſica præmotio, unde & raró potentia illa Thomiſtica reducitur in actum: non ita verò in ſententia Janſenii, nam ſæpiùs per ſolam imminutionem concupiſcentiæ & concurſum ſupernaturalem homo agit.

Reſp. Quidquid ſit de ſyſtemate Janſeniano, nam gratis fingitur potentiam ſępius ad actum non reduci in illo ſyſtemate per augmentum gratię ſeu delectationis, quàm per immunitionem ſolam concupiſcentiæ: Reſpondeo, inquam, in ſyſtemate Thomiſtico accedente ad gratiam ſufficientem pręmotione phyſica, gratiam illam ſufficientem meritò dici poſſe in actum reduci, non quidem per ſe ſolam, ſed virtute præmotionis phyſicæ ad quam moraliter diſponit: præſertim cùm in ſententia plurimorum Thomiſtarum, ordinariè non concedatur gratia efficax ſeu phyſicè præmovens, quin præceſſerit gratia ſufficiens. Adde, quòd cùm gratia ſufficiens Thomiſtica tota ſe teneat ex parte potentiæ, gratia verò efficax ex parte actus ſecundi, vulnus autē per peccatum inflictū in ipſam cadat potentiam, gratia ſufficiens quæ ſola potentiam illam afficit, in ſyſtemate Thomiſtico, continere in ſe debet quidquid medicinale habet Chriſti gratia.

Cæterùm Thomiſtæ plura alia ſui ſyſtematis à Janſeniano diſcrimina proferunt. Sufficiat hic nobis obſervaſſe, Thomiſtas doctrinam Janſenii concordi

ſuſ-

ſuffragio damnare. Sufficiat revocaſſe in memoriam, quæ in decurſu Hiſtoriæ Janſeniſmi, ac in ſyſtematis Janſeniani expoſitione ſparſa leguntur, tum de diſcrimine inter Janſenianum & Thomiſticum ſyſtema data occaſione identidem à nobis prolato; tum de tentato fine fructu Janſenianorum cum Thomiſtis fœdere; tum de damnata ab ipſis Thomiſticæ Scholæ Theologis Janſenii doctrina. Fallitur ergo Janſenius aut potiùs fallere vult, cùm non ſemel aſſerit ſe circa libertatis cum gratia concordiam & adjutorii divini agendi modum, ejuſdem eſſe cum Thomiſtis opinionis. Certè ſi ita eſſet, non dixiſſet Lib. 8. c. 5. nullum eſſe veſtigium & in Auguſtino, & in ejus diſcipulis, quòd ad libertatem conciliandam cum gratia requiſierint remanere debere potentiam ad oppoſitum, & voluntatem poſſe agere vel non agere. Non aſſeruiſſet, ideò præcisè voluntatem ſub motione gratiæ liberam eſſe, quia ſemper agit quia ipſa vult, nec ab extrinſeco rapitur; nec aliud à Concilio Trid. fuiſſe definitum. Non aſſeruiſſet, miram viſuram fore Scholaſticis ſuam de concordia gratię cum libertate doctrinam: quantò minùs ſuis in Epiſtolis ad San-Cyranum Abbatem aliiſque, quarum excerpta quædam præmiſimus, prædicaſſet, *circa doctrinam ſuam non tantùm incommodi ac periculi ſibi exponi poſſe, quantùm ipſe vel ab initio ſubodoratus fuiſſet*. Et alibi, *fore ut in publicam incurreret offenſionem, ſi fortè ſenſa ſua exprometet*: itemque *ſibi eſſe compertum, quòd ſi utraque tum Jeſuitarum tum Thomiſtarum Schola ad extremum uſque Judicii diem diſputatura ſit, tantùm à veritate utramque eſſe aberraturam*. Tandem alibi *à ſe deprehenſa in Auguſtino, quæ doctis errorem incuterent, neque ſe illa præmaturè patefacere auſurum, ne quid infauſti ſibi è fulmine Vaticano accederet*. Uno verbo, Janſenius doctrinam ſuam ut inopinatam & à quingentis ſaltem annis incognitam propalare ſe profitetur: quis inde à Thomiſtica multùm eam differre non colligat?

Magnum eſt diſcrimen inter modum explicandi gratiam à ſe efficacem per delectationem ſimpliciter victricem ſenſu aliquorum Theologorum, & delectationem gradibus relativè ſuperiorem ſenſu Janſenii.

Dico 1. dogma gratiæ ex ſe ſeu propria & interna virtute efficacis, ſanum quidem eſſe, innoxium & orthodoxum, ſed differre plurimùm à gratia efficaci ſenſu Janſenii. Namque vel ſpectatur gratia illa ex ſe efficax, antequam in voluntate recipiatur; vel poſtquam in ea recepta eſt: utroque autem reſpectu, plurimùm differt à delectatione ſuperiori in qua Janſenius vim & efficaciam gratiæ collocat.

I. Ante receptam in voluntate gratiam ex ſe efficacem, nihil obſtat quin ſupponatur in voluntate gratia quædam actualis ſufficiens, quæ ſatis virium habeat ad vincendam quamlibet oppoſitam actualem concupiſcentiam: ea enim inter ſe non pugnant; ſive quia minima gratia plùs valeat ad bonum, quàm fortior concupiſcentia ad malum; ſive quia gratia hæc ſufficiens proportionata eſt cum actuali concupiſcentia: qua in ſuppoſitione, quæ profectò vera eſt & Catholica, facultas ſeu potentia ſupponitur vera, propria & expedita eſſe ad opus bonum mediatè vel immediatè producendum. At verò nihil tale occurrit in ſyſtemate Janſenii. In conflictu enim duplicis delectationis; cœleſtis & terrenæ, minor neceſſariò cedit majori, nec fieri unquam poteſt ut major à minori vincatur: quomodo fieri non poteſt ut pondus ſex librarum trahatur pondere minori trium librarum; ergo eo in ſtatu voluntas neceſſariò id agit, quo majori rapitur ac trahitur delectatione; ergo non eſt

ad actum oppoſitum tunc libera & expedita, quandoquidem delectatio confert, ut ex Janſenio probavimus, ipſammet agendi potentiam; atque hinc neceſſario fluxu dimanant quinque famoſæ Propoſitiones.

II. Cùm gratia ex ſe efficax præſens ſupponitur in voluntate, rectè adhuc concipitur poſſe voluntatem ipſi reſiſtere; quia gratia efficax importat dumtaxat ex ſeſe certam effectus futuritionem, quæ non excludit reſiſtendi poteſtatem expeditam relativè. Longè aliter ſe res habet in ſyſtemate Janſenii: ſuperior quippe delectatio excludit veram reſiſtendi potentiam relativam, quia in oppoſita delectatione, utpote inferiori, ſatis non eſt virium, ut poſſit ſuperiori reſiſtere.

Dico 2. Multùm eſſe diſcriminis inter modum explicandi efficaciam gratiæ per delectationem ſimpliciter victricem ſenſu nonnullorum Theologorum, & per delectationem relativè, ſeu per gradus ſuperiorem ac victricem ſenſu Janſenii.

Namque in priori ſententia, victrix delectatio non per gradus nec relativè victrix eſt, ſed ex ſeſe abſolutè, ſeu propria & interna virtute, unde importat tantùm certitudinem effectus illæſa libertate, ac integra remanente potentia ad actum oppoſitum. Non ita relativa Janſenii delectatio, quæ ad inferiorem comparata, omnino tollit potentiam tum reſiſtendi, tum eliciendi actum contrarium, nempe ob virium inæqualitatem in delectatione inferiori. Inde eſt quòd defenſores delectationis ſimpliciter & non per gradus victricis, admittunt gratiam excitantem ac ſufficientem diſtinctam natura & entitate ab efficaci delectatione, per quam, abſente illa efficaci delectatione, voluntas verè, propriè, expeditè ac completè, etiam relativè ad quamlibet actualem oppoſitam delectationem concupiſcentiæ, poſſit aut bonum operari, aut ſaltem uberius implorare gratiæ auxilium ut illud operetur. Quapropter in eorum ſententia, delectatio ex ſe victrix, quantumcumque certò voluntatem ad agendum inflectat, ſemper liberam & expeditam eam relinquit & ad reſiſtendum & ad actum contrarium exercendum etiam relativè, quia delectatio illa victrix non confert actum primum ſeu potentiam, ſed actum ſecundum: quandoquidem in ipſa gratia excitante ſufficiente pares ac ſufficientes agnoſcunt vires ad quamlibet actualem concupiſcentiam ſuperandam, ſaltem per orationis adminiculum.

At verò in ſyſtemate Janſenii, delectatio victrix relativa dat actum primum ſeu potentiam ipſam agendi: in eo ſyſtemate, nulla datur gratia excitans ac verè ſufficiens, præter ſuperiorem delectationem. Gratia enim quam Janſenius parvam appellat, ſi abſolutè & in ſe præciſis ſubjecti circumſtantiis ſpectetur, de ſe efficax eſt, ad bonum perfectum ordinata, quod reverà efficeret, ſi in concupiſcentiam minùs reſiſtentem impingeret: ſi verò ſpectetur, ut à Janſenio ſpectatur, relativè ac comparatè ad majorem actualem concupiſcentiam, planè inſufficiens eſt, & impar huic debellandæ, cùm ad hoc ſatis virium non habeat: Ergo tunc vera eſt ac propria in voluntate im-
T. 3. p. potentia benè agendi; è contra, dominante delectatione cœleſti, vera eſt
315. col. impotentia ad reſiſtendum & ad malum operandum. *Delectatio*, inquit
1. D Janſenius L. 7. c. 5. *vinculum eſt quo liberum arbitrium ita ligatur ac conſtrin-*
Ib. p. 309. *gitur .... ut actus oppoſitus ſit extra ejus poteſtatem*. Et cap. 3. *Delectatio eſt id*
col 2. A. *quod tantam poteſtatem in liberum arbitrium habet, ut ea præſente actus volendi*
Ib. p. 346. *ſit re ipſa in ejus poteſtate, abſente non ſit*. Et L. 8. c. 3. *Delectatio facit ut velis*,
D.

& ſine

& ſine illa velle non poſſis ...... facit denique ut neceſſe ſit animum illud ſequi &c.

Quantùm differt hæc doctrina à ſententia Theologorum, qui vim & efficaciam gratiæ repetunt ex delectatione ſimpliciter victrice! Non enim illi cum Janſenio dicunt, hominem, cùm non frænat concupiſcentiam, non accepiſſe à Deo gratiam ſufficientem, per quam etiam relativè illam domare poſſet; imò gratiam hanc conceptis verbis admittunt, & quidem viribus parem ad ſuperandam actualem quamlibet concupiſcentiam. Non dicunt, victricem delectationem omnino neceſſariam eſſe ut homo poſſit agere; ſed tantùm ut actu agat. Non dicunt, ſtante motione victricis delectationis, actum oppoſitum non eſſe in poteſtate voluntatis; imò contrarium affirmant. Non dicunt, facultatem eſſe relativè ligatam, aut ſaltem impeditam; imò expeditam aſſerunt. Non dicunt, gratiam aliquando effectu ulteriori carere, ex eo quòd gradibus & virtute inferior ſit actuali concupiſcentiæ; imò contendunt per ſufficientem gratiam ideo conferri completam ad bonum potentiam, quia viribus par eſt vincendæ actuali cuilibet concupiſcentiæ, & bono ſaltem mediatè operando.

Uno verbo, tres præcipuas hìc cauſas accipe diſcriminis delectationis ſuperioris à ſyſtemate delectationis ſimpliciter victricis.

Prima eſt, quòd in ſententia delectationis relativè ſuperioris, tota vis delectationis, ſive cœleſtis ſive terrenæ, relativa ſit: unde cùm in illo ſyſtemate nunquam contingat ut utraque delectatio æquo certamine ſeu viribus æqualibus luctetur actu, fit ut una alteri vincendæ par eſſe non valeat, ſi gradibus ſit inferior. At verò in ſyſtemate oppoſito, cùm vis gratiæ & concupiſcentiæ non ſit relativa, neque gratia Chriſti ſit efficax eo quòd ſit ſuperior delectationi terrenæ, ſupponi poteſt gratia ſufficiens dare vires pares ad oppoſitam quamlibet actualem concupiſcentiam vincendam.

Secunda ratio diſcriminis eſt, quòd in ſententia delectationis relativè ſuperioris non conferatur potentia expedita relativè ſeu ad bonum ſeu ad malum, niſi per delectationem ſuperiorem. Ut enim conferatur potentia relativè expedita ad bonum, debent ſaltem æquiparari vires voluntatis cum impedimentis ex adverſo retardantibus: atqui non poſſunt vires voluntatis ad bonum æquiqarari impedimentis ex adverſo retardantibus, niſi per delectationem ſuperiorem, ſeu gratiam efficacem. Neque enim id poteſt fieri per delectationem æqualem, cùm, ut jam diximus, in eo ſyſtemate non datur talis delectatio: aliunde, ut vidimus, non poteſt fieri per delectationem inferiorem. At verò in ſyſtemate delectationis ſimpliciter victricis, per ſolam gratiam ſufficientem confertur potentia relativè expedita ad bonum.

Tertia ratio diſcriminis eſt, quòd delectatio inferior, qualis eſt gratia ſufficiens in ſyſtemate delectationis ſuperioris, minuat tantùm, non verò tollat neceſſitatem peccandi, quæ per peccatum originale & per actualem concupiſcentiam fortiorem inducitur. Quemadmodum enim ſi bajulo, qui ferendo ponderi mille librarum impar eſt, leve aliquod præbeas adjumentum, minuitur quidem impotentia ferendi, ſed non tollitur: ita à pari, delectatio cœleſtis inferior minuit quidem impotentiam benè agendi & neceſſitatem peccandi quæ per delectationem ſuperiorem terreſtrem inducitur, ſed non tollit. At verò in ſyſtemate delectationis victricis ſimpliciter, gratia ſufficiens cùm non ſit inferior concupiſcentiæ actuali, nec ipſa debilior, non ſolùm minuit; ſed tollit omnino impotentiam benè agendi, aut neceſſitatem malè agendi quæ poſſet ſupponi inducta per peccatum.

Digitized by Google

Quæres 1. Quo ſigno dignoſci poſſit, utrùm quis conſtituat efficaciam gratiæ in delectatione ſuperiori ſeu victrici relativè, non verò in delectatione ſimpliciter victrici?

Reſp. pluribus ſignis id dignoſci poſſe: unum hic tantùm indicabo. Scilicet in ſyſtemate delectationis ſuperioris relativè, gratia, quam ejus patroni vocant efficacem, & illa, quam liberaliter appellant ſufficientem, intrinſecè & entitativè ſeu natura non differunt, ſed extrinſecè tantùm, &, ut ita dicam, accidentaliter, ſcilicet propter majorem vel minorem concupiſcentiam in quam impingunt; reſpectu cujus, dicitur vel invincibiliter efficax, vel invincibiliter inefficax, prout ipſam terreſtrem delectationem aut ſuperat gradu viribuſque, aut ipſa inferior debiliorque eſt.

Quæres 2. Quomodo datur intelligi potentiam benè agendi quam confert gratia ſufficiens in ſententia delectationis ſimpliciter victricis, eſſe expeditam, cùm nunquam, ſi ſola ſit, actum eliciat?

Reſp. Id non incommodè explicari 1. ex eo quòd potentiæ, quam confert gratia ſufficiens in ſententia delectationis ſimpliciter victricis, nullum injectum per concupiſcentiam ſupponatur vinculum per quod ligetur voluntas ſeu facultas, aut ſaltem in exercitio ſuo impediatur. In ſententia verò Janſenii, delectatio concupiſcentiæ ſuperior vinculum ſit quo conſtringitur voluntas, & actus oppoſitus non eſt in ejus poteſtate. 2. ex eo quòd illa potentia reducatur in actum, & voluntas agat aliquando ſine ulla facta ex parte potentiæ immutatione, ſeu abſque eo quòd virtus ejus augeatur, aut difficultas minuatur, idque ſola accedente gratia efficaci ſeu delectatione ſimpliciter victrici quæ voluntatem ad actum applicat; unde certè concluditur, potentiam fuiſſe expeditam, etiam ante gratiæ efficacis collationem.

Inde facile eſt inferre ſententiam aliquorum Recentiorum, qui propugnant ſyſtema duplicis delectationis relativè victricis, cujus quę ſuperior eſt ineluctabiliter prævenit voluntatem, & invincibiliter determinat ad unum, 1. ipſiſſimum eſſe Janſenii ſyſtema; quod unum ſufficere deberet, ut ab eo propugnando deterreantur Theologi qui ab omni partium & ſtudiorum, novitatiſque ſuſpicione alieni videri volunt. 2. Ita ſyſtema iſtud eſſe proprium Janſenii, ut illud tanquam inopinatam veritatem invehat; ejuſque diſcipuli quotquot hactenus extitere & ſunt, licèt in aliis pleriſque varii ac diſcordes, in eo tamen quaſi Auguſtiniano & oculorum pupilla cariore conſtanter retinendo unanimes fuerint, teſte ipſo Abbate de Bourzeis quem antea laudavimus. 3. Janſenium delectationem illam ſuperiorem in ſyſtemate ſuo ita capitalem ac fundamentalem habuiſſe, ut non aliter famoſas quinque Propoſitiones, quaſi totidem ex illo principio derivatas concluſiones defendere potuerit. 4. Cùm Eccleſia quinque Propoſitiones damnaverit in ſenſu Janſenii, neceſſe eſt illas damnatas fuiſſe in ipſo Janſenii ſyſtemate, delectationis ſcilicet ſuperioris ac relativè victricis, quæ totius ſyſtematis, ut antea probavimus, clavis, baſis ac fundamentum eſt. 5. Theologos qui dictam ſuperiorem delectationem propugnant, incommoda abſurda & erronea quæ ex tali ſyſtemate conſequuntur, non poſſe declinare. Quòd ſi pertendant Janſenium ex principio delectationis ſuperioris perperam ſuas quinque Propoſitiones veluti totidem concluſiones intuliſſe, aſſignent, rogo, qua ex parte concluſiones illæ malè cohæreant cum dicto principio; quidve Janſenius diſcurrendo peccaverit, cùm illas intulit. Quòd ſi nullum in diſcurſu ipſius vitium deprehenderint, neceſſe eſt ut vel principium deſerant;

Quatrième Conferẽce, chap. 30. pag. 211.

vel

vel eo admiſſo, concluſiones inde neceſſario fluxu dimanantes pariter admittant. Eoſdem Theologos in vanum dumtaxat ac phantaſticum erroris Janſeniani ſimulacrum cenſuras Eccleſiæ, quibus toties attritus ille fuit, neceſſariò detorquere: quod quidem facile demonſtrare eſt, tum conferendo doctrinam Janſenii cum doctrina illorum Theologorum, unde certè manifeſtum erit, nihil dicere Janſenium quod ipſi dicere pariter non teneantur; & nihil eos ad captandam Catholicorum benevolentiam mitioribus ac mollioribus vocibus affirmare, quod ultrò non concedere poſſit Janſenius, imò & revera non concedat: tum maximè expendendo ſigillatim, quæ illi ipſi Theologi proferunt momenta diſcriminis inter ſuam & Janſenii doctrinam.

Expenduntur cauſæ diſcriminis quas nonnulli proferunt inter delectationem ſuperiorem ac relativam, quam tuentur, & Janſenii ſententiam.

Sunt inter recentiores Theologos nonnulli qui à Janſenio ſe longiùs recedere conteſtantur, quamquam vim & efficaciam gratiæ pariter cum ipſo exponant per delectationem relativè ſeu per gradus victricem. De communi principio conſentiunt illi quidem, at non eaſdem inde concluſiones inferre videri volunt: imò quas inde Janſenius deduxit quinque Propoſitiones, apertè damnant ac rejiciunt. Abſit ut cujuſquam fidem, candorem, ac probitatem hic incuſem: verùm ſic intellexi ſemper, delectationem illam ſuperiorem ac relativam centrum eſſe, ex quo quinque Janſenii Propoſitiones, quaſi totidem lineæ fluxu neceſſario derivantur; adeoque eo retento fundamento, non aliud proferri poſſe à Janſeniana doctrina diſcrimen, quàm aliquorum dumtaxat verborum. Id verò ita eſſe patebit, expendendo quas illi proferunt cauſas & rationes diſcriminis inter ſuam & Janſenii ſententiam. Nonnullæ ex illis ſpeciatim quinque ſpectant Propoſitiones: aliæ verò univerſim cauſam & fortunam Janſenianæ doctrinæ; quas omnes ſigillatim qua fieri poterit brevitate referemus ac diſcutiemus.

Circa primam Propoſitionem.

Dicunt 1. Janſenium Lib. 3. de Gratia Chriſti cap. 13. conceptis verbis affirmare juſtis impoſſibilia eſſe quædam Dei mandata; à qua impia Propoſitione prorſus abhorrere ſe profitentur.

Verùm ſi Recentiores illi ſola nominis aſperitate offenduntur, mollius non recuſabit ipſemet Iprenſis: quam enim impoſſibilitatem appellat, hoc ipſo citato capitis 13. loco, alibique paſſim, *difficultatem* dicere non gravatur. *Nec illam*, inquit, *implendi talia præcepta difficultatem inde proficiſci*, &c. Et antea, *quam Auguſtinus difficultatem dicit, Janſenius per* NON POSSE, quod majuſculis litteris inſcribere affectat, *intrepretatur*. Adeo verum eſt, utramque vocem ab illo promiſcuè uſurpari. T. 3. pag. 139. col. 1. A. Ib. p. 135. col. 2.

An verò de ſolo nomine controvertitur, & non potius de re ipſa per nomen ſignificata? Porrò in ſyſtemate Janſenii perinde eſt, vel impoſſibilia, vel difficilia dicere juſtis, abſente gratia efficaci, aliqua Dei mandata; quia nempe juxta ipſum, *abſente delectatione ſuperiori, actio ſequi non poteſt. Et vigente delectatione carnali, impoſſibile eſt ut virtutis & honeſtatis conſideratio prævaleat*. Et Lib. 7. c. 5. *Delectatio eſt vinculum quo liberum .... ita firmiter ligatur & retinetur .... ut actus oppoſitus ſit extra ejus poteſtatem.* Ib. pag. 181. col. 2. B. Ib. pag. 315. col. 1. D.

At queſo nonne defenſores delectationis ſuperioris ac relativę hoc ipſum aſ-

ſerere

ſerere tenentur? Nonne capitale iſtud eſt apud ipſos principium, *majorem delectationem à minori vinci non poſſe?* adeoque juſtum ſola gratia parva inſtructum efficaci abſente, non poſſe relativa potentia ſuperare actualem majorem cupiditatem; ac conſequenter mandatum ipſi relativè eſſe impoſſibile. Vertant ſe in quamcumque partem voluerint, nihil, ut ſe expediant, proferent, quod ultrò non proferant vel apertiſſimi Janſenii defenſores. Dicant illum juſtum habere perfectiſſimam ac completiſſimam ad obſervandum mandatum potentiam, beneficio gratiæ parvæ: nonne idem aſſerunt Janſeniſtæ verbis expreſſis & clariſſimis quæ initio laudavimus? Dicant ſe eam tantùm rejicere potentiam quæ ſit cum actu conjuncta: hoc idem & ipſi conteſtantur. Dicant non veram eſſe impoſſibilitatem, ſed tantùm difficultatem: ne ipſe quidem negat Janſenius. Verùm in eo utrorumque error eſt, quòd illa perfectiſſima potentia ſit revera tantùm abſoluta & abſtracta, non relativa: quòd ita excludat actum, ut ipſum relativè obtinere non poſſit: quòd illa difficultas ſimilis ſit ei quam patitur juſtus, vitandi omnia peccata venialia collectivè ſumpta; ſine ſpeciali privilegio; vel ille qui ſanos oculos habens non poteſt videre ſine lumine; vel à morbo convaleſcens, non poteſt longum iter pedibus perficere. An non hujuſmodi difficultatis genus veram importat impotentiam? Mutato igitur ſolo nomine, ſenſus idem retinetur.

Ibid. p. 34. col. 2. A. Ibid p. 145. col. 2. D. At, inquiunt, Janſenius L. 2. de Gratia Chriſti cap. 1. contendit ſine delectatione ſuperiori, *tam impoſſibile eſſe voluntati ut benè velit & operetur, quàm homini cæco ut videat, vel ſurdo ut audiat, vel tibiis fractis ut rectè gradiatur, vel avi ut volet ſine alis*, quo exemplo utitur L. 3. cap. 15. Quæ profectò comparationes eò tendunt, ut ab homine juſto quamcumque excludant benè agendi facultatem, abſente gratia efficaci. Verùm non ita profectò ſtupidus fuit Janſenius, ut excluderet omnem omnino benè agendi facultatem, abſente gratia victrice relativè. Nonne in prima Propoſitione ſupponit juſtos qui volunt ac conantur? Ergo agnoſcit in illis, etiam abſente gratia efficaci, aliquam benè agendi ex gratia parva potentiam; ſicut L. 8. cap. 20. ſub motione delectationis cœleſtis victricis agnoſcit peccandi poteſtatem perfectiſſimam. Neque unquam oſtendent Theologi de quibus loquimur, diſcipulos Janſenii negaſſe eſſe in parva illa gratia vim internam activam, ſeu principium boni operis effectivum, & quod re ipſa efficeret niſi obſiſteret ardentior concupiſcentia. Illi igitur duriores Janſenii loquendi modi ad ſubſtantiam ſyſtematis ipſius non pertinent, ſed extranei ſunt, quibus ſepoſitis, ſyſtema integrum adhuc perſeverat. Quapropter ejus diſcipuli adductas comparationes in eo dumtaxat valere contendunt, quatenus excludunt actum ſecundum, non verò actum primum. Audiatur Paulus Irenæus Diſquiſitione 2. art. 5. *In comparatione*, inquit, *non omnia ſimilia ſunt; ſufficit ut illa inter ſe conveniant, quæ inter ſe comparantur. Jam verò cæcus cum juſto gratia efficaci deſtituto dupliciter poteſt comparari. Primò, ſi ſpectentur potentiæ in actu primo; ſic nulla inter utroſque ſimilitudo, ſed potius magna diſſimilitudo. Cæcus enim caret interna videndi virtute: juſtus pollet interiori facultate benè agendi, etiam actuali ſi vult & conatur. At ſi ſpectentur iſtæ potentiæ in actu ſecundo, tunc in eo planè conveniunt, quòd ſicut cæcus videre actu & effectivè non poteſt; ita juſtus benè agere ſine efficaci gratia actu & effectivè non poteſt. Igitur ſi Janſenius juſtum cum cæco comparavit ſpectando potentiam in actu primo, ineptè prorſus locutus eſt, &, ſi velis, hæreticè; ſin autem ſpectavit potentiam in actu ſecundo, rectè, Catholicè, Thomiſticè locutus eſt.* (pag 197. col. 2.)

Dein-

Deinde conatur oſtendere ex Janſenio, Tom. 1. L. 5. cap. 11. gratiam efficacem eſſe adjutorium actus ſecundi.

Paulo Irenæo in omnibus ſuffragatur Dionyſius Raymundus 1. p. c. 1. art. 6. *Pag. 98. & 99.*

Quid ad hanc explicationem Recentiores noſtri? An ſanam judicabunt, an non ſanam? Si ſanam; manifeſtis Janſenianis apertè conſentiunt, neque habent amplius quo ſe ab illis adeo remotos & alienos prædicent. Si non ſanam: rogo aſſignent illius vitium ac errorem? Non alium profectò deprehendent quàm qui à nobis ſæpius aſſignatus eſt; potentiam nempe illam, quam *ſufficientiſſimam*, *perfectiſſimam*, *ac completiſſimam* dicere placet Janſenianis, abſolutam eſſe dumtaxat & abſtractum, quæ nihil ad uſum & exercitium boni operis conferre poſſit, non verò relativam; ac proinde perinde eſſe, ac ſi penitus negaretur. Inde eſt quòd multi ex noſtris dum Janſenium refellunt, eum accuſant quaſi omnem penitus negaverit in juſto, abſente gratia efficaci, potentiam ad obſervandum mandatum, non quidem verbo tenus, hanc enim verbo agnoſcit, ſed in rei veritate; quia, ut dixi, perinde eſt ac ſi eam penitus rejiceret. Porrò neceſſe eſt Recentiores in ſuo ſyſtemate delectationis ſuperioris ac relativæ; agnoſcere potentiam in ejuſmodi juſtis, abſolutam eſſe dumtaxat non relativam; quia parva illorum gratia ſatis virium non habet ut poſſit actualem majorem & oppoſitam ſuperare cupiditatem.

Dicunt 2. Se non omnem gratiam ſufficientem, ſed ſolam Molinianam; Janſenium verò omnem omnino reſpuere, quam L. 3. de Gratia Chriſti c. 3. revocat ad gratiam Pelagii. Verùm profitetur quoque Janſenius cap. 1. ejuſdem Libri, ſe ſolam Molinianam, ut vocant, ſeu verſatilem ac libero voluntatis arbitrio permiſſam rejicere gratiam ſufficientem: nolle verò ſe impugnare gratiam ſenſu Thomiſtico ſufficientem, qualem Alvares, Cumel, Navarreta &c. admittunt; eam ſcilicet, præter quam aliud ex parte Dei auxilium per modum principii neceſſarium eſt ut homo velit & operetur: Imò addit ibidem quòd Auguſtinus *fortaſſe talem gratiam non difficulter admitteret*. Et c. *Ib. pag. 102. col. 2. C.* 3. cùm ait, gratiam quæ *ab initio lapſus humani generis uſque ad Judicii diem nullum in humana voluntate effectum habuit, aut habitura eſt, monſtro ſimilem eſſe*, *Ib. p. 106. col. 1. E.* Molinianam ſolam aut incongruam Suareſianam directè & expreſsè explodit; neque diffitendum eſt in textu Janſenii qui objicitur ex cap. 3. L. 3. de Gratia Chriſti, eum ſolam Moliniſticam oppugnare gratiam. Cùm tamen ab ipſo Thomiſticam ſufficientem gratiam pariter rejici affirmamus, ad principia quæ ubique ſtatuit Janſenius, & quæ cum tali gratia conciliari non poſſunt, attendimus magis, quàm ad ejus verba: neque enim expreſsè ac nominatim unquam inſurrexit adverſus illorum Theologorum ſufficientem gratiam. Jam verò cùm principia Janſenii circa delectationem eadem ſint quæ à Recentioribus nonnullis propugnantur, ab utriſque non ſolùm Molinianam, ſed & Thomiſticam ſufficientem gratiam convelli meritò contendimus.

II. Negari certè non poteſt quin parvam aliquam gratiam admiſerit quæ de ſe principium eſt boni operis, ac ſemper efficax alicujus parvi & imperfecti effectus, quam Deus voluntate ſua antecedente, quæ à circumſtantiis abſtrahit, ordinat ad bonum opus; ad quod nihilominus per voluntatem conſequentem non tendit, propter majorem cupiditatis reſiſtentiam, cui ſuperandæ impar eſt. *Illud*, ait Paulus Irenæus Diſq. *6. ex Janſenio concedi poteſt, gratiam nonnunquam carere eo effectu ad quem deſtinatur voluntate Dei antecedente. Cùm enim ea voluntas ſemper feratur in bonum abſolutè ſpectatum, conſentire autem gratiæ* *pag. 254. col. 2.*

habeat

habeat rationem boni, utique ſemper illa voluntate Deus velle cenſendus eſt homines ſuæ gratiæ non reſiſtere ſed illi plenè conſentire. En gratia parva, ſeu ſufficiens (de nomine nulla quæſtio) quam Janſenius cum ſuis conſtanter agnoſcit. An propterea immunis ab errore circa hujuſmodi gratiam? Minimè. Quare? Quia gratia hęc relativè ac comparatè ad ſuperiores actualis concupiſcentiæ vires non poteſt eam ſuperare; ac proinde nomine tenus ſufficientem gratiam Janſeniani admittunt, re ipſa verò negant. Quantùm enim ad uſum & exercitium boni operis, perinde omnino eſt, ac ſi nullam agnoſcerent; quod quidem noſtris locum dedit certè legitimum, accuſandi Janſenianos omnis prorſus denegatæ gratiæ ſufficientis. Dicant porrò Recentiores an re ipſa aliam agnoſcant gratiam ſufficientem, quàm iſtam Janſenianam? Quid enim ipſis eſt gratia ſufficiens? Niſi delectatio inferior ac debilior quæ non ſatis habet virium ut oppoſitam concupiſcentiam ſuperare poſſit; ſeu quæ neceſſitatem peccandi non tollit, ſed minuit tantùm. Cedo ſi vel unum apicem diſcriminis invenias: niſi fortè quòd talem gratiam aptè non minùs quàm verè Janſenius inſufficientem appellat, Recentiores verò abuſivè & ad fucum faciendum, ſufficientem.

At, dices, Janſenius nullum admittit in pręſenti ſtatu adjutorium *ſine quo*, ſed unum dumtaxat adjutorium *quo*: Recentiores autem utrumque admittere.

Reſp. Janſenium equidem non admittere in præſenti ſtatu *adjutorium ſine quo non*; quale datum fuit naturæ innocenti: aliquo tamen ſenſu, qui revera diſcipulorum ipſius ſenſus eſt, admittere adjutorium *ſine quo*, id eſt parvam quamdam gratiam non victricem, quę revera eſt adjutorium *quo* ſeu efficax alicujus effectus imperfecti, non autem effectus pleni ac perfecti, propter inferiores ejus vires planè inſufficientes ad debellandam oppoſitam majorem cupiditatem. Mera autem eſt quæſtio de nomine, utrùm tale adjutorium dicendum ſit *quo*, vel *ſine quo*, modò de re conveniant. Ut ut ſit, gratia ſufficiens ſeu adjutorium *ſine quo*, in ſyſtemate delectationis ſuperioris, nullatenus diſtat à gratia illa parva Janſeniana; adeoque Recentiores illi ſub aliis verbis in eundem recidunt ſenſum Janſenii quem Eccleſia meritò proſcripſit.

Dicunt 3. Janſenium Lib. 8. de Gratia Chriſti cap. 20. docere ſub dominante concupiſcentia veram eſſe in voluntate impotentiam operandi bonum. *Firmitas*, inquit, *ardorque voluntatis malæ vehementi delectatione concupiſcentiarum adjuta & incitata, parit benè faciendi impotentiam.* Sed qui inter Recentiores Syſtema delectationis ſuperioris tuentur, longè abſunt à tali admittenda impotentia; imò, veram & proximam confitentur, ope gratiæ ſufficientis, ad bonum opus potentiam. (pag. 181. col. 1. D.)

Reſpondeo, ſi de verbis hic tantùm agatur, Janſenium ipſum verbo tenus impotentiam illam ita ſæpius mitigare ac temperare, ut à Catholicis recedere non videatur, à quibus tamen quoad ſenſum & rei veritatem plurimùm remotus eſt: quemadmodum & ipſi Recentiores nonnullis verbis à Janſenio diffident, cum quo ſenſu concordant. Janſenius v. g. dixit tum L. 8. de Gratia Chriſti cap. 20. tum L. 4. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 25. impotentiam illam eſſe tantùm impropriam, conſequentem & ex hypotheſi: non negavit per talem impotentiam voluntariam, remanere (phyſicam) ad bonum facultatem, neque etiam illam oriri ex defectu virtutis activæ in gratia tametſi parva, ſed ex una cupiditatis reſiſtentia, quæ ſi minor eſſet, gratia illa parva plenum ac perfectum effectum conſequeretur.

Digitized by Google

· Dixit Lib. 3. de Gratia Chr. c. 13. Lib. 4. c. 10. impotentiam illam non excludere quamcumque gratiam. Denique ſæpiùs ita loquitur, ut non excludat omnem ad bonum potentiam defectu gratiæ victricis, ſed tantùm eam neget quæ cum actu conjuncta eſt: has porrò mitigatas & in ſpeciem Catholicas Janſenii locutiones ſummo ſtudio colligunt ac jactantiùs prædicant ejus defenſores, ut ejus doctrinam tanquam orthodoxam cenſuris Eccleſiæ ſubducant. Verùm inani prorſus ac vano conatu; & ut Clerus Gallicanus in ſua ad Alexandrum VII. ſcripta anno 1661. Epiſt. loquitur, *Verba Janſenii ad aliquem ſenſum Catholicum futiliter detorquent*; eundem enim planè ſenſum erroneum exprimit, tum durioribus, tum mollioribus verbis. *Recueil des Bulles, pag. 154.*

Dixit equidem Janſenius, impotentiam benè agendi ſub dominio ardentioris concupiſcentiæ, & malè agendi ſub motione gratiæ victricis eſſe impropriam, conſequentem & ex hypotheſi, non verò antecedentem; quia non alia ipſi eſt propria & antecedens impotentia, quàm quæ rationis & deliberationis ſeu voluntarii uſum antecedit, qualis profectò non eſt impotentia de qua loquitur, quam Lib. 3. de Gratia Chriſti c. 15. appellat *voluntariam impotentiam*, & conſequenter juxta ipſum liberam. Quia, ut ait ibidem, *nihil eſt aliud voluntatem eſſe liberam, quàm actum ſuum habere in ſua poteſtate; & habere in poteſtate nihil aliud, quàm eum facere ſi voluerit*. Sic autem impotentia hæc juxta Janſenium eſt voluntaria, & hoc ſenſu conſequens, ut tamen voluntas eam declinare nullo pacto valeat, non quidem abſolutè, ſed relativè: *cùm tunc*, ut ipſe loquitur L. 8. de Gr. Ch. c. 20. *facultas impedita ligataq; permaneat*; vinculo ſcilicet majoris delectationis, quo fit ut voluntas non tantùm actum oppoſitum non velit, ſed nec velle poſſit. *Firmitas ardorque voluntatis malæ*, inquit loco citato ex cap. 20. Lib. 8. de Gratia Chriſti, *vehementi delectatione concupiſcentiarum adjuta & incitata, parit benè faciendi impotentiam, quam ſola voluntas ſuperare non poteſt, quia velle non poteſt, idque ideo quia fortiter ſtabiliterque non vult*. *pag. 146. col. 2. E.* *pag. 369. col. 1. D.* *pag. 370. col. 1. D.*

Quapropter illam benè agendi potentiam quam Janſenius admittit ſemper & in omnibus, abſente gratia efficaci, vel malè agendi ſub illius motione, non aliam ferè docet eſſe præter naturalem liberi arbitrii flexibilitatem ad bonum & malum. *Hoc modo ſentit Auguſtinus & Proſper*, ait ibidem, *ſub gratia manere peccandi poteſtatem, quia præter naturalem flexibilitatem ad malum, manet etiam concupiſcentia, per cujus tentationes animus mutari poteſt: quod quia in cœlo accidere non poteſt, conſequenter etiam beatus ampliùs peccare non poteſt*. *pag. 368. col. 1. B.*

Non negat pariter cum illa voluntaria impotentia remanere phyſicam ad bonum facultatem; nec eam impotentiam dicit oriri ex defectu virtutis activæ in gratia parva, ſed ex reſiſtentia cupiditatis. Verùm mera ſunt verba, ad errorem potius involvendum quàm excludendum accommodata. Namque facultas illa phyſica vel eſt nudum arbitrium voluntatis, vel quædam gratia tametſi parva: nudum liberum arbitrium eſt quidem phyſica facultas capax recipiendi gratiam, ſed ſi ſolum fuerit, phyſicè incapax eſt actionis bonæ ſupernaturalis: gratia verò illa parva, tametſi in ſe abſolutè conſiderata ſit principium effectivum boni operis, relativè tamen ad majores cupiditatis vires, non tantùm opus illud bonum nunquam elicit, ſed nec elicere poteſt: atque hæc eſt vera impotentia quam Janſenius admittit, & à ſyſtemate delectationis ſuperioris inſeparabilis eſt. Nec juvat quod ait Janſenius, impotentiam illam oriri ex reſiſtentia cupiditatis: fateor, ſed voluntas in illis circumſtantiis non poteſt non reſiſtere minori gratiæ; nimirum propter delectatio-

ctio-

Digitized by Google

nem terrenam indeliberatam ſuperiorem, qua tunc rapitur & determinatur ad malum. Ex indeliberata enim illa motione, neceſſariò conſequitur deliberatus voluntatis motus, à quo voluntas ſeipſam cohibere non poteſt; neceſſe enim eſt ut agat ſecundùm id quod magis delectat.

Dixit etiam, integro errore ſubſiſtente, hac impotentia non excludi quamlibet gratiam. Ita quidem: ſed talis gratia relativè ad majorem concupiſcentiam ſatis virium non habet, ut eam ſuperare poſſit.

Innuit denique Lib. 8. de Gratia Chriſti cap. 20. ſolam excludi potentiam cum actu conjunctam. At verbo ludit & fallit. Non tantùm enim potentia illa non jungitur cum actu, ſed nec poteſt jungi in his circumſtantiis, ſeu relativè ad oppoſitam majorem delectationem: atque in hoc poſitus eſt error Janſenii. Dicant porrò defenſores ſyſtematis duplicis delectationis relativè victricis, an abſente gratia efficaci, cum ſola parva ſeu inferiori gratia juſtus habeat relativam potentiam ad ſuperandam actualem majorem cupiditatem? Si negant, Janſenio planè conſentiunt: aut ſaltem rogo ut aſſignent ſuæ à Janſeniana doctrinæ diſcrimen; aſſignent in quo præcisè collocandus hic ſit error Janſenii. Si concedunt, explicent quo ſenſu: ut nempe clarè intelligatur in quo à ſyſtemate Janſenii recedant; ne fortè ſyllabarum & vocum diſcrimen ſit, illudque etiam non ſincerum.

Dicunt 4. ſe gratiam ſufficientem ſenſu Thomiſtico plenis manibus amplecti.

Reſp. & ipſum Abbatem de Bourzeis in Scripto quod dicitur, *In nomine Domini*, quod an. 1649. editum eſt, ſic habere: [Pag. 5.] *Quod identidem advertendum cenſeo, ne qua hic Thomiſtarum gratiæ ſufficienti, quam admitto lubens, fiat injuria.* Arnaldumque qui in Libro inſcripto, *Apologie pour les SS. Peres*, L. 7. punct. 4. c. 1. aſſeruerat Auguſtinianos quos vocat Theologos, in eo à Thomiſtis circa gratiam ſufficientem differre, quòd hi gratiam ſaltem nomine tenus ſufficientem admittere conſentirent, illi verò nullam gratiam vocandam eſſe ſufficientem contenderent, præter eam quæ verè & propriè gratia Chriſti efficax eſt: Arnaldum, inquam, qui hæc protulerat annis ſuperioribus, tandem in Scripto ſuo cui titulus, *Diſſertatio de Gratia efficaci*, non ſemel, aut bis, terve ſed ſæpiſſimè profeſſum ſe gratiam ſufficientem ſenſu Thomiſtico admittere.

Dicunt 5. Janſenium & Janſenii diſcipulos impotentiam propriè dictam admittere; ſe verò impropriè dictam.

Reſp. Janſenium L. 3. de Gratia Chriſti c. 15. & Lib. 8. c. 20. alibique: Arnaldum verò in Diſſertatione jam citata parte 3. art. 17. expreſsè aſſerere, ſe propriè dictam impotentiam non admittere. *Tota illorum hominum qui à gra-*
[Conf. Arnald. pag. 370. col. 1.] *tia planè deſerti ſunt, impotentia, nihil aliud eſt quam mala voluntas malaque cupiditas.* Et paulò inferiùs: *Non hæc impotentia eſt, ſed pravitas .... non ideo innoxia, quia aliquomodo neceſſaria; ſed ideo culpanda, quia voluntaria.*

[Col. 2.] Dicunt 6. cenſere ſe abſtinendum omnino à voce, *impoſſibili*, dum agitur
[pag. 371. col. 2.] de præceptis adimplendis.

Reſp. 1. non ita ſincerè eos abſtinere quin eam aliquando uſurpent, licèt rariſſimè, v. g. auctor Libri cui titulus, *Tradition de l'Egliſe Romaine*, Tomo 3. & alii pauci.

Reſp. 2. mutata tantùm vocis hujus ſignificatione, ſed non mutata ſenten-
[Ib. p. 370. col. 1.] tia, Recentiores ſtatuiſſe abſtinendum vulgò ab uſurpanda ea vocula impoſſibilitatis, ut patet ex Arnaldo Diſſertationis Parte 3. art. 17. qui ſic habet. Ea *quæ voluntate conſtant, nunquam impoſſibilia dici poſſunt: ſunt enim ſemper cùm*

volu-

volumus. Unde licèt Recentiores noſtri ſub illo prætextu aut alio ſimili abſtineant ab uſurpanda voce iſta, *impoſſibili*, non tamen à Janſenii, & diſcipulorum ejus ſententia receſſiſſe ullo modo propterea cenſendi ſunt.

Circa ſecundam Propoſitionem.

Dicunt 1. Janſenium L. 2. de Gratia Chriſti cap. 24. aſſerere *gratiam tollere omnem voluntatis reſiſtentiam*; eaque loquendi ratione, errorem ſecundæ Propoſitionis manifeſtè exprimere: Recentiores porrò nihil tale affirmare, imò planè contrarium. Pag. 81. col. 1. A.

Verùm duriorem hunc loquendi modum Janſenius ipſe aliis in locis emollivit, errore non repudiato. L. 2. de Gratia Chriſti c. 27. conceptis verbis aſſerit, *multos divinitùs colluſtrari, imò verò & in ipſa voluntate motibus divinæ gratiæ percelli, qui tamen ab ejus interna ſuaſione & inclinatione diſſentiunt*. An putas verba hæc quoad ſenſum pugnare cum prioribus? Minimè profectò. Poteſt Janſenius ſine ulla pugna, eodemque ſenſu erroneo dicere, quòd voluntas reſiſtat & non reſiſtat gratiæ, reſpectivè ad varium ipſius effectum. Non reſiſtit quantùm ad effectum proximum & imperfectum, quem gratia etiam parva illorum ſenſu ſemper exprimit: reſiſtit autem quantùm ad effectum ejuſdem remotum ac perfectum, ad quem ex natura ſua & voluntate Dei antecedente tendit & ordinatur, ſed quem non habet, imò nec habere unquam poteſt, quando concupiſcentiæ oppoſita delectatio ſuperior eſt. Pag. 86. col. 2. E.

Ita ſeipſum exponit Janſenius in citato cap. 27. Libri 2. de Gratia Chriſti. *Conſiderandum eſt*, inquit, *multiplices eſſe divinæ gratiæ effectus, quemadmodum & voluntatis. Eſt enim velle perfectum, quod Auguſtinus poſſe vocat; eſt & imperfectum, quod velleitatem appellare ſolent..... Hæc ergo primus eſt cœleſtis iſtius roris effectus, quem ut minimum in omnibus operatur, quibus eum infundit Deus..... Non enim quævis gratia ad quoſvis effectus inferendos ſufficit, ut quidam imaginati ſunt, ſed poteſtates operationum difficultati attemperandæ ſunt.* Ibid. Pag. 87. col 1. B.

Eodem planè modo diſcipuli Magiſtrum interpretantur, Paulus Ireneus Diſq. 6. & Dionyſius Raymundus 1. p. c. 3. art. 5. (pag. 130.) Prioris verba retuliſſe ſufficiet. *Poſſunt*, inquit, *allatæ Janſenii locutiones ad illam revocari doctrinam toti Thomiſtarum Scholæ probatam: omnem gratiam tam efficacem quàm ſufficientem eſſe efficacem reſpectu proximi iſtius effectus ad quem ordinatur voluntate Dei abſoluta. Sic enim explicari poſſunt omnes ſuperiùs allatæ Janſenii locutiones: Gratia tollit omnem reſiſtentiam, nempe quæ impedit proximum effectum, non quæ remotum.* Item, *Nulla gratia effectu caret, nimirum proximo illo ad quem deſtinatur voluntate abſoluta, non remoto ad quem excitat: Gratia omnis agit & peragit effectum proximum, non remotum.* Item, *Gratia eſt convertibilis cum effectu; diſtinguo, proximo, non remoto, ſive eo propter quem datur voluntate abſoluta, non eo ad quem natura ſua tendit & refertur voluntate Dei antecedente.* Item, *Omnis gratia eſt efficax, nempe proximi effectus ad quem ordinatur voluntate abſoluta, non ejus ad quem ex natura ſua tendit.* Pariter, *Nulla datur gratia ſufficiens niſi ſit efficax; diſtinguo, ſufficiens omnibus modis & ad agendum actu, ſive Molinianè, verum eſt; ſufficiens Thomiſticè, cui ſemper diſſentiatur, niſi adſit efficax, falſum. Hinc claret*, concludit Paulus Irenæus, *omnes iſtas locutiones boni ſenſus capaces eſſe.* Pag. 351 col 2.

Qui Janſenianorum æquivocationibus parùm aſſueti ſunt, adduci facilè poſſunt, ut credant his ſpecioſis Pauli Irenæi verbis excludi errorem ſecundæ Propoſitionis: at non ita eſt. Error enim ille in eo conſiſtit, quòd gratia eum

omnem

omnem ſemper effectum obtineat, quem permittit oppoſita concupiſcentiæ delectatio. Si hæc ſuperior fuerit, gratia debilem & imperfectum effectum aſſequetur: ſi inferior, plenum ac perfectum; adeoque ei nuſquam verè ac propriè reſiſtitur: non ratione effectus proximi & imperfecti quem ſemper habet; non ratione effectus ulterioris ac perfecti, quem, ſuppoſita majori cupiditate, T.3.pag. 87.col.1. D. habere non poteſt. *Non enim quævis gratia*, ait Janſenius Lib. 2. de Gratia c. 27. *ad quoſvis effectus inferendos ſufficit, ſed poteſtates operationum difficultati attemperandæ ſunt*. Hunc porrò ſenſum defendere tenentur, qui ſyſtemati delectationis ſuperioris ac relativæ patrocinantur. Dicant num re ipſa non doceant, gratiam, quam vocant ſufficientem, ſemper debiles aliquos ad pietatem motus excitare in voluntate, eoque reſpectu verè efficacem eſſe, nec ipſi unquam reſiſti? Dicant an non agnoſcant eandem gratiam in concurſu ardentioris cupiditatis ac relativè ad ipſam, non habere ſatis virium ut eam ſuperare poſſit; adeoque ipſi ſub eo reſpectu ſeu relativè non reſiſti? Non enim, ut diximus ſæpiùs, propriè loquendo gratiæ reſiſtitur, niſi quando privatur eo effectu quem habere poteſt in iis circumſtantiis in quibus datur. Dicant an non exiſtiment, ſaltem cum gratia ſufficienti remanere ac ſemper conjunctam eſſe ad præceptum adimplendum eandem impotentiam, quam patitur homo juſtus ſine ſpeciali privilegio ad vitanda omnia peccata venialia, quæ vitari non poſſe certè fides docet; unde profectò ſequitur eum qui peccat, gratiæ debili, ſi quam habeat, non reſiſtere, cùm eam non privet eo effectu quem habere poſſit. Ergo vel nullus eſt in ſecunda Janſenii Propoſitione error, quod iſti affirmare non audent; vel totus perſeverat in ſyſtemate, quod tuentur, delectationis relativè victricis.

Pag. 82. col.2.A. Pag. 83. col.2.D. Dicunt 2. in mente ac doctrina Janſenii gratiam hujus ſtatus ſemper eſſe victricem, quæ, ut loquitur L. 2. de Gratia Chriſti cap. 24. *omnes oppoſitos obices voluntatum & affectuum invicta poteſtate perrumpit*. Et cap. 25. *Gratia & opus bonum ita reciprocantur, ut quemadmodum ex gratia data mox effectum operis conſecutum inferre ſolet* (Auguſtinus) *ita vice verſa, ex defectu operis gratiam non eſſe datam*. Ab iſta porrò doctrina ſe alienos plurimum profitentur Recentiores delectationis ſuperioris patroni.

Verùm non de quacumque gratia id ſcripſit Janſenius, ſed de illa dumtaxat quam antonomaſticè *victricem* appellat. Aliam enim eſſe inefficacem ſeu non victricem disertè agnoſcit Lib. 4. de Gratia Chriſti cap. 10. in fine, ubi ait eſſe pag.187. col.2.D. quamdam gratiam *ita inefficacem, ut ex illa operatio nequidem poſſit ſequi, niſi ejus inefficacia per aliam ſuppleatur*. Idem docet Lib. 8. c. 2. pag.341. col.2.C *Quòd ſi contingat*, inquit, *alteram ardentiorem eſſe, in ſolis inefficacibus deſideriis hærebit animus*. Et L. 2. c. 27. L. 3. c. 13. gratias illas inefficaces veras dicit eſſe Chriſti gratias. Nihilominus in his ab errore ſuæ ſecundæ Propoſitionis non recedit: quia nempe juxta ipſum, omnis gratia, etiam illa quam inefficacem & non victricem vocat, ſemper eum effectum obtinet quem poteſt obtinere habita ratione oppoſitæ concupiſcentiæ. Ib. pag. 184. col. 2.C. *Cùm nulla ſit ei* (Auguſtino) *gratia operandi*, inquit Lib. 4. c. 10. *præter iſtam ſuavitatem Dei, niſi iſta tanta fuerit, ut ei delectationes rerum creatarum ceſſerint, vel peccabitur, vel alternante delectationum fluctu in medio remanebitur: ſin autem iſta ſuperaverit, jam ſine dubio benè voluntas operabitur*. Suam hìc doctrinam recognoſcant, quotquot efficaciam gratiæ repetunt ex delectatione ipſius ſuperiori ac relativa.

Dicunt 3. in mente Janſenii Lib. 2. de Gratia Chriſti c. 27. gratiam omnem

ſemper

ſemper liberam ad minimum quamdam complacentiam boni in voluntate operari : atqui Recentiores ab hac doctrina longiſſimè recedunt. Quamvis enim aſſerant gratiam merè ſufficientem, ut vocant, & ordinariè & vulgò ſortiri effectum deliberatum & liberum imperfectum, tamen aliquando, licèt rariſſimè v. g. in perditiſſimis hominibus, contingere, ut gratia in motu indeliberato ſiſtat, qui à præpollentiori contraria delectatione in ortu ſuo veluti præfocatur.

Reſpondet Dionyſius Raymundus 1. parte cap. 2. de ſecunda Propoſitione art. 4. tam parvi referre ad ſyſtema Janſenii, an aliquem actum liberum deliberatumve, an tantùm indeliberatum ſemper producere dicatur delectatio inferior cœleſtis Janſenii, ut nunquam illud primum pro dogmate habuerit Iprenſis, ſed ſemel tantùm, & ipſi quaſi aliud agenti, ſeu per tranſennam exciderit. Imò verba Janſenii, pergit idem auctor, de pleriſque, non de ſingulis exponi poſſent gratiis, quaſi id vulgò non ſemper contingat: Unde nunquam hanc, quæ Janſenio excidit, Propoſitionem, tanquam dogma ipſius propugnavere Janſenii diſcipuli ac defenſores. Quoſdam conſului, addit citatus auctor, nullusque hactenus occurrit, qui ad hanc ſubtiliorem, ut vocant, quæſtionem, attenderit. Dionyſio Raymundo concinit auctor recens Libri inſcripti, *Chimere du Janſeniſme*. Ex his duorum, aliorumque quos appellare poſſem, Janſenii diſcipulorum teſtimoniis manifeſtum eſt, nullo modo à dogmatibus Janſenii recedere, qui in eo tantùm ab eo differunt, quòd aſſerant, rariſſimè ſeu in perditiſſimis hominibus aliquando indeliberatum tantùm effectum, & non liberum ſeu deliberatum gratiæ merè, ut vocant, ſufficientis comitem eſse. Et certè non ita raró reſiſtitur gratiæ actuali interiori voluntatis, nec ad dogma Janſenii multùm intereſt, utrùm liber, vel indeliberatus tantùm actus ex gratia purè ſufficiente, ut vocant, producatur, modò eum omnem ſemper ſortiri dicatur effectum, quem ipſi ſortiri permittit delectatio actualis oppoſita. *pag. 121.* *pag. 198.*

Dicunt 4. Janſenius negat inferiorem delectationem cœleſtem tendere ex natura ſua ad ulteriorem effectum quem non producat, ullaq; voluntate Deum intendere ut illum operetur. Unde cùm è contra admittant gratiam quæ ex natura ſua nata & apta eſt ad illum producendum, Deumque voluntate antecedente beneplaciti id intendere, toto cœlo à Janſenio differunt.

Reſp. Janſenium non potuiſſe admittere gratias illas leves quæ ad effectum ulteriorem provocant, & à quarum interna ſuaſione multos diſſentire conſtare ait c. 27. L. 2. quin ſimul ſentiat ipſas ſaltem ex natura ſua ordinari ad illum ſortiendum effectum, & aliqua potentia poſſe hunc ſortiri, Deumque quadam voluntate velle ut illum ſortiantur, quem tamen nunquam obtinebunt. Iniquum enim eſt, imò impoſſibile, gratiam excitare, aut potius ejus beneficio Deum ad opus quodpiam provocare, ad quod nec ex natura ſua ordinetur, quod nec poſſit habere, nec Deus aliqua voluntate velit ut unquam habeat. Unde certè à Janſenio non recedunt patroni delectationis ſuperioris relativæ, ſi nihil aliud velint. Neque mirari ſatis poſſum P. Maſſoulié qui Tom. 2. Diſſert. 4. q. 3. art. 4. & alibi, aſſerit conſtanter Janſenium negare talem gratiæ ſuæ levis ordinationem ad ulteriorem effectum. *pag. 363*

Circa tertiam Propoſitionem.

Dicunt 1. neceſſitatem agendi ſub delectatione ſuperiori, apud Janſenium antecedentem eſſe, ineluctabilem & phyſicam; ſe verò nonniſi conſequentem & infallibilitatis ac moralem agnoſcere.

Digitized by Google

Verùm pro certo iſtud affirmamus, nullum ex Janſenio locum proferri poſſe, quo neceſſitatem illam vocet antecedentem aut phyſicam. Et certè diſcipuli ipſius raró, ut antea obſervavimus, neceſſitatis voce, quæ odioſa eſt, utuntur. Ipſe verò Janſenius Lib. 6. de Gratia Chriſti cap. 6. & Lib. 4. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 21. & alibi paſſim contendit, neceſſitatis vocem delectationi ad unum determinanti adaptari non poſſe. Cap. verò 24. ejuſdem Lib. 4. de ſtatu naturæ lapſæ, & cap. 35. & 37. Lib. 6. de Gratia Chriſti, neceſſitatem illam *conſequentem* appellat. Lib. verò 2. de Gratia cap. 25. & Lib. 8. cap. 21. & Lib. 9. c. 15. vim ſeu efficaciam gratiæ infallibilem dumtaxat appellat; ſuamque à Calviniana ſententiam in eo differre probat citato cap. 21. Lib. 8. adductis Calvini teſtimoniis, quòd Calvino neceſſitans, ſibi verò infallibilis ſit gratiæ victricis operatio.

To. 3. p. 305. col. 1. E.

Quæ quidem non ea mente commemoro, ut Janſenium velim excuſatum ab errore tertiæ Propoſitionis; ſed ut manifeſtum ſit, eum ſub aliis vocibus temperatis ac mitioribus, eundem planè errorem ſemper obtrudere.

Neceſſitantis quidem delectationis nomine non utitur, at eundem omnino ſenſum reddit, cùm ait, per ſuperiorem delectationem tanquam per vinculum ita volūtatē ligari ac cōſtringi, ut impedita & ligata ſit reſpectu actus oppoſiti.

Neceſſitatem illam equidem antecedentem non appellat Janſenius; nomini parcit, ſed rem admittit. Verè quippe antecedens eſt ea neceſſitas, quæ oritur ex motione prævia & indeliberata, cui voluntas in iis, in quibus verſatur, circumſtantiis planè reſiſtere non poteſt: at talis eſt motio delectationis victricis relativè. Verùm Janſenio antecedens neceſſitas ea eſt, quæ planè eſt involuntaria ac rationis & deliberationis uſum antecedit.

Pariter neceſſitatem illam nullibi phyſicam appellat, quamquam in ejus principiis verè ſit phyſica, ut ſuperiùs oſtendimus. Parùm verò intereſt, an phyſica, an moralis dicatur, modò talis ſit cui voluntas ob inæqualitatem virium reſiſtere non poſſit; ſeu ad unam contradictionis partem fortiùs liget potentiam, quàm compedibus & catenis ferreis ligari concipiatur vis hominis motrix: quod certe in ſyſtemate delectationis ſuperioris locum habet.

Denique fruſtra Janſenius contenderet neceſſitatem illam eſſe dumtaxat conſequentem. Namque conſequentem ille neceſſitatem intelligit quæ voluntaria eſt, ſeu quæ ſequitur aut ſaltem comitatur voluntatis determinationem tametſi neceſſariam; namque, juxta Janſenium, omne voluntarium deliberatum eo ipſo liberum eſt, tametſi neceſſarium: quippe ſolam ille coactionem, non verò ſimplicem ac voluntariam neceſſitatem à libertate excludit, in quo poſitus eſt error tertiæ Propoſitionis. Nec alia profectò fuit Lutheri ac Calvini ſententia, quàm ut coactionem, non ſimplicem neceſſitatem à libertate removerent. *Homo*, inquit Lutherus in Libro de ſervo arbitrio, *cùm vacat ſpiritu Dei, non quidem violentia, velut obtorto collo, nolens facit malum, ſed ſponte & libenti voluntate facit....* Et rurſus: *Si Deus*, inquit, *in nobis operatur, mutata & blandè aſſibilata per ſpiritum Dei voluntas, iterum mera lubentia & pronitate, ac ſponte ſua vult & facit, non coactè, pro natura voluntatis, quæ ſi cogeretur, voluntas non eſſet.* Calvinus Lib. 2. Inſtitutionis cap. 2. n. 7. *Liberi ergo*, inquit, *arbitrii hoc modo dicetur homo, non quia liberam habeat boni æquè ac mali electionem; ſed quia malè voluntate agit, non coactione.* Et cap. 3. n. 5. Porrò, inquit, *quòd libertate abdicata voluntatem dico neceſſitate in malum trahi vel duci, mirum eſt ſi cui videatur aſpera locutio......Offendit eos qui inter neceſ-*

Pag. 84. *Pag. 95.*

ſtatem & coactionem diſtinguere neſciunt. Denique Lib. 2. de libero arbitrio contra Pighium, *Si coactio*, inquit, *opponatur libertati, liberum arbitrium eſſe & fateor & conſtanter aſſevero*. *Inter Opuſc. pag. 251.* Hanc Novatorum circa libertatem doctrinam, ſuam planè fecit Janſenius, quidquid tandem iſte, ut hanc à ſe labem depellat, citato capite 21. Lib. 8. de Gratia Chriſti moliatur.

Fruſtra pariter diceret Janſenius, neceſſitatem illam eſſe dumtaxat infallibilitatis. Nomen enim infallibilitatis neceſſitatem non excludit, cùm nihil ſit magis infallibile quàm quod eſt neceſſarium. Placuit Luthero, Libro citato de ſervo arbitrio, appellare neceſſitatem *immutabilitatis*, quod idem eſt ac ſi dixiſſet, neceſſitatem *infallibilitatis*, ut nempe exprimat infallibilem certitudinem ſeu neceſſitatem actionis. *Vocamus*, inquit Lutherus, *neceſſitatem immutabilitatis, quòd voluntas ſeſe mutare, & vertere aliò non poſſit*. *pag 706. & 707.* Et Synodus ipſa Dordracena, editionis Hannoniæ an. 1620. neceſſitatem Calvinianam appellat neceſſitatem *infallibilitatis*. Et certè neceſſitas infallibilitatis quæ oritur ex delectatione ſuperiori prævia & indeliberata voluntatem inſuperabiliter & invincibiliter ad unum determinante & applicante, nonne vera eſt ac propria neceſſitas cui voluntas relativè ad minorem quam habet delectationem oppoſitam, non tantùm nuſquam reſiſtit, ſed nec poteſt reſiſtere, propter, ut ſæpiùs diximus, inæqualitatem virium? Porrò excrucient ſe quantùm voluerint delectationis relativè victricis patroni, nuſquam neceſſitatem illam excutient, quocumque tandem nomine eam appellare voluerint.

Dicunt 2. Janſenium in eo maximè jura libertatis humanæ præſentis ſtatus violaſſe, quòd voluerit eam ſtare poſſe cum immobili determinatione ad bonum vel malum; ea ipſa ratione qua docet beatos in cœlis liberos eſſe ad bonum, & damnatos in inferis liberos eſſe ad malum. Sic colligunt ex Lib. 4. de ſtatu naturæ lapſæ c. 24.

Reſp. Equidem Janſenium aſſeruiſſe libertatem in hoc ce ſtatu cohærere poſſe cum determinatione immobili ad unum, qualis eſt in beatis & damnatis: verùm, in eo tantùm præcisè poſitum non eſſe errorem tertiæ Propoſitionis. Erravit quippe Janſenius, in eo quòd neceſſitatem etiam mutabilem cum libertate ad merendum vel demerendum in præſenti ſtatu neceſſaria conciliari poſſe exiſtimaverit; & hoc ſolum doctrinæ ipſius caput ab ejus defenſoribus & diſcipulis propugnatur. Unde ſi libertatem à neceſſitate tantùm immutabili propugnent patroni delectationis relativè victricis, à Janſenio non omnino recedunt, & cum ejus diſcipulis penitus conſentiunt. Hominem porrò liberum eſſe hac in vita libertate & indifferentia exercitii & contradictionis, tum capite 24. citato, tum 25. ſequente ſaltem verbo tenus profitetur.

Dicunt 3. Janſenium libertatem & indifferentiam hujus ſtatus reponere in ſola flexibilitate liberi arbitrii ad bonum & malum; ſe autem veram agnoſcere activam indifferentiam voluntatis.

Verùm ſi propiùs inſpiciatur illa indifferentia activa, nullatenus à flexibilitate Janſeniana differre videbitur. Namq; in ſyſtemate delectationis relativè victricis, voluntas ſub motione illius non poteſt actum ſuſpendere; non poteſt ei delectationi reſiſtere; non eſt expedita ad actum oppoſitum: ubi ergo activa ipſius indifferentia? An in eo quòd voluntas activè ſeu vitaliter agat? At Janſenius, imò & Calvinus id nunquam negavit. An in eo quòd actus quamquam neceſſarius, voluntarius ſit? Verùm hoc ipſum eſt dogma Janſenii, quod fidei adverſari & ab Eccleſia proſcriptum fuiſſe contendimus. An deni-

que eò quòd voluntas ſe movet ac determinat? At non ſolùm id non negavit Janſenius, verùm & L. 8. c. 3. & L. 6. c. 35. apertè de ipſis beatis id ipſum affirmat, ut alibi notavimus.

Circa quartam Propoſitionem.

Ut gratiæ neceſſitantis Janſenianæ invidiam à ſe removeant delectationis ſuperioris ac relativæ patroni, quædam congerunt, quibus ſub dominante delectatione ſive cœleſti ſive terrena, ad oppoſitum potentiam admittere ſe videri volunt, & à Janſeniano errore recedere.

Dicunt 1. Janſenium planè rejeciſſe indifferentiam ſub motione delectationis ſuperioris, & potentiam ad oppoſitum; ſe verò non ita.

Verùm, indifferentia quam negaſſe Janſenium affirmant, aut eſt indifferentia æquilibrii, aut illa facilitas ad bonum qua primus homo fruebatur, aut ea indifferentia qua quis non ſolùm poteſt non agere, ſed etiam in iiſdem circumſtantiis poſitus aliquando non agit, aut vis phyſica ſeſe determinandi, movendique vitaliter, modò ad bonum, modò ad malum, aut tandem poteſtas reſiſtendi delectationi ſuperiori.

I. Non eſt certè ſola indifferentia æquilibrii, & facilitas illa ad bonum qua Adamus innocens fruebatur: nihil enim diceret Janſenius, quod Catholici omnes cum Auguſtino libenter non fateantur.

II. Non eſt etiam indifferentia, ut vocant Moliniana, quia Thomiſtæ pariter cum Janſenio ipſam rejiciunt, & quidem noxiè.

III. Non eſt vis phyſica ſeſe determinandi movendique vitaliter: agnoſcit enim Janſenius voluntatem agere, habere dominium in ſuos actus, & ſeſe determinare. *Se ipſum agere & movere*, ait L. 6. de Gratia Chriſti cap. 35. *dominium*
T. 3. pag. 303. col. 1. E. *quoddam ſuper actum indicat, ut pro arbitrio ſeſe moveat vel compeſcat: alioquin enim quantumvis internum ſui motus principium habeat, agi & moveri potius, quàm ſe ipſum movere dicitur.* Rurſus ibidem: *Neceſſitas quæ in actu*
Col. 2. D. *apparet, ab ipſa libertate, & dominii ac libertatis ejus perfectione proficiſcitur, quia ipſa ſibi neceſſitatem facit, non per modum naturæ, ſed perfectiſſimæ libertatis movendo & determinando ſe.*

Reſtat ergo ut ea indifferentia quam negaſſe Janſenium affirmant Recentiores, ſit potentia diſſentiendi delectationi quæ in voluntate dominatur: ſed eandem indifferentiam, ſi non verbis, ſaltem reipſa negare coguntur Recentiores illi; cùm major delectatio neceſſariò vincat minorem, potentior debiliorem, ſuperior inferiorem, præſertim ubi virtus agendi ex delectatione repetitur. Quomodo enim ſi in bilance duo fuerint pondera inæqualia, neceſſe prorſus eſt eam bilancis partem deprimi, in qua majus eſt pondus; nec fieri poteſt ut majus à minori inclinetur, quandoquidem nulla eſt inter ea duo proportio: ſic ſi major fuerit vis gratiæ quàm concupiſcentiæ, neceſſe erit voluntatem benè operari; è contra verò malè, ſi viribus prævaluerit concupiſcentia: major eſt enim tunc reſiſtentia concupiſcentiæ quàm virtus gratiæ parvæ, dicebat D. de Sainte Beuve delectationis ſuperioris patronus; ſeu, ut ipſum appellat Paulus Irenæus, *vir ſi quis unquam Auguſtinianus*. Neque verò in eo ſyſtemate negari poteſt minorem à majori neceſſariò vinci delectationẽ; quandoquidem ne ęqualem quidem delectationẽ ab alia oppoſita æquali ſuperari unquã poſſe, potentia etiam ab actu ſejuncta, apud hujus ſyſtematis patronos pro certo habeatur. Unde in hoc potiſſimũ Semipelagianos erraſſe contendunt;

dunt;

dunt; aut ſaltem Theologos, quos vocant Congruiſtas, gratiam Chriſti penitus evacuare, infirmitatemque inflictæ per peccatum originis voluntatis ignorare prorſus prædicant, quòd hi Theologi dicant in æqualitate virium gratiæ & concupiſcentiæ voluntatem ſuperare poſſe concupiſcentiam, & ad benè agendum ſe ipſam determinare: licèt iidem Theologi profiteantur, voluntatem id poſſe tantùm potentia nunquam ad actum reducenda.

Nec eſt quòd vim faciant Recentiores, in quibuſdam durioribus loquendi formulis quæ occurrunt in Libro Janſenii, à quibus dum abſtinent, ſe ab ejus pariter doctrina penitus alienos eſſe habendos contendunt. Namque non deſunt apud eundem Janſenium plura quibus ſuos duriores loquendi modos ita emollire videatur, ut niſi ad mentem ejus ac fundamentale principium delectationis ſuperioris, ex quo ad pravum ſenſum neceſſariò determinantur, propiùs attendatur, in errorem inducere facilè poſſint.

Sic I. non aliam indifferentiam removiſſe videri vult, quàm eam quæ dicitur æquilibrii, quæque eſt, ut ait ipſe L. 7. de Gratia Chriſti cap. 14. *inſtar bilancis, quæ facillimo nutu in alterutram partem impelli poteſt*; qualem indifferentiam Pelagianam & Semipelagianam ſæpiùs appellat: neque in præſenti ſtatu periiſſe contendit hanc æquilibrii libertatem, quam, inquit loco mox citato, *minimus motus gratiæ tollit, major minuit, maximus penitus adimit.* *T. 3. pag. 335. col. 1. D.*

II. Indifferentiam exercitii ad hoc vel illud malum ſub delectatione terreſtri ſuperiori, ad hoc vel illud bonum ſub dominante cœleſti delectatione diſertè profitetur ſe agnoſcere, idque paſſim v. gratia de ſtatu naturæ lapſæ L. 2. c. 3. L. 4. c. 19. 20. 21. 24. &c. *Ibid.*

III. Lib. 8. de Gratia Chriſti c. 4. & 20. aſſerit ſe eandem ſub motione gratiæ victricis libertatem admittere, quam Thomiſtæ ſub præmotione phyſica; omniaque quæ ad tuendam arbitrii libertatem iſti proferunt, ſe pariter proferre poſſe: ea omnia hìc dicta pro ſe vult.

IV. Lib. 4. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 21. & L. 6. de Gratia c. 34. affirmat indifferentiam omnes hujus vitæ actiones comitari. Id ipſum quoque legere eſt Lib. 8. c. 20.

V. Sæpiùs affirmat ſe de libertate genericè & eſſentialiter tantùm ſumpta, non verò de libertate hujus ſtatus habere ſermonem, cùm ad hanc contendit indifferentiam requiri.

Poſſem & alia benè multa hìc proferre quibus Janſenius doctrinam ſuam emollire ac aſperitatem verborum quæ ipſi aliquando, dum æſtu diſputationis abripitur, excidunt, benignè temperare conatur: ſed hæc ſufficiunt cum iis quæ ſuperiùs ex ipſo retulimus.

Ea porrò omnia ad fraudem & fucum faciendum à Janſenio prolata ſunt; & quo ſenſu ſint intelligenda, maximè ex ipſius principiis circa delectationem ſuprà expoſuimus. Verùm, quidni ſuſpicari liceat, à defenſoribus ejuſdem ſyſtematis eadem mente, eodem conſilio quo à Janſenio, eoſdem aut ſimiles emollitos loquendi modos uſurpari?

Fatendum nihilominus eſt, Janſenium non propter ſolum minùs accuratum, & extraneum ſyſtemati ſuo loquendi modum, fuiſſe damnatum; ſed præcipuè propter capitale ac fundamentale ſyſtematis ſui principium: unde cùm ab eo principio non recedant, ſed tantùm in voculis ac ſyllabis à Janſenio diſcrepare ſatagant Recentiores, nullum eſt inter hujus & illorum doctrinam verum & apertum diſcrimen.

Dicunt 2. Se tantùm gratiam efficacem velle aſtruere, ac conari ut ſyſtema Molinianum non latiùs diffundatur; unde ſe omnem indifferentiam, omnemque potentiam ad oppoſitum, præter Molinianam, admittere. Addunt ſibi exploratum eſſe quòd ſoli Moliniani illud ſyſtema rejiciant, idque ut ſuum obtrudant.

Reſp. Si unum in votis habent Molinianum ſyſtema rejicere, cur inter tot ſyſtemata quæ illud pariter rejiciunt, unum ſeligunt ac pro aris & focis propugnant ſyſtema delectationis ſuperioris? Cur ſyſtema Thomiſticum, vel gratiæ per ſe efficacis, vel delectationis ſimpliciter victricis non amplectuntur? Certè Moliniana hæc non ſunt. Cur tandem uni ſyſtemati Janſeniano, novo & ante Janſenium in Scholis inaudito addicti videri volunt?

Reſp. 2. Veterem eſſe Janſenii diſcipulorum cantilenam, nempe ſe unicè velle gratiam efficacem propugnare, ac Molinianam excludere. Id ipſum conteſtabantur olim Janſenianorum Romæ Deputati, ſicut expoſuimus in Synopſi noſtra hiſtorica.

Reſp. 3. A 60. & amplius annis vel aperti ac fervidiores Janſeniani id ipſum profitentur, etiam cùm Janſenianum errorem preſſiùs ac ſignificantiùs exponunt. Ita Abbas de Bourzeis cap. 28. 1. Collationis, in Libro qui inſcriptus *pag. 126.* eſt, *Saint Auguſtin victorieux de Calvin & de Molina*. *Quamlibet*, inquit, *indifferentiam agendi vel non agendi quam libero arbitrio ſub influxu gratiæ tribuant, hanc non negamus, modò vis interior inviſibiliſque gratiæ incolumis ma-* *pag. 119.* *neat*. Et cap. 26. 1. Collationis. *Hæ voces, neceſſarium, neceſſe, aut neceſſitas, nobis ſunt inſuetæ, paratique magis ſumus ab his omnino abſtinere ob pravum ſenſum quem multi ipſis affingunt, quàm eas uſurpare ob bonum cujus ſunt capaces. Quòd ſi quandoque diſcipuli quidam Auguſtini his uſi fuerint, id eo unicè conſilio, ac mente fecerunt, ut libertatem Molinianam, quæ gratiam Dei voluntati hominis ſubmittit, excludant*. In Libello inſcripto, *Manifeſte des Theologiens diſ-* *Pag. 55. col. 1.* *ciples de S. Auguſtin*, inter Collectanea de S. Amour. *Solùm Molinæ indifferentiam, utpote gratiæ per ſe efficaci contrariam, nec ad libertatem nec ad meritum in hoc naturæ lapſæ ſtatu requiri*, S. Auguſtini ciſcipuli contendunt. Et po- *Pag. 56. col. 2.* ſtea: *Ex quibus patet, indifferentiam qualemlibet in hoc lapſæ naturæ ſtatu ab Auguſtini diſcipulis in his quæ ad ſalutem & ad finem ſupernaturalem pertinent, admitti, præter Moliniſticam, quæ gratiæ ad ſingulos pios actus neceſſariæ effica-* *Ibid pag. 191. col. 1.* *ciam & vim propriam d eſtruit*. Paulus Irenæus Diſq. 1. art. 6. *Hæc una* (Moliniana) *indifferentia dempta, cæteras omnes, quæ gratiæ efficaci non adverſantur, ſemper reperiri in hoc ſtatu naturæ lapſæ nobis videtur ſentire Janſenius.*

Dicunt 3. Janſenii diſcipulos ipſumque Janſenium, ſi aliquam potentiam ad oppoſitum ſub delectatione ſuperiori admittant, eam tam debilem ac levem admittere, ut pro nulla haberi debeat; ſe verò perfectiorem admittere.

Reſp. Janſenium ejuſque diſcipulos eam admittere, ſaltem ſi verbis fides *T. 3. pag. 367. col. 2. D.* habeatur, quæ perfectiſſima ſit. Ita Janſenius Lib. 8. c. 20. ſub gratiæ delectatione victrici affirmat *remanere peccandi poteſtatem perfectiſſimam*. D. de Bour- *pag 211.* zeis c. 30. 4. Collationis ſic aſſerit: *Quamlibet potentiam quam Congruiſtæ imaginari poſſent ad oppoſitum, quàm eam quæ reducitur ad actum in iiſdem circumſtantiis, hanc admittimus, libentiſſimèque amplectimur*. Paulus Irenæus Diſq. 3. art. 22. *pag. 206. col 2.* *Quamlibet benè agendi potentiam & quibuslibet nominibus ornatam largire, nihil* *Ibid. pa. 193. col. 1.* *omnino ſententiæ noſtræ adverſaberis*. Et Diſq. 2. *De gradibus illius benè agendi potentiæ .. operosè diſputare, otioſorum hominum eſſe videtur. Quamobrem ne quis mihi*

unquam

Digitized by Google

unquam de illa negotium faceſſat; profiteor me illam locare in ſummo gradu. Denique in Libro cui titulus, *Defenſe des Propoſitions de la ſeconde Colonne*. art. 16. *Admittimus liberam potentiam reſiſtendi in omni gradu poſſibili Thomiſtico.* Pag. 37.

Dicunt 4. Janſenium & Janſeniſtas textum S. Auguſtini, *Secundùm id quod magis delectat, operemur neceſſe eſt*, de neceſſitate propriè dicta intelligere; ſe verò de neceſſitate impropriè dicta.

Reſpondet D. de Lalane in Libro inſcripto, *Conformité des Thomiſtes avec Janſenius, ſeconde partie. Hæc neceſſitas impropria tantùm eſt, quæ ſignificat tantùm certitudinem effectus, quæque nullo modo excludit potentiam ad oppoſitum, ut demonſtrari poteſt ex iis quæ S. Auguſtinus in Epiſtola ad Galatas circa hoc placitum ſuum, Secundùm id quod magis delectat, operemur neceſſe eſt, exponit.* Pag. 19.

Dicunt 5. Janſenii diſcipulos negare indifferentiam judicii, ſe verò admittere.

Verùm Paulus Irenæus Diſq. 6. art. 4. *Speciali hujus ſtatus & viæ conditione fit*, ait, *ut nihil ipſi (homini) proponatur ad merendum & demerendum niſi per judicium indifferens; ut ajunt Thomiſtæ.* Pag. 55. col. 2.

Dicunt 6. Se hoc unum velle, ut voluntas nunquam agat oppoſitum delectationis ſuperioris; plura verò Janſenium ejuſque diſcipulos exigere.

Reſpondet D. de Bourzeis 4. Collatione c. 29. *Quando dicimus non poſſe diſſentiri gratiæ efficaci, tantùm volumus intelligi per eam impotentiam, quòd nunquam contingat huic diſſentiri. Quid in hoc mirandum magis aut incredibile, quàm quod aſſerunt præmotionis phyſicæ aut gratiæ congruæ patroni?* Id ipſum cap. 26. dixerat iiſdem penè verbis. Paulus Irenæus Diſq. 6. art. 3. ſic ait; *Instructa infirmioribus illis gratiis voluntas, etſi nunquam iis plenè conſentiat, tamen verè poteſt conſentire, nec defectu phyſicæ poteſtatis iis non conſentit, ſed quia mavult alii objecto, quo magis delectatur, conſentire .... Ille ſtatus animæ creaturam magis quàm Deus amantis, rectè propterea vocatur infirmitas, imbecillitas & impotentia, quia nunquam contingit ut in eo ſtatu ſine ampliori auxilio rectè agat.* Pag. 204. Pag. 195. Pag. 254. col. 1.

Dicunt 7. Tantùm abſumus à gratia neceſſitante Janſeniana admittenda, ut efficaciam gratiæ in quadam congruitate & contemperatione cum diſpoſitionibus ſubjecti conſtituamus; ita ut neceſſe ſit, ut divinæ gratiæ victricis collatio præſcientiam & explorationem Dei circa diſpoſitiones ſubjecti præſupponat, ne v.g. quem vellet Deus efficaciter convertere, quiq; puta ſex gradus concupiſcentiæ haberet, huic conferret gratiam quæ quatuor tantùm gradus cæleſtis delectationis communicaret: Janſenium verò omnem præſcientiam ac cognitionem, ut quid Semipelagianum, à victrici ſua gratia excludere.

Reſp. congruitatem & explorationem de qua in objectione, minimè potuiſſe à Janſenio rejici; quin imò cum ejus ſyſtemate neceſſariò connexam. Verùm mirari ſatis non poſſum fraudem ac fallaciam quorumdam hujuſce ſentẽtiæ patronorum, qui eo prætextu ſub Congruiſtarum pallio aliquando volunt ſe tegere. Triplex enim inter utramque ſententiam diſcrimen apertum. 1. In ſententia Recentiorum, eſt connexio infallibilis & neceſſaria inter ſuperioritatem delectationis gratiæ & conſenſum voluntatis, ex vi & ſuperioritate ipſius gratiæ: nihil ſimile in ſententia Congruiſtarum reperitur; nulla enim connexio infallibilis in illa ſententia, niſi dependenter à ſcientia media. 2. Deus videt neceſſitatem connexionis inter delectationem & conſenſum per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ: in ſententia Congruiſtarum, in ſcientia media videt futuritionem conditionatam conſenſus. 3. Scientia exploratrix qua Deus explorat diſquiſitiones ſubjecti, ſeu gradus futuros concupiſcentiæ, eſt ſcientia viſio-

nis: ſcientia verò exploratrix in ſententia Congruiſtarum, eſt ſcientia media. Fusè hoc proſequitur P. Maſſoulié Tom. 2. Differt. 3. de divina gratia q. 6. art. 2.

pag. 213. & ſeq. Dicunt 8. ſe negare prorſus voluntarium idem eſſe ac liberum; non ſolùm eo ſenſu quo Janſenius illud negavit, nempe quia motus primò primi, licèt aliquo ſenſu voluntarii, non ſunt tamen liberi juxta illum auctorem; ſed etiam ex eo quòd liberum ſit id quod ita volumus, ut ſimul ſtet cum actu volendi potentia ad oppoſitum.

Reſp. Arnaldum in Libello inſcripto, *Humanæ libertatis notio delineata*. Cauſæ Arnaldinæ p. 100. & 106. pariter diſtinguere voluntarium à libero; ita tamen ut per potentiam ad oppoſitum, intelligat dumtaxat excluſionem neceſſitatis ad unum à natura.

Dicunt 9. Syſtema Janſenii in eo differre à delectatione ſuperiori qualem Recentiores agnoſcunt, quòd juxta Janſenium, voluntas æquè certò & infallibiliter determinatur ad malum per ſuperiorem delectationem terrenam, quàm ad bonum per cœleſtem: at iſtud locum non habet in ſyſtemate Recentiorum, qui aſſerunt hominem, etiam ſub dominio ardentioris cupiditatis, aliquod opus moraliter bonum interdum exercere.

Verùm, fictum planè eſt diſcrimen iſtud. In utroque enim ſyſtemate, ſuperior delectatio terrena tam certò & infallibiliter ad malum, quàm cœleſtis ad bonum determinat. Niſi ita foret, qui fieri poſſet ut Deus certitudine planè infallibili ac metaphyſica, ut ajunt, noſſet hominem cum ſola gratia ſufficiente, abſente efficaci, nuſquam obſervaturum mandatum? Id quippe certò noſſe non poteſt, niſi quia certiſſimè continget ut ſuperior delectatio minorem ſuperet, ac voluntatem ad agendum ſeu benè ſeu malè determinet. 2. Poſſibile non eſt poſſibilitate ad actum reducibili, ut dominante delectatione terrena, homo cum ſola inferiori gratia ſufficiente aliquod opus bonum morale exerceat; quandoquidem voluntas maxima tunc difficultate premitur, ac vera laborat impotentia morali operandi bonum, quæ juxta ipſos nunquam ad actum reducitur. Imò nequidem poſſibile eſt ea poſſibilitate quæ nuſquam ad actum reducatur, ut voluntas ardentiori cupiditate abrepta, ſe ipſam ad aliquod bonum opus morale efficaciter flectat ac determinet. Abſente enim gratia efficaci ac dominante concupiſcentia, iſti reſiſtere non poteſt nec bonum operari, ex vera, propria & phyſica impotentia, nempe propter virium depreſſionem, ac infirmitatem ortam ex peccato: qua fit, ut non magis poſſit eo in ſtatu operari bonum, quàm ex morbo convaleſcens exhauſtuſque viribus, poſſit longum iter pedibus perficere. An non iſte vera & phyſica laborat impotentia? Ergo & ille.

Circa quintam Propoſitionem.

Dicunt Recentiores agnoſcere ſe veram & ſinceram in Deo eſſe voluntatem pro ſalute omnium, ac Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum fuiſſe; quod utrumque in ſuo ſyſtemate Janſenius rejicit. *Poſtquam*, inquit Lib. 3. de Gratia Chriſti cap. 20. *peccata jam ab hominibus inducta conſiderantur, antecedens voluntas in ſola præciſione mentis, adeoque nuda quadam velleitate nihil omnino gratiæ cauſante, conſiſtere poteſt. Quod ex eo manifeſtiſſimè patet, quia talem antecedentem voluntatem etiam erga damnatas creaturas, ſive hominum ſive Angelorum Deus habet*. Et cap. 21. *Illa*, inquit, *extenſio* (mortis Chriſti pro omnibus) *tam vaga modernorum Scriptorum, non alio ex capite quàm ex iſta generali & indifferenti voluntate Dei erga ſalutem omnium, & ex illa*

T. 3. pag. 161. col. 2. B.

Ib p. 166. col. 2. D.

ſuffi-

ſufficientis gratiæ omnibus conferendæ præparatione fluxit, quorum utrumque Auguſtinus, Proſper, Fulgentius & antiqua Eccleſia velut machinam à Semipelagianis introductam repudiavit.

Verùm I. Syſtemati Janſeniano nullatenus eſſentiale ac neceſſarium eſt negare aliquam eſſe in Deo antecedentem pro ſalute omnium voluntatem; ac ſalvum & integrum ſtat illud ſyſtema, ſive negetur, ſive admittatur hæc Dei voluntas. Hoc unum cum illo neceſſariò connexum eſt, gratias ſcilicet parvas, quas Deus omnibus reprobis largitur, viribus impares ac inſufficientes eſſe relativè ad eorum concupiſcentiam ſuperandam, adeo ut nullus reprobus ſalvari poſſit. Sive autem dicatur voluntas illa Dei antecedens pro ſalute omnium, beneplaciti, realis & non puræ complacentiæ; ſive tantùm ſigni, metaphorica & omnino ſterilis, perinde eſt in ſyſtemate Janſenii.

II. Aliis in locis videtur Janſenius temperare quod duriùs citato in loco ſcripſit, & agnoſcere voluntatem illam Dei antecedentem non eſſe planè ſterilem & otioſam. Eodem quippe Lib. 3. de Gratia Chriſti c. 17. docet per illam voluntatem Deum paratum eſſe dare omnibus eam gratiam quam ante peccatum homini innocenti dederat. *Non ſufficit*, inquit, *prior gratia quam ante peccatum Deus homini conferebat, & etiamnum omnibus conferre paratus eſt, ſi voluntatem eius uſui ſufficientem reperiret*. Porrò nonne ſufficit, ut voluntas antecedens dicatur activa, quòd parata ſit omnibus aliqua divinæ gratiæ auxilia impertiri? Ibidem paulò poſt. *Non eſt*, inquit, *illuſoria Dei vocatio & admonitio, & increpatio, & correctio ..... tribuit enim quidquid creaturæ rationali à ſe conditæ ad audiendam ſequendamque vocem ſuam neceſſarium fuit*. Capite verò 27. Lib. 2. de Gratia Chriſti ait, *multos divinæ gratiæ motibus in voluntate percelli, qui tamen ab ejus interna ſuaſione & inclinatione diſſentiunt*. Porrò Deus haud dubiè intendit aliqua voluntate illud opus bonum ad quod provocat interna gratiæ ſuæ ſuaſione. Illa autem voluntas eſt tantùm antecedens, neque tamen omnino ſterilis.

Ib. p. 153. col. 2. E.

Pag. 154. col. E.

Ib. p. 86? col. 2. E.

Dicere igitur quis poſſet Janſenium non omnino negaſſe omnem in Deo pro ſalute omnium voluntatem aliquo ſenſu activam? Et certè cùm citatis cap. 20. & 21. Lib. 3. dixit eam antecedentem voluntatem in mera præciſione mentis & nuda velleitate, nihil omnino gratiæ cauſante tam in hominibus quàm in damnatis Angelis, conſiſtere, intelligi poteſt de gratia quæ cum effectu conjungatur; ſeu quantùm ad efficacem & abſolutam ſalutis aſſecutionem: quia re ipſa virtute voluntatis hujus antecedentis, non magis ſalutem aſſequuntur reprobi in via adhuc conſtituti, quàm damnati in inferis recluſi. Neque enim quantùm ad conceſſionem, ſeu diſpenſationem aut præparationem gratiæ alicujus, (ut Dionyſius Raymundus obſervat, ſimulque Paulus Irenæus) voluntas illa eodem planè ſenſu iners dici poteſt erga dæmones aut homines in inferno jam poſitos, ac erga reprobos in terris adhuc degentes, quibus gratias aliquas temporales, imò & aliquibus etiam ſanctificantem gratiam largitur, quæ (pergit citatus auctor) cùm ex ſe ſit gloriæ ſemen, rectè, in mente Iprenſis, ortum habere dicitur ex voluntate Dei antecedente ſalutis illorum reproborum; quod utrumque dici non poteſt de damnatis, qui non ſolùm nullam omnino gratiam recipiunt, ſed nec capaces ſunt ipſius accipiendæ.

III. Sic reipſa diſcipuli Magiſtrum interpretantur, ac diſertis verbis profitentur eſſe in Deo veram, non otioſam ac ſterilem, ſed actuoſam pro ſalute omnium voluntatem.

Pau-

Paulus Irenæus Diſq. 6. art. 8. rem totam his verbis dilucidè exponit. *Iſta voluntas antecedens non eò ſolùm pertinet, ut Deus abſtrahendo ab hominis lapſu, ſalutem omnium, quatenus homines ſunt, optare dicatur; ſed generatim antecedens Dei voluntas fertur in id quod rectum, quod juſtum, quod bonum ſecundùm ſe eſt. Ita quia rectum eſt hominem converti, pœnitentiam agere, bonitatem Dei non contemnere, gratias ejus non reſpuere, ad ſacramenta accedere; hæc omnia antecedente voluntate cenſetur Deus velle, licèt ſpectatis ſingulis circumſtantiis, non decreverit ſingulis efficaces gratias conferre, quibus ad ſalutem certò perveniunt, ſine quibus certò abſalute excidunt. Ergo non eo ſolùm nomine antecedenti voluntate Deus omnium hominum ſalutem optat, quia omnes creaturas rationales ad beatitudinem fecit; ſed etiam quia cùm permultas gratias vel externas vel internas in reprobos diffundat, quibus injuſtum eſt eos abuti, iiſdemque aditum ad Eccleſiam ſuam patere velit, antecedente voluntate velle cenſetur omnes ad ſalutem pervenire, quia vellet ipſos obſtinatos in malitia non manere.* Lege & Dionyſium Raymundum 1. parte c. 6. art. 6.

Pag. 268. col. 1.

Pag. 231. & ſeq.

Auctores quinque Articulorum art. 5. *Veritati conſentaneum eſt dicere*, inquiunt, *Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe ac ſanguinem fudiſſe; tum quia antecedenti voluntate ſalutem omnium voluit; tum quia ſufficiens pro omnibus pretium obtulit. Falſum autem eſt & hæreticum dicere, Chriſtum pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuum eſſe; cùm multis reprobis, omnibuſque adeo juſtificatis gratias, tradita à Thomiſtis notione, ſufficientes meruerit, quibus ad ſalutem pervenire poſſent; quamvis nemo illis benè utatur, & in accepta juſtitia perſeveret, niſi uberioribus illis & efficacibus auxiliis adjuvetur.*

Non immeritò igitur diximus Janſenianum ſyſtema id neceſſariò non poſtulare, ut excludatur omninò Dei antecedens voluntas pro ſalute omnium: ut enim hæc cum ipſo ſyſtemate defendi poteſt, ita etiam & negari. Quapropter, noſtro quidem judicio, non ſatis eluitur Janſeniſmi nota & ſuſpicio, ex eo præcisè quòd quis admittat dictam illam in Deo voluntatem antecedentem; quandoquidem apertiſſimi Janſenii fautores eam quoque agnoſcere ſe profitentur. Nolim tamen Janſenium ea in parte vindicare; imò eo ipſo quòd docuit parvas illas gratias, quæ reprobis conceduntur, abſolutè dumtaxat ſeu abſtractè conſideratas, tendere ad eorum ſalutem, non verò relativè ad præſentes eorum diſpoſitiones, id eſt, majorem concupiſcentiam, cui ſuperandæ planè impares & inſufficientes ſunt, omnem illam prætenſam Dei ſinceram voluntatem evertit; ac perinde eſt ad ſalutem illorum reproborum, ac ſi nullatenùs Deus vellet eos ſalvos fieri, nullaſque ipſis omnino gratias concederet; quia nullum ex illis, utpote non proportionatis oppoſitæ cupiditatis gradibus ſuperandis, fructum ac commodum ad ſalutem referre poſſunt. Cùm enim, juxta Janſenium, voluntas illa Dei antecedens abſtrahat ab omnibus particularibus circumſtantiis ſubjecti, conſequenter abſtrahit à gradibus majoris concupiſcentiæ illorum hominum: unde fit quòd gratiæ, quas Deus illis decernit, licèt ex natura ſua & Dei voluntate antecedente quæ abſtrahit à circumſtantiis, poſſint ſalutem procurare, relativè tamen non poſſunt, quia ſunt invalidæ & debiliores, ac gradibus cupiditatis, in quam impingunt, inferiores.

Atque in eo potiſſimum poſitus eſt error quintæ Propoſitionis, ac Janſenius à doctrina S. Thomæ longiùs recedit in 1. diſtinct. 46. q. 1. art. 1. ubi docet, voluntatem antecedentem abſtrahere dumtaxat à diſſenſu perſonæ cui gratia conceditur, non verò, ut Janſenio placet, à gradibus vehementioris ipſius.

ipſius concupiſcentiæ. *Minima enim gratia*, in principiis S. Thomæ, *ſuperare poteſt quamcumque concupiſcentiam, & vitare quodcumque peccatum mortale.*

Expenduntur alia nonnulla generalia momenta.

Opponunt 1. Doctrinæ alicujus ſyſtema rejici ac damnari propterea non debere, quòd ab ejus æmulis nonnullæ inferantur concluſiones minùs ſanæ & orthodoxæ; maximè cùm ſyſtematis hujus defenſores concluſiones illas rejiciunt ac damnant: aliàs, conclamatæ forent omnes ferè Scholarum Catholicarum opiniones, v. g. Thomiſtarum, ex quibus earum adverſarii, abſurda, falſa & erronea ſequi arguendo contendunt.

Reſpondetur 1. Recentiores ipſos in hoc ipſo peccare, quod nobis objiciunt, cùm ſententias ferè omnes Catholicas circa gratiam explodant, imò & ſæpiùs acerbiori cenſura notent, propter conſequentias dumtaxat, quas earum patronis falsò tribuunt, quaſque ipſi expreſsè rejiciunt.

II. Quando concluſiones nexu planè neceſſario ex ſuo principio ſequuntur, vel deſerendum eſt principium, vel admittendæ concluſiones; & qui priori retento iſtas negat, ſimilis eſt illi qui truncum & radicem arboris ſervaret, & ramos inde pullulare nollet. Porrò ita neceſſario fluxu ex principio delectationis ſuperioris conſequitur doctrina quinque Propoſitionum, ut non ſolùm Janſenius illius ſyſtematis parens, poſt indefeſſam per viginti & duos annos hujus principii cum concluſionibus collationem, has Propoſitiones tanquam conſequentias ex illo principio deducendas admiſerit; verùm etiam ipſius diſcipuli Libris pluribus, imò & Memorialibus Innoc. X. Pontifici oblatis disertè probaverint earum cum principio delectationis ſuperioris neceſſariam & individuam connexionem. Unde vel ex hoc ipſo longum & apertum diſcrimen eſt inter concluſiones, quas æmuli præmotionis phyſicæ contra hoc ſyſtema inferunt, & concluſiones illas quas ex principio delectationis ſuperioris inferimus.

III. Nec rejiciuntur concluſiones illæ à Recentioribus, niſi quantùm ad verba quædam duriora, quæ aures offendunt: verùm, quando ad legitimum ſenſum Janſenii, hoc eſt, delectationis ſuperioris, aliis extraneis ſemotis, clarè ac nitidè revocantur, profectò admittuntur.

IV. Nulla comparatio inter ſyſtema prædeterminationis phyſicæ & ſyſtema delectationis ſuperioris inſtituenda. Syſtema præmotionis phyſicæ non omnino recens eſt, Scholam ac diſcipulos in Eccleſia obtinet, ac Summi Pontifices prohibuerunt ne ulla cenſura notaretur: tale non eſt ſyſtema delectationis ſuperioris; nullam Scholam obtinet, recens excogitatum à Janſenio, nec uſquam probatum, imò cum parentis ſui doctrinæ damnatione implicitè ſaltem involutum.

Opponunt 2. Non alia magis ratione oppugnatur phyſica præmotio, quàm quòd neceſſitatem imponere videatur; quia nempe illud omne cenſetur neceſſitatem imponere, quod eſt cauſa certiſſima & infallibilis actionis creatæ: at hoc ipſum eſt quod adversùs ſuperiorem delectationem potiſſimum contorquetur.

Præterea ratio propter quam multi gratiam Thomiſtico ſenſu efficientem repudiant, hæc eſt, quia non continet quidquid neceſſarium eſt ad agendum; unde fit ut cum ea ſola homo nuſquam agat: atqui nonne hoc ipſum eſt quod adversùs gratiam ſufficientem Janſenianam opponitur?

De-

Denique fidei dogma eſt, nullam voluntati neceſſitatem inferri per gratiam ſummè victricem & efficacem: quare igitur id crimini datur delectationis ſuperioris ſyſtemati?

Reſpondetur ad 1. Non ex eo præciſè redargui ſuperiorem delectationem, quòd cum ea infallibili nexu conjuncta ſit voluntatis actio; ſed quòd talis ſit ea infallibilitas, ut ei reſiſti non poſſit, ac veram ad actum oppoſitum tollat relativam poteſtatem: unde hæc infallibilitas veram neceſſitatis naturam & rationem induit.

Ad 2. Æquivocatio eſt nominis, de qua toties diximus. Gratia ſcilicet ſufficiens Janſeniana in ſe abſolutè ſpectata & præciſis circumſtantiis ſubjecti, continet quidquid eſt abſolutè neceſſarium ad agendum: at illa gratia ſufficiens Janſeniana, relativè ad majorem oppoſitam concupiſcentiæ delectationem, non continet quidquid eſt neceſſarium ad agendum, ob eam quam ſæpiùs diximus rationem; quia major delectatio nuſquam poteſt à minori ſuperari. Non ita eſt de gratia ſufficienti Thomiſtica, quæ tametſi minima, ſuperare poteſt quamcumque actualem concurrentem concupiſcentiam, & quodlibet peccatum declinare.

Ad 3. Eſt quidem dogma fidei, per gratiam efficacem, ſenſu Catholico expoſitam, nullam inferri ad agendum neceſſitatem: at talis non eſt gratia efficax Calviniana, vel Janſeniana.

Opponunt 3. Patrem Maſſouliè Dominicanum inter recentiores Thomiſtas clariſſimum, in Opere quod inſcripſit, *Divus Thomas ſui interpres*, ſyſtema ſuperioris ac relativæ delectationis approbare ac totis viribus defendere: nec tamen illum in ſuſpicionem Janſeniſmi venire poſſe, quem data opera refellit Tomo 2. Diſſertatione 4. q. 3. cui titulus eſt, *Utrùm cum erroribus Janſenii ſententia Scholæ divi Thomæ conveniat*. Ergo ſyſtema delectationis ſuperioris diſtat ab errore Janſenii. Adde quòd dictum Opus P. Maſſouliè Romæ typis mandatum fuerit ſub oculis & cum licentia S. Pontificis: an verò toleraſſet Pontifex ſyſtema Janſenianum eo in Opere propugnari?

Reſpondetur I. Patrem Maſſouliè hac ſua ſententia tantùm diſtare à Thomiſtica Schola, quantùm hæc diſtat à Janſeniana. Vel ipſemet Janſenius Lib. 8. de Gratia Chriſti cap. 2. Thomiſticam explicandæ gratiæ victricis rationem explodit ac rejicit.

II. Thomiſtæ qua veteres qua recentiores à Janſenii ſyſtemate omnino alienos ſe profitentur; & ſi quando Janſeniani ad eos, ut deliteſcerent, ſe recipere voluerunt, repulſi ſunt. *Dominicani res ſuas gerunt, Auguſtiniani ſuas*, inquiebat de S. Amour. Atque in Congreſſu, qui habitus eſt anno 1651. die 2. Decembris, ut tentaretur unio ac ſocietas Thomiſtas inter ac Janſenianos, nuſquam convenire inter ſe potuerunt, tum circa verba, tum circa ſenſus. Auctor recentioris Operis cui gallicè titulus, *Juſtification du ſilence reſpectueux*, fatetur ingenuè Tom. 3. cap. 43. nu. 17. ſyſtema Thomiſtarum alienum planè eſſe à ſuperiori & relativa delectatione gratiæ juxta Auguſtinianos, id eſt Janſenianos: atque P. Maſſouliè, deſerta Schola Thomiſtica, ea in parte ad Auguſtinianos acceſſiſſe. (Pag. 1348.)

III. Non eſt quòd Recentiores adeo venditent & extollant auctoritatem dicti P. Maſſouliè. Quæ enim ille docet circa gratiam ſufficientem, in qua dumtaxat abſolutam agnoſcit ad ſuperandam oppoſitam cupiditatem potentiam, non verò relativam ac viribus proportionatam, planè conſentiunt cum Janſe-

ſeniana, & à Thomiſtica doctrina plurimùm diſcordant. Tomo 2. Diſſerta-
tione 3. q. 6. art. 1. poſtquam fusè demonſtravit exemplo rerum naturalium, Pag. 209.
hanc eſſe in omni ſtatu immobilem divinæ providentiæ *conſtitutam legem*, *ut*
actio ex proportione majoris inæqualitatis oriatur, qua agens ſibi ſubjiciat paſſum,
& major vis vincat minorem: Art. 2. de divina gratiæ motione ſic loquitur. *Si* Pag. 210.
fortior ſit divinæ gratiæ motio, & ea motione accenſa charitas vincat ſuperetque
pravam cupiditatem, tunc motio divinæ gratiæ efficax eſt: Quòd ſi è contra vehe-
mentior ſit ipſa cupiditas, caſſa & inefficax redditur divina motio, aut ejus vis ita
retardatur, ut licèt effectum aliquem habeat, non habeat tamen perfectum, ad quem
ex divina ordinatione refertur..... Et poſtea. *Palam eſt*, inquit, *ſufficientem gra-*
tiam quam Schola divi Thomæ admittit, veriſſimè & propriiſſimè ſufficientem eſſe; Pag. 212.
cùm re ipſa nihil ipſi deſit, ſi vis ipſius agendi ſpectetur. Quòd enim gratiæ divinæ
motio, v. g. ut quatuor, interdum effectum non habeat, non oritur ex defectu ipſius
motionis divinæ, quæ vim agendi non habeat. Eſt enim veriſſimè ſufficiens, imò &
natura ſua efficax, nec minorem ſuo in ordine vim habet agendi, quàm habeat, v. g.
calor in ordine phyſico, quem nemo negaverit vim habere ſufficientem comburendi,
ita ut ſi admotum lignum ignis non comburat, id non oriatur ex eo quòd ipſi igni deſit
ſufficiens vis agendi, ſed quòd lignum oppletum humiditate & aqua, impreſſioni ſeu
vi & efficaciæ ignis obſiſtat. Atque idem de voluntate ſentiendum eſt. Nam ſi pra-
va voluntas minori v. g. obſtinatione obſirmata eſſet, minùſque intenſus eſſet pravus
ipſius habitus, quo veluti pondere à virtute colenda retrahitur & ad vitium impelli-
tur, ipſa eadem divinæ gratiæ motio ut quatuor, voluntatem ad virtutem impelle-
ret, atque hujus conſenſum obtineret..... Quòd ſi ea gratiæ divinæ motio ut quatuor,
voluntatis conſenſum non obtineat, id non ortiur ex defectu ipſius motionis gratiæ di-
vinæ, ſed ex prava diſpoſitione voluntatis, quæ ob pravum habitum intenſum v. g.
ut quinque, ipſius actionis impreſſioni, & vi ſeu efficaciæ divinæ motionis non ſub-
jicitur. Hactenus Pater Mauſſouliè. Non poterat ille verbis ſignificantioribus
exprimere ſententiam Sambovii, Pauli Irenæi & aliorum, quorum teſtimo-
nia retulimus, ubi de poteſtate abſoluta & relativa, quorum verba videtur
exſcripſiſſe: Gratiam nempe ſufficientem abſolutè quidem in ſe & præciſis
ſubjecti diſpoſitionibus ſufficere, & ad opus perfectum ex divina voluntate
antecedenti referri; nullibi verò ſignificat P. Maſſouliè ſufficere relativè in his
circumſtantiis, ſeu quatenus ardentior eſt illa concupiſcentia.

Parùm juvat quod ibidem art. 1. aſſerit, *quòd nempe ſi homo gratiæ ſufficienti* Pag. 209.
non obſiſteret, Deus efficacem ipſi conferret. Namque in his circumſtantiis vo-
luntas non poteſt non reſiſtere, juxta legem à divina providentia inſtitutam,
ut ait P. Maſſouliè, *per quam actio ex proportione majoris inæqualitatis oritur,*
qua major vis vincat minorem. Quomodo enim fieri poſſet, ut voluntas majo-
ri concupiſcentiæ pondere ad malum depreſſa, erigeretur ad bonum, niſi
mutata prorſus & inverſa iſta divinæ providentiæ lege?

Nemo ſanè hìc non recognoſcat Janſenianum ſyſtema, ac radicem ipſam un-
de quinque Propoſitiones neceſſario fluxu dimanant. Neque verò potuit dictus
P. Maſſouliè invidioſum iſtud doctrinæ ſuæ cum Janſeniana conſortium decli-
nare, niſi Cenſuram Apoſtolicam quinque Propoſitionum Janſenii derivando
in ſenſum adeo abſurdum & à mente Janſenii alienum, ut Janſeniana hæreſis
figmentum ac merum phantaſma videri poſſit. Exemplo ſit quod ait Diſſert.
4. de gratia Adami q. 3. art. 4. ubi ex profeſſo demonſtrare nititur quàm longè
abſit doctrina Thomiſtica à Janſeniana. Inter cætera verò, de gratia ſuffi-
cien-

ciente ſenſu Thomiſtico & Janſeniano verba faciens, contendit *diſcrimen eſſe* (ſunt ejus verba) *quòd apud Janſenium hæc minor ac invalidior gratia, quæ actum aliquem efficit, in ea dumtaxat efficientia ſiſtat, neque ad alium perfectiorem actum ordinetur, aut ex ipſa rei natura, aut ex ipſa Dei ordinatione & intentione*... Quod ſanè quàm parùm rationi conſentaneum ſit, inde ſatis liquet, quòd ex ipſa rei natura ſemper imperfectum ad perfectum ordinetur.

Pag. 355. Reſp. 3.

Verùm hæc ipſa hujus ſententiæ abſurditas P. Maſſouliè movere debuiſſet, ne Janſenio totis viribus reluctanti eam affingeret. Tale profectò figmentum nuſquam ille exeogitavit; quin imò, in illa parva gratia quotquot ſunt Janſeniani, agnoſcunt *perfectiſſimam*, *completiſſimam*, *expeditiſſimam* quoad bonum opus potentiam, tum ex natura ipſius gratiæ, tum ex ordinatione Dei. At tota æquivocatio in eo latet, quòd completiſſimam dicant abſolutè, non verò relativè; hoc verò ipſum eſt quod tuetur ac probat dictus P. Maſſouliè, juxta eam legem quam ait ab auctore naturæ inſtitutam, *ut actio ex proportione majoris inæqualitatis oriatur, qua major vis vincat minorem*. Qua lege ſuppoſita, neceſſe eſt dictus Theologus affirmet, juſtis ſola gratia parva ſeu inferiori inſtructis, abſente efficaci, impoſſibilia eſſe quædam mandata, non quidem abſolutè ac præcisis circumſtantiis, ſed relativè: minor quippe iſta gratia, non poteſt majorem actualem vincere concupiſcentiam.

Le Tellier, Arch. Rem. De Noailles Arch. Par. Boſſuet Ep. Meld. De Seve Ep. Atreb. De Brou Epiſt. Amb.

Nec te moveat quòd dictum Opus Romæ ſub oculis S. Pontificis typis mandatum fuerit. Nonne Liber Cardinalis Sfrondati Romæ pariter editus fuit, & cum S. Pontificis Innocentii XII. commendatione, & Cardinalium plurimorum applauſu? Non tamen religioni duxere nonnulli Archiepiſcopi & Epiſcopi Gallicani dictum Librum, velut plures errores continentem, denuntiare S. Pontifici Innocentio, in ſolemni Epiſtola ſcripta ſeptimo Calendas Martii an. 1697. Licentia ergo illa quam P. Maſſouliè obtinuit Opus ſuum Romæ typis excudendi, non importat approbationem doctrinæ ipſius, ſed tollit dumtaxat prohibitionem à Paulo V. latam, typis mandandi quemlibet Librum circa materiam de Auxiliis abſque ſpeciali licentia. Ita de S. Amour. pag. 180. Diar. & 200. & 201.

Opponunt 4. Eminentiſſimum Card. Laurea & Illuſtriſſimum Archiepiſcopum Rothomagenſem D. Daubignè in ſuo Documento Paſtorali an. 1708. approbare tanquam innoxium, ſyſtema delectationis per gradus ſeu relativè victricis: non igitur exiſtimarunt illud eſſe fundamentum totius Janſeniſmi, ac fontem unde quinque Propoſitiones ſcaturiunt.

Ad 1. Reſpondetur 1. Cardinalem Laurea hoc unum docere, ex gratia ſcilicet delectationem quamdam ac ſuavitatem profluere velut effectum ex cauſa, qua fit ut voluntas tali ſuavitate delinita longè magis ſibi placeat in bono quàm in malo opere exercendo. Hæc porrò delectatio motus eſt voluntatis omnino deliberatus, ortus ex ipſius libera determinatione: qua ex parte plurimùm differt à delectatione ſuperiori Janſeniana quæ indeliberata eſt, antecedit non verò ſequitur voluntatis determinationem. Dici etiam poteſt quòd doctiſſimus & Eminentiſſimus Auctor, cum aliis inter orthodoxos non paucis, vim & efficaciam gratiæ colligit ex delectatione ipſius interna & ſimpliciter victrice, qui profectò explicandi modus innoxius eſt, & ab omni erroris ſuſpicione longè alienus; non verò ex delectatione relativa ſeu per gradus ſuperiore ac victrice, qui modus explicandi totus Janſenianus eſt, baſis ac fundamentum errorum quinque Propoſitionum.

Ad

Ad 2. Reſpondetur, immeritò prorſus opponi Illuſtriſſimum Archiepiſcopum Rothomagenſem. In eo enim graviſſimo ac doctiſſimo Paſtorali Documento citato pag. 39. ait quidem quòd Theologia P. Juvenin nullam cenſuram ac reprehenſionem mereretur, ſi in hoc uno hæreret, gratiæ ſcilicet vim & efficaciam in victrice ejus delectatione poſitam eſſe, ſicut plures opinantur Theologi orthodoxi. Verùm, pergit Illuſtriſſ. Archipræſul, talem ille cum Janſenio delectationem victricem admittit, ut voluntas ei reſiſtere non poſſit, ſed neceſſariò, quamquam liberè, conſentit: quam quidem declarationem ad ſenſum auctoris quem damnat, adductis ejus propriis verbis, non ſimpliciter, ſed relativè dumtaxat ac per gradus victricem eſſe oſtendit ex T. 2. p. 309. ubi ait, *Eidem ſolutioni lux affulgebit maxima ex Tractatu de gratia, ubi oſtendemus efficaciam gratiæ eſſe relativam, ita ut idem auxilium pro majore vel minore hominum, quibus confertur, cupiditate, in aliquibus ſit efficax, hoc eſt, ſuperet ſubjecti reſiſtentiam, illudque ad pium actum determinet; in aliis verò ſit inefficax, id eſt, licèt excitet ad actum pium, ita tamen non ſuperat hominis reſiſtentiam quæ ex majori illius cupiditate naſcitur, ut illum ad eundem pietatis actum determinet*. Et ex Tomo 5. pag. 515. hæc verba refert. *Gratia aut habet effectum ad quem impellit, aut eo caret pro majori vel minori cupiditate ſubjecti cui confertur: unde eadem ſpecie gratia quæ non habet effectum in Petro habente tres gradus cupiditatis, effectum habuit in eodem Petro cùm duos tantùm cupiditatis gradus haberet*. Cæcutiat oportet in meridiana luce, qui delectationem relativè ac per gradus quaſi mechanica lege victricem, qualem Janſenius docet, hìc non recognoſcit. Hanc porrò unam in recentiore Theologo meritò perſtringit ac damnat doctiſſimus Archipræſul, non verò delectationem ſimpliciter victricem, qualem Orthodoxi propugnant.

Opponunt 5. ſe palam ac publicè damnare quinque Propoſitiones Janſenii, & quidem eo ipſo ſenſu quo ab Eccleſia damnatæ ſunt: agnoſcere ſe Propoſitiones illas eſſe in Libro Janſenii unde fuerunt extractæ: ſe Formulæ Alexandri VII. ſincero animo ſubſcripſiſſe, ac etiamnum paratos, ſi opus foret, ſubſcribere.

Reſpondetur 1. Hæc egregia quidem ac maximè laudanda, quamdiu nullo facto contrario evertuntur. Verùm cùm ſub ſpecioſa illa Formularii ſubſcriptione, ac damnatione Janſenii, integrum retinetur erroris ejus principium ac fundamentum; cùm mutatis dumtaxat aliquibus Janſenii durioribus verbis, idem planè ſenſus aliis paulò mitioribus redditur; cùm denique variis flexibus eò demum totus Janſeniſmus adducitur, ut in ſenſum à mente Janſenii omnino alienum, fictum ac planè phantaſticum reſolvatur, neſcio quis ſcrupulus ſtatim menti occurrit, aut fidei non ſatis ſinceræ, aut ignorationis elenchi, id eſt, ſyſtematis Janſeniani. Quid quæſo Janſenio nocebit, ſi quis v. g. magno verborum apparatu oſtendat contra ipſum, admittendas eſſe hoc in ſtatu gratias ſufficientes; ac ſtatim addat, *gratiam ſufficientem eſſe motionem voluntatis quæ non ſatis habet virium ut concupiſcentiam poſſit vincere*: Vel cum ipſa ſemper eſſe conjunctam impotentiam, qualem juſtus patitur vitandi omnia peccata venialia ſine ſpeciali Dei privilegio? Nonne talis gratia ſufficiens ſolo nomine diſtat à gratia parva Janſenii, quam Janſenius meliori fide & aptiori vocabulo inſufficientem appellavit? Nonne hac una definitione reviviſcit & excitatur doctrina quinque Propoſitionum? Si enim gratia illa ſatis virium non habet ut vincere poſſit actualem oppoſitam cupiditatem, ergo

juſtis

Digitized by Google

juſtis ea ſola gratia inſtructis, & abſente efficaci, relativè impoſſibilia ſunt quædam mandata, &c. ex qua una propoſitione cæteras omnes pendere agnoſcunt Janſenii defenſores.

II. Ad omnem Janſeniſmi legitimam ſuſpicionem amoliendam, ſatis eſſe non videtur ut quis affirmet ſe Janſenium omnino deſerere. Idem profectò jam olim inſidiosè affirmaverant qui Romæ deputati, ſuppreſſo nomine Janſenii, cauſam ejus agebant. Idem conteſtabatur auctor Scripti, *In nomine Domini*. *Non hic*, ajebat, *Theologiæ Janſenianæ rationem exiſtimo habendam eſſe*. Idem legere eſt apud auctorem Tomi primi *Traditionis Eccleſiæ Romanæ*, & auctorem Libelli inſcripti, *Seconde Lettre à M. l'Archevèque de Cambrai, touchant le pretendu Janſeniſme, au ſujet de ſa Réſponſe à la ſeconde Lettre de Monſeigneur l'Eveque de S. Pons. Pag. 102. & 112.* (Pag. 2.)

Fraudem detexerunt Epiſcopi Gallicani in Epiſtola ad Alexandrum VII. data die 2. Sept. an. 1656. *Ut ſe damnationi ſubducant*, ajunt, *celeberrimum B. Auguſtini nomen obtendunt, ejus doctrinæ ſe profitentur eſſe ſectatores, repudiato etiam, ſi res eorum ferant, ipſo Janſenio. Hujus tamen pravas & detortas, quas ad Doctoris egregii locos adhibent, interpretationes amplectuntur*. (Recueil des Bulles, pag. 137.)

Ita & Janſenius ipſe profitetur ſe puram in omnibus ſectari S. Aug. doctrinam; an propterea illius adulteratæ minùs reus habendus? Neque etiam ſatis eſt quòd quis aſſerat ſe quinque Propoſitiones ex animo rejicere, & formulæ fidei Alexandri VII. ſincerè ſubſcripſiſſe; quaſi non poſſet aliter in legitimam Janſeniſmi ſuſpicionem venire, niſi aut recuſando ſubſcriptionem, aut aliquam ex damnatis Propoſitionibus expreſsè tuendo. Certè Apoſtolicis Conſtitutionibus detrahi poteſt, etſi nulla ex damnatis Propoſitionibus apertè defendatur. Ipſis detrahunt, qui vel exteriùs ſubſcribunt mente diſſentiente; vel Eccleſiam in ea quæſtione, quam falsò ad merum factum revocant, definienda aberraſſe, unumque religioſum ſilentium ſufficere arbitrantur. Ipſis detrahunt, qui eas nec ordine Canonico latas, nec ſufficienti Eccleſiarum acceptatione roboratas eſſe calumniantur. Ipſis detrahunt, qui Propoſitiones quinque quantùm ad verborum dumtaxat corticem damnant, ſeu, ut ipſimet loquuntur, qui verba Propoſitionum in aliquo ſenſu non defendunt quidem, (quia iiſdem verbis non utuntur) ſed tamen damnatum non rejiciunt ſenſum Propoſitionum. Ipſis denique detrahunt, qui Propoſitiones quinque improbare videri volunt, quarum nihilominus radicem ac principium, cum quo nexu indiſſolubili connectuntur, integrum ſervant ac retinent, ſicque Janſeniſmum ad merum phantaſma, & inanes de ſyllabis controverſias dejiciunt.

Atque hæc dicenda nobis erant, tum circa Synopſim hiſtoricam Janſeniſmi, tum circa Syſtema doctrinæ Janſenii: in quibus exponendis, ſi quid nobis incautis minùs ſanum aut rectum excidiſſe deprehendatur, pro non dicto ac revocato habemus.

Finis Primæ Partis.

PRÆLECTIONES
THEOLOGICÆ
DE
GRATIA CHRISTI,
Pars Secunda.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ DE GRATIA CHRISTI.

QUÆSTIO QUARTA.

De neceſſitate Gratiæ.

REvocanda hic in memoriam definitio Gratiæ, quam in ipſo hujus Tractatus limine præmiſimus. Nimirùm: Gratia eſt donum ſupernaturale, creaturæ rationali conceſſum intuitu Paſſionis & meritorum Chriſti, ordinatum ad vitam æternam.

Ex qua definitione facilè intelligitur:

1. Neceſſitatem gratiæ, de qua hic agimus, reſpectivam eſſe ſeu relativam, tum ad vitam æternam tanquam finem; tum ad omne opus bonum, tanquam medium ad vitam æternam conſequendam neceſſarium.

Neceſſitas porrò hæc relativa duplex eſt; una ſimplex, ſine qua finis obtineri ſimpliciter non poteſt; quo ſenſu, alimenta ſimpliciter neceſſaria dicuntur ad conſervationem vitæ: altera ſecundùm quid, ad rem faciliùs & commodiùs comparandam; quomodo equus neceſſarius dicitur ad iter conficiendū.

Non hic agitur de neceſſitate gratiæ ſecundùm quid, ad faciliùs & promptiùs operandum bonum; eam quippe non negarunt vel infenſiſſimi gratiæ Chriſti hoſtes Pelagiani, ſed agitur de neceſſitate ſimplici.

Gratia verò generatim hic duplex diſtinguenda eſt: una intellectus ſeu doctrinæ; altera voluntatis & affectus. Prior iterum duplex, externa & interna. Externa dicitur omnis illa, quæ ſenſus externos ferit, ut prædicatio Evangelii, exhortatio, exempla Chriſti & Sanctorum, &c. Interna verò, quæ intrinſecùs ipſam mentem ſapientiæ revelatione ſeu cognitione imbuit, cujuſmodi ſunt inſpirationes & illuſtrationes divinitùs immiſſæ intellectui: quæ omnia, ut ſuo

loco oſtendimus, ad gratiam legis & doctrinæ revocat S. Aug. quam quidem ultrò admittebant Pelagiani, ſed præter quam S. Doctor, aliam ut agnoſcerent, ab ipſis poſtulabat: hanc ſcilicet, *qua*, inquit Lib. de Gratia Chriſti, *c. 12. agitur, non ſolùm ut facienda noverimus, verùm etiam ut cognita faciamus; nec ſolùm diligenda credamus, verùm etiam ut credita diligamus*. Quæ gratia voluntatis eſt ſeu affectus; per quam ſcilicet torpens voluntas excitatur, juvatur ac movetur ad bonum, non tantùm per revelationem & inſtructionem, verùm, ait S. Aug. Lib. 4. ad Bonifacium, cap. 5. *per inſpirationem dilectionis, ut cognita ſancto amore faciamus*; quæ a quidem voluntatis gratia, judice ipſomet S. Doctore ibidem, *propriè gratia eſt*. De neceſſitate gratiæ utriuſque hic controvertitur.

T. 10. p. 236. D.

Ib. pag. 474. F.

2. Ex definitione adducta colligitur, neceſſitatem gratiæ in ordine ad finem ultimum, immediatè ac proximè reſpicere morales ac liberas hominis actiones, quibus mediantibus ad finem illum ultimum promovetur. Cùm verò omnes illæ morales actiones generatim revocentur, vel ad cognitionem veri, vel ad proſecutionem boni, conſequenter omnis de neceſſitate gratiæ controverſia ad hæc duo univerſim capita reducitur. Circa quæ S. Thomas 1. 2. q. 109. decem articulos proponit:

1. Utrùm abſque gratia poſſit homo aliquod verum cognoſcere.
2. Utrùm abſque gratia Dei poſſit homo aliquod bonum facere, aut velle.
3. Utrùm homo abſque gratia poſſit Deum diligere ſuper omnia.
4. Utrùm abſque gratia poſſit ſolis naturæ viribus præcepta legis obſervare.
5. Utrùm abſque gratia poſſit mereri vitam æternam.
6. Utrùm homo poſſit ſe ad gratiam præparare ſine gratia.
7. Utrùm abſque gratia poſſit reſurgere à peccato.
8. Utrùm abſque gratia poſſit homo vitare peccatum.
9. Utrùm homo gratiam conſecutus, poſſit abſque alio divino auxilio bonum facere & vitare peccatum.
10. Utrùm poſſit perſeverare in bono per ſe ipſum.

Decem illos Articulos eodem ordine ac methodo, ab Angelico Doctore nobis præfixa, deinceps expendemus.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm abſque gratia poſſit homo aliquod verum cognoſcere.

Obſerva 1. Verum duplicis eſſe ordinis: aliud naturale, quod intra naturæ ordinem continetur, & cujus notitia mentis humanæ captui & viribus accommodata ſeu proportionata eſt; aliud verò ſupernaturale, quod excedit ordinem naturæ, & naturales vires intellectus, talia ſunt omnia fidei Chriſtianæ Myſteria.

Obſerva 2. Utrumque iſtud verum, aut merè ſpeculativum eſſe, aut etiam practicum. Prius illud dicitur, quod menti ſolùm proponitur, ut cognoſcatur, nihilque ad exercitium actionis moralis conducit: qualis v. g. eſt iſta veritas, *Sol exiſtit*. Alterum verò illud eſt, quod ita menti proponitur cognoſcendum, ut ad uſum & praxim revocetur, qualia ſunt iſta Moralis effata: *Alteri ne feceris*,

ceris, quod tibi fieri non vis. Deus eſt colendus. Honorandi ſunt parentes, &c. Iſtud autem verum, quod practicum dicitur, ſpectari poteſt vel merè ſpeculativè, quatenus ſcilicet non refertur nec ordinatur ad movendum hìc & nunc hominis affectum, vel quatenus ad illum affectum movendum hìc & nunc refertur & ordinatur.

Obſerva 3. Verum aliquod naturale eſſe ac dici poſſe, vel ex parte objecti & medii ſimul, vel tantùm ex parte objecti. Prius eſt, quod non tantùm intra naturæ limites continetur, ſed etiam medio naturali, per ſpecies nempè ſenſibiles cognoſcitur: hujuſmodi ſunt objecta omnia, quæ ſenſibus uſurpamus. Poſtremum illud eſt, quod etſi naturalis ſit ordinis, medio tamen naturali attingi non poteſt: tales ſunt cogitationes cordis, quamdiu latent interiùs, nec ullo ſigno exteriùs manifeſtantur.

Obſerva 4. Verum naturale, ſeu ſpeculativum ſeu practicum, duobus modis ſumi poſſe, collectivè videlicet, aut diſtributivè; hoc eſt, vel pro omni, vel pro aliquo dumtaxat vero.

Obſerva 5. Tria diſtingui poſſe in cognitione veri ſupernaturalis: 1. Apprehenſionem ſeu propoſitionem objecti. 2. Pium credulitatis affectum, quo voluntas inclinatur ad res fidei credendas, ac menti imperat, ut illis tametſi obſcuris & inevidentibus acquieſcat. 3. Aſſenſum mentis ex imperio voluntatis elicitum.

Obſerva 6. Controverſiam hìc non moveri de neceſſitate gratiæ habitualis ſeu ſanctificantis, ſed de neceſſitate gratiæ actualis: certum quippe eſt, ad cognitionem veri neceſſariam non eſſe gratiam ſanctificantem. Inde eſt, quòd S. Aug. lib. 1. Retract. cap. 4. n. 2. revocat, quod L. 1. Soliloquiorum, cap. 1. ſcripſerat: *In his libris*, inquit, *non approbo, quod in oratione dixi: Deus* T. 1. p.
qui niſi mundos verum ſcire noluiſti. Reſponderi enim poteſt, multos etiam non 7. A.
mundos multa ſcire vera.

Obſerva 7. Potentiam cognoſcendi aliquod verum, duobus modis ſpectari poſſe; phyſicè ſcilicet & moraliter: phyſicè quidem, quando potentia ex ſe debitam habet cum objecto ſuo proportionem: moraliter, quando nullis impedimentis activitas potentiæ retardatur.

Nonnullis è recentioribus viſi ſunt Gregorius Ariminenſis, Capreolus & aliqui alii, docuiſſe nullum verum morale cognoſci poſſe ab homine in ſtatu naturæ corruptæ ſine peculiari auxilio gratiæ DEI.

Verùm, interprete Vaſqueſio in 1. 2. diſput. 188. cap. 2. agunt illi dumtaxat de notitia veri moralis, qua moveri aliquo modo poteſt affectus. Quo ſenſu præſens quæſtio cum ſubſequente confunditur, qua nempè quæritur, utrum homo ſine gratia poſſit aliquod bonum facere aut velle. Exiſtimant quippe è recentioribus aliqui, nullum verum practicum ac morale cognoſci poſſe cognitione efficaci ſine gratia.

His prænotatis ſit

PRIMA CONCLUSIO.

Homo poteſt ſine ſpeciali gratiæ auxilio cognoſcere aliquas veritates naturales, tum ſpeculativas, tum practicas.

Prima pars probatur 1. ex Scripturis: Dei ſcilicet exiſtentia veritas eſt ſpecula-

culativa; (quamquam & ſuo modo etiam practica, quæ nempe ad Dei cultum & amorem movere debet) atqui exiſtentia Dei per creaturas ſine ſpeciali auxilio gratiæ ſupernaturalis cognoſci poteſt. Sapientiæ 13. v. 5. *A magnitudine ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter poterit Creator horum videri*. Rom. 1. v. 18. *Revelatur ira Dei de cœlo, ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum, qui veritatem Dei in injuſtitia detinent: quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt illis, Deus enim illis manifeſtavit. Inviſibilia enim ipſius, à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus & Divinitas, ita ut ſint inexcuſabiles*.

Et certè quod naturali ratione demonſtratur, naturali lumine cognoſcitur; nec opus eſt, ut ipſi aſſentiamur, auxilio gratiæ ſpeciali: atqui Deum eſſe, non tantùm naturali ratione demonſtratur ex effectibus creatis, ſed etiam ingenitam nobis eſſe à natura ſupremi Numinis notionem, nos ipſi probavimus, ubi de DEO & Divinis Attributis.

Conſule, ſi vacat, quæ eam in rem congeſſimus SS. Patrum teſtimonia. Conſule & Bellarminum l. 4. de Gratia & libero arbitrio, cap. 2.

T. 6. p. 103. A. Prob. 2. ex S. Aug. L. 1. ad Simplicianum q. 2. n. 22. ubi, ut oſtendat, quid ex parte hominis præcedat Divinæ gratiæ electionem, quid verò non præcedat, ita ſcribit: *Non enim habeo, quod intuear in eligendis hominibus ad gratiam ſalutarem, ſi ad examen hujus electionis aliqua cogitatione permittor, niſi vel majus ingenium, vel minora peccata, vel utrumque: addamus etiam, ſi placet, honeſtas utileſque doctrinas*. Deinde oſtendit, nihil horum Deo cauſam aut occaſionem fuiſſe eligendi hominem ad gratiam; idque eloquenter, ut cætera, confirmat. Agnoſcit igitur S. Doctor in homine ante gratiam ingenium, honeſtas utileſque doctrinas, quæ nec cauſæ ſunt, nec occaſiones, cur Deus gratiam largiatur; cùm homines rudes, peccatis majoribus onerati, indocti, illiterati, ad gratiam eligantur; è contra verò Philoſophi, Oratores, & alii minoribus delictis irretiti, relinquantur, ut ipſe S. Doctor ibidem demonſtrat.

Probatur 3. evidenti ratione. Intellectus ſcilicet habet efficaciam naturalem reſpectu alicujus operationis ſibi propriæ. Seu, ut loquitur S. Th. 1. 2. q. 109. art. 1. in corpore: *Intellectus humanus habet aliquam formam, ſcilicet ipſum intelligibile lumen, quod eſt de ſe ſufficiens ad quædam intelligibilia cognoſcenda, ad ea ſcilicet, in quorum notitiam per ſenſibilia poſſumus devenire*. Atqui cognitio veritatis ſaltem ſpeculativæ eſt operatio propria intellectus, ut patet; ergo intellectus habet naturalem efficaciam reſpectu illius cognitionis.

Secunda pars concluſionis, quæ eſt de vero practico,

Probatur 1. ex Scriptura. Rom. 1. v. 21. Gentiles dicuntur *inexcuſabiles, quia cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt*. Et cap. 2. v. 14. & 16. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt; ejuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex: qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis*. Lex porrò illa ſcripta in cordibus dictat quid bonum & honeſtum, quidve malum ſit ac turpe: quod quidem unuſquiſque deprehendere facilè poteſt, ſi naturæ ac conſcientię vox cupiditatum vehementiori ſtrepitu non prçfocetur. Hinc illi conſcientiæ ſtimuli ac cæca verbera, quibus torquentur, qui contra recti, quam habent notitiam, malum operantur. Iſtud inſinuat Apoſtolus loco mox citato, v. 15. *Teſtimonium*, inquit, *reddente illis* (Gentibus) *conſcientia ipſorum, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus*.

Non

Digitized by Google

Non ignoramus S. Aug. lib. de ſpiritu & littera c. 27. citatum Apoſtoli textum interpretari de Gentibus ad Chriſtum converſis; & iſtud, *naturaliter faciunt*, non opponere gratiæ, ſed Legi Moſaicæ. Verùm non ignoramus etiam nuſquam S. Doctorem improbaſſe aut rejeciſſe alteram interpretationem, quæ iſtud, *naturaliter*, opponit tum legi, tum gratiæ. Imò in hanc pariter ſententiam abiiſſe S. Auguſtinum demonſtrant, quæ ſcribit tum in hoc ipſo Libro de ſpir. & litt. cap. 17. tum alibi.

Probatur 2. ex S. Aug. citati mox Libri cap. 28. n. 48. *Non uſque adeò*, inquit, *in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita eſt, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanſerint*. Lib. 2. Confeſſionum, cap. 4. *Furtum certè*, inquit n. 9. *punit lex tua, Domine, & lex ſcripta in cordibus hominum, quam ne ipſa quidem delet iniquitas. Quis enim fur æquo animo furem patitur?* Et Enarratione in Pſal. 57. initio n. 1. ſic loquitur: *Manu formatoris noſtri in cordibus noſtris veritas ſcripſit: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Hoc & antequam lex daretur, nemo ignorare permiſſus eſt, ut eſſet, unde judicarentur etiam ii, quibus lex non eſſet data.* T. 10. p. 113. B. T. 1. p. 84 D. T. 4 p. 540 E.

Magiſtro concinit diſcipulus S. Proſper carmine de Providentia, his verbis. Pag. 801. nu. 419.

Ite ipſi in veſtræ penetralia mentis, & intus
Inciſos apices, ac ſcripta volumina cordis
Inſpicite, & genitam vobiſcum agnoſcite legem.
Nam quis erit, modò non pecus agri, aut bellua ponti,
Qui vitiis adeò ſtolidè oblectetur apertis,
Ut quod agit, velit ipſe pati? Mendacia fallax,
Furta rapax, furioſum atrox, homicida cruentum
Damnat, & in mœchum gladios diſtringit adulter.

Probatur 3. ratione. Quia qui naturaliter cognoſcit aliquam veritatem practicam in genere, neque impedimento ullo tentationis turbatur, poteſt ille ejuſmodi veritatem etiam in particulari cognoſcere, cognitione non tantùm inefficaci, ſed etiam efficaci; talis etenim veritas de ſe accommodata eſt ac proportionata viribus naturæ. Atqui homo naturaliter cognoſcit aliquam veritatem practicam ſaltem in genere, qualis iſta eſt: *Alteri ne feceris, quod tibi fieri non vis. Honorandi ſunt parentes*, &c. ergo poteſt homo, quando nulla obſtat tentatio, aliquam veritatem practicam & particularem efficaci cognitione aſſequi. Quod quidem argumentum majori luce donabitur ac confirmabitur ex dicendis inferiùs, cùm oſtendemus, non omnia infidelium opera peccata eſſe, atque poſſe aliquod opus bonum morale fieri ſine gratia ſupernaturali; licèt hujuſmodi opus ad æternam beatitudinem conducere non poſſit, niſi interveniat ſupernaturalis gratiæ beneficium. Sed de his plura inferiùs.

SECUNDA CONCLUSIO.

Homo ſine gratia non poteſt potentia morali cognoſcere omnes omninò veritates naturalis ordinis, ſeu collectivè, ſeu diſtributivè ſumptas: poteſt tamen phyſica potentia; modò objectum ſit naturale, tum ex parte ſui, tum ex parte medii.

Hujus concluſionis terminos inter prænotata expoſuimus.

Probatur 1. pars; 1. Ex infinita penè rerum moralium ac naturalium multitu-

titudine. 2. Ex brevitate vitæ. *Vita brevis*, ait Hypocrates Aphoriſmo 1. *ars longa, occaſio præceps, experientia laborioſa, judicium difficile*. 3. Ex anguſta admodum humanæ mentis capacitate, quæ impar omninò eſt tot rebus animo complectendis, quæ ſui multitudine ac varietate confuſionem quamdam pariunt. 4. Ex infirmitate corporis: etenim corpus infirmum animo totum incumbit: &, ut ait Sapiens cap. 9. v. 14. & 15. *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ. Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem*. 5. Ex infinitis penè vitæ civilis officiis, impedimentis, curis domeſticis, privatis faſtidiis, naturæ neceſſitatibus, ut ſomno, cibo, potu, aliiſque variis oblectamentis, aut etiam pravis cupiditatum affectibus, quibus pluſquam dimidia vitæ hominum pars vulgò inſumitur, & à ſcientiarum ſtudio animus ferè totus avocatur. 6. Denique ex ipſa rerum naturalium indole ac conditione, quarum ſcilicet natura tota ferè in abſtruſo poſita eſt, etiam earum rerum, quas vel ipſis oculis uſurpamus, vel ipſo intimo ſenſu cognoſcimus. Quid v. g. luce Solis clarius? Quis autem eam ita hactenus expoſuit, ut id eſſe, non verò aliud, certò auſit affirmare? Quid maris æſtu vulgatius? Sed quid obſcurius ad explicandum, & menti magis impervium?

Probatur 2. pars, nempe ſine gratia cognoſci poſſe potentia phyſica omne verum naturale, tum collectivè, tum diſtributivè; quia ſcilicet tale verum non excedit naturalem humanæ mentis capacitatem.

Diximus autem in cônluſione, modò objectum ſit naturale, tum ex parte ſui, tum ex parte medii. Etenim niſi veritas ſit naturalis ex parte medii, quantumvis naturalis ſit ex parte objecti, non poterit naturaliter cognoſci. Ea de cauſa occultæ cordis cogitationes, licèt in ſe ordinis ſint naturalis, cognoſci tamen naturaliter non poſſunt, defectu medii naturalis quo cognoſcantur.

TERTIA CONCLUSIO.

Non poteſt homo verum ſupernaturale apprehendere ſine revelatione externa: nec illud certò cognoſcere ac credere, ſine gratia ſupernaturali.

Probatur 1. pars. Quia nihil poſſumus apprehendere, niſi quod ſub ſenſus cadit vel per ſe, vel per aliud: atqui verum ſupernaturale, ſecluſa revelatione externa, non cadit ſub ſenſus nec per ſe, nec per aliud, quia nullam habet connexionem cum operibus naturæ; ergo &c.

Iſtud procul dubio voluit Apoſtolus, cùm Rom. 10. v. 14. dixit: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? Quomodo verò prædicabunt, niſi mittantur?*

Externa porrò revelatio ſeu prædicatio veritatum ſupernaturalium ſufficit ad illarum apprehenſionem: Illud quippe ſufficit ad ſimplicem notitiam terminorum ſeu apprehenſionem, quod ſufficit ad judicium humanum ſeu ad fidem humanam: atqui ad fidem humanam veritatum ſupernaturalium ſufficit externa revelatio ſeu prædicatio Evangelii, nec requiritur interior gratia, ut patet exemplo hæreticorum, qui humana fide aſſentiuntur myſteriis ſupernaturalibus, & quidem ſine gratia: aliàs agnoſcenda in ipſis foret ſupernaturalis fides, quam tamen vulgò Theologi in illis non agnoſcunt.

Pro-

Probatur 2. pars auctoritate Scripturæ. Matth. 11. v. 27. *Nemo novit Filium niſi Pater, neque Patrem quis novit niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare*. Et c. 16. v. 17. poſtquam S. Petrus ſolemniter ſuam in Chriſtum fidem profeſſus eſt his verbis: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*. Statim Chriſtus ſubjungit: *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in Cœlis eſt*. 2. Corinth. 3. v. 5. *Non ſumus ſufficientes aliquid cogitare ex nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex DEO eſt*. Epheſ. 2. v. 8. *Gratia eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt; non ex operibus, ne quis glorietur.*

Plura tum ex Scripturis, tum ex Conciliis & SS. Patribus hic non referemus, quæ ſuo loco reſervamus, cùm Pelagianorum & Semipelagianorum errores circa neceſſitatem Gratiæ ex profeſſo refellemus. Sufficiat hic laudaſſe Synodum Trid. Seſſ. 6. Can. 3. ſic definientem: *Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritus ſancti inſpiratione atque ejus adjutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* T. 14. Con. pag. 764. D.

Ratio Concluſionis eſt, quia nulla forma realis excurrere poteſt extra vires ſuas naturales, niſi accedat ei nova forma ab extrinſeco: atqui fides eſt extra metas ſeu vires naturales intellectus creati. Ea quippe vi propria & naturali dumtaxat cognoſcere poteſt, quæ cum rebus creatis aliquam habent connexionem; fidei porrò myſteria nullam habent hujuſmodi connexionem: aliunde gratia eſt forma quædam ab extrinſeco accedens; ergo intellectus creatus non poteſt ad fidem myſteriorum attingere, niſi accedat gratia ſupernaturalis. *Altiora intelligibilia*, inquit S. Th. 1. 2. q. 109. art. 1. in corp. *intellectus humanus cognoſcere non poteſt, niſi fortiore lumine perficiatur, ſicut lumine fidei, vel Prophetiæ; quod dicitur lumen gratiæ, in quantum eſt naturæ ſuperadditum.*

Solvuntur objectiones adversùs Concluſiones præcedentes.

Objicies 1. contra primam Concluſionem, ex cap. 6. Gen. v. 5. *Cuncta cogitatio cordis intenta eſt ad malum omni tempore*. Ergo nihil boni poteſt homo cogitare ſine gratia. Quapropter lib. 2. Paralip. cap. 20. v. 12. dicitur: *Cùm ignoremus, quid agere debeamus, hoc ſolùm habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad Te* (DEUM.)

Reſp. Diſtinguo ant. Ut plurimùm ac ſæpiſſimè, concedo: ſemper, ita ut nullus planè mortalium ſit, cujus cogitatio non ſit ad malum converſa, nego. v. enim 8. Noë dicitur *inveniſſe gratiam coram Domino*: & v. 9. dicitur *vir juſtus atque perfectus*; ergo omnis illius cogitatio ad malum intenta non fuit. Nempè ſolet interdum Scriptura collectivo nomine *omnis*, non omnes planè, ſed multos aut majorem hominum partem deſignare: quo ſenſu Pſal. 13. v. 3. dicitur: *Omnes declinaverunt* (nempè à mandatis DEI) *ſimul inutiles facti ſunt: non eſt, qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum*. Citato Paralipomenon loco non agitur de univerſali ignorantia rerum agendarum, quaſi homo penitùs omni tempore ſine gratia ignoret, quid facto ſit opus; ſed agitur de eo, quod in particularibus circumſtantiis agere deberet Joſaphat, Ammonitis ſcilicet, Moabitis ac Syris adversùs ipſum bello inſurgentibus: *In nobis*, inquit Joſaphat v. 12. *non eſt tanta fortitudo, ut poſſimus huic multitudini reſiſtere, quæ irruit ſuper nos. Sed cùm ignoremus, quid agere debeamus, hoc ſolùm habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad te.*

Inſta-

Inſtabis 1. Joannis cap. 10. v.5. *Deus eſt lux lucens in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt*: tenebræ verò illæ, quæ Deum non comprehenderunt, ſunt ipſi homines, qui naturæ ſuæ permiſſi, ſecluſa gratia, Deum etiam ut Auctorem naturæ cognoſcere non poſſunt.

Reſp. Nego min. Interprete quippè S. Aug. Tractatu 1. in Joan. in fine, tenebræ illæ ſunt excæcata hominum corda, *quæ*, inquit S. Doctor, *iſtam lucem capere non poſſunt, quia peccatis ſuis aggravantur, ut eam videre non poſſint*. (T. 3. par. 2. pagin. 297. B.) Impotentia porrò illa non oritur ex abſentia Divinæ Gratiæ, ut nonnulli fabulantur, ſed ex corrupti cordis pervicacia: *Non ideò cogitent*, pergit Doctor eximius, *quaſi abſentem eſſe lucem, quia eam videre non poſſunt: ipſi enim propter peccata tenebræ ſunt .... Ergo quomodo homo poſitus in Sole cæcus, præſens eſt illi Sol, ſed ipſe Soli abſens eſt: ſic omnis ſtultus, omnis iniquus, omnis impius cæcus eſt corde. Præſens eſt ſapientia, ſed cùm cæco præſens eſt, oculis eius abſens eſt; non quia illi abſens eſt, ſed quia ipſe ab illa abſens eſt*. (Ibid.) Deinde oſtendit S. Doctor, poſſe hominem mederi ſuæ cæcitati, purgando cor ſuum à pravis affectibus: *Quid ergo faciet iſte?* Ait, *mundet unde poſſit videri Deus*. (Ibid. C.)

Inſtabis 2. Ex Apoſtolo 2. ad Corinth. 3. v. 5. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex DEO eſt*. Non poteſt autem aliquod verum cognoſci ſine actione mentis, quæ cogitatio eſt; ergo non poteſt aliquod verum cognoſci ſine gratia.

Reſp. Diſtinguo ant. Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quod pertineat ad vitam æternam ſeu finem ſupernaturalem, ſine gratia ſupernaturali, concedo: quod pertineat ad cognitionem veri alicujus naturalis, ſubdiſtinguo: ſine adjutorio Dei, hoc eſt, concurſu generali ac naturali, concedo: ſine adjutorio Dei ſupernaturali, nego. Loco citato Apoſtolus loquitur de cogitatione, quæ tendat ad objectum ſupernaturale, hoc eſt fidei myſteria, & prædicationem Evangelii: *Idoneos*, inquit v. *6. nos fecit miniſtros novi Teſtamenti*. Et v. 3. gratulatur Corinthiis, quòd ſint Epiſtola Chriſti, *ſcripta non atramento, ſed Spiritu Dei vivi:* Synodus Arauſicana Can. 7. citatum Apoſtoli locum in hunc ſenſum exponit. Hoc ipſo ſenſu Apoſtolus 1. Cor. 4. v. 7. ait: *Quis te diſcernit? Quid habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Quod certè Apoſtoli effatum veriſſimum eſt in quocunque rerum ordine, ſive naturali, ſive ſupernaturali; nihil enim habemus, quod in DEUM referre non debeamus, tanquam in Auctorem, ſeu naturę, ſeu gratiæ: unde nulla aucupandæ gloriæ in nobis cauſa; gloriari quippe nemo poteſt de eo, quod ab alio gratis accepit. Hoc etiam ſenſu omnis humana ſcientia, prudentia, induſtria ad DEUM tanquam fontem omnis luminis, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundū, revocari ac referre debet.

Non alia profectò fuit mens S. Aug. cùm Lib. de geſtis Pelagii cap. 3. nu. 7. (T. 10. p. 195. C.) ſcripſit: *Sufficit ſibi oculus ad non videndum, hoc eſt ad tenebras: ad videndum verò lumine ſuo non ſufficit ſibi, niſi illi extrinſecùs adiutorium clari luminis præbeatur*. Agit ſcilicet adversùs Pelagium, de cognitione rerum ſupernaturalium ducente ad vitam æternam, quæ ſine auxilio Divinæ gratiæ haberi non poteſt.

Inſtabis 3. Intellectus humanus per peccatum originale multùm vulneratus eſt, ſicut ex profeſſo demonſtrat S. Th. 1. 2. q. 85. art. 3. non ergo poteſt aliquid verum ex ſeipſo attingere.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Diſtinguo ant. Vulneratus eſt per amiſſionem cognitionis rerum ſupernaturalium, concedo: per amiſſionem cognitionis rerum naturalium & moralium, ſubdiſtinguo: cognitionis quæ feratur in omnia objecta, tum naturalia, tum moralia, concedo: quæ feratur dumtaxat in aliqua particularia objecta, iterum diſtinguo: quæ feratur cum ea facilitate, qua fruebatur ante peccatum, & ſine ulla erroris formidine, concedo: quæ nullatenus in aliqua objecta naturalia & moralia feratur, nego. Itaque inflictum per originale peccatum humano intellectui vulnus in cauſa quidem eſt, cur homo lapſus non poſſit jam omnes veritates ſeu naturales, ſeu morales, plenè cognoſcere; cur amiſerit non tantùm rerum ſupernaturalium, ſed etiam naturalium, quam infuſam acceperat, notitiam; cur non niſi maximo labore ac ſtudio, nec ſine continua erroris formidine poſſit rerum aliquatum ſcientiam adipiſci; cur tot errorum monſtra atque portenta excogitaverint etiam qui inter gentiles Philoſophos ingenio maximè perſpicaci fuere. Talis Plato, qui mulierum communitatem licitam eſſe exiſtimavit: talis Ariſtoteles, qui ad impediendam liberorum multitudinem, abortum procurari poſſe aſſerere non erubuit: talis Seneca, qui docuit fortis eſſe animi violentas ſibi manus inferre.

Hæc verò quanquam ſuis obcæcati pravis cupiditatibus ac in reprobum ſenſum traditi Philoſophi docuerint, alia nihilominùs nonnulla vero ac recto conformia tradiderunt.

Inſtabis 4. Non petimus à Deo illud quod eſt in noſtra poteſtate: *Nam ipſa oratio clariſſima eſt gratiæ teſtificatio*, ait S. Auguſt. Epiſt. 177. aliàs 95. Unde in Epiſt. ad Vitalem, quæ eſt n. 217. aliàs 107. cap. 2. ſic concludit: *Si ergo hæc à Domino poſcenda eſſe non renuis, quid reſtat, Frater Vitalis, niſi ut ab illo ea donari fatearis, à quo poſcenda eſſe conſentis?* Atqui petimus à DEO cognitionem veritatum moralium; ergo hujuſmodi cognitio non eſt in noſtra poteſtate. *T.2.pag. 613.G.* *Ibid.pag. 801.B.*

Reſp. 1. Inane eſſe iſtud argumentum, ſiquidem plus probat quàm vel ipſi adverſarii velint. Non enim moralium dumtaxat, ſed etiam ſpeculativarum veritatum notitiam à DEO flagitamus, quam tamen adverſarii in noſtra eſſe poteſtate non inficiantur. *Quidquid dedit* (Deus) ait S. Aug. lib. de bono viduitatis, cap. 17. *ut conſervet oremus*; *quod autem nondum dedit, ut ſuppleat oremus*. Dat autem Deus non tantùm ut Auctor gratiæ, ſed etiam ut Auctor naturæ; & ſub hac conſideratione poſtrema, à Deo petere poſſumus naturalis objecti notitiam. *T.6.pag. 381.A.*

Reſp. 2. Diſt. min. Petimus à Deo cognitionem veritatum moralium propter impedimēta removenda, vel propter fructum percipiendum, concedo: propter improportionem illarum veritatum cum intellectu, nego. Id eſt, petimus à Deo, ut ſuę gratiæ beneficio comprimat cupiditatum æſtus, qui mentem noſtram vel obſcurant, vel rebus mortalibus intentam à vero abripere & avocare poſſent. Petimus etiam cognitionem rerum moralium nobis utilem eſſe ad ſalutem; non petimus verò intellectum noſtrum elevari ad notitiam earum veritatum, quibus cognoſcendis parem habet ac proportionatam facultatem.

Inſtabis 5. Conc. Milevitanum II. Can. 4. aſſerit donum Dei eſſe, & ſcire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus. Et Arauſicanum II. Can. 9. divini muneris eſſe, cùm rectè cogitamus; ergo ſine gratia nihil poſſumus cogitare boni.

Reſp.

Reſp. Diſt. conſequens: nihil poſſumus cogitare boni quod ducat ad ſalutem, concedo: boni ſimpliciter moralis, nego. Citati Canones adverſus Pelagianos conditi ſunt, qui verum ſupernaturale cognoſci equidem non poſſe ſine gratia revelationis concedebant; at gratia voluntatis opus eſſe negabant, ut homo bonum quod cognoſcit, operaretur: ad utrumque verò gratiam Chriſti neceſſariam eſſe docet Eccleſiæ fides. Hunc eſſe Canonum illorum ſenſum patet ex Canone 7. Conc. II. Arauſicani: *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquid, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit, aut eligere, ſive ſalutari, id eſt, Evangelicæ prædicationi conſentire poſſe confirmat, abſque illuminatione & inſpiratione Spiritus ſancti .... hæretico fallitur ſpiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis: Sine me nihil poteſtis facere, & illud Apoſtoli: Non quòd idonei ſumus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.*

Tom 4. Conc. p. 1668. C. D.

Ib. pag. 1579. D. Inſtabis 6. Can. 22. ejuſdem Conc. Arauſicani dicitur: *Nemo habet de ſuo, niſi mendacium & peccatum*: ergo non poteſt homo ex ſeipſo ſine gratia aliquod bonum morale cognoſcere.

Reſp. Senſum Canonis eſſe, hominem ſolum ad peccandum ſufficere, non quòd ſemper & in omnibus ſuis actionibus moralibus peccet; ſed quòd ut peccet, ſibi ſoli ſufficit: ut verò bonum operetur, divinæ gratiæ indiget auxilio: *Si quid autem*, pergit Can. 22. *habet homo veritatis atque juſtitiæ, ab illo fonte eſt, quem debemus ſitire in hac eremo, &c.* Si ergo iſta verba, *de ſuo*, intelligas de ignorantia & concupiſcentia, ita ut ſenſus ſit, homo ex ſua ignorantia & concupiſcentia habet mendacium & peccatum, vera eſt propoſitio; hæc enim mala ab homine peccatore facta ſunt, & ad eum pertinent, ut docet S. Aug. lib. de Natura & Gratia, C. 3. atque ex hac vitiata radice, ignorantia ſcilicet ac concupiſcentia, nihil boni oriri poteſt: Si verò intelligas de intellectu & de voluntate, ita ut ſenſus ſit, homo nihil veri intelligere, & nihil boni moralis velle poteſt ſine gratia, falſa eſt propoſitio; nec iſto poſtremo ſenſu aſſerta unquam fuit à Concilio Arauſicano. Vel dici poteſt, hominem in ordine ad vitam æternam nihil ex ſe habere niſi mendacium & peccatum; quia quidquid ſine inſpiratione cœleſtis gratiæ, ac ex ſolis naturæ viribus operatur, inutile prorſùs ac ſterile ipſi eſt ad vitam æternam: verùm de hoc argumento pleniùs deinceps.

T. 10. p. 119.

Objicies 2. adverſùs ſecundam concluſionem: Natura humana in aliquo ſaltem individuo aſſequitur perfectionem, ad quam habet phyſicam potentiam, quia ejuſmodi phyſica potentia conjuncta eſt naturali inclinationi, quę fruſtranea eſſe non poteſt: atqui natura humana in nullo individuo aſſequitur cognitionem rerum omnium naturalium; ergo natura humana non habet phyſicam potentiam ad cognitionem rerum omnium naturalium.

Reſp. Nego maj. Licèt enim potentiæ phyſicæ conjuncta ſit naturalis inclinatio in eam perfectionem, quæ eſt objectum illius potentiæ, quando hanc non aſſequitur, illa inclinatio naturalis non debet idcircò fruſtranea cenſeri: cùm enim tendat in perfectionem latitudinis capacem, finem ſuum aſſequitur non quidem ex toto, ſed ex parte. Ita dici non poteſt, propenſionem naturæ ad omnes formas inanem ac fruſtraneam eſſe, quòd non omnibus, ſed quibuſdam dumtaxat informetur. Variæ autem cauſæ ſunt, ut patet ex ſuprà dictis, cur potentia phyſica ſine auxilio ſuperaddito non poteſt rerum omnium veritatem adipiſci.

Inſta-

Inſtabis: Non videtur opus eſſe gratiæ divinæ auxilio ad cognitionem objecti naturalis.

Reſp. Diſt. Non videtur opus eſſe gratiæ divinæ propriè dictæ auxilio, concedo: impropriè dictæ, nego. Gratia ſcilicet quæ neceſſaria eſt ad cognitionem omnis veritatis naturalis, eſt quoddam Dei auxilium naturale penes entitatem, & ſupernaturale penes modum: qua ratione ſupernaturalis fuit viſus, quem Chriſtus reſtituit cæco nato, licèt entitativè fuerit naturalis.

Objicies 3. contra primam tertiæ concluſionis partem: Initium fidei eſt à gratia: atqui apprehenſio veritatum ſupernaturalium eſt initium fidei; ergo talis apprehenſio eſt à gratia, adeòque non ſufficit exterior revelatio.

Reſp. Diſt. maj. Initium proximum, qualis eſt voluntas credendi, concedo: Initium remotum, qualis eſt apprehenſio veritatum ſupernaturalium, nego. Aliàs ipſemet intellectus eſſet à gratia, non à natura.

Objicies 4. adversùs ſecundam partem ejuſdem tertiæ concluſionis. Hæretici quibuſdam fidei articulis aſſentiuntur: atqui hæretici non habent gratiam fidei; ergo ſine gratia fidei poteſt homo fidei articulis aſſentiri.

Reſp. Diſt. maj. Hæretici aſſentiuntur quibuſdam articulis fidei, aſſenſu incerto & fide planè humana, concedo; aſſenſu certo & firmo, ſubdiſtinguo: certo ex parte ſubjecti, concedo: quia hæretici pertinaces ſunt & cerebroſi, ac propter ſuam pertinaciam, in aſſenſu firmi ac ſtabiles: aſſenſu certo ex parte motivi, nego. Reſponſionem hanc articulo ſequenti, ubi eadem recurret objectio, paulò fuſiùs evolvemus.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrùm abſque Gratia poſſit homo bonum facere aut velle.

QUæſtio movetur de bono morali, tùm ſupernaturali, quod ad æternam animæ ſalutem pertineat; tum ſimpliciter morali, cui naturalis ineſt honeſtas ac rectitudo. De utroque ſigillatim agendum.

Utrùm poſſit homo bonum aliquod ſupernaturale, quod ad ſalutem pertineat, velle aut facere ſine Gratia?

Triplex hìc confutandus error: 1. Pelagianorum, qui naturam ad fidem & omne opus bonum ſibi abſolutè ſufficere, nec interiori gratia opus habere contendebant, niſi ſaltem ad faciliùs illud operandum. 2. Juliani, qui gratiam ad agendum quidem neceſſariam agnoſcebat, non verò ad credendum, petendum & quærendum. Ita S. Aug. lib. 2. ad Bonifacium; qui cap. 8. quaſi ſubdubitans, addit: *Si tamen hoc ſaltem volebat* (Julianus.) 3. Denique Semipelagianorum, qui neceſſariam equidem fatebantur gratiam ad omne opus bonum, ſive incipiendum, ſive perficiendum, non tamen ad ipſum fidei initium, ſeu pium credulitatis affectum, quem fidem inchoatam vocabant, nec idcircò computabant inter opera bona. De quibus erroribus fuſiùs egimus in prima hujus Tractatus parte. *Tom 10. pag. 442. F.*

Fides

Fides Catholica docet, *hominem ſine præveniente Spiritus ſancti inſpiratione atque ejus adjutorio, credere, ſperare, diligere, aut pœnitere non poſſe ſicut oportet*. Ita Conc. Trid. Seſſ. 6. Can. 3. ex conſtanti ac perpetua Eccleſiæ fide ac traditione definivit. Quam Eccleſiæ doctrinam duplici concluſione adversùs Pelagianos ac Semipelagianos demonſtramus.

PRIMA CONCLUSIO.

Sine ſpeciali gratiæ interioris adjutorio, neque fides, neque ipſius initium haberi poteſt.

Probatur 1. Scripturæ teſtimoniis. Joan. 6. v. 29. *Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum, quem miſit ille*. Et v. 37. *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet*. *Quid eſt, ad me veniet*, ait S. Aug. lib. de Prædeſt. SS. cap. 8. *niſi credet in me*? Et v. 44. Chriſtus dicit: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum*. Quomodo autem trahit? Per fidem. Inde eſt quòd cùm S. Petrus ſolemniter profeſſus fuiſſet apud S. Matth. cap. 16. v. 17. *Chriſtum eſſe Filium Dei vivi*, ſtatim Chriſtus ſubjungit: *Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in Cœlis eſt*.

Tom. 10. p. 799. C.

1. Corinth. 7. v. 25. *Miſericordiam conſecutus à Domino, ut ſim fidelis*. *Non ait* (Apoſtolus) obſervat S. Aug. l. de Prædeſt. SS. cap. 3. *quia fidelis eram; Fideli ergo datur quidem, ſed data eſt etiam ut eſſet fidelis*.

Ibid p. 795. B.

Philippenſium 1. v. 29. *Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm ut credatis in eum, verùm etiam ut patiamini pro eo*. *Utrumque*, ait S. Aug. citato mox libro c. 2. *oſtendit Dei donum, quia utrumque dixit eſſe donatum. Nec ait, ut pleniùs ac perfectiùs credatis in eum; ſed ut credatis in eum. Nec ſeipſum miſericordiam conſecutum dixit, ut fidelior, ſed ut fidelis eſſet; quia ſciebat non ſe initium fidei ſuæ priorem dediſſe Deo, & retributum ſibi ab illo ejus augmentum; ſed ab eo ſe factum fidelem, à quo & Apoſtolus factus eſt*.

Ibid. p. 792. A. B.

Epheſiorum 2. v. 8. *Gratia ſalvati eſtis per fidem & hoc non ex vobis, DEI enim donum eſt; non ex operibus, ne quis glorietur*. Si fides DEI donum eſt, ergo non ex nobis. Unde Joan. 6. v. 29. citato, fides dicitur *Dei opus*.

Reſpondent Pelagiani ac Semipelagiani, qua veteres, qua recentiores, his Scripturæ teſtimoniis rectè quidem probari neceſſariam eſſe exteriorem gratiam, revelationis ſcilicet ſeu prædicationis Evangelii, ſine qua fides concipi non poteſt: *Quomodo enim credent ſine prædicante*? Non autem neceſſariam eſſe gratiam interiorem, qua excitetur ac moveatur affectus ad credendum.

Verùm apertiſſimè refellitur vana iſta reſponſio, quia nempe Scripturæ eam ad fidem ejuſque initium gratiam neceſſariam eſſe demonſtrant, quæ oculos mentis interiùs aperiat, dum Prædicator Evangelicus exteriùs auribus inſonat; quæ exponat Scripturæ ſenſum, cor lapideum auferat & det cor carneum; quæ denique diſtincta omninò eſt ab externa verbi prædicatione. At hujuſmodi gratia procul dubio interior eſt, diffuſa in cordibus per Spiritum ſanctum. Ita porrò Scriptura.

1. Pſal. 118. v. 18. David ad Deum ait: *Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua*. Idem eſt Apoſtoli votum pro Epheſiis, Epiſtola ad ipſos ſcripta, cap. 1. v. 16. & 17. *Non ceſſo gratias agens pro vobis, memoriam veſtri faciens in orationibus meis; ut Deus Domini noſtri J. C. Pater gloriæ, det vobis Spi-*

Digitized by Google

Spiritum ſapientiæ & revelationis in agnitione ejus: illuminatos oculos cordis veſtri, ut ſciatis quæ ſit ſpes vocationis ejus.

2. Lucæ 24. v. 44. Chriſtus dicitur aperuiſſe Apoſtolis ſuis ſenſum Scripturæ: *Tunc aperuit illis ſenſum, ut intelligerent ſcripturas.* Juxta Græcum legitur, *aperuit eis mentem*: quæ loquendi ratio exprimit, non externam modò explicationem, ſed vim efficacem Spiritus ſancti intùs operantis & mentem illuſtrantis. Quomodo aliis in locis Deus dicitur *aurem aperire*, Iſaiæ 50. v. 5. iis ſcilicet quos ad audiendum verbum diſponit. Fruſtrà quippe verbum prædicatur exteriùs ac ſigna videntur, *niſi Deus det oculos ad videndum, & cor ad intelligendum*, ſicut dicitur Deuter. 29. v. 4. Eodem ſenſu Act. 16. v. 14. dicitur: *Cor Lydiæ aperuiſſe, ut attenderet iis quæ dicebantur à Paulo.*

3. Deus promittit ſe poſiturum in nobis leges ſuas, *& in cordibus ſcripturum.* Jeremiæ 31. v. 33. ſe daturum cor novum & ſpiritum novum. Ezechielis 36. v. 26. *Dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum ponam in medio veſtri, & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum: & Spiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis.* Quorſum porrò iſta? Niſi ut apertiſſimè pateat, cor noſtrum ante gratiam lapideum eſſe, durum, contra veritatem pertinax, nec carneus fieri poſſe, id eſt docile ac veritati capeſcendæ idoneum, niſi Divinæ gratiæ interioris beneficio.

4. Denique, interior fidei gratia neceſſaria ad credendum expreſsè diſtinguitur à gratia exteriori prædicationis in prima ad Theſſalon. Epiſtola cap. 1. v. 5. his verbis: *Evangelium noſtrum*, ait S. Paulus, *non fuit ad vos in ſermone tantùm, ſed & in virtute & in Spiritu ſancto.* Quò nimirùm intùs movente ac inſpirante, Theſſalonicenſes fidem, quam eis gratulatur Apoſtolus, ſuſceperant ac ſuſceptam ſervaverant. Hinc 1. Cor. 3. v. 7. idem Apoſtolus ait: *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat DEUS.* Meritò igitur S. Aug. Lib. de gratia Chriſti, cap. 10. n. 11. contendebat eam à Pelagio confeſſionem gratiæ exigendam eſſe, *qua futuræ gloriæ magnitudo* Tom. 10. *non ſolùm promittitur, verùm etiam creditur & ſperatur; nec ſolùm revelatur ſa-* p. 235. D. *pientia, verùm etiam & amatur; nec ſuadetur ſolùm omne quod bonum eſt, verùm & perſuadetur.*

Accedunt & alia non minùs firma & evidentia Scripturæ teſtimonia:

1. Corinth. 4. v. 7. *Quis te diſcernit? Quid habes quod non accepiſti? Si au-* Ib. p. 793. *tem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Quo præcipuè teſtimonio*, n. 7. E. ait S. Aug. Lib. de prædeſt. SS. cap. 3. *etiam ipſe convictus ſum, cùm ſimiliter errarem, putans fidem, qua in Deum credimus, non eſſe donum Dei, ſed à nobis eſſe in nobis.* Etenim, ut ait S. Cyprianus Lib. 3. ad Quirinum c. 4. *In nullo gloriandum,* pag. 263. *quando noſtrum nihil ſit.* Si autem fides aut ejus initium à nobis eſſet, poſſet qui crederet, ſeipſum à non credente diſcernere; poſſet & de ſua fide tanquam proprio bono gloriari: attamen id expreſsè negat Apoſtolus. *Quis enim*, ait rurſùs Rom. 11. v. 35. *prior dedit illi, & retribuetur illi? Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Tom. 10.

2. Cor. 3. v. 5. *Non ſumus ſufficientes aliquid cogitare ex nobis, quaſi ex nobis,* p. 792. D. *ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Ex quo loco S. Aug. Lib. de prædeſt. SS. cap. 2. n. 5. invictè refellit Semipelagianos, qui fidem, non verò ejus initium à Deo eſſe docebant. *Nullus*, inquit S. Doctor, *credit aliquid, niſi priùs cogitaverit eſſe credendum..... & ipſum credere, nihil aliud eſt, quàm cum aſſenſione cogitare.*

Non

Digitized by Google

Non enim omnis qui cogitat, credit .... Sed cogitat omnis qui credit, & credendo
Ibid. F. *cogitat, & cogitando credit.* Ergo, concludit S. Aug. *ſi non ſumus idonei cogitare aliquid quaſi ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt; profectò non ſum us idonei credere aliquid quaſi ex nobiſmetipſis, quod ſine cogitatione non poſſumus, ſed ſufficientia noſtra, qua credere incipiamus, ex DEO eſt ....* *Unde*, pergit, *in omni opere bono & incipiendo, & perficiendo, ſufficientia noſtra ex Deo eſt: ita nemo ſibi ſufficit vel ad incipiendam, vel ad perficiendam fidem, ſed ſufficientia noſtra ex DEO eſt: quoniam fides, ſi non cogitetur, nulla eſt; & non ſumus idonei cogitare aliquid quaſi ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex DEO eſt.*

Probatur 2. teſtimoniis SS. Patrum, quos ipſemet S. Aug. Lib. de dono perſever. cap. 19. appellat. Nimirum S. Cypriani Lib. 3. ad Quirinum cap. 4. ubi ait: *In nullo gloriandum, quando noſtrum nihil ſit.*

S. Ambroſii de fuga ſæculi cap. 1. ubi ſic loquitur: *Non eſt in poteſtate noſtra cor noſtrum, & noſtræ cogitationes.*

S. Gregorii Nazianzeni Oratione 44. in Pentecoſten: *Unius*, inquit, *dei-*
Ib. pag. 848. E. *tatis, quæſo vos, confitemini Trinitatem: ſi verò aliter vultis, dicite unius eſſe naturæ; & Deus vocem dari vobis à ſancto Spiritu deprecabitur ..... Dabit enim, certus ſum; qui dedit quod primum eſt, dabit & quod ſecundum eſt.* Quibus teſtimoniis relatis, hæc ſtatim addit S. Auguſtinus: *Iſti tales tantique Doctores di-*
Ibid. pag. 849. E. *centes non eſſe aliquid, de quo tanquam de noſtro, quod nobis Deus non dederit, gloriemur; nec ipſum cor noſtrum & cogitationes noſtras in poteſtate noſtra eſſe, & totum dantes Deo, atque ab ipſo nos accipere confitentes, ut permanſuri conver-*
Ibid. F. *tamur ad eum; ut id quod bonum eſt, nobis quoque videatur bonum, & velimus illud .... Hæc utique gratiæ Dei tribuunt, Dei munera agnoſcunt, ab ipſo nobis,*
Pag 850. A. *non à nobis eſſe teſtantur.*

His teſtimoniis multò plura ex Patribus Græcis addi facile foret, quæ Hallerius Doctor Sorbonicus ac Epiſcopus Vabrenſis collegit in Libro, cui titulus eſt: Theologia Græcorum Patrum vindicata circa univerſam materiam gratiæ cap. 8. ex Juſtino ſcilicet Martyre Apul. 2. Clemente Alexandrino L. 8. Stromatum. Origene L. 3. contra Celſum. Baſilio in Pſalm. 115. Gregorio Nazianzeno Orat. 42. Cyrillo Alexandrino Lib. 3. in Joan. Gregorio Nyſſeno Oratione Catechetica. Chryſoſtomo hom. 4. in caput 2. ad Epheſios. Ex quibus omnibus perfectam eſſe utriuſque Eccleſiæ conſenſionem ac traditionem in aſſerenda gratiæ Chriſti neceſſitate, intellexit S. Aug. Neque enim hìc ullatenus ferendi ac tolerandi ſunt, qui aut Græcorum fidem circa gratiam ſuſpectam reddunt cum Janſenio, aut Auguſtinum nonnihil innovaſſe calumniantur cum Launoio. Majorum ſuorum decretis ac fidei firmus adhæſit S. Aug. cujus circa gratiam fides ac doctrina, Eccleſiæ ipſius fides ac doctrina eſt: nec unquam veræ & orthodoxæ traditionis circa neceſſitatem gratiæ filum interciſum fuit in Eccleſia Græca: aliàs quomodo illud ſine nova revelatione reſumi ac iterum colligari aliquando potuiſſet? Et unde Latini, qui à Græcis eruditi ſunt, puram hauſiſſent doctrinam? Quapropter meritò S. Aug. Julianum Græcorum præſidio errorem ſuum confirmare volentem ſic refellit Lib. 1. ad-
Tom. 10. p. 504. C. versùs ipſum c. 4. n. 14. ac Græcorum fidem vindicat. *Non eſt*, inquit, *cur provoces ad Orientis Antiſtites; quia & ipſi utique Chriſtiani ſunt, & utriuſque partis terrarum fides iſta una eſt, quia & fides iſta Chriſtiana eſt.*

Probatur 3. ex Conciliis.

Digitized by Google

Ex Arauſicano II. (anno 529.) Can. 5. *Si quis ſicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipſumque credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui juſtificat impium, & ad generationem ſacri Baptiſmatis pervenimus, non per gratiæ donum, id eſt, per inſpirationem Spiritus ſancti .... ſed naturaliter nobis ineſſe dicit, Apoſtolicis dogmatibus adverſarius approbatur.* *Tom. 4. Conc. p. 1667. E.*

Et can. 7. *Si quis per naturæ vigorem .... Evangelicæ prædicationi conſentiri poſſe confirmat, abſque illuminatione & inſpiratione Spiritus ſancti .... hæretico fallitur ſpiritu.* *Ib. pag. 1668. C.*

Ex Tridentino ſeſſ. 6. Can. 3. *Si quis dixerit, hominem ſine ſancti Spiritus inſpiratione, atque ejus auxilio credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* *T. 14. Conc. p. 64. D.*

Probatur 4. Rationibus Theologicis.

1. Ex natura gratiæ, quæ planè gratuita eſt, nec meritis humanis rependitur: atqui ſi initium fidei eſſet à nobis, ejus verò incrementum à Deo eſſet propter bonum voluntatis affectum ad credendum, qui præcedit, gratia fidei gratuita non eſſet, ſed ex merito boni illius affectus naturalis concederetur, quæ ſententia in ipſum planè dogma Pelagii recidit. Sic arguit S. Aug. Lib. de præd. SS. cap. 2. n. 3. *Non ergo*, inquit, *receditur ab ea ſententia, quam Pelagius ipſe in Epiſcopali judicio Palæſtino damnare compulſus eſt, gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari, ſi non pertinet ad Dei gratiam, quòd credere cœpimus.* *T. 10. p. 791. E.*

2. Ex conditione fidei, quæ cùm ſit totius ſalutis baſis ac fundamentum, juſtus enim ex fide vivit, & *fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum*, Heb. 11. v. 1. æquè neceſſaria eſt gratia ad fidem ejuſque initium, ac ad ſalutem ipſam; atque initium fidei, ſeu pius credulitatis affectus inter bona opera computari debet, cùm inde bonorum operum ſeries ac ſalus ipſa pendeat. Quòd ſi primum illud ſalutis initium à nobis eſt, falſa erit hæc Apoſtoli ſententia Rom. 11. v. 35. *Quis prior dedit ei, & retribuetur illi? Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Falſa pariter & iſta: *Quis te diſcernit? Quid habes quod non accepiſti?* &c.

3. Ex natura Divinæ prædeſtinationis & electionis, cujus fundamentum penitùs tollitur: non enim ſalvæ fierent reliquiæ ſecund[illegible] electionem gratiæ, ut Apoſtolus prædicat Rom. 11. ſed juxta meritum naturæ, & bonum uſum liberi arbitrii.

4. Ex Divina promiſſione. Promittit quippe Deus fidem: *Promittit autem* inquit S. Aug. Lib. de prædeſt. SS. cap. 10. n. 19. *quod ipſe facturus eſt, non quod homines .... Alioquin ut Dei promiſſa compleantur, non in Dei, ſed in hominum eſt poteſtate:* quod certè abſurdum eſt, ſic enim Deus ab homine penderet, ut ſua impleret promiſſa. *Ib pag. 803. F. G.*

5. Ratio petitur ex orationibus, quibus pia mater Eccleſia donum fidei à Deo poſtulat, ac pro illo conceſſo gratias reddit: neque enim id à Deo poſtulamus, quod in noſtra eſt poteſtate. Sic arguit S. Aug. Lib. de dono perſever. c. 23. n. 63. *Quando enim*, inquit, *non oratum eſt in Eccleſia pro infidelibus atque inimicis ejus ut crederent? .... Si autem hæc ab ipſo (Deo) quidem poſcit Eccleſia, ſed à ſeipſa ſibi dari putat, non veras, ſed perfunctorias orationes habet; quod abſit à nobis. Quis enim veraciter gemat, deſiderans accipere quod orat a Domino, ſi hoc a ſeipſo ſe ſumere exiſtimet, non ab illo?* Et ut ait in Epiſt. 177. aliàs 95. *Oratio clariſſima eſt gratiæ teſtificatio.* *Ib. pag. 855 F. pag. 856. B.* *T. 2. pag. 623. G.*

6. Denique ratio deſumitur ex naturali conditione intellectus & volun-tatis. Quippe non poteſt hæc utraque facultas ferri in objectum ſupernaturale; niſi adjuvetur gratiæ ſupernaturalis auxilio: atqui objectum fidei eſt ſupernaturale; ergo intellectus & voluntas indigent auxilio gratiæ ſupernaturalis, ut circa fidei objectum verſentur.

SECUNDA CONCLUSIO.

Sine ſpeciali gratiæ interioris adjutorio, nullum poteſt homo bonum opus morale ſupernaturale pertinens ad ſalutem velle aut perficere.

Probatur ex Scripturis, duplici teſtimoniorum genere.

I. Iis quæ declarant ſummam eſſe hominis lapſi corruptionem, & ad ſupernaturale bonum impotentiam. 1. Non tantùm homines ægros & infirmos appellant, ſed etiam *mortuos in peccatis*. Epheſ. 2. v. 1. 2. Cæcos, imò & *ipſas tenebras*. Epheſ. 5. v. 8. 3. *Animales, qui non percipiunt ea, quæ ſunt Spiritus Dei*, imò *nec poſſunt intelligere*. 1. Cor. 2. v. 14. 4. *Peccati ſervos*. Joan. 8. v. 34. & Rom. 6. v. 18. 5. *Dei inimicos*. Coloſſ. 1. v. 21. 6. Qui non modò *legi non ſubjiciuntur, ſed nec poſſunt quidem*, (nempè ex ſeipſis) Rom. 8. v. 7. Uno verbo, qui nihil boni poſſunt ex ſeipſis vel cogitare, vel perficere. Joan. 15. v. 5. 2. Cor. 3. v. 5.

II. Iis quæ omnem bonam voluntatem & actionem noſtram DEO adſcribunt.

Joan. 6. v. 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit ipſum*. Et c. 15. v. 4. & 5. *Sicut palmes non poteſt facere fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite; ſic nec vos, niſi in me manſeritis. Ego ſum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia ſine me nihil poteſtis facere*. Epheſ. 2. v. 10. *Ipſius* (nempè Chriſti) *factura ſumus creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus*.

Philipp. 1. v. 6. *Qui cæpit in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem Jeſu Chriſti*. Et cap. 2. v. 13. *Deus eſt qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate*. Rom. 9. v. 16. *Non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*.

Denique Jacobi 1. v. 17. *Omne datum optimum de ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum*.

Quibus certè omnibus teſtimoniis penitùs evertitur tum veterum tum recentiorum Pelagianorum error, qui gratiam aut in ſola externa revelatione, aut interna dumtaxat illuſtratione mentis reponebant, excluſa inſpiratione & motione voluntatis per charitatem diffuſam in cordibus. Duo quippe præcipua vulnera homini per peccatum primi parentis inflicta ſunt, ignorantia & concupiſcentia; nec planè ſufficit ad opus bonum exercendum, ignorantiam depelli revelatione ſeu cognitione veritatis, ſed languor ipſe ac infirmitas voluntatis ſanari debet per occultam virtutis Spiritus ſancti ſubminiſtrationem. Hujus potiſſimùm gratiæ confeſſionem à Pelagianis exigebat
T. 10. p. 236. D. S. Aug. *Qua*, inquit Lib. de gratia Chriſti c. 12. nu. 13. *agitur, non ſolùm ut facienda noverimus, verùm etiam ut cognita faciamus; nec ſolùm diligenda credamus, verùm etiam ut credita diligamus*. Et cap. 26. n. 27. *Gratiam Dei*, ait,
Ib pag. 243. A. *qua charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt no-*

Digitized by Google

eſt nobis, ſic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omninò nihil boni ſine illa, quod ad pietatem pertinet veramque juſtitiam, fieri poſſe non dubitet. Non quomodo iſte (Pelagius) *qui dicit, propterea dari gratiam, ut quod à Deo præcipitur, faciliùs impleatur. Tolle faciliùs*, pergit ſanctus Doctor cap. 29. n. 30. [Ibid E.] *& non ſolùm plenus, verùm etiam ſanus eſt ſenſus .... Cùm autem faciliùs additur, adimpletio boni operis etiam ſine Dei gratia poſſe fieri tacita ſignificatione ſuggeritur. Quem ſenſum redarguit, qui dicit: Sine me nihil poteſtis facere.* Et Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 17. n. 33. *Sine illo vel operante ut velimus*, ait, *vel cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.* [Ibid p. 235. F.]

Probatur 2. ex Conciliis, quibus Pelagiana hæreſis confoſſa fuit, de quibus diximus, ubi de Pelagianis. Ita

Concilium Dioſpolitanum an. 415. in quo ſeptimus iſte Pelagii articulus proſcriptus fuit: *Gratia Dei atque adjutorium non ad ſingulos actus datur, ſed de libero eſt arbitrio, vel in lege atque doctrina.* [T. 2 Con. p. 1578. D.] Quem quidem articulum vel ipſe damnavit ac revocavit Pelagius, tametſi doloſè ac fallaciter, gratiæ nomine liberum arbitrium, legem atque doctrinam ſubintelligens. Unde S. Aug. Lib. de pecc. orig. cap. 14. n. 15. Pelagium in eo Concilio *abſolutionem ſuam fallendo ſuffuratum fuiſſe* dicit. [T. 10. p. 259. F.]

Milevitanum ſecundum, ſeu potiùs Carthaginenſe tertium, nullos quippe Canones videtur condidiſſe iſtud Milevit. Conc. tum quia nec Epiſtolæ hujus Concilii ad Innocentium, nec Innocentii ad idem Concilium ullius Canonis mentionem faciunt: tum quia Cœleſtinus cap. 9. Epiſtolæ ad Epiſcopos Galliæ, eos Canones tanquam ex Conc. Carthag. refert, ſicut & Adrianus I. in Epitome Canonum Can. 82. Quidquid ſit, cap. 4. ſic habetur: *Quiſquis dixerit, gratiam Dei per J. C. Dominum noſtrum propter hoc tantùm nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipſam nobis revelatur & aperitur intelligentia mandatorum, ut ſciamus quid appetere, quid vitare debeamus: non autem per illam nobis præſtari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus atque valeamus, anathema ſit .... Utrumque donum Dei eſt, & ſcire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus.* [T. 2. Con. p. 1664. D.]

Et cap. 5. *Placuit ut quicumque dixerit, ideo nobis gratiam juſtificationis dari, ut quod facere per liberum jubemus arbitrium, faciliùs poſſimus implere per gratiam, tanquam etiamſi gratia non daretur, non quidem facilè, ſed tamen poſſimus etiam ſine illa implere divina mandata, anathema ſit.* [Ibid. E.]

Arauſicanum II. an. 529. cujus eximii ſunt in rem noſtram præſentem Canones. Can. 3. *Si quis ad invocationem humanam gratiam Dei dicit poſſe conferri, non autem ipſam gratiam facere, ut invocetur à nobis, contradicit Iſaiæ Prophetæ vel Apoſtolo.* [T. 4. Con. p. 1667. & ſeq.]

Can. 4. *Si quis, ut à peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per ſancti Spiritus infuſionem & operationem in nos fieri confitetur, reſiſtit Spiritui ſancto.*

Can. 5. *Si quis ſicut augmentum, ita etiam & initium fidei, ipſumque credulitatis affectum .... non per gratiæ donum, id eſt, per inſpirationem Spiritus ſancti .... ſed naturaliter nobis ineſſe dicit, Apoſtolicis dogmatibus adverſarius approbatur.*

Can. 6. *Si quis ſine gratia Dei credentibus, volentibus, deſiderantibus, laborantibus, vigilantibus, ſtudentibus, petentibus, quærentibus, pulſantibus nobis*

miſericordiam dicit conferri divinitùs; non autem ut credamus, velimus, vel hæc omnia, ſicut oportet, agere valeamus, per infuſionem & inſpirationem S. Spiritus in nobis fieri confitetur, & aut humilitati, aut obedientiæ humanæ ſubjungit gratiæ adjutorium: nec ut obedientes & humiles ſimus, ipſius gratiæ donum eſſe conſentit, reſiſtit Apoſtolo dicenti: Quid habes quod non accepiſti? Et; Gratia Dei ſum id quod ſum.

Can. 7. *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquid, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit, aut eligere, ſive ſalutari, id eſt Evangelicæ prædicationi conſentire poſſe confirmat, abſque illuminatione & inſpiratione Spiritus ſancti .... hæretico fallitur ſpiritu.*

Can. 9. *Divini eſt muneris, cùm & rectè cogitamus, & pedes noſtros à falſitate & injuſtitia continemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiſcum ut operemur, operatur.*

Denique Can. 22. *Nemo habet de ſuo, niſi mendacium & peccatum; ſi quid autem habet homo veritatis atque juſtitiæ, ab illo fonte eſt, quem debemus ſitire in hac eremo, ut ex eo quaſi guttis irrorati, non deficiamus in via.*

Tom. 3. Conc. pag. 804. & 805. Accedit & Oecumenica Synodus Epheſina anno 431. actione 7. Can. 1. & 4. ubi Neſtorius & Cæleſtius propter doctrinæ ſocietatem damnantur. Ita teſtantur S. Gregorius Magnus Lib. 5. Epiſtola 14. & Lib. 7. Epiſtola 48. S. Proſper in Epitaphio Neſtorianæ & Pelagianæ hæreſeos.

Denique Trid. Synodus omnium poſtrema eandem fidem confirmavit Seſſ. 6. Can. 3. verbis concluſione 1. articuli 2. laudatis.

Probatur denique iiſdem rationibus, quas paulò antè expoſuimus.

Solvuntur Objectiones Pelagianorum & Semipelagianorum.

Objicies 1. ea Scripturæ teſtimonia, quibus declaratur in negotio ſalutis voluntatem hominis præire gratiæ Dei, & intuitu boni alicujus operis naturalis gratiam à Deo præparari & conferri.

Pſal. 9. v. 11. *Non dereliquiſti quærentes te, Domine.*

Proverb. 16. v. 1. *Hominis eſt præparare animam, & Domini gubernare linguam.* Et v. 9. *Cor hominis diſponit viam ſuam, ſed Domini eſt dirigere greſſus ejus.*

Zachariæ 1. v. 3. *Convertimini ad me, ait Dominus, & convertar ad vos.*

Matth. 25. v. 15. *Unicuique* (Deus) *talenta dedit ſecundùm propriam virtutem.* Unde Lucæ 11. v. 9. dicitur: *Petite, & dabitur vobis; quærite, & invenietis; pulſate, & aperietur vobis.*

Rom. 7. v. 18. Apoſtolus ait: *Velle adjacet mihi; perficere autem bonum non invenio.*

Tom. 10. pag 443. Ib. pag. 723. R. Neg. Ant. Ad laudata Scripturæ teſtimonia reſpondet S. Aug. Lib. 2. ad Bonifacium c. 8. & Lib. de grat. & lib. arb. cap. 5. n. 10. iis noſtrum liberum arbitrium ejuſque liberam cum gratia cooperationem commendari, non autem excludi gratiæ prævenientis neceſſitatem; quemadmodùm cùm dicitur: *Converte nos Deus ſalutaris noſter, & præparatur voluntas à Domino*, commendatur gratiæ prævenientis beneficium, non excluſa, imò præſuppoſita voluntatis libera cooperatione. Reſponſionem confirmat Synodus Trid. ſeſſ. 6. *Tom. 14. Conc. p. 758. E.* c. 5. *Cùm dicitur*, inquit, *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos, libertatis noſtræ admonemur: Cùm reſpondemus: Converte nos Domine ad te, & convertemur,*

Digitized by Google

temur; *Dei gratia nos præveniri confitemur*. *Quapropter*, ait egregiè S.Aug. citato mox Lib. 2. ad Bonifac. cap. 9. n. 21. *multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo:* (nempe indeliberatos ad pietatem motus) *nulla verò facit homo, quæ non facit Deus, ut faciat homo.* Tom. 10. p. 444. F.

Qui ergo Deum quærunt, qui præparant animam, qui diſponunt viam ſuam, qui, ut oportet, convertuntur ad Deum, non ſola duce natura, ſed Divinæ gratiæ auxilio adjuvantur.

Unde virtus illa, ad cujus menſuram Deus Matth. 25. unicuique talenta dividere dicitur, non ex natura, ſed ex gratia eſt, & quidem ea quæ dicitur gratis data. *Unicuique enim noſtrum*, ait Apoſtolus Epheſ. 4. *data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti*. Quamquam ſi de gratia gratum faciente ſeu juſtificante intelligere placeat, nihil inde conſequentur hæretici: gratia quippè illa datur ſecundùm menſuram præviæ diſpoſitionis ſeu præparationis, quæ non eſt à natura, ſed à præveniente gratia.

Cùm verò petentibus & pulſantibus dari & aperiri aſſerit S. Lucas, petitio illa & pulſatio non fit ſine gratia. *Spiritus enim adjuvat infirmitatem noſtram*; inquit Apoſtolus Rom. 8. v. 26. *Nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus, ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.*

Pariter quando Apoſtolus ait: *Velle adjacet mihi*, mens ipſius non eſt, voluntatem illam eſſe ſine auxilio gratiæ. Cap. enim 2. v. 13. ad Philipp. ait: *Deum eſſe qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate*. Hoc unum ergo ibi docet Apoſtolus, præter gratiam quæ facit velle, aliam eſſe neceſſariam quæ det agere. Exoptabat ſcilicet Apoſtolus liberari ab illa importuna concupiſcentię luctâ, quæ obſtabat, ne quod bonum volebat, tam promptè ac facilè adimpleret. *Non quod volo bonum*, ait Rom. 7. v. 19. *hoc facio, ſed quod nolo malum, hoc ago*. Et v. 23. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati.... Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per J. C. Dominum noſtrum.*

Inſtabis 1. Scriptura nonnulla refert exempla eorum, qui gratiam conſecuti ſunt propter aliquod meritum præcedens naturale. Sic

Zachæus meruit Chriſtum in domo ſua excipere, ob deſiderium quo flagrabat illum videndi. Luc. 19.

Latro in cruce pendens propter hæc verba: *Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum*; hæc audire meruit: *Hodie mecum eris in Paradiſo*. Lucæ 23.

Cornelii Centurionis eleemoſynæ & orationes exauditæ fuerunt & Deo gratæ, antequam in Chriſtum credidiſſet; iiſque gratiam fidei à Deo impetravit: miſſus quippe ad ipſum fuit S. Petrus, qui Chriſtum ipſi annunciaret. Act. 10.

Denique S. Paulus 1. ad Timoth. 1. fatetur, ſe, *qui priùs blaſphemus fuerat, perſecutor & contumelioſus, miſericordiam eſſe conſecutum, quia ignorans hæc omnia fecerat.*

Reſp. Neg. ant. Ad exempla verò quę mox relata ſunt, ſic reſpondet Synodus Arauſicana II. Can. 25. in fine: *Hoc etiam ſalubriter profitemur & credimus, quòd in omni opere bono non nos incipimus, & poſteà per Dei miſericordiam adjuvamur; ſed ipſe nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem ſui priùs inſpirat, ut & Baptiſmi Sacramenta fideliter requiramus, & poſt Baptiſmum* T. 4. pag. 1672. B.

cum ipſius adiutorio ea, quæ ſibi ſunt placita, implere poſſimus. Undè manifeſtiſſimè credendum eſt, quòd & illius latronis, quem Dominus ad Paradiſi patriam revocavit, & Cornelii Centurionis, ad quem Angelus Domini miſſus eſt, & Zachæi, qui ipſum Dominum ſuſcipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, ſed divinæ largitatis donum. Quapropter eadem Synodus Can. 3. damnat eos, qui dicunt, gratiam Dei ad invocationem humanam conferri: verba paulò ſuperiùs relata ſunt.

Itaque in exemplis quæ laudata ſunt, non voluntas gratiam, ſed gratia voluntatem antevertit.

Zachæi animum gratia præparaverat, cujus hoſpitium elegerat Chriſtus, ait S. Proſper.

Latro in cruce pendens efficaci gratia donatus ab illo fuit, qui dixerat: *Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.*

T. 10. p. 791. A. Cornelius, judice ipſo Aug. Lib. de prædeſt. SS. cap. 7. n. 12. *Non ſine aliqua fide donabat & orabat*: fide ſcilicet implicita & inchoata, quæ ut explicita evaderet ac perfecta, miſſus ad ipſum fuit S. Petrus, à quo in fide erudiri & informari poſſet. Citata mox exempla ita exponit Synodus Arauſic. II. Can. 25. *Manifeſtiſſimè credendum eſt*, inquit, *quòd illius latronis, quem Dominus ad Paradiſi patriam revocavit; & Cornelii Centurionis, ad quem Angelus Domini miſſus eſt: & Zachæi, qui ipſum Dominum ſuſcipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, ſed Divinæ largitatis donum.* T. 4. Con. p. 1671. C.

Ignorantia S. Pauli non fuit cauſa & motivum provocans Dei gratiam: (quàm multi enim ea privantur, qui peccant ex ignorantia) ſed fuit dumtaxat congruum ac conveniens divinæ miſericordiæ planè gratuitæ objectum. Particula enim, *quia*, eo in loco non cauſalitatem, ſed objectum indicat, ut in iſtis Pſalmiſtæ verbis Pſalmo 40. v. 5. *Sana animam meam, quia peccavi tibi.* Neque enim peccata Deum movent & excitant ad gratiam concedendam, imò potiùs de ſe avocant & avertunt. Significat igitur Pſalmiſta, peccata objectum eſſe congruum & aptum, circa quod occupari poteſt divina miſericordia; Deumque orat, ut erga illa miſericordes oculos ſuos dignetur convertere.

Inſtabis 2. Si ex precibus, quibus donum fidei à Deo poſtulatur, rectè infertur, fidem illam eſſe à Deo, ex præceptis pariter & adhortationibus, quibus urgemur ad petendam & inchoandam noſtram converſionem, benè infertur eſſe in noſtra poteſtate petere & inchoare converſionem. Sicut enim quod ab alio petimus, non eſt in noſtra poteſtate; ita quod à nobis petitur & exigitur, ex nobis pendere dici omninò debet.

Reſp. Nego ſequelam ant. Præcipit enim Deus ut poſtulemus converſionem, quia dat aut ſaltem paratus eſt dare unde poſtulemus. Scriptura verò ut ſimul demonſtret & neceſſitatem gratiæ, & liberam humanæ voluntatis cooperationem, juſtificationis opus aliquando Deo, aliquando nobis adſcribit. Pſal. 84. dicitur: *Converte nos Deus ſalutaris noſter.* Et Joelis 2. dicitur: *Convertimini ad me in toto corde veſtro.* Ezechiel. 18. dicitur: *Facite vobis cor novum.* Et c. 36. Deus ait: *Dabo vobis cor novum. Dat ſcilicet Deus quod jubet, cùm adjuvat ut faciat cui jubet*, ait S. Aug. Lib. de Grat. & lib. arbit. cap. 15. n. 31. T. 10. p. 734. A.

Inſtabis 3. Credere vel non credere in arbitrio eſt voluntatis humanæ; ergo fides non à Deo, ſed à nobis oritur.

Reſp.

Reſp. Diſt. ant. Credere eſt in arbitrio voluntatis humanæ per gratiam, concedo: ſine gratia, nego. Poteſt equidem homo ſine gratia non credere, quia ſibi non ſufficit ad malum; ſed non poteſt credere ſine auxilio gratiæ, quia ſibi non ſufficit ad bonum ſupernaturale, quod pertinet ad ſalutem.

Inſtabis 4. Cùm dicitur: Si credideris, ſalvus eris, unum horum exigitur, ſcilicet fides; alterum offertur, ſcilicet æterna ſalus: quod exigitur, in hominis eſt poteſtate; quod verò offertur, in poteſtate Dei: ergo fidès, quæ exigitur, eſt in poteſtate hominis.

Reſp. cum S. Aug. Lib. de prædeſt. SS. c. 11. n. 22. *Utrumque eſſe in poteſtate Dei, & quod jubet, & quod offert. Rogatur enim*, pergit S. Doctor, *ut det quod jubet: rogant credentes, ut ſibi augeatur fides; rogant pro non credentibus, ut eis donetur fides: & in ſuis incrementis, & in ſuis initiis Dei donum eſt fides. Sic autem dicitur: Si credideris, ſalvus eris; quemadmodum dicitur: Si ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Nam & hic ex his duobus unum exigitur, alterum offertur. Si ſpiritu, inquit, facta carnis mortificaveritis, vivetis. Ut ergo ſpiritu facta carnis mortificemus, exigitur; ut autem vivamus, offertur. Num igitur placet, ut facta carnis mortificare non donum Dei eſſe dicamus; neque id donum Dei eſſe fateamur, quoniam exigi audimus à nobis, præmio vitæ, ſi hoc fecerimus, oblato? Abſit.... Pelagianorum eſt error iſte damnabilis.... Sicut ergo quamvis Dei donum ſit, facta carnis mortificare; exigitur tamen à nobis propoſito præmio vitæ: ita donum Dei eſt & fides, quamvis & ipſa... propoſito præmio ſalutis exigatur à nobis. Ideo enim hæc & nobis præcipiuntur, & dona Dei eſſe monſtrantur, ut intelligatur quòd & nos ea facimus, & Deus facit ut illa faciamus*: Hactenùs S. Aug. *Ibid p. 8:4 E.* *Rom. 8. 13.* *pag. 805. A.*

Inſtabis 5. Si fides ejuſque initium ſit donum Dei,

1. Quare non omnibus datur, cùm Deus velit omnes ſalvos fieri?

2. Quomodo ſunt inexcuſabiles, qui fidem non accipiunt, cùm non ſit in eorum poteſtate illam habere?

3. Quomodo Deus perſonarum acceptor non eſt, qui fidem uni dat, alteri verò denegat?

Reſp. ad 1. Non omnibus dari fidem, quia non omnes vocationi divinæ & oblatæ gratiæ obtemperant; ſed multi reluctantur & obicem ponunt. Cur verò aliquibus etiam reſiſtentibus & obluctantibus ſic fides ſuadetur, inquit S. Aug. ut etiam perſuadeatur? Cur è duobus æquè iniquis ac perverſis, unus trahitur, alter verò relinquitur? Inſcrutabilia ſunt Dei judicia; & cum Apoſt. exclamandum: *O Altitudo!* Qui relinquitur, juſtiſſimo Dei judicio propter peccata relinquitur: qui verò aſſumitur, ex pura DEI miſericordia ſalvatur. Legatur S. Aug. Lib. de ſpiritu & littera cap. 33. n. 57. ubi quæſtionem illam proponit. *Ibid pag. 118.*

Ad 2. reſpondet S. Aug. Epiſt. 194. aliàs 105. ad Sixtum, *inexcuſabilem eſſe omnem peccatorem, vel reatu originis, vel additamento propriæ voluntatis, ſive qui novit, ſive qui ignorat, &c.* *T. 2. pag. 723. D.*

Ad 3. Iſtud Pelagianorum figmentum repreſſit ſæpiùs S. Aug. exemplo duorum parvulorum, quorum unus baptizatur, & alter non baptizatur; unus ſalvatur, alter verò damnatur, abſque ullis profectò ex parte illorum perſonalibus meritis vel demeritis.

Ratio eſt, quia vitium acceptionis perſonarum duas conditiones requirit:

Digitized by Google

1. Ut ille; contra quem peccatur per acceptionem perſonarum, jus habeat ad bona quæ diſtribuuntur. 2. Ut in ejuſmodi diſtributione ratio habeatur alicujus conditionis in perſona, nihil facientis ad diſtributionem. Porrò deeſt illa duplex conditio in diſtributione gratiæ. Nullum enim jus ſupponit in homine, nec ullam perſonæ naturalem conditionem, cujus intuitu Deus gratiam largiatur.

Inſtabis 6. Actus fidei poteſt à voluntate imperari propter malum finem, v. g. mundanam gloriam, ſicut docet S. Aug. Lib. de cathechizandis rudibus c. 27. ſed ad talem actum fidei, vel etiam ad voluntatem imperantem non requiritur gratia.

Reſp. Diſtinguo maj. Actus fidei naturalis & acquiſitæ, quæ humano motivo nititur, concedo: fidei chriſtianæ & ſupernaturalis, nego. Hinc S. Aug. ait, homines, qui mala voluntate ad credendum moventur, ſimulato corde Eccleſiam intrare, ac chriſtiano nomini illudere.

Inſtabis 7. ex Apoſt. Rom. 2. v. 14. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt*. Ex illis porrò bonis operibus naturæ viribus elicitis, Deus movetur ad conferendam gratiam, juxta commune effatum: *Facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam.*

Reſp. Verba Apoſtoli exponi poſſe duobus modis: 1. Ut intelligantur de gentibus ad Chriſtum non converſis, quæ ſolo naturæ ductu nonnulla legis naturalis præcepta obſervant; quo ſenſu fatemur nulla opus eſſe gratia: patebit enim ex dicendis inferiùs, hominem poſſe aliquod bonum opus morale facilè, tum cùm nulla urget gravis tentatio, facere ſine gratia. 2. Ut intelligantur de gentibus ad fidem converſis, & iſtud *naturaliter* opponatur legi Moſaicæ, non verò gratię: quo ſenſu non excluditur gratia, imò præſupponitur

T. 10. p. 110. E. ſaltem actualis. *Non quòd*, ait S. Aug. Lib. de ſpir. & litt. cap. 27. n. 47. *per naturam negata ſit gratia, ſed potiùs per gratiam reparata natura*. Laudati axiomatis ſenſus eſt, facienti quod in ſe eſt per gratiam excitantem ac prævenientem, Deus non denegat operantem. Verùm de illo effato propriùs erit dicendi locus ad ſextum hujus quæſtionis articulum, cùm quæremus, utrùm homo poſſit ſe ad gratiam præparare ſine gratia.

Objicies 2. Gentiles Philoſophi multa credunt ſolis viribus liberi arbitrii non minùs difficilia, quàm ſint articuli noſtræ fidei: ut continuum ſecari poſſe in infinitas partes; inter quælibet duo puncta notata, quamvis inter ſe proxima, intercedere alia infinita, &c.

Reſp. cum Bellarmino de gratia & libero arbitrio Lib. 6. c. 3. illos Philoſophos vel habere demonſtrationem de diviſione continui, & tunc non eſſe rem difficilem ad credendum, niſi imperitis; vel non habere, & tunc eos non firmiter credere, ſed ex conjectura dumtaxat. Præterea, ſive demonſtrationem habeant, ſive non habeant, eos non credere ex pio affectu ſubjiciendi ſe Deo, ſed quia vel coguntur argumentis, vel cedunt auctoritati doctiorum.

Inſtabis 1. Etiam hæretici nonnullos fidei articulos credunt, v. g. Trinitatis & Incarnationis &c. ſine gratia: hęc quippe illorũ fides cum errore conjungitur.

Tres ad veram fidem conditiones Bellarm. Reſp. Hæreticos fide dumtaxat humana, naturali & acquiſita credere, non verò fide ſupernaturali; ſeu ut loquitur Synodus Tridentina, *ut oportet ad ſalutem*. Quod quidem, ut rectè advertit Bellarminus loco citato, tres conditiones includit. Unam, ut certò credatur ex parte objecti; id eſt, tanquam à Deo reve-

revelatum, & quod nullo modo falſum eſſe poſſit: alteram, ut firmiter credatur ex parte ſubjecti; id eſt, ut homo nihil dubitet, & malit potiùs mori, quàm articulum fidei non credere: tertiam, ut ex pio affectu credatur; id eſt, ex quadam inclinatione pia erga Deum, quia incipit homo cervicem Deo flectere, eique ſe ſubjicere ad obedientiam fidei, etiam in iis rebus, quæ rationem humanam ſuperant.

Porrò hæretici non habent fidem certam ex parte objecti: nam ut fides ſit certa ex parte objecti, duæ cauſæ infallibiles requiruntur; cauſa revelans articulos, & cauſa proponens aut declarans articulos revelatos. Nam ſi is qui revelat, & cujus auctoritate nitimur, falli poſſit, fides etiam incerta redditur; itaque cauſa revelans non debet eſſe niſi Deus; & pari ratione, ſi is qui articulos revelatos proponit aut declarat, errori ſit obnoxius, & poſſit aliquid proponere tanquam à Deo revelatum, quod verè non ſit à Deo revelatum, tota fides nutabit & incerta erit.

Hæretici autem exiſtimant quidem ſe credere id quod credunt, quia Deus revelavit; ſed reverà non credunt quia Deus revelavit, ſed quoniam ipſi temerè volunt id credere quod credunt, cùm non habeant cauſam infallibilem proponentem ac declarantem revelationem Dei. Nam ſi quis ab hæreticis petat, unde habeant Deum revelaſſe hunc articulum aut illum: reſpondebunt, ex Divinis Litteris. At ſi quis urgeat, unde habeant Divinas Litteras hoc ſignificare, quod ipſi dicunt, cùm alii aliter Scripturas intelligant; imò etiam, unde habeant has eſſe Divinas Litteras, nihil omnino reſpondere poterunt, niſi ita ſe judicare: judicium enim Eccleſiæ, quod unum Deus innumeris ſignis & prodigiis aliiſque teſtimoniis plurimis infallibile eſſe declaravit, jam ipſi rejecerunt, & unuſquiſque ad ſe judicium divinæ revelationis interpretandæ revocavit. Quis autem poſſit niſi valdè temerè credere, ſuum ipſius judicium de rebus Divinis infallibile eſſe, cùm hanc infallibilitatem nulla neque Divina promiſſione, neque humana ratione probare poſſit, eamque toti deneget Eccleſiæ, quæ tamen eſt columna & firmamentum veritatis? At Catholici fidem habent omnino certam & infallibilem, quoniam credunt id quod credunt, quia Deus id revelavit: Deum autem revelaſſe credunt, quoniam Eccleſiam ita dicentem vel declarantem audiunt, quam quidem errare non poſſe, non temerè credunt, cùm teſtimonia ejus ex plurimis ſignis & prodigiis, aliiſque multis argumentis, credibilia facta ſint nimis. Hactenus Bellarminus.

Inſtabis 2. Poſſunt ex dictis hæretici aſſentiri veritatibus ſupernaturalibus ex motivo humano & naturali; ergo poſſunt veritates ſupernaturales naturaliter & ſine gratia cognoſci.

℟. Diſtinguo ant. Aſſenſu incerto & opinativo ac inutili ad ſalutem, ſicut antea diximus, concedo: aſſenſu certo & utili ad ſalutem, nego.

Inſtabis 3. Fidei noſtræ articuli tot argumentis ac ſignis evidentibus credibiles facti ſunt, ut non videatur opus eſſe interiori gratia, ut credantur, cùm nemo ſapiens poſſit tantæ credibilitatis evidentiæ reſiſtere.

℟. Cum eodem Bellarmino loco citato, res credibiles ſine alia gratia credi poſſe, ſed humana fide, non divina: argumenta enim, quæ articulos fidei noſtræ credibiles faciunt, talia non ſunt, ut fidem omninò indubitatam reddant, niſi mens divinitùs adjuvetur. Ratio eſt, quia cum illis motivis evidentibus & extrinſecis credibilitatis, fidei myſteria obſcura ſemper ac

inevi-

inevidentia in ſe remanent, adeòque mens humana ſuperiori gratiæ auxilio indiget, ut aſſenſum ſuum captivare poſſit in obſequium fidei..

Inſtabis 4. Res quædam falſæ, quæ omnem rationem excedunt, quale eſt paradoxum illud Lutheranorum, Corpus Chriſti ſemper eſſe ubique: & illud, infantes, dum baptizantur, actu credere, firmiſſimè credi poſſunt abſque ullo adjutorio DEI, ut notum eſt: quidni ergò credi poſſunt etiam aliqua vera ſine ſpeciali auxilio Dei, quamvis eandem rationem excedant?

Reſpondet Bellarminus, non eſſe omnino eandem rationem veri & falſi, ſicut non eſt eadem ratio boni & mali. Poteſt enim homo peccator ex animo ac toto corde blaſphemare Deum, non tamen poteſt ex animo ac toto corde laudare Deum ſine ſpeciali gratia. Ita poterit figmenta ſua, quamvis aliis incredibilia, ipſe facilè credere propter affectum erga res ſuas, nec tamen poterit ſine ſpeciali gratia Dei res divinas credere. Addo, pergit Bellarminus, ejuſmodi homines, ſicut temerè credunt falſa & diabolica, ita etiam temerè credere vera & divina; non autem, ſicut diximus, ut oportet, id eſt pio affectu, ut res à Deo revelatas, & quibus falſum ſubeſſe nulla ratione poſſit..

Objicies 3. Stare non poteſt humani arbitrii libertas cum neceſſitate gratiæ; fruſtrà enim Deus dedit arbitrii poteſtatem, quam implere non poſſum, niſi ipſe me ſemper adjuverit: deſtruitur enim voluntas, quæ alterius ope indiget, & quidem planè gratuita. Ita Pelagiani.

℞. Nego ant. Hìc reverà fuit lapis offenſionis, in quem alliſi Pelagiani &
T. 10. p. 116. A. D. Semipelagiani, naufragium in fide fecerunt. *In hoc tota hæreſi iſta conſiſtit ....*
ait S. Aug. Lib. de geſtis Pelag. cap. ultimo n. 65. *quòd non ſit liberum arbitrium,*
ſi indigeat auxilio Dei; quoniam propriam voluntatem habeat unuſquiſque aut face-
re aliquid, aut non facere. Reſpondet verò S. Doctor, per gratiam confirma-
Ib. p. 114. C. ri potiùs, quàm tolli libertatem. *Sicut enim*, inquit Lib. de ſpiritu & littera
cap. 30. n. 52. *lex per fidem, ſic liberum arbitrium per gratiam non evacuatur, ſed*
ſtabilitur. Rationem reddit ibidem: *Quia nempè gratia ſanat voluntatem, qua*
juſtitia liberè diligatur. Et cap. ſequenti n. 54. *Cùm poteſtas datur*, inquit, *non*
Ib. D. *neceſſitas utique imponitur*, quod infinitis penè in locis probat ex iſtis Chriſti
Pag. verbis Joan. 8. *Si vos Filius liberaverit, verè liberi eritis*. Fatetur equidem
116. C. candidè S. Aug. facilè non eſſe concordiam illam gratiæ & libertatis expone-
re; attamen utramque ſimul ſtare conſtanter aſſeverat. *Si tibi proponam quæ-*
ſtionem, inquiebat alloquens Petilianum Lib. 2. contra Litteras ipſius cap. 87.
T. 9 p. num. 186. *quomodò Deus Pater attrahit ad Filium homines, quos in libero dimiſit*
270. B. *arbitrio, fortaſſis eam difficilè ſoluturus es. Quomodo enim attrahit, ſi dimittit, ut*
quis, quod voluerit, eligat? Et tamen utrumque verum eſt: ſed intellectu hoc per-
cipere pauci valent.

Et Lib. de Grat. Chriſti cap. 47. n. 52. *Iſta quæſtio*, inquit, *ubi de arbitrio*
T. 10 p. *voluntatis & Dei gratia diſputatur, ita eſt ad diſcernendum difficilis, ut quando*
260. C. *defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem aſſeritur*
Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.

Objicies 4. Nonnullos ex SS. Patribus, tum Græcis, tum Latinis, in ea eſſe ſententia, nempè gratiam bona voluntate præveniri; gratiam poſteriorem, bonam voluntatem priorem eſſe, quæ cæleſtem provocet ac conciliet gratiam; Deum, ſubſequente ſua gratia, pios ac naturales voluntatis conatus juvare. Inde nata Semipelagianorum adversùs S. Auguſtinum expoſtula-

la-

latio ac querimonia, quòd nimirùm ab antiquis Eccleſiæ Doctoribus receſſiſſet. Ita porrò docuiſſe videntur.

I. S. Juſtinus Apolog. 2. docet, eos omnes, qui ante Chriſtum, *cum ratione ac verbo vixere, Chriſtianos fuiſſe, quamvis athei & nullius numinis cultores habiti* [Pag. 83. C.] *ſunt: quales inter Græcos fuere Socrates, Heraclitus, atque iis ſimiles: inter barbaros autem Abraham, & Ananias* &c. Et Apol. 1. ait, *Chriſtum Socrati ex parte notum fuiſſe*.

II. S. Irenæus Lib. 4. cap. 37. aliàs 72. ſcribit, *Prophetas hortari homines ad* [Pag. 48. E.] *juſtitiam, & ad bonum opus, quia hoc in nobis eſt*. Et cap. 16. al. 30. dixerat, [Ed n. p. 281. col. 1.] *Patres ante legem promulgatam juſtos fuiſſe lege naturæ*.

III. S. Clemens Alexandrinus Lib. 1. Stromatum docet, Græcos veniſſe ad [Pag. 246 col. 2.] Chriſtum per Philoſophiam, & ab ea fuiſſe juſtificatos. *Iis enim*, inquit, *quia à Philoſophia fuere juſtificati, auxilium tanquam theſaurus reconditur: ea quoque* [Pag. 206. E.] *conſenſio, quæ ducit ad Dei cultum & pietatem in Deum*. Et infrà: *Per ſe quoque aliquando Græcos juſtificabat Philoſophia*. Et Lib. 7. *Philoſophia*, inquit, *Græca velut præpurgat & præparat animam ad fidem accipiendam ſupra quam veritas cognitionem ædificat*. [Pag. 234. A.] In Libro denique cui titulus eſt: *Quis dives ſalvandus ſit?* [Pag. 510. D.] Quem latinè reddidit & notis illuſtravit ac novo auctorio Bibliothecæ Patrum inſeruit doctiſſimus Combefiſius, converſionem peccatoris & obſervantiam mandatorum ſolis liberi arbitrii viribus adſcripſit. *Nec jam alibi*, [Bibl. PP. Auct. p. 1. p. 172. D.] ait, *quàm in animæ ipſo ſtatu ac affectione ut Deo obſequatur, mundamque ſe præbeat, & ut tranſgrediendo mandata, vitium ac malitiam colligat, cauſam quæramus, cur hæc ita utrinque eveniant*.

IV. S. Chryſoſtomus hom. 42. in Gen. de virtutibus Abraham hæc habet: [Ed nov. T. 4. p. 423. C.] *Iſtud ipſum quòd Patriarcha, qui ante gratiæ tempus, & ante legem fuit, a ſeipſo, & a ſcientia, quæ naturæ inſita eſt, in tantum pervenit virtutis faſtigium, ſufficit ut omnes noſtras excuſationes refutet. At fortè dicent aliqui: Vir ille multam à Deo gratiam conſecutus eſt, & omnium Dominus ejus ſingularem habuit curam. Etiam id & ego fateor. Verùm niſi primus & ipſe quod ſuum erat, feciſſet, non tanta à Domino obtinuiſſet*.

Et homil. 12. in Epiſt. ad Heb. *Oportet enim nos*, inquit, *primùm bona eligere; & tunc affert quæ ſua ſunt. Non prævenit noſtras voluntates, ne perdat noſtrum liberum* [Ed. vet. p. 1841.] *arbitrium. Quando autem nos elegerimus, tum nobis multum affert auxilium ..... Nam noſtrum quidem eſt præeligere & velle: Dei autem eſt perficere, & ad finem deducere*.

V. S. Aug. in expoſitione quarumdam propoſitionum Epiſtolæ ad Rom. ait: *Quòd credimus noſtrum eſt: quòd autem bonum operamur, illius eſt qui credentibus in ſe dat Spiritum ſanctum*. [T. 3. par. 2. p. 916. F.]

VI. Denique S. Hilarius L. 8. de Trinit. n. 12. declarat Deum *nobis non dare voluntatem: quæ ſi data eſſet, non haberet fides præmium, cùm fidem nobis neceſſitas affixæ voluntatis inferret*. [Pag. 953. E.]

℞. Nego antecedens.

Ad S. Juſtinum: mens illius non eſt veteres Philoſophos, qui nonnihil recti operati ſunt ſola duce natura ſalutem æternam fuiſſe aſſecutos, ſed tantùm eos qui rectæ rationis ductum ſecuti ſunt, quodammodo pertinuiſſe ad Chriſtum, qui ſuprema eſt Patris ratio ſeu Verbum; unde infert recentem non eſſe Chriſtianam doctrinam, ſicut Gentiles exprobrabant. Scilicet vult citato loco S. Martyr oſtendere, novitatem doctrinæ immeritò Chriſtianis objici, quando-

qui-

quidem ipſius Auctor Chriſtus primogenitus eſt Dei Filius, ejus Verbum ac ratio, cujus homines participes ſunt: unde probat non hodie atque heri extitiſſe primùm Chriſtianos, ſed à principio, ſemper & ubique: Chriſtiani quippe cenſeri debent, qui cum ratione vitam inſtituerunt. Hoc igitur ſenſu ait Socratem ex parte Chriſtianum fuiſſe, quia Socrates rationis lumine ductus, unum Deum rerum omnium Parentem ac Rectorem agnovit: nuſquam verò aſſeruit ſine fide ac ſine gratia potuiſſe Socratem aut quemcumque mortalium æternam aſſequi ſalutem. *Vt ab initio exiſteremus*, ait Apol. 2. *non noſtrum id* Pag. 58. C. *fuit. Itidem verò, ut delectu adhibito ea ſectemur quæ grata illi ſunt, per donatas nobis ab eo rationis virtutes, perſuaſione ipſius id fit, ad fidem nos adducentis.*

Pag. 97. C. Ibid. Ad omne opus bonum neceſſariam eſſe gratiam & orationem & Baptiſmum oſtendit, *ut* nimirum *digni idoneique ſimus, qui veritate agnita, per opera etiam ipſa boni atque officioſi rerum adminiſtratores, & datorum nobis mandatorum cuſtodes inveniamur, atque ut ſalute ſalvemur ſempiterna.*

S. Irenæus rectè ac data opera adversùs Simonianos & Marcionitas demonſtrat ex præceptis quæ nobis imponuntur, & exhortationibus quibus ad virtutem incitamur, eſſe in nobis liberum arbitrium: fruſtra etenim eſſent præcepta & exhortationes, ſi ineluctabili neceſſitate ab bonum vel malum propelleremur. Ad bonum autem operandum gratiam neceſſariam eſſe diſertè agnovit S. ille Doctor Lib. 4. cap. 13. aliàs 27. ubi ait: *Non poteſt quiſquam extra dominica* Pag. 243. col. 1. *conſtitutus bona, ſibimet ipſi acquirere ſalutis alimenta; ſed ut plus gratiam ejus adepti, plus eum diligamus.* Et Lib. 3. c. 17. aliàs 19. *Neceſſarius nobis eſt*, inquit, *ros* Pag. 208. col. 2. *Dei, ut non comburamur, neque infructuoſi efficiamur.* Paulò antè dixerat. *Sicut arida terra, ſi non percipiat humorem, non fructificat: ſic & nos lignum aridum exiſten-* Ib. col. 1. *tes primùm, nunquam fructificaremus vitam ſine ſuperna voluntaria pluvia.* Pluvia porrò illa & ros cœleſtis, eſt ipſa Dei gratia. Citato capite 30. Libri 4. non ait, ut falsò ſupponitur, Patres lege naturæ juſtificatos fuiſſe, ſed hoc unum, Patres qui Moiſen præceſſerunt, ſine lege & ſine circumciſione juſtitiam adeptos fuiſſe, (nempè per gratiam) quod certè revocari in dubium non poteſt.

Si Clementis Alexandrini citata verba ad litteræ corticem ſumantur, diffiteri non poſſumus, quin paulò duriora ſint; non tamen mens ipſius unquam fuit, Philoſophos per ſolam Philoſophiam naturalem aut juſtificatos eſſe, aut ad juſtitiam ſe vel etiam remotè præparaſſe ſine aliqua gratia, cui omnia tribuit Lib. 2. Stromat. pag. 273. & Lib. 5. p. 396. & 399. & L. 6. pag. 502. ubi Dei notitiam, quanta ad juſtificationem neceſſaria eſt, ſine gratia haberi non poſſe contendit. Cùm ergo S. ille Doctor ait, *Philoſophiam præpurgare ac præparare animam ad fidem*, intelligendus non eſt de præparatione poſitiva ad gratiam primam, ſive cum merito de condigno, ſive cum merito de congruo, ſive proxima, ſive remota, quæ ſine gratia nullatenus haberi poteſt, ſed tantùm de præparatione quadam impropria & negativa, qua removentur obices & impedimenta; ita tamen ut etiam illa negativa præparatio non ſit Deo cauſa, vel regula, vel motivum, vel occaſio conferendi gratiam, quæ purè gratuita eſt, nec ullis naturæ meritis debetur: vel ſi intelligatur de præparatione poſita, per Philoſophiam non excludit S. Clemens primam gratiam, quæ diſponat ad ſecundam.

Eadem profectò eſt S. Chryſoſtomi ſententia homilia citata 42. in Gen. pia ſcilicet voluntatis initia, pios conatus ex prima gratia, ſecundam & uberiorem

rem provocare & impetrare à Deo. Loquitur ſcilicet de Abrahamo cæteriſque viris juſtis, qui vocati à Deo, fideli obedientia correſpondent gratiæ vocanti, atque ita majora ſibi accerſunt auxilia. Cùm verò aſſerit, Abrahamum à ſeipſo & à ſcientia, quæ naturæ inſita eſt, in tantum perveniſſe virtutis faſtigium, gratiam non excludit, ſed tantùm legem, prædicationem Evangelii, & uberiora quæ ipſam comitantur auxilia, unde lex gratiæ dicta fuit.

Eadem eſt reſponſio ad citatum ex homilia de Daniele textum, (ſi tamen verus ſit ſancti Doctoris fœtus.)

Hæc & ſimilia S. Chryſoſtomi verba ſic explicant vulgò Doctores. S. Chryſoſtomus initium ipſum benè volendi humanæ voluntati tribuit, non quaſi omnis Divinæ gratiæ motus abſit ac inſpiratio, quam diſertè prærequirit; ſed quòd ab illo motu & inſpiratione omnis abſit vis neceſſitatem inferens, quod liberum non lædat arbitrium nec illius cooperationem impediat, vel excludat. *Sixtus Senenſis Bib. Lib. 5 Annot 101. Iſ. Iſambertus p ad q. 23. diſt. 2. art. 4.*

Ad homiliam 12. in Epiſt. ad Hebr. reſpondeo cum Illuſtriſſimo Haberto c. 24. Theologiæ Græcorum n. 5. pag. 117. non agere S. Doctorem de uno vel altero actu converſionis ad Deum & mutationis ad gratiam, qua de re hic ſermo eſt, ſed de variis actibus conſequentibus & connexis, ad augmentum gratiæ & ad perfectionem tendentibus, præſertim ad perſeverantiam, quæ quidem à Deo datur ut donum aliquod ſingulare; humanæ tamen voluntatis præcedentes actus, tanquam diſpoſitiones tam ab illa, quàm à Divina gratia excitante & cooperante productas, præexigit ut plurimùm. Verba S. Doctoris, quæ ſequuntur, mentem ejus declarant; in quibus utrinſque, Divinæ nempè gratiæ, & humanæ voluntatis concurſum perſpicuè depoſuit, & Divinæ gratiæ, ut par eſt, plus multò tribuit. *Etiamſi curras, etiamſi ſtudium ponas*, inquit, *ne tuum eſſe exiſtimes quod rectè geſtum eſt. Nam niſi à Superis opem adipiſcaris, fruſtra erunt omnia. Sed eſt perſpicuum fore ut aſſequaris id, in quo ponis ſtudium, quamdiu curris, quamdiu vis. Non hoc ergo dicit quòd fruſtrà currimus, ſed quòd fruſtrà currimus, ſi totum eſſe noſtrum exiſtimamus, ſi non plus Deo tribuimus. Non enim ſuum eſſe totum voluit Deus, ne videretur nos temerè coronare. Neque rursùs noſtrum, ne incidamus in arrogantiam. Nam ſi cùm minorem habeamus partem, efferimur, & præclarè de nobis ſentimus; quid faceremus, ſi totum eſſet in noſtra poteſtate?* *Pag. 1841.*

Si quæ alia occurrant apud SS. Patres Græcos paulò duriùs ac minùs caſtigatè dicta circa neceſſitatem gratiæ prævenientis, facile erit in ſenſum catholicum adducere, ſi hoc unum præ oculis habuerimus, eos in hoc potiſſimùm laboraſſe, ut adversùs Marcionias, Manichæos & alias hujuſmodi peſtes, liberum hominis vendicarent arbitrium, illæſis nihilominùs Divinæ gratiæ juribus: tunc enim cùm nondum exorta fuiſſet Pelagiana hæreſis, ſecuri loquebantur, cùm nullus adeſſet hoſtis. *Quid igitur opus eſt*, ait S. Aug. Lib. de Prædeſt. SS. cap. 14. n. 27. *ut eorum ſcrutemur opuſcula, qui priuſquam iſta hæreſis oriretur, non habuerunt neceſſitatem in hac difficili ad ſolvendum quæſtione verſari? Quod procul dubio facerent, ſi reſpondere talibus cogerentur. Unde factum eſt, ut de gratia Dei quid ſentirent breviter quibuſdam Scriptorum ſuorū locis & tranſeunter attingerent.* *Tom. 10. p. 808. D.*

Ad S. Aug. Nemo neſcit eum ante Epiſcopatum Semipelagianorum errore implicatum fuiſſe; ac expreſsè revocaſſe tum cap. 3. Libri de Prædeſt. SS. tum Lib. 1. Retract. c. 23. quod ſcripſerat exponendo quaſdam quæſtiones in Epiſtolam ad Romanos.

Ad

Ad S. Hilarium, doctiſſimi Benedictini illius editores in præfatione n. 9. p. 81. ajunt S. hunc Doctorem, dum improbitatem infidelium, qui pertinaciæ ſuæ excuſandæ anſam arripiebant, quòd à Deo ut fideles eſſent, necdum eſſent conſecuti, vincere conatur, nonnulla habere quæ ad limatioris & accuratioris Theologiæ normam non ſatis exacta ſint. Verùm, ſi non tam quid ſonent verba illius, quàm quid iis ſibi velit, attendamus, non latebit eum hoc tantùm cavere, ne cum Manichæis liberum arbitrium deſtruere exiſtimetur. Unde ad citatum ex Lib. 8. de Trinit. locum obſervant, probabile eſſe S. Hilarium hoc tantùm velle, fidem nobis affixæ voluntatis neceſſitate non inferri, ſed libera voluntate nos credere: quia, ut apertiùs in Pſalm. 65. n. 24.
Pag. 182. D. declarat, *Fides animæ & cordis officium eſt, reſque hæc voluntatis internæ eſt.* Quibus verbis gratiæ neceſſitatem ad credendum non excludit, ſed tantùm liberam ad fidem ſuſcipiendam hominis voluntatem declarat & aſtruit: quo
T. 2. p. 718. B. ib. p. 805. C. ſenſu, licèt S. Aug. Epiſtola 194. ad Sixtum n. 9. *Fidem gratuitum Dei donum eſſe plurimis demonſtret*; & Vitalem aliter ſentientem corripiat Epiſtola 217. n. 29. In eadem tamen ad Vitalem Epiſtola n. 16. libenter hoc fatetur: *Scimus eos, qui corde proprio credunt in Dominum, ſua id facere voluntate ac libero arbitrio.* Plura loco præfationis citato n. 259. ex Hilario teſtimonia proferunt doctiſſimi editores, quibus apertum eſt S. Doctorem non eam tantùm gratiam nobis neceſſariam exiſtimaſſe, quæ intellectum illuſtret, ſed & quæ adjuvet voluntatem.

Utrùm abſque gratia poſſit homo bonum aliquod morale naturalis ordinis velle aut facere?

Triplex hic ventilanda quæſtio. 1. Utrùm abſque fide homo poſſit aliquod bonum morale facere; ſeu, quod in idem recidit, utrùm omnia infidelium opera vitia ſint & peccata. 2. Utrùm ſine gratia habituali ſeu ſanctificante. 3. Utrùm ſine gratia actuali fieri poſſit aliquod opus bonum morale ordinis naturalis.

Utrùm abſque fide ſupernaturali ſeu Theologica fieri poſſit aliquod opus bonum morale: ſeu utrùm omnia infidelium opera vera ſint peccata?

PRÆNOTANDA.

Obſervandum 1. Quæſtionem hic moveri de fide ſupernaturali & Theologica, non verò de fide quadam humana, naturali & acquiſita, qualis eſſe poteſt in infideli, qui credit v. g. Deum eſſe Remuneratorem virtutis, ac criminis ultorem. Imò & de iis etiam infidelibus ſermo eſt, qui Deum verum non cognoſcunt explicita ſaltem ac diſtincta notitia, id eſt, tanquam ens ſupremum infinitè perfectum; ſed tantùm confuſa, id eſt, tanquam ens aliquod ſuperius, à quo omnia regnantur ac gubernentur.

Obſervandum 2. cùm quæritur, utrùm omnia infidelium opera ſint peccata, quæſtionem eſſe de peccato propriè dicto, quod ad pœnam imputatur, non de peccato impropriè & latè ſumpto, hoc eſt, de opere, quod ſit ſterile, nihilque profit ad vitam æternam. Etenim in confeſſo eſt apud omnes orthodo-

doxos, nullum fieri poſſe opus morale, quod ſit meritorium vitæ æternæ, ſine fide & gratia ſupernaturali: quo ſenſu infidelium opera peccata dici poſſunt; id eſt, ſterilia & planè inutilia ad veram pietatem & vitam æternam.

Obſervandum 3. quæſtionem hic non moveri de neceſſitate gratiæ, ſed tantùm de neceſſitate fidei. Priorem controverſiam poſtea expendemus, nunc de poſteriori; utrùm ſcilicet ex ſolo fidei defectu ſeu abſentia, omnes infidelium actiones inquinentur ac vitientur, ſive quia debita carent intentione, actiones ſuas in Deum non referendo; ſive quia perverſam habent, ex quadam ſcilicet vanæ gloriæ ac proprii amoris cupiditate, aut alio quocunque perverſo motivo eas ad ſe ipſos referendo.

Obſervandum 4. in omni opere bono morali, duo apprimè diſtinguenda eſſe: officium ſcilicet & finem. Officium, ſeu objectum & materia operis, eſt, ait S. Aug. Lib. 4. c. Julian. cap. 3. n. 21. *id quod faciendum eſt: finis verò eſt id propter quod faciendum eſt*, v. g. dare eleemoſynam indigenti, bonum eſt ratione officii, ſeu objecti & materiæ: dare verò propter Deum, bonum eſt ratione finis. Ad integram porrò actionis moralis honeſtatem ac bonitatem, neceſſe eſt eam rectam & bonam eſſe tum ex officio, tum ex fine: virtutes autem non officiis, ſed finibus à vitiis diſtingui, affirmat ibidem S. Doctor. *T. 10. p. 596. B.*

Duplex verò in actione morali recta & honeſta finis diſtinguendus: unus proximus & immediatus, alter mediatus & ultimus. Finis proximus & immediatus ille dicitur, qui primò per ſe ac immediatè ab agente intenditur, ac dicitur actionis motivum; talis eſt v. g. in eleemoſyna, pauperis ſolatium ac levamen: finis verò ultimus ille eſt, ad quem actu vel virtute referuntur omnia, ipſe verò ad nullum prorſus ordinatur, talis eſt Deus.

Nonnulli aliter diſtinguunt, nempe finem operis, & finem operantis: finem operis appellant eum, ad quem actio vel habitus ex ſeſe ſeu natura ſua tendit & ordinatur; talis eſt ſublevatio pauperis in eleemoſyna: finem verò operantis, eum, quem agens pro arbitrio ſibi proponit, bonum vel perverſum. Quando actio moralis recta eſt, tum ex officio, tum ex fine proximo & immediato, neque alio quocumque particulari fine perverſo ex parte operantis vitiatur, tunc actio illa proprio & innato quaſi motu ac pondere in finem ultimum, Deum ſcilicet, relabitur ac refertur; eamque agens ipſum ſic virtute, implicitè ac confusè referre dicitur, tametſi de illa referenda actu non cogitet. Ratio eſt, quia omne bonum tum ex ſeſe, tum ex generali ac virtuali agentis intentione ad eum refertur, à quo tanquam à fonte & auctore profluit: ſed omne quod bonum eſt rectum & honeſtum, à Deo eſt tanquam à fonte & principio totius boni.

Obſervandum 5. intentionem, qua morales actiones referri ad Deum poſſunt, vel actualem eſſe, vel virtualem, vel habitualem, vel interpretativam.

I. Intentio actualis ea eſt, quæ fit ex diſtincta rei cognitione, actu expreſſo, formali & reflexo.

II. Intentio virtualis duplici ſenſu poteſt intelligi. 1. Si præceſſerit actus formalis ac explicitus, quo agens omnes ſuas actiones ſubſequentes referre ad Deum ſtatuerit; qui actus fluens ac tranſiens, virtute remanere & in actiones ſubſequentes influere dicitur, quando actu contrario non revocatur. 2. Licèt nullo actu explicito ac formali agens actiones ſuas referre in Deum voluerit, virtute tamen, tum ex ſe, tum ex generali quadam implicita & confuſa

fuſa intentione agentis, referri ad illum dicuntur; quia, ut mox dictum eſt, omne bonum ac rectum ad Deum tanquam ad Auctorem & finem ultimum refertur. *Sicut enim*, ait appoſitè Bellarminus L. 5. de grat. & lib. arbit. c. 9. *omne agens particulare agit in virtute primi motoris*, *id eſt Dei*, *ſic etiam omnis bonus finis movet in virtute ultimi finis*.

III. Habitualis intentio dicitur, quæ in habitu ſeu inclinatione & propenſione agentis ad aliquid faciendum conſiſtit, tametſi agens nihil ea de re cogitet, nihilque circa ipſam operetur: habitus autem, ut notum eſt, per ſeſe immediatè non agunt, ſed accedente dumtaxat Dei motione vel concurſu.

IV. Interpretativa intentio dicitur, quam quis reipſa haberet, ſi de illa cogitaret. Conſentiunt Theologi, intentionem habitualem aut interpretativam non ſufficere, ut actiones morales eo, quo par eſt, modo, referri ad Deum cenſeantur, ſed neceſſariam eſſe vel actualem, vel virtualem.

Obſervandum denique, in quolibet Divinæ legis præcepto duo eſſe diſtinguenda, ſubſtantiam, & modum. Subſtantia eſt res ipſa, quæ præcipitur, ſeu, ut loquitur S. Aug. anteà laudatus, eſt officium virtutis; modus verò, eſt motivum actionis. Quo ſenſu S. Thomas 1. 2. q. 100. art. 10. quærit, *utrùm modus charitatis cadat ſub præcepto divinæ legis*. Hoc eſt, utrùm mandata divinæ legis ex motivo charitatis implere teneamur?

Errores & Opiniones.

Duæ hic ſunt hæreticorum inter ſe contrariæ pugnanteſque ſententiæ.

I. Pelagianorum, qui liberum arbitrium ita extollunt, ut aſſerant, hominem ſolis naturæ viribus ſine gratia, poſſe univerſam legem implere, vincere omnes tentationes; adeoque & in infidelibus veras eſſe virtutes, quibus & juſtos illos eſſe, & ad æternam vitam pervenire poſſe confeſſi aliquando fuere: ſubinde verò S. Aug. diſputatione & argumentis ſuperati negarunt, non ſine manifeſta, ut dicemus, ſententiæ ſuæ pugna & diſſonantia.

II. Lutheranorum & Calviniſtarum, qui liberi arbitrii vires ita extenuant ac deprimunt, ut nihil omninò boni moralis ex ſolis naturæ viribus fieri poſſe contendant. Imò & omnia opera quæ fiunt, non tantùm ſine auxilio ſpeciali, ſed etiam ſine fide juſtificante, volunt eſſe peccata: quod etiam de ipſiſmet Juſtorum operibus aſſerere non erubeſcunt, propter eam quæ ſemper ipſis adhæreſcit, concupiſcentiæ labem; tametſi fateantur, propter fidem ejuſmodi peccata juſtis ad culpam non imputari; infidelium verò omnia opera, etiam ea quæ fiunt ex ſpeciali Dei auxilio, vitioſa eſſe & culpæ imputari. Vide Lutherum in aſſertione articulorum ſexti & 36. Calvinum in antidoto Conc. Trid. ſeſſ. 6. & Lib. 2. Inſtitut. Cap. 3. n. 1. & ſequentibus. Kemnitium in examine Conc. Trid. ad ſeſſ. 6. Can. 7. ubi copioſè diſputat de operibus infidelium.

Bajus, & Janſenius, qui ex Novatoribus ſuum circa ruinam humanæ libertatis errorem hauſerunt, cum illis pariter docent, infidelium virtutes vera eſſe vitia; & omnia eorum opera, vera & propriè dicta peccata. Ita fert propoſitio 25. Baji inter eas, quæ à ſummis Pontificibus damnatæ ſunt: *Omnia*, inquit, *infidelium opera ſunt peccata*, *& Philoſophorum virtutes ſunt vitia*.

Recueil des ulles, pag. 17.

Janſenius, cui nota erat hæc Apoſtolica cenſura, Lib. 4. de ſtatu naturæ lapſæ ſummorum Pontificum ſententiam vel in ipſo capitis 17. titulo honorificè

ac

Digitized by Google

ac reverenter excipit his verbis: *Inſania, error, impietas contraria Chriſtianorum ſenſui, Scripturis & fidei, quòd infidelium ſit ulla vera virtus, vel opera ſine peccato juxta Auguſtinum & Conc. Arauſicanum.* Hac ille ſtyli elegantia & urbanitate reſumit, quæcumque præcedentibus capitibus fusè de hoc argumento diſputaverat.

T. 2. p. 257. col. 1.

Hæc verò Baji propoſitio ex illis non eſt, quæ ſcriptori aliud cogitanti fortè interdum excidunt, ſed tam intimo nexu cum integra ejus doctrina cæteriſque propoſitionibus damnatis cohæret, ut ex illis velut fluvius à fonte, & concluſio ex principiis neceſſariò defluat. Patet manifeſtè ex iſtis ejuſdem Baji propoſitionibus.

22. *Cum Pelagio ſentiunt, qui textum Apoſtoli ad Rom.* 2. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt, faciunt, *intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.*

Recueil. des Bulles p. 17.

27. *Liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio non niſi ad peccandum valet.*

28. *Pelagianus eſt error dicere, quòd liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.*

35. *Omne quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt.*

37. *Cum Pelagio ſentit, qui boni aliquid naturalis, hoc eſt, quod ex naturæ ſolis viribus ortum ducit, agnoſcit.*

Pag. 18.

38. *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitioſa eſt cupiditas, qua mundus diligitur: aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum ſanctum in corde diffuſa, Deus amatur.*

34. *Diſtinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut Auctor naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana eſt & commentitia, & ad illudendum ſacris Litteris, & plurimis veterum teſtimoniis excogitata.*

61. *Illa Doctorum diſtinctio, divinæ legis mandata bifariam impleri, altero modo quantùm ad præceptorum operum ſubſtantiam tantùm; altero quantùm ad certum quemdam modum, videlicet, ſecundum quem valeant operantem perducere ad Regnum æternum, (hoc eſt ad modum meritorum) commentitia eſt & explodenda.*

Pag. 21.

62. *Illa quoque diſtinctio, qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex objecto & omnibus circumſtantiis rectum eſt & bonum, (quod moraliter bonum appellare conſueverunt) vel quia eſt meritorium Regni æterni, eò quòd ſit a vivo Chriſti membro per ſpiritum charitatis, rejicienda eſt.*

Atque iſta ſunt principia & fundamenta, quibus ductus eſt Bajus, ut contenderet, omnia infidelium opera vera eſſe peccata, nullumque opus bonum dici poſſe, niſi quod fit ex motivo charitatis verè ac propriè dictæ, quæ actionem vel præcedat, vel comitetur. Quapropter omnes Baji & Janſenii ſectatores conſequenter docent, omnes actiones morales referendas eſſe ad Deum, veraque eſſe peccata, ſaltem omiſſionis, niſi referantur actu, aut virtute ex motivo charitatis propriè dictæ ſeu Theologicæ. Referri ad Deum, tanquam finem ultimum, debere omnes morales actiones, pia eſt ac vera ſententia; at illas referri debere ex motivo veræ charitatis, error eſt qui virtutes omnes ad unam charitatem revocat, eas ſuis propriis ſpoliat finibus ac motivis, omnemque ab iis laudem ac pretium eripit. Atque in hoc uno, quod notandum, vertitur cardo quæſtionis de neceſſitate referendi omnes actiones ad Deum: de motivo enim hujus relationis unicè agitur, non de neceſſitate, de qua facilè conſentient inter ſe Orthodoxi.

Digitized by Google

Quas mox adduximus Baji propoſitiones, eas ferè omnes ſuas fecit ac renovavit Quenellius in ſuis Reflexionibus moralibus, quas etiam iterum proſcripſit Clemens XI. Conſtitutione *Unigenitus*, data die 8. Sept. an. 1713.

Ex orthodoxis Theologis nonnulli exiſtimant, aut nullas, aut ſi quæ ſunt, ex beneficio gratiæ eſſe in infidelibus virtutes. Ita Gregorius Ariminenſis in 2. diſt. 26. q. 1. Gaſpar Caſalius Luſitanus, Epiſcopus Leirenſis, qui anno 1562. ingens volumen de quadripartitia juſtitia inſcriptum Tridenti compoſuit, ac Legatis ſanctæ Sedis nuncupavit; in cujus Lib. 1. à capite 21. fusè divi Auguſtini ſententiam, ait Cardinalis Noriſius in Vindiciis Auguſtinianis paragr. 4. propugnat. Baſilius Pontius Legionenſis in priori parte Relectionum de gratia ad mentem ſancti Patris Auguſtini cap. 15. Franciſcus Macedo in Cortina D. Auguſtini q. 2. de neceſſitate gratiæ.

Cardinalis Noriſius loco mox citato ait, duo à ſancto Auguſtino affirmari. 1. Nullas in infidelibus eſſe virtutes ex ſolis liberi arbitrii viribus: alterum, ſi quæ in ipſis fuerint, eas nequaquam eorum voluntati, ſed divinæ gratiæ adſcribendas eſſe. Addit ſcire ſe, pleroſque Scholaſticos quoad primum illud attinet, ab Auguſtini ſententia receſſiſſe: verùm illos juxta Ariſtotelis Ethicam de virtutibus diſputaſſe; Auguſtinum verò ex ſacris Litteris, necnon ex altiori ac ſubtiliori Theologia ſuam deduxiſſe ſententiam. Atque poſtquam multis ex Auguſtino teſtimoniis demonſtravit, ea quæ videntur eſſe bona infidelium opera, pravo fine vitiari, quia non ad Deum, ſed ad ſeipſos ex amore ſui ea referunt, nihilominùs fatetur poſſe in prima illorum operum productione mentem ſtatim aliò avocari, atque hominem apud ſemetipſum de bono opere per actum reflexum non gloriari: quamquam addit id eſſe per accidens, nec ſine auxilio gratiæ Dei, cùm adeo facilis ſit, imò inevitabilis ſit caſus ab actu virtutis in philautiam.

Sunt qui diſtinguunt inter actionem infidelis, & infidelem ipſum agentem; voluntque poſſe actionem infidelis bonam eſſe ex officio & fine, licèt infidelis ipſe operando ſemper peccet peccato ſaltem omiſſionis, actionem ſuam in Deum tanquam in finem ultimum non referendo, virtute hujus mandati: *Diliges Dominum tuum ex toto corde.*

Horum ſententiam refert ac dilucidè exponit Eſtius in 2. diſt. 41. parag. 4. additque: *Hæc rectène an ſecus dicantur, expendant Doctiores.*

Vanam hanc & argutam diſtinctionem nonnulli è recentioribus, ut fucum faciant, adoptarunt; imprimis auctor libelli cui Gallicè titulus: *Remarques ſur le Mandement & Inſtruction Paſtorale de M. de Biſſy, Eveque de Meaux,* (nunc Eminentiſſimi Cardinalis) *touchant les Inſtitutions Theologiques du P. Juenin*, pag. 16.

Non abſimili fraudulenta diſtinctione abuſus fuerat Janſenius L. 5. de Gr. Ch. c. 21. ut efficeret timorem pœnæ ex ſeipſo quidem rectum, ex parte verò timentis, qui eum ex charitate non refert ad Deum tanquam ad finem ultimum, vitioſum eſſe. *Si quis*, inquit, *in pœna fugienda velut in termino hæreat, per quam tanquam viam tranſire debuiſſet, non illa timoris, ſed timentis culpa eſt.* *T. 3. p. 231. col. 1. D.*

Sunt etiam qui diſtinguunt inter infideles, qui veri Dei notitia planè deſtituti ſunt, & alios, quibus tametſi à Chriſto alienis, ſublucet aliqua veri Dei notitia, quique nonnulla legis naturalis præcepta ex honeſto ac laudabili motivo obſervant. In iſtis quidem non omnia opera peccata eſſe fatentur, ſed

alios

alios ex perverſa ſemper intentione ac malo fine operari & peccare contendunt. Ita Carolus Joſeph Tricaſſinus Capucinus, in Libro cui titulus: De neceſſaria ad ſalutem gratia ſufficiente, ſectione 2. parag. 5.

Eſtius in 2. diſt. 42. parag. 2. ſcribit, partem maximam Scholaſticorum huic ſententiæ tanquam probabiliori ſubſcribere, quæ contendit omnia infidelium opera peccata non eſſe, ſed illos poſſe aliquod opus morale bonum ex officio & fine exercere. His præmiſſis ſit

CONCLUSIO

Fieri poſſunt abſque fide aliqua opera moraliter bona, nec conſequenter omnes infidelium actiones vera ſunt ac propriè dicta peccata.

PRIMA PROBATIO

Ex Scripturis.

Probatur 1. Ex Scripturis duplici argumento. Primum argumentum ex iis locis petitur, quibus aliqua infidelium opera laudantur, ac temporali quadam mercede donantur.

Exodi cap. 1. v. 15. & ſeq. Cùm obſtetrices Ægyptiæ mandatum accepiſſent à Pharaone præfocandi in ipſo ortu omnes Hebræorum maſculos, illæ *timuerunt Deum*, nec fecerunt juxta præceptum Regis, ſed mares ſervaverunt: quam quidem miſericordiam laudat Scriptura, nec eam ſine mercede reliquit Deus. *Benefecit Deus obſtetricibus*, ait ſacer Contextus v. 20. & 21. *& quia timuerunt Deum, ædificavit eis domos*, id eſt, prolem copioſam eis conceſſit.

Scio equidem, obſtetrices illas mentitas fuiſſe, quando Regi conquerenti ſervatos ab illis eſſe Hebræorum maſculos, reſponderunt, Hebræas mulieres opus non habere miniſterio obſtetricum: at ſcio etiam poſteriorem hanc actionem à priori eſſe diſtinguendam. Iſta recta fuit & laudabilis, alia verum mendacium ac verum peccatum. *Non eſt in eis remunerata fallacia*, inquit S. Aug. L. contra mendacium cap. 15. n. 32. *ſed benevolentia; benignitas mentis, non iniquitas mentientis.* T. 6. p. 467. D.

Ezechielis 29. v. 18. & ſeq. Rex Nabuchodonoſor propter bellum feliciter geſtum adversùs Tyrios, ſicut imperaverat Deus, mercedem temporalem accepit, terram ſcilicet Ægypti & manubias ejus. *Dedi ei terram Ægypti, pro eo quòd laboraverit mihi, ait Dominus Deus*, v. 21. citati capitis 29. Ezechielis. Unde meritò S. Hieronymus in hunc locum ait: *Ex eo quòd Nabuchodonoſor mercedem accepit boni operis, intelligimus etiam Ethnicos, ſi quid boni fecerint, non abſque mercede Dei judicio præteriri. Unde & per Jeremiam Nabuchodonoſor columba Dei appellatur, eò quòd adversùm populum peccatorem DEI ſervierit voluntati.* Ed. nov. T. p. 909. Jerem. c. 25.

Daniel eidem Nabuchodonoſori conſulit cap. 4. v. 24. *Ut peccata ſua eleemoynis redimeret, & iniquitates miſericordiis pauperum.* Porrò ſi eleemoſynæ hominis infidelis avertere poterant, aut mitigare pœnam temporalem, vera non erant peccata: hæc enim iram Dei provocant potiùs, quàm avertant.

Pariter cùm Rex Aſſuerus ferale in Judæos edictum revocavit ac in manſuetudinem converſus eſt, Eſther 8. cap. an quæſo peccavit? An non potiùs

peccaſſet, ſi edictum illud non irritaſſet? Unde S. Aug. Lib. 1. ad Bonifac. cap. 20. n. 38. hanc cordis Aſſueri mutationem Deo intùs moventi adſcribit. *Cor Regis*, inquit, *antequam mulieris ſermonem poſcentis audiſſet, occultiſſima &*
T. 10. p. 418. E. *efficaciſſima poteſtate convertit; & tranſtulit ab indignatione ad lenitatem, hoc eſt, de voluntate lædendi, ad voluntatem favendi.*

Secundum argumentum petitur ex iis Scripturæ locis, in quibus Gentiles aliquid boni & honeſti perficere dicuntur.

Rom. 1. v. 20. & 21. eos Gentiles Apoſtolus reprehendit, *qui cùm Deum cognoviſſent, non ſicut Deum glorificaverunt.* Supponit igitur Apoſtolus, in poteſtate illorum fuiſſe Deum glorificare, adeoque aliquid boni & recti peragere.

Et cap. 2. v. 14. *Gentes*, ait, *quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt; eiuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex: qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis.* Gentes igitur naturaliter, id eſt, natura duce & abſque lege ſcripta (huic enim iſtud *naturaliter* manifeſtè eo loci opponit Apoſtolus) ea quæ legis ſunt, faciunt. Porrò legis præcepta actionem imperant, quæ bona & recta ſit, tum ex officio, tum ex fine.

Pelagiani hoc Apoſtoli teſtimonio abutebantur, ut efficerent nonnullos è Gentilibus ſine fide & gratia Chriſti univerſam legem obſervaſſe, veramque adeptos eſſe juſtitiam: quæ ſanè interpretatio falſa & hæretica eſt. Quo ſenſu S. Fulgentius L. de Incarnatione & gratia cap. 25. docet, eos gratiæ contradicere, qui citatum Apoſtoli textum intelligunt de Gentibus incredulis; nempè ad mentem & ſenſum Pelagianorum: quem ſenſum ut excluderent nonnulli SS. Patres, laudata verba interpretantur de Gentibus ad fidem Chriſti converſis, ita ut iſtud *naturaliter*, excludat dumtaxat legem Moſaicam, non Evangelicam, ſeu gratiam fidei. Ita S. Aug. Lib. de ſpir. & litt. c. 26. & ſeq. L. 4. contra Julian. c. 3. S. Proſper contra Collatorem, id eſt Caſſianum c. 22. S. Fulgentius L. de Gratia Chriſti c. 25.

Interpretatio hæc tametſi ſana & recta, aliam tamen non excludit nec damnat, quam referunt Tertullianus Lib. de corona militis c. 6. S. Ambroſius Ep. ad Irenæum, in poſtrema editione inter Epiſtolas 2. claſſis n. 73. aliàs 41. S. Hieronymus Commentario in caput 24. Iſaiæ, & in Epiſtola ad Algaſiam q. 8. circa medium. S. Chryſoſtomus, Theophilactus & Oecumenius in hunc Apoſtoli locum, iſtud *naturaliter* intelligunt de Gentibus nondum ad fidem Chriſti converſis, quæ ipſo naturæ ductu nonnulla legis naturalis præcepta eo quo par eſt modo, adimplent.

Imò & ipſe S. Aug. qui cap. 26. L. de ſpir. & litt. pluribus momentis probaverat Apoſtolum loqui de Gentibus fide Chriſti imbutis, cap. 27. & 28. aliam expoſitionem de Gentibus incredulis refert nec improbat; licèt priori magis adhæreat, quòd directè repugnet ac contraria ſit falſæ Pelagianorum interpretationi, & huic retundendæ commodior. En ſancti Doctoris verba: *Si*
T. 10. p. 111. A. *autem hi qui naturaliter quæ legis ſunt, faciunt, nondum ſunt habendi in numero eorum, quos Chriſti juſtificat gratia; ſed in eorum potiùs, quorum etiam impiorum, nec Deum verum veraciter juſtèque colentium, quædam tamen facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ ſecundùm juſtitiæ regulam non ſolùm vituperare non poſſumus, verùm etiam meritò rectèque laudamus: quamquam ſi diſcutiantur, quo fine fiant, vix inveniuntur quæ juſtitiæ debitam laudem defenſionemve mereantur*

Digitized by Google

reantur. Rationem ſtatim ſubjicit ſanctus Doctor: *Quia*, inquit, *non uſque adeò in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita eſt, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanſerint, unde meritò dici poſſit etiam in ipſa impietate vitæ ſuæ facere aliqua legis vel ſapere*. Et paulò poſt iſthæc Apoſtoli verba: *Habentes opus legis ſcriptum in cordibus*, ſic exponit: *Id eſt, non omnimodo deletum eſt, quod ibi per imaginem Dei, cùm crearentur, impreſſum eſt...... Nam & ipſi homines erant, & vis illa naturæ inerat eis, qua legitimum aliquid anima rationalis ſentit & facit*..... Et paulò poſt: *Sicut non impediunt à vita æterna juſtum quædam peccata venialia, ſine quibus hæc vita non ducitur: ſic ad ſalutem æternam nihil proſunt impio aliqua bona opera, ſine quibus difficillimè vita cujuslibet peſſimi hominis invenitur*. Dixerat immediatè anteà, hujuſmodi opera bona ad hoc prodeſſe, ut eorum auctore mitiùs puniantur. Ibid. C. Ibid. E. Ibid. G.

Hæc S. Auguſtinus, ex quibus colliges

I. Citatum Apoſtoli textum ex cap. 2. Epiſt. ad Rom. exponi non immeritò poſſe de Gentibus incredulis & ad Chriſtum nondum converſis; hancque interpretationem à S. Auguſtino non rejici nec improbari: qua etiam ſuppoſita, integrum adhuc ſtat diſcrimen legis utriuſque veteris & novæ, ac pariter corruit error Pelagianus.

II. Gentes illas naturaliter ſine fide ſupernaturali quædam facere, quæ ſecundùm juſtitiæ regulam meritò rectèque laudantur; ergo ſupponit ea bona eſſe, non tantùm ex officio, ſed etiam ex fine: aliàs, ſecundùm juſtitiæ regulam non laudari, ſed damnari potiùs deberent.

III. Ejuſmodi opera bona non prodeſſe ad vitam æternam, defectu ſcilicet fidei in Chriſtum Mediatorem, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo; ſed ad hoc tantùm valere, ut qui ea faciunt, mitiùs puniantur: non quidem propter hæc ipſa opera, quæ ſupponuntur omni ex parte bona, nec proinde pœnam merentur, ſed propter alia, quorum pœna à juſto Deo mitigatur, qui non permittit ullum eſſe bonum abſque ſua proportionata mercede.

IV. Si diſcutiantur quo fine opera illa perficiantur, vix, id eſt rarò, inveniuntur, quæ juſtitiæ debitam laudem mereantur. Supponit ergo ſanctus Doctor, aliqua ſaltem, tametſi rara & infrequentia, fieri ab illis infidelibus opera, quæ ſunt tum ex officio, tum ex fine recta & honeſta.

Neque verò hic audiendus Janſenius, qui L. 4. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 6. ad mox relatum S. Auguſtini textum reponit, ſanctum Doctorem vel ex ſuppoſitione ſeu mente Pelagianorum loqui, re accuratè non diſcuſſa: vel, quod ipſi magis arridet, ex propria ſententia eum definire, nullum ab infidelibus opus fieri poſſe, quod ſit omni ex parte rectum; atque particulam iſtam *vix*, eò loci æquivalere particulæ negativæ *non*. Audiendus, inquam, non eſt Janſenius; tum quia nullo, ne leviſſimo quidem veſtigio innuit ſanctus Doctor, ſe non ex propria, ſed aliena loqui Pelagianorum ſententia. Rem verò accuratè ab ipſo definiri, demonſtrat vel ipſa ratio fundamentalis, qua utitur, ex eo ducta, quòd imago Dei penitùs extincta ac detrita non ſit in infidelibus: tum quia particulam iſtam *vix*, non poteſt eò loci ſanctus Doctor uſurpare pro negativa *non*, niſi velis eum craſſe ſibi contradicere, cùm aſſerit ex una parte, nonnulla infidelium opera jure meritoque laudari; & ex altera, ea ex recto ac debito fine non fieri, adeoque vera eſſe ac propriè dicta peccata: quomodo conciliari hæc inter ſe poſſunt? T. 2. p. 224. col. 2. Pag. 235. col. 1.

Hinc intelligis, quàm falsò idem Janſenius L. 4. de Pæreſi Pelagiana cap. 8. inter errores Pelagianorum recenſeat, quòd dicerent, aliqua opera moraliter bona ſolis naturæ viribus ab infidelibus fieri poſſe; idque confirmarent verbis Apoſtoli citatis ex cap. 2. ad Roman. In hoc enim illi hæretici præcisè contra fidem non peccabant, ſed quòd contenderent poſſe infideles ſine gratia univerſam implere legem, tentationes omnes ſuperare, ac veram adipiſci juſtitiam: unde meritò à SS. Pontificibus proſcripta fuit iſta Propoſitio inter Bajanas 22. *Cum Pelagio ſentiunt. qui textum Apoſtoli ad Rom. 2. Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt, intelligunt de Gentibus, fidei gratiam non habentibus.*

Tom. 1. p. 83.

Rec. du B. p. 17.

Confirmari poteſt ſecundum iſtud noſtrum argumentum ex cap. 5. S. Matth. v. 44. ubi Chriſtus ſuis Apoſtolis mandat, ut ſuos diligant inimicos, & orent pro perſecutoribus. Et v. 46. ſic pergit: *Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & Publicani hoc faciunt? Et ſi ſalutaveritis fratres veſtros tantùm, quid amplius facitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt?* Arguit eò loci Chriſtus à minori ad majus, vultque ut diſcipuli non tantùm amicos, ſed etiam ſuos inimicos diligant, quia Ethnici ſuos etiam diligunt amicos; neceſſe verò eſt Chriſtianos longè perfectiores eſſe; quare concludit Chriſtus: *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* In ea verò comparatione perſpicuè patet, Chriſtum ſupponere, Ethnicos, cùm ſuos amicos diligunt, eiſque benè faciunt, rem laude ac mercede dignam operari; adeoque amorem illum, tum ex officio, tum ex fine rectum & honeſtum eſſe, cui aliqua merces ſeu præmium debeatur.

SECUNDA PROBATIO.

Ex ſancto Auguſtino.

Unum hìc in confirmationem concluſionis noſtræ appellabimus S. Auguſtinum, quèm potiſſimùm nobis eripere tentant adverſarii. Aliorum verò SS. Patrum teſtimonia legi poſſunt apud Bellarm. L. 5. de Gratia & libero arbitrio cap. 9.

S. igitur Auguſtinus L. de Spir. & litt. c. 27. & 28. apertè docet, aliqua, tametſi rarò & infrequenter, infideles opera bona perficere. Verba mox relata ſunt.

Epiſtola 144. aliàs 130. n. 2. laudat temperantiam Polemonis, quam gratiæ Dei adſcribit. *Xenocrates*, inquit, *Polemonem de fruge temperantiæ diſputando non ſolùm ebrioſum, verùm etiam tunc ebrium ad mores alios repentè convertit. Quamquam ergo tunc ille, ſicut prudenter & veraciter intellexiſtis, non Deo fuerit acquiſitus, ſed tantùm à dominatu luxuriæ liberatus: tamen ne id ipſum quidem, quod melius in eo factum eſt, humano operi tribuerim, ſed divino. Ipſius namque corporis, quod eſt infimum noſtrum, ſi qua bona ſunt, ſicut forma, & vires, & ſalus, & ſi quid ejuſmodi eſt, non ſunt niſi ex Deo Creatore & perfectore naturæ; quantò magis animi bona donare nullus alius poteſt!* Si autem illa Polemonis temperantia verum fuiſſet peccatum, an Dei donum potuiſſet ab Auguſtino jure appellari? Ita certè reponunt adverſarii cum Janſenio L. 4. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 5. quia ratione officii Dei donum eſt, quemadmodum & alia Dei dona naturalia, quibus homo infidelis malè utitur. *Poſſunt enim*, ait S. Auguſtinus

T. 2. p. 468. E. F.

L. 4. adverſùs Jul. cap. 3. n. 22. *aliqua bona fieri, non benè facientibus à quibus fiunt*. Verùm reſponſio hæc merum videtur effugium. Bonum etenim mora- T. 2. pag.
le, qualis haud dubiè eſt temperantia, non poteſt ſimpliciter appellari donum 230. col.
Dei, niſi ſit ex omni parte rectum & honeſtum, id eſt, tam ex officio quàm 2.
ex fine. Quantumcumque enim officium operis bonum ſit, ſi agentis intentio ac finis fuerit perverſus, non poteſt actio moralis dici ſimpliciter bona & donum Dei; ex fine quippe potiſſimùm æſtimatur actionis moralis honeſtas ac rectitudo: atqui temperantia Polemonis ab Auguſtino ſimpliciter bona dicitur ac Dei donum; ergo manifeſtè ſupponit ſanctus ille Doctor, eam ex pravo fine vitiatam non fuiſſe, neque verum peccatum.

Libro de Patientia cap. 26. & 28. quærit, an ſchiſmaticus vel hæreticus, qui mortem pro Chriſto conſtanter obiret, laudandus eſſet? Et unde hæc illius conſtantia? An à ſolo ejus libero arbitrio, an à Dei gratia? Cui quæſtioni S. Doctor reſpondet 1. Hanc conſtantiam nullo modo culpandam, imò potiùs laudandam. Si verò ſupponeret, quidquid fit à ſchiſmatico vel hæretico, ex pravo fine vitiari, an quæſo conſtantiam illam laude dignam exiſtimaſſet?

Reſpondet 2. Propter illam animi conſtantiam ac fortitudinem, hominem
illum ſchiſmaticum vel hæreticum mitiùs in altera vita eſſe puniendum. *Exi-* T. 6. pag.
ſtimandum, inquit, *fortaſſe tolerabilius illi futurum judicium, quàm ſi Chriſtum* 543. G.
negando cuncta illa vitaret.

Reſpondet 3. Hominem illum timore pœnæ æternæ ſuperare pœnam tem-
poralem; quod certè motivum rectum eſt ac laudabile. *Neque enim hoc non eſt* Ib pag.
bonum, ait ſanctus Doctor, *ut credat homo æterno ſupplicio ſe eſſe puniendum, ſi* 544 B.
negaverit Chriſtum, & pro iſta fide qualecumque ſupplicium perferat & contemnat humanum.

Reſpondet 4. Timorem illum ac conſtantiam Dei dona eſſe, non quidem
quæ Dei filiis, ſed quæ filiis concubinarum tribuuntur. *Alia ſunt*, inquit, *Dei* Ibid. C.
dona filiorum illius Jeruſalem, quæ ſurſum eſt libera mater noſtra: alia verò quæ poſſunt accipere etiam filii concubinarum, quibus Judæi carnales & ſchiſmatici vel hæretici comparantur .... alia dona exhæredatorum, alia hæredum.

Libro 5. de Civ. Dei cap. 15. docet, Deum Romanis terrenam excellentiſſi- Ibid. E.
mi Imperii gloriam conceſſiſſe, *ut redderetur merces bonis artibus eorum, id eſt virtutibus, quibus ad tantam gloriam pervenire nitebantur*. Quæ verò fuerint
artes illæ ſeu virtutes, exponit ibidem S. Doctor: *Privatas*, inquit, *res ſuas pro* T. 7. pag.
re communi, hoc eſt Republica, & pro ejus ærario contempſerunt; avaritiæ reſtiterunt, 131. E.
conſuleruntPatriæ conſilio libero, neq; delicto ſecundum ſuas leges, neq; libidini obnoxii.
His omnibus artibus tanquam vera via niſi ſunt ad honores, imperium, gloriam. Sive Ibid. F.
autem illæ virtutes, ait hìc Bellarminus Lib. 5. de Gratia & lib. arb. c. 9. cum Dei ſpeciali gratia conjunctæ fuerint, ſive non, certè in Infidelibus erant, non vitia erant, niſi Deum remuneratorem vitiorum (quod abſurdiſſimum eſt) faciamus.

Miratur Janſenius L. 4. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 6. iſtud ex Romanorum
virtutibus exemplum à viro docto (Bellarmino) opponi potuiſſe: quan- T. 2. pag.
doquidem, vel ipſomet teſte Auguſtino loco citato, & L. 4. C. Jul. cap. 3. 253. col.
Romani, his omnibus ſuis prætenſis virtutibus, nonniſi mundanæ gloriæ 1. & 2.
ac cupiditati ſervierunt, quod eſt per ſe malùm. *Hoc enim vitium eſt inimicum* T. 7. pag.
piæ fidei, ait ſanctus Doctor cap. 14. ejuſdem Libri 5. de Civitate Dei, *ſi ma-* 130. E.
jor in corde ſit cupiditas gloriæ, quàm Dei timor vel amor.

Digitized by Google

Verùm confundunt hìc adverſarii actionem ad vitam æternam ſterilem, cum actione formaliter mala. Fatemur illas Romanorum virtutes omninò ſteriles fuiſſe ad regnum cœlorum: at non eo ipſo formaliter peccata fuere æterno ſupplicio punienda, quòd ad temporalis imperii gloriam ac dilata-
Ibid. p. 1,1. E. tionem dirigerentur. *De talibus quippe*, ait S. Auguſt. citato mox c. 15. L. 5. de Civitate Dei, *qui propter hoc boni aliquid facere videntur, ut glorificentur ab*
Matth. 6.v.2. *hominibus, etiam Dominus ait: Amen dico vobis, perceperunt mercedem ſuam.* Ut enim erant virtutes ſimpliciter humanæ ac temporales, ita & una temporalis merces ipſis reddita fuit.

Denique vel in ipſo Lib. 4. contra Jul. cap. 3. unde adverſarii argumenta contra noſtram concluſionem potiſſimùm contorquent, non negat aliquas in infidelibus eſſe veras virtutes, quod fatebatur Julianus, ſed contendit eas à
T. 10. p. 592. G. Deo eſſe, non à ſolo voluntatis arbitrio, quod negabat Julianus. *Quantò ergo tolerabiliùs*, ait n. 16. *illas, quas dicis in impiis eſſe virtutes, Divino muneri*
Pag. 601. E. *potiùs, quàm eorum tribueres tantummodò voluntati*. Et poſtea n. 32. *Ex quo colligitur, etiam ipſa bona opera, quæ faciunt infideles, non ipſorum eſſe, ſed illius qui benè utitur malis; ipſorum autem eſſe peccata, quibus & bona malè faciunt.*

Hujus autem ſuæ ſententiæ fundamentum duplex aſſignat ſanctus Auguſtinus.

Primum: quia licèt per peccatum viribus attenuatum ac infirmatum ſit liberum hominis arbitrium, non tamen penitùs extinctum: licèt multùm in ipſo deformata imago Dei, non tamen prorſùs obliterata. Rationem hanc adducit ſanctus Doctor citato cap. 28. n. 48. Libri de ſpiritu & littera.

Secundum: quia reperiri poteſt in homine infideli humana quædam charitas, & quidem licita, quæ principium ſit actionis moralis ac licitæ. Ita ſerm. 349. aliàs 52. de tempore, ubi duplicem charitatem diſtinguit; unam divinam, alteram humanam aliquando licitam, interdum verò, imò & ſæ-
T. 5 pag. 1345. C. piùs illicitam, ſic loquitur cap. 1. *Charitas alia eſt Divina, alia eſt humana:*
Ibid. E. *alia humana licita, alia illicita*. Et cap. 2. *Non ſolùm autem ita licita eſt, ut concedatur: ſed ita licita, ut ſi defuerit, reprehendatur. Liceat vobis humana charitate diligere conjuges, diligere filios, diligere amicos veſtros, diligere cives veſtros. Omnia enim iſta nomina neceſſitudinis habent vinculum & gluten quoddam charitatis. Sed videtis illam charitatem eſſe poſſe & impiorum, id eſt paganorum, Judæorum, hæreticorum*. Supponit hìc ſanctus Doctor, 1. Charitatem illam humanam à divina eſſe diſtinctam. 2. Humanam illam charitatem licitam eſ-
Ibid. p. 1343. A. ſe, imò & neceſſariam. *Amate*, inquit cap. 7. n. 7. *filios veſtros, conjuges veſtras, etſi ſæculariter*. Ergo charitas illa, judice S. Auguſtino, licita eſt ac honeſta, tum ex officio, tum ex fine. Meritò tamen monet & hortatur, ut parentes filios ſuos in Chriſto diligant, non tantùm humana, ſed etiam Divina charitate, qua æternæ ipſorum ſaluti proſpiciant: non quòd humana charitas licita non ſit, ſed quia ad ſalutem non ſufficit, & Chriſtus ſupra cætera omnia ſit diligendus. *Non dico*, ait ſanctus Doctor, *ut non diligas pa-*
Ibid. B. *trem, non dico ut non diligas filios; ſed plus dilige Chriſtum.*

Idem prorſùs cum Auguſtino docent

T. 4. par. 1. p. 233. S. Hieronymus in caput primum Epiſtolæ ad Galatas: *Natura*, inquit, *omnibus ineſt Dei notitia, nec quiſquam ſine Chriſto naſcitur, & non habet ſemina in ſe ſapientiæ, & juſtitiæ, reliquarumque virtutum, unde multi abſque fide & Evan-*

gelio

gelio Chriſti vel ſapienter faciunt aliqua, vel ſanctè, ut parentibus obſequantur; ut inopi manum porrigant; non opprimant vicinos; non aliena diripiant.

S. Gregorius Magn. hom. 27. in Evangelia: *Sunt nonnulli*, ait, *qui diligunt* Ed nov. *proximos per affectum cognationis & carnis, quibus tamen in hac dilectione ſacra* tom 1. p. *non contradicunt eloquia. Sed aliud eſt quod ſponte impenditur naturæ, alind quod* 1560. C. *præceptis Dominicis ex charitate debetur obedientiæ.*

Denique S. Th. 2. 2. q. 10. art. 4. ex profeſſo probat, omnes infidelium actiones non eſſe peccata, quia totaliter in ipſis corruptum non eſt naturæ bonum. *Manifeſtum eſt*, ait, *quòd infideles non poſſunt operari bona opera, quæ ſunt ex gratia, ſcilicet opera meritoria: tamen bona opera, ad quæ ſufficit bonum naturæ, aliqualiter operari poſſunt. Unde non oportet, quòd in omni ſuo opere peccent.*

TERTIA PROBATIO

Ex ſummis Pontificibus.

Summi Pontifices Pius V. Gregorius XIII. & Urbanus VIII. ſuis Conſtitutionibus, de quibus anteà, iſtam 25. Baji propoſitionem proſcripſerunt: *Omnia infidelium opera peccata ſunt, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia.* Imò & alias quamplures paulò antè memoratas, quæ iſtius 25. ſunt quaſi principia & fundamenta. Janſenius L. 4. de ſtatu naturæ lapſæ, poſtquam cap. 25. 26. & 27. multas ex damnatis Baji Propoſitionibus in ſenſum catholicum adducere & à cenſura defendere conatus eſt, cap. 27. referens mox citatam 25. fatetur ingenuè *ſibi aquam hærere*; adeò ſcilicet clara eſt per ſe propoſitio, ac preſsè Tom. 2. pag. 275. ſtringit Apoſtolica cenſura. Quæcunque verò hìc opponit Iprenſis ad elevan- col. 2. G. dam hujuſce propoſitionis cenſuram, jam à nobis præoccupata ſunt & abundè diſcuſſa, ubi de ſtatu naturæ puræ.

At verò diſcipuli Janſenii nova excogitarunt ſubterfugia: verum quàm vana & inania!

I. (inquiunt) 25. Propoſitio Baji non immeritò damnata eſt, quia eſt indefinita, & innuit etiam indeliberatas infidelium actiones vera eſſe peccata.

Verùm non ignorabat Bajus, quæſtionem inter Scholaſticos hìc moveri de actionibus dumtaxat deliberatis. Præterea 25. propoſitio ſeparatim damnata eſt, ut diſtincta à 50. & 51. in quibus ſermo eſt de actionibus indeliberatis. 50. Hæc eſt: *Prava deſideria, quibus ratio non conſentit, & quæ homo* Rec. des Bp. 20. *invitus patitur, ſunt prohibita præcepto: Non concupiſces. 51. Concupiſcentia ſive lex membrorum & prava ejus deſideria, quæ inviti ſentiunt homines, ſunt vera legis inobedientia.* Ergo Propoſitio 25. non propter iſtam, ſed aliam cauſam damnata fuit.

II. Ajunt proſcriptam illam propoſitonem, ob acriorem cenſuram, qua Bajus Pelagianiſmi incuſabat eos, qui negabant, omnia infidelium opera eſſe vera peccata, ſicut expreſsè colligitur ex propoſitione 22.

At quæſo quid acerbitatis & acrimoniæ offendit in propoſitione vigeſimaquinta? Ne verbum quidem, ac planè diſtincta illa eſt à 22.

III. Aſſerunt, dictam propoſitionem in ſe abſolutè proſcriptam non fuiſſe, ſed reſpectivè ad 35. ubi dicitur: *Omne quod agit peccator, vel ſervus pecca-* Ibid. pag. *ti, peccatum eſt.* Ex qua neceſſariò infertur, omnia opera infidelium peccata eſſe, 13. cùm

cùm illi ſint peccatores: quare meritò rejicitur, tanquam derivata ex doctrina hæretica, quam Synodus Tridentina ſeſſ. 6. can. 7. cenſura confixit.

Verùm id gratis omninò fingitur & abſque ullo prorſus fundamento, cùm utraque propoſitio diſtincta ſit, ac diſtinctum errorem exprimat.

IV. Damnatam contendunt propoſitionem ad ſenſum Baji, qui exiſtimabat ſine gratia ſanctificante, inhærente & habituali, nullum opus bonum fieri poſſe; quod certè falſum & erroneum eſt.

At quantùm iſtud à mente Baji alienum ſit, vel ex eo manifeſtè convincitur, quòd nullam ille admiſiſſe videtur gratiam ſanctificantem habitualem
Ib. p. 17. & inhærentem ab actuali diſtinctam. Senſum hunc præſeferunt iſtæ ejuſdem Doctoris propoſitiones:

42. *Juſtitia, qua juſtificatur per fidem impius, conſiſtit formaliter in obedientia mandatorum, quæ eſt operum juſtitia, non autem in gratia aliqua animæ infuſa.*

63. *Illa diſtinctio duplicis juſtitiæ, alterius quæ fit per ſpiritum charitatis inhabitantem, alterius quæ fit ex inſpiratione quidem Spiritus ſancti cor ad pœnitentiam excitantis, ſed nondum cor inhabitantis & in eo charitatem diffundentis, qua Divinæ legis juſtificatio impleatur; ſimiliter rejicitur.*

69. *Juſtificatio impii fit formaliter per obedientiam legis, non autem per occultam communicationem & inſpirationem gratiæ, quæ per eam juſtificatos faciat implere legem.*

V. Denique fingunt iſtud concedi meritò poſſe, omnia ſcilicet infidelium opera vera non eſſe peccata, tametſi infidelis ipſe in omni opere ſuo peccet peccato ſaltem omiſſionis, opus illud ad Deum, ut oportet, non referendo; quod vitium agentis eſt, non actionis.

Verùm, nihil ea diſtinctione ridiculum magis & abſurdum: tum quia appoſita non eſt ad Baji defenſionem; ſupponit etenim omnes infidelium actiones malas non eſſe, quod negat Bajus, adeoque ea ex parte meritò proſcripta fuit 25. ejus propoſitio; tum quia non ſatis intelligitur, qua ratione actio infidelis hominis recta eſſe poſſit, & tamen operans in ea peccet. An non intentio agentis influit in actionem; ſive aliquid faciat quod faciendum non eſt, ſive aliquid omittat quod eſt neceſſarium? An non mala dici debet actio quæ caret perfectione neceſſaria & debita, nempe relatione in Deum? Aut igitur omnes infidelium actiones eo ipſo vera ſunt peccata, ſaltem omiſſionis, quòd ad Deum ut debitum finem ultimum non referantur, quod tamen negare videntur hujus reſponſionis auctores: aut ſi vera non ſunt peccata, ut revera non ſunt, non carent quacumque debita in Deum relatione: tum denique quia putidum iſtud effugium præcluſit S. Pontifex Alexander VIII. cùm iſtam propoſitionem n. 8. inter triginta & unam: *Neceſſe eſt infidelem in omni opere peccare*, damnavit die 7. Decemb. ann. 1690.

QUARTA PROBATIO.

Ex rationibus Theologicis.

Ex dictis hactenùs facile eſt momenta illa ſeu rationes Theologicas inferre. Prima hæc eſt, quia, inquit S. Auguſtinus, non uſque adeò in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita eſt, ut nulla in ea velut linea-

lineamenta extrema remanſerint: non omninò extinctum lumen rationis, & liberum voluntatis arbitrium; ac conſequenter, non planè obliteratus quilibet boni & recti amor, illius ſcilicet qui cum natura ipſa proportionem & affinitatem habet. *Quamobrem igitur*, ait Eſtius in 2. diſt. 41. paragr. 3. *non ita tenebris ignorantiæ extinctum eſt lumen mentis humanæ, quin de multis rebus ſanè rectèque judicet, ita non ſic vitiorum labe fœdatam eſſe mentem humanam, ut omnis ſcintilla boni & naturalis affectus extincta ſit, ac non interdum, inter innumera licèt vitæ vitia, emicet appareatque, & per actiones quaſdam ſeſe exerat.* Tom. 1. p.285. col. 2.C.

II. Ratio eſt: Quia homo non ſemper agit ex habitu prædominante: avarus enim aliquando liberalis, impudicus interdum temperans eſt; imò nec homo juſtus ſemper agit ex juſtitia, ſed aliquando peccat: ergo nec infidelis ſemper agit ex infidelitate, quemadmodum nec peccator ex malitia. Ita ratiocinatur S. Thomas 2. 2. q. 10. art. 4. Quippe, ait appoſitè Bellarminus L. 5. de Gr. & libero arbitrio c. 9. non poteſt opus inquinari à malitia cauſæ, (ſeu agentis) niſi quando ab ipſa malitia procedit: nam ſi ex bono naturæ, non ex adjuncta malitia quis operetur, opus erit ſimpliciter bonum. Atque hoc modo eleemoſyna hominis impudici bona eſſe poterit, ſi fiat miſericordiæ cauſa, non impudicitiæ, per accidens enim opus illud eſt hominis impudici, per ſe autem miſericordis. Hoc autem eſſe veriſſimum ex eo poteſt intelligi, quòd ſi ſemper malitia cauſæ inquinaret effectum, oporteret opus non ſolùm eſſe malum, ſed in ſpecie malitiam ipſam cauſæ participare: itaque eleemoſyna hominis avari, eſſet mala in ſpecie avaritiæ: & jejunium intemperantis, eſſet malum in ſpecie intemperantiæ, quæ abſurdiſſima ſunt.

III. Ratio: Poteſt Gentilis opus aliquod facere bonum ex officio & fine, propter quod pœnam non meretur: v. g. ſi quis Gentilis naturali pietate ductus honoret parentes; aut naturali commiſeratione motus inopi porrigat manus: is profectò pro tali opere non meretur puniri. Non ergo in tali opere peccat: omni enim peccato pœna reſpondet.

Deinde omni peccato fit homo deterior: atqui Gentilis ille his operibus deterior non fit; ergo non peccat.

Nec dicas, illas Gentilis actiones malas quidem non eſſe ſive ex officio, ſive ex fine proximo, ſed tantùm ex defectu relationis in Deum tanquam in finem ultimum. Namque 1. præceptum de referendis ſuis actionibus ad Deum, affirmativum eſt; ergo non ſemper obligat, ſed certo dumtaxat tempore. Eſtò igitur peccet Gentilis contra præceptum naturale referendi ſuas actiones ad Deum, pro eo tempore quo urget & obligat illud præceptum; ſaltem in aliis ſuis actionibus rectis ex officio & fine proximo, cùm præceptum non obligat, non peccat. Ergo falſum eſt aſſerere, Gentiles in omnibus ſuis actionibus peccare peccato ſaltem omiſſionis. 2. *Neceſſe non eſt*, ait Bellarminus loco mox citato, *omnia referre in Deum explicitè, ſed ſatis eſt, ſi opus referatur in bonum finem proximum, tunc enim per ſe dirigetur in Deum, ut in ultimum finem. Sicut enim omne agens particulare, agit in virtute primi motoris, id eſt Dei; ſic etiam omnis bonus finis movet in virtute ultimi finis.* T. 4 pag. 251. col. 1.B.

IV. Ratio ducitur ex abſurdis. Namque 1. ſi nullum opus bonum fieri poteſt ab infidelibus, ſequeretur meliùs illis eſſe, remoto præcepto, bona opera ex objecto non facere, quàm facere: nam faciendo peccarent, non faciendo non peccarent. Itaque monendi eſſent infideles, ne facerent

Digitized by Google

eleemoſynas, ne pacificarent diſcordes, ne imperitos docerent, niſi quando ex præcepto aliquo tenerentur. 2. Sequeretur, infideles ad ſemper peccandum coarctari, quoties obſervanda ipſis foret lex naturalis, v.g. de honorandis Parentibus, de ſublevando indigente, &c. Si enim non obſervat, peccat; ſi obſervat, nec referat ad finem ultimum, etiam peccat. 3. Deniq; ſequitur, impoſſibile eſſe infidelem converti ad fidem. Quippe ſi fides prima eſt gratia, ut placet adverſariis, & quæcumque fiunt ante fidem opera, ſint vera peccata, quomodo, quæſo, poterit infidelis ſibi viam parare ad fidem?

Solvuntur objectiones ex Scripturis.

Objicies 1. celebrem iſtam Apoſtoli ſententiam Rom. 14. v. ultimo: *Quod non eſt ex fide, peccatum eſt:* qua ſententia ſæpiſſimè S. Aug. premit Julianum, maximè verò L. 4. adversùs ipſum cap. 3. ut probet nullas in infidelibus eſſe veras virtutes.

Reſp. Nomine fidei intelligi poſſe vel fidem Theologicam vel conſcientiam ſeu fiduciam & perſuaſionem, qua quis exiſtimat licitum eſſe quod facit; ut ſit ſenſus: Quod non fit ex conſcientia, ſeu ex illa fiducia, qua perſuaſum eſt homini licitum eſſe, quod facit, ſed conjunctum eſt cum opinione, qua putat illicitum eſſe, vel certè dubitat an licitum ſit, peccatum eſt; fit enim reclamante conſcientia; quæ interpretatio litteralis videtur & ſcopo Apoſtoli accommodata: agit enim de ciborum delectu, ac jubet ne quis fratrem ſuum propterea judicet, quòd ab iis vel illis cibis abſtineat. *Noli*, inquit v. 20. *propter eſcam deſtruere opus Dei. Omnia quidem ſunt munda: ſed malum eſt homini, qui per offendiculum manducat.* Deinde oſtendit, eum, qui cibum aliquem manducat, quem tamen illicitum exiſtimat, reipſa peccare, quia contra propriam agit perſuaſionem ſeu conſcientiam. *Qui diſcernit*, inquit v. 23. *ſi manducaverit, damnatus eſt; quia non ex fide. Omne autem quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Senſum hunc ſequitur Eſtius in citatum Apoſtoli textum, poſt S. Chryſoſtomum, Oecumenium, Theophilactum & Patres Concilii Lateranenſis IV. an. 1215. cap. 41. *Quoniam*, inquit Concilium, *omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt, Synodali judicio definimus, ut nulla valeat abſque bona fide præſcriptio tam Canonica, quàm civilis.* Hæc porrò interpretatio ad rem noſtram præſentem non facit, nec adverſarios juvat.

Si verò nomine fidei in citato textu Apoſtoli, intelligere placeat cum S. Auguſtino, Theologicam virtutem, quæ fides dicitur, diſtinctione opus eſt & explicatione. *Tom. 11. Conc. p. 1. pag. 172. E.*

I. Quod non eſt ex fide, peccatum eſt in ordine ad vitam æternam, concedo: in ordine ad mercedem temporalem, N. Quæcumque enim ſupponatur bonitas & rectitudo moralis in operibus infidelium, eo ipſo quòd ex recta fidei ſupernaturalis intentione non fiunt, ſterilia ſunt ad vitam æternam; tametſi mercede temporali non careant.

II. Quod non eſt ex fide Theologica poſitivè vel contrariè, ſeu quod eſt contra fidem, & fit animo infidelitatis, peccatum eſt, concedo: ſic infidelis qui eleemoſynam daret in honorem Jovis vel Martis, haud dubiè peccaret. Hoc modo intellexiſſe videtur S. Aug. L. 4. c. Julian. c. 3. n. 30. ubi quærenti Juliano, *Si Gentilis nudum operuerit, numquid quia non eſt ex fide, peccatum eſt?* *T. 10 p. 600. E.*

Reſpon-

Reſpondetur: *Prorſus, in quantum non eſt ex fide, peccatum eſt.* Cujus poſtea, n. 32. ſenſum explicans, ait: *Ipſorum ſunt peccata, quibus & bona malè male-* P. iv.
fiunt; quia ea non fideli, ſed infideli, id eſt, ſtulta & noxia faciunt voluntate. 601. E.
Quod non eſt ex fide privativè, id eſt, quod fit abſente fide, peccatum eſt, ſubdiſtinguo: peccatum eſt ut plurimùm, concedo; quia infidelis agit ſæpiſſimè ex impulſu & motivo infidelitatis: peccatum eſt ſemper, quaſi nullo prorsùs honeſto motivo ad agendum moveri unquam poſſit, nego. Non abſimili ſenſu S. Joannes Epiſtolæ 1. cap. 3. v. 9. ait: *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit: quia ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus.* Non quòd homo juſtus nunquam peccet; idem enim S. Joan. c. 1. v. 8. ait: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Sed quòd homo juſtus, quamdiu agit ex inhærente ſibi juſtitia, non peccat, tametſi contingat aliquando eum peccare, quando ex alio, quàm ex juſtitiæ fine ſeu motivo agit. Ita prorsùs de infideli judicandum. Peccat ille, quoties ex perverſa infidelitatis ſuæ intentione operatur, quod ſæpiſſimè contingit: verùm fieri poteſt & aliquando fit, ut ex illa perverſa intentione non operetur. Ratio à priori eſt, quia habitus illi ſeu fidei, ſeu infidelitatis, nullam imponunt neceſſitatem voluntati ad actus ſibi ſimiles exercendos.

Inſtabis 1. ex eodem Apoſtolo Heb. 11. v. 6. *Sine fide impoſſibile eſt placere DEO.* Ergo infidelis nullum opus moraliter bonum facere poteſt, quod Deo placeat.

℞. Diſtinguo ant. Sine fide impoſſibile eſt placere Deo, in ordine ad vitam æternam, concedo: eſt enim fides, ait ibidem Apoſtolus v. 1. *Sperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* De qua jam dixerat Rom. 1. v. 17. *Juſtus ex fide vivit.* Sine fide impoſſibile eſt placere Deo in ordine ad honeſtatem moralem ordinis naturalis, iterum diſtinguo: impoſſibile eſt placere Deo, id eſt perſona, ſeu homo infidelis Deo placere non poteſt, concedo: opus rectum quod facit infidelis, Deo placere non poteſt, nego. Sicut enim homo fidelis peccati mortalis conſcius, ſi quid boni operetur, Deo placet ratione operis, non ratione perſonæ operantis: ita infidelis perſona Deo non placet, tametſi quod operatur bonum, ipſi acceptum ſit. Porrò Apoſtolum citato loco agere de fide ſupernaturali in ordine ad vitam æternam, ex toto ipſius contextu manifeſtum eſt: enumerat enim egregios fidei effectus, vim ejus & excellentiam extollit in Sanctis: *Qui*, inquit v. 33. *per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones.*

Inſtabis 2. ex eodem Apoſtolo ad Titum 1. v. 15. *Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum, ſed inquinatæ ſunt eorum & mens & conſcientia.* Ergo infideles nihil mundum, ſeu ex omni parte ſanum & rectum operantur.

Reſp. cum Eſtio in hunc locum, Apoſtolum non loqui de actionibus, ſed de rebus: & ſicut dixit omnia munda eſſe mundis, id eſt, fideliter & benè utentibus; ſic è diverſo coinquinatis & infidelibus, id eſt, iis, qui per immunditiam cordis aut per infidelitatem, Dei creaturis vel abutuntur, vel quaſi impuræ forent, non utuntur, nihil eſſe mundum, ſed omnia immunda; non quòd creatura Dei veram contrahat immũditiam per malum uſum aut falſam opinionem hominum, ſed quia conſcientia hominis exiſtimantis aliquid im-

mun-

mundum eſſe, & eo tamen utentis, facit ut quamdiu ea conſcientia laborat, & ea re utitur, peccet, non ſecùs ac ſi verè immunda foret: *Quod enim non eſt ex fide*, id eſt conſcientia, *peccatum eſt*. Rom. 14.

Objicies 2. Matth. 7. v. 18. Chriſtus ait: *Non poteſt arbor mala bonos fructus facere:* atqui infidelis eſt arbor mala; ergo nullum fructum bonum, id eſt, actionem moralem ex omni parte bonam facere poteſt.

Reſp. Diſtinguo maj. quando arbor mala agit ut mala eſt, ſeu ex malitia, non poteſt bonos fructus facere, concedo: quando non agit ut mala eſt, nec ex malitia, nego. Concedo min. & diſtinguo conſequens ad ſenſum majoris. Porrò ſicut homo juſtus non ſemper agit ex juſtitia, & peccator non ſemper ex malitia, ita infidelis non ſemper operatur ex infidelitate, ſed interdum, tametſi raròFD, bonum aliquod morale operatur, quemadmodum & juſtus aliquando malum. Cùm verò infidelis bonum aliquod exercet, tunc non agit ut infidelis ex infidelitate, ſed ut homo ex dictamine rectæ rationis. Ita laudatum Scripturæ textum exponit S. Aug. L. 4. c. Jul. cap. 3. n. 30. *Non enim*, ait, *in quantum homo eſt, quod eſt opus Dei, ſed in quantum malæ voluntatis eſt, quiſquis arbor mala eſt.*

Inſtabis: Matth. 6. v. 23. dicitur: *Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus*
T. 10. p. *tuum tenebroſum erit*. Hoc eſt, ſi intentio perverſa fuerit, opus ipſum perver-
601. B. ſum erit: atqui intentio infidelis, quam fides non dirigit, perverſa eſt; ergo omnia ipſius opera inde vitium contrahunt, veraque ſunt peccata.

Reſp. Diſt. min. Intentio infidelis, quam fides non dirigit, perverſa eſt, ut plurimùm, concedo: ſemper, ſubdiſtinguo: ſi ſemper ageret ex infidelitate, concedo: ſecùs, nego. Reipſa ubi agentis intentio perverſa eſt, opus ipſum polluitur ac malum eſt: at non ſemper perverſa eſt infidelis intentio, ſicut nec ſemper recta intentio hominis juſti; ergo cùm intentio ad bonum aliquod morale honeſtum ex fine honeſto dirigatur, opus ipſum moraliter bonum eſt. Fides quidem eſt neceſſaria, ut opus bonum tendat ad finem ſupernaturalem, non verò ad finẽ honeſtum honeſtate naturali, quæ ſit rectæ rationi conformis.

Objicies 3. ex Apoſtolo 1. Cor. 10. v. 31. *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in Dei gloriam facite*. Et Coloſſ. 3. v. 17. *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine JESU Chriſti, gratias agentes Deo & Patri per ipſum*. Ergo ex præcepto tenemur omnes actiones noſtras referre in Deum. Fundatur verò præceptum illud in iſto omnium primo & maximo: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Porrò infideles non poſſunt referre actiones ſuas ad Deum, quem non cognoſcunt.

Denique 1. Corinth. 16. v. 14. *Omnia veſtra in charitate fiant*. Ergo quæcumque fiunt ex alio quàm charitatis motivo & fine, non fiunt ut oportet, adeoq;
T. 6. p. vera peccata ſunt. *Quod ita fit*, ait S. Aug. Enchiridii cap. 121. n. 32. *ut non refe-*
232. E. *ratur ad charitatem*, (id eſt, ad charitatis objectum & finem) *nondum fit, quemadmodum oportet fieri, quamvis fieri videatur*. Ratio eſt, quia omnis actio, quę non refertur ad finem ultimum, mala eſt, at charitatis eſt actiones noſtras ordinare ad finem ultimum. *Quia charitas*, inquit S. Th. 2. 2. q. 23. art. 4. ad 2. *habet pro objecto ultimum finem humanæ vitæ, ſcilicet beatitudinem æternam. ideo extendit ſe ad actus totius humanæ vitæ, per modum imperii, non quaſi immediatè eliciens omnes actus virtutum*. Et articulo 7. ejuſdem quæſtionis ad 1. *Sine charitate non poteſt eſſe actus perfectè bonus: quia deeſt debita ordinatio*

in ulti-

Digitized by Google

in ultimum finem. Ratio rurſùs eſt, quia actus, qui ex charitate non tendit ad finem ultimum, ſiſtit in creatura tanquam in fine ultimo, non datur enim medium: ſed actus qui ſiſtit in creatura tanquam in fine ultimo, perverſus eſt.

Porrò infideles non agunt ex charitate, neque propter Deum tanquam finem ultimum, ſaltem ii qui Deum verum non agnoſcunt: ergo in omnibus ſuis actionibus peccant.

Reſpondet 1. Eſtius Comment. in caput 10. 1. ad Corinth. & 3. Epiſtolę ad Coloſſenſes *errare illos, qui ſententiam Apoſtoli, non præcepti, ſed conſilii tantùm vim habere exiſtimant*. Additque, *præceptum referendi omnes actiones in gloriam Dei per Chriſtum, ſeu in nomine JESU Chriſti, ad ſolos pertinere Chriſtianos, quibus Chriſtus innotuit, non verò ad infideles, qui de Chriſto nihil planè audierunt. Ex quo fundamento*, inquit, *ſolvitur objectio de infidelibus, qui quamvis ſuas actiones alioqui bonas in hunc finem gloriæ Dei non referant, adeoque nec referre poſſint, ii ſaltem qui de Chriſto nihil audierunt; cùm tamen in illis ſpectent finem, ad quem dictante ratione naturali referendæ ſunt, non reprehenſionem merentur, ſed laudem*. Ita Eſtius: ex cujus reſponſione colligitur, laudata Scripturæ teſtimonia ad propoſitam de infidelibus difficultatem non pertinere. *Pag 700. n. 17.* *Pag. 311. n. 31.*

At, inquiet aliquis, nonne infidelis tenetur Deum agnoſcere, quem invincibiliter ignorare non poteſt? Ergo tenetur conſequenter omnes ſuas actiones referre in Deum tanquam Auctorem naturæ; & ſi non referat, peccat: ergo reſponſio Eſtii difficultatem eludit, non ſolvit; atque ſemper remanet iſte ſcrupulus, num neceſſe ſit ſub pœna peccati, ſaltem omiſſionis, omnes humanas actiones referri in Deum: fidelium quidem, tanquam in finem ſupernaturalem, ex motivo charitatis; infidelium verò, tanquam ad finem naturalem, ex honeſto & recto actionis motivo.

Idem Eſtius in Lib. 2. Sent. diſt. 41. parag. 4. ſolvens eandem objectionem ductam ex citatis Scripturæ locis: *Reſponderi poteſt*, ait, *ſi in illis Apoſtoli verbis intelligatur præceptum, ut Auguſtinus intelligere videtur, tum præceptum non tam ad ſingula opera, quàm ad conatum hominis referendum eſſe, ſicut & præceptum de perfectione juſtitiæ. Eò enim conari debet homo, ut tandem perfectam juſtitiam aſſequatur, in qua etiam ſingula opera in particulari referat ad gloriam Dei. Quem ſenſum*, pergit, *aliis verbis expreſſit Chryſoſtomus 1. Corinth. 10. dum ſententiam Apoſtoli, non præceptum, ſed univerſalem admonitionem interpretatur, qua unum hunc optimum finem nobis propoſuerit, ut Deum in omnibus glorificemus*. *T. 1. pag. 386. col. 2. A.*

His verbis videri poteſt Eſtius priorem ſuam ſententiam quodammodo temperaſſe, & agnoviſſe præceptum de quo Apoſtolus, non tam ad ſingula opera, quàm ad conatum hominis referendum eſſe.

2. Bellarminus L. 5. de Gratia & lib. arb. c. 10. ad undecimum argumentum, contendit Apoſtoli verba ſonare piam admonitionem, non præceptum propriè dictum: *Niſi intelligamus*, inquit, *hoc tantùm imperari, ut omnia fiant in gloriam Dei explicitè, vel implicitè. Nam ſaltem implicitè omnia refert in gloriam Dei, qui operatur propter bonum aliquem finem*. Ita quoque ſentiunt Cajetanus, Cornelius à Lapide, &c. *Tom. 4. pag. 253. col. 2. F.*

Reſpondemus, verbis Scripturæ laudatis verum exprimi ac contineri præceptum, quo tenemur omnia noſtra in Deum referre. Ita expreſsè S. Th. 1. 2. q. 100. art. 10. ad 2. *Sub præcepto charitatis* inquit, *continetur, ut diligatur*

Deus

Deus ex toto corde: ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum, & ideo præceptum charitatis implere homo non poteſt, niſi etiam omnia referantur in Deum. Sic ergo qui honorat parentes, tenetur ex charitate honorare, non ex vi hujus præcepti, quod eſt, Honora parentes: ſed ex vi hujus præcepti, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Et rurſus 2. 2. q. 69. art. 1. *Ex præcepto tenemur omnia in gloriam Dei referre, ut patet 1. Corinth. 10.*

Verùm ad ſolvendam propoſitam objectionem ſupereſt quæſtio, nempe quandonam, & quomodo præceptum dilectionis Dei & relationis omnium noſtrarum actionum ad ipſum, obſtringat: an ſemper ac omni tempore: an ex motivo charitatis propriè dictæ?

Obſerva igitur præceptum dilectionis Dei, & relationis actionum noſtrarum ad ipſum, affirmativum ſimul eſſe, & aliquid negativum includere.

Qua parte affirmativum eſt, non ſemper nec pro omni tempore obligat. Ita S. Thomas poſt verba citata ex q. 100. articulo 10. 1. 2. *Cùm iſta*, inquit, *ſint duo præcepta affirmativa*, (nempè diligere Deum, & honorare parentes) *non obligantia ad ſemper, poſſunt pro diverſis temporibus obligare: & ita poteſt contingere, quòd aliquis implens præceptum de honoratione parentum, non tunc tranſgrediatur præceptum de omiſſione modi charitatis.* Et ibidem q. 88. articulo 1. ad 2. *Dicendum*, inquit, *quòd illud præceptum Apoſtoli eſt affirmativum: unde non obligat ad ſemper, & ſic non facit contra hoc præceptum, quicumque actu non refert in gloriam Dei omne, quod facit. Sufficit ergo, quòd aliquis habitualiter referat ſe & omnia ſua in Deum, ad hoc quòd non ſemper mortaliter peccet, cùm aliquem actum non refert in gloriam Dei actualiter.* In mente autem ſancti Docto-
T. 11. p. 525. col. 2. B. ris, habitualiter referri in Deum, idem eſt ac referri virtute. Sic in quæſtionibus diſputatis de charitate articulo 11. ad 3. ait: *Virtualiter omnia referri in Deum, cadere ſub præcepto charitatis.*

Non tenemur igitur ſub pœna peccati actu formali explicito & reflexo actiones noſtras referre in Deum, niſi quo tempore urget & obligat præceptum dilectionis Dei; quod certè licèt ſæpiùs in decurſu vitæ obliget, non tamen ſemper & pro quolibet tempore: conſequenter ergo non tenemur, vi mandati dilectionis Dei, ſemper & pro quocunque tempore actiones noſtras ad Deum referre; nec peccat ſemper omiſſionis peccato, qui ſic eas non refert: quemadmodum licèt teneamur ad Deum converti, non tamen peccat homo novo peccato, ſingulis momentis, quibus ad Deum non convertitur.

Qua verò parte præceptum dilectionis aliquid negativum includit, nempe ut nihil unquam faciamus, quod ſit amori Dei ejuſque gloriæ contrarium, ſemper & pro quolibet tempore obligat; adeoque tenemur ſemper ea facere, quæ ex ſeſe in gloriam Dei referre poſſint: quod idem eſt ac referri virtute, implicitè ac mediatè, ut anteà diximus: quo ſenſu veriſſimum eſt, omnes actiones noſtras in Deum referri oportere.

Quantùm verò ad motivum, quo referendæ illæ ſunt: certè, quo tempore obligat præceptum charitatis ſeu dilectionis Dei, ex motivo ac fine charitatis referri eas oportet: at cùm non obligat, ſicut reverà non ſemper obligat, neceſſe non eſt, ut ſub pœna peccati mortalis ex motivo charitatis referantur. Imò contrarium aſſerere, ut aſſerere videtur Bajus cum ſuis, pernicioſus error eſt; ex quo ſequitur, peccare illos, qui ex motivo fidei, ſpei, timoris, & aliarum virtutum infuſarum aliquid boni operantur ſine charitate; qua-

quaſi illarum virtutum motiva & fines proprii, recti non forent & honeſti, nec à Deo nobis imperarentur; ac una charitas vera eſſet virtus, quæ ſola laudem & pretium haberet. Reipſa quidem opus ſine charitate factum, meritorium non eſt vitæ æternæ: attamen ſi ex officio ac fine proximo honeſto fiat, rectum eſt in ſuo ordine, ac laudem meretur. Audiatur S. Th. 2.2.q.23.art.7.ad primum: *Actus infidelis*, ait exponens textum S. Auguſtini, *in quantùm eſt infidelis, ſemper eſt peccatum, etiamſi nudum operiat, vel quidquid aliud hujuſmodi faciat ordinans ad finem ſuæ infidelitatis. Alius autem poteſt eſſe actus charitatis carentis, non ſecundùm id quod charitate caret, ſed ſecundùm quod habet aliquod aliud donum Dei; vel fidem, vel ſpem, vel etiam naturæ bonum, quod non totum per peccatum tollitur; & ſecundùm hoc, ſine charitate poteſt quidem eſſe aliquis actus bonus ex ſuo genere, non tamen perfectè bonus:* (id eſt meritorius vitæ æternæ) *quia deeſt debita ordinatio ad finem ultimum.*

Quapropter cùm Apoſtolus 1. Cor. 16. v. 14. dixit: *Omnia veſtra in charitate fiant. Charitatem*, ait Eſtius in hunc locum, *non ita ſpecialiter accipit, quo modo ferè Scholaſtici uſurpant, id eſt pro habitu diligendi Deum infuſo.... ſed generaliùs ſumit pro affectu recti, ſinceri & Chriſtiani amoris.* Pag 407. n. 14.

Porrò Infidelis, etiam qui Deum verum non agnoſcit, (quem tamen ignorare penitùs non poteſt) opus aliquod morale rectum & honeſtum tum ex officio, tum ex fine proximo exercere poteſt, quod quidem ex ſeipſo, implicitè ac mediatè, ex intentione agentis ſaltem generali & confuſa, tendit in finem ultimum, Deum ſcilicet naturæ ac totius boni Auctorem. *Sicut enim*, ait Bellarminus Lib. 5. de gratia & lib. arb. c. 9. *omne agens particulare agit in virtute primi motoris, id eſt Dei, ſic etiam omnis bonus finis movet in virtute ultimi finis.* Tom. 4. pag. 251 col. 1. B.

Ad iſtud igitur argumentum, tenemur ex præcepto dilectionis omnia noſtra referre in Deum, diſtinguo: tenemur aliquando actu explicito formali ac reflexo, concedo: tenemur ſemper, nego. Vel iterum diſtinguo: hoc ſenſu quòd nihil facere debeamus quod repugnet gloriæ Dei, ſed quæcumque facimus, ejuſmodi ſint, ut in gloriam Dei dirigi ac referri valeant, concedo: hoc ſenſu, quòd poſitivè, formaliter & explicitè ſemper omnia referre in Deum teneamur ex motivo charitatis propriè dictæ, nego.

Ad probationem ſubjunctam; nempe, omnis actio quæ non refertur ad finem ultimum, mala eſt, quia ſiſtit in creatura: ſed actio quæ non fit ex charitate, non refertur ad finem ultimum,

Reſp. Diſt. majorem. Omnis actio, quæ non refertur nec explicitè ac immediatè, nec implicitè ſaltem mediatè ac virtute ad finem ultimum, mala eſt, concedo: quæ non refertur actu, explicitè ac immediatè, ſed implicitè ſaltem, mediatè, ac virtute, nego. Diſtinguo minorem: actio quæ non fit ex charitate, non refertur ad finem ultimum, modo meritorio vitæ æternę, concedo: nullatenus refertur, nego. *Sine charitate*, ait S. Th. laudatus 2.2.q.23. art. 7. ad 1. *poteſt quidem eſſe aliquis actus bonus ex ſuo genere, non tamen perfectè bonus; quia deeſt debita ordinatio ad finem ultimum.* Hoc eſt, defectu charitatis, meritorius non eſt vitæ eternæ. Verum autem non eſt, quod additur, actionem, quæ non refertur ad finem ultimum, nempe felicitatem æternam, ſiſtere in creatura tanquam in fine ultimo; namque peccatum veniale haud dubiè non refertur in finem ultimum, nec tamen ſiſtit in creatura tanquam in fine ultimo, aliàs non veniale foret, ſed mortale.

Inſtabis: Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus anno 1700. damnavit Propoſitionem illam: *Sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè.* Ergo Clerus Gallicanus ſupponit ſatis non eſſe, ſi actio tendat in Deum virtute & implicitè.

Reſp. Nego conſeq. Notanda hic obiter inſignis mala fides auctoris Libelli anteà citati, cui *Gallicè* titulus: *Remarques ſur le Mandement de M. l' Eveque de Meaux &c.* Propoſitionem truncatam ac dimidiatam refert ille Libelli pag. 23. & opponit illuſtriſſimo ac doctiſſimo Epiſcopo, nunc Cardinali Eminentiſſimo. Talis verò eſt Propoſitio: *Sufficit ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè: hunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decurſu vitæ.* Quam Propoſitionem Clerus Gallicanus hæreticam pronunciat. Quis porrò non intelligit, eos à Clero Gallicano perſtringi, qui volunt, ſufficere, ut actus moralis ſic tendat in finem ultimum interpretativè, ut homo non teneatur Deum amare neque in principio, neque in decurſu vitæ? An verò id affirmamus, cùm aſſerimus infideles in omnibus ſuis actionibus non peccare? Abſit. Apage calumniam & malam fidem.

Solvuntur objectiones ex ſancto Auguſtino.

Quæ hic ex S. Auguſtino congeruntur à Janſenio ejuſque diſcipulis teſtimonia, ad hæc revocari generatim poſſunt.

I. Ad ea quibus affirmat hominem ex ſeipſo nihil boni poſſe perficere; voluntatem ſine charitate, vitioſam eſſe cupiditatem, &c.

II. Ad ea quibus docet, ante fidem nihil boni prorſùs eſſe in homine.

III. Ad ea quibus ex profeſſo probat, virtutes infidelium eſſe vitia, & bona, quæ videntur, ipſorum opera, eſſe peccata; quia non ea fiunt intentione recta, qua fieri debent, nec ad eum finem (Deum nempe) referuntur, ad quem neceſſe eſt illa referri.

Objicies itaque 1. ea S. Auguſtini teſtimonia, quibus affirmat, hominem
Tom. 10. nihil boni ex ſeipſo poſſe perficere, ac voluntatem ſine charitate vitioſam
pag. 415. eſſe cupiditatem, Libro 1. ad Bonifacium cap. 3. n. 7. *Nec poteſt homo boni ali-*
A. *quid velle, niſi adjuvetur ab eo, qui malum non poteſt velle, hoc eſt, gratia Dei per J. C. Dominum noſtrum. Omne enim quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Ac per hoc*
Tom. 1. *bona voluntas, quæ ſe abſtrahit a peccato, fidelis eſt; quia Juſtus ex fide vivit.* Lib.
pag. 25. 1. Retractationum cap. 15. n. 4. ait *Voluntatem in tantum liberam eſſe, in quantum*
B.
Tom. 10. *liberata eſt .... alioquin totam eſſe vitioſam cupiditatem peccatoque ſervientem.*
pag. 737. Libro de gratia & libero arbitrio cap. 18. n. 37. *Quidquid*, inquit, *ſe putaverit*
C. *homo facere benè, ſi fiat ſine charitate, nullo modo fit benè.* At non eſt in in-
Tom. 6. fidelibus charitas. In Enchirid. ad Laurentium cap. 117. n. 31. *Regnat carnalis*
p. 240. F.
Tom 10. *cupiditas, ubi non eſt Dei charitas.* Lib. de ſpir. & litt. cap. 3. n. 5. *Neque li-*
p. 87. E *berum*, inquit, *arbitrium quidquam niſi ad peccandum valet, ſi lateat veri-*
T. 4 Con. *tatis via.*
p. 1670.
D.

Eò denique pertinet Canon 22. Conc. ſecundi Arauſic. quo dicitur: *Nemo habet de ſuo niſi mendacium & peccatum.*

Reſp. 1. Teſtimonia hæc ad rem præſentem non pertinere, ex quibus hoc unum dumtaxat colligi poſſet, nempe infideles, quod opus bonum faciunt, ex beneficio gratiæ facere; non verò omnia eorum opera peccata eſſe.

Reſp. 2.

Reſp. 2. S Auguſtinum loqui de bono ſupernaturali, quod proſit ad vitam æternam, & oſtendit, nullum omninò hujuſmodi pietatis opus fieri ab homine poſſe ſine gratia. Id probat ex profeſſo citato c. 3. Lib. 1. ad Bonifacium, adversùs Pelagianos contendentes hominem per ſolas liberi arbitrii vires poſſe univerſam obſervare legem, ſuperare tentationes, omnia peccata vitare. *Pelagius enim*, ait S. Doctor Epiſtola 186. aliàs 106. c. 10. n 34. *aliquando ita paribus momentis poteſtatem voluntatis æqua lance perpendit, ut aliquantum etiam ad non peccandum valere definiat. Quod ſi ita eſt*, pergit ſanctus Doctor, *nullus locus adjutorio gratiæ reſervatur, ſine qua nos dicimus, ad non peccandum, nihil voluntatis arbitrium valere.* T. 2. pag. 675. B.

Ad locum ex cap. 15. Libri I. Retractationum, dico, ſanctum Doctorem voluntatem ibi uſurpare, non pro volitione ipſa ſeu actione, ſed pro ipſa potentia, *Quæ non eſt*, inquit, *ſicut Manichæi deſipiunt, alienæ naturæ additamentum, ſed naturæ vitium, à quo non ſanatur niſi gratia Salvatoris.* Oſtendit ſcilicet contra Manichæos, peccatum non eſſe à concreato principio, ſeu malitia nobis à Deo malo ingenita, ſed à voluntate noſtra. *Sic oſtenditur*, inquit, *ſine voluntate nullum eſſe peccatum ſive in opere, ſive in origine.* Porrò meritò aſſerit ſanctus Doctor, voluntatem ſeu potentiam illam volendi ſine charitate, vitioſam eſſe cupiditatem, id eſt, plenam amore proprio: neceſſe enim eſt, ut quoad habitum regnet in voluntate aut charitas, aut vitioſa cupiditas; at ſicut quidquid fit ab homine juſto, in quo regnat charitas, juſtum ac rectum non eſt, ſi quidem juſtus aliquando peccat; ita pariter, quidquid fit ab homine infideli ſeu peccatore, in quo dominatur cupiditas, malum non eſt, ſed aliquando bonum. T. 1. p. 25. C. Ibid. C.

Citato cap. 18. Libri de gratia & libero arbitrio loquitur S. Auguſtinus de charitate ſupernaturali, de qua S. Joan. 1. ſuæ Epiſtolæ cap. 4. v. 7. ait: *Dilectio ex Deo eſt*. Loquitur & de obſervatione mandatorum, quæ promoveat ad finem ſupernaturalem: nos verò in infidelibus agnoſcimus aliquam dumtaxat humanam charitatem; agnoſcimus bonum morale, quod interdum ex motivo hujus charitatis eliciunt, nihil prorsùs ipſis prodeſſe ad vitam æternam, ſed tantùm ut mitiùs puniantur. Ergo iſtud & alia hujuſmodi S. Auguſtini teſtimonia nihil commune habent cum præſenti noſtra quæſtione.

Pariter cùm dixit S. Doctor cap. 117. Enchiridii, *regnare carnalem cupiditatem, ubi non eſt Dei charitas*; ſenſus non eſt actionem, quæ ex charitate Dei non elicitur, eo ipſo eſſe à carnali cupiditate, adeoque formaliter malam: ut enim jam diximus, ſicut omnis actio hominis juſti, in quo regnat charitas, bona non eſt; ita quoque omnis actio hominis infidelis aut peccatoris, in quo viget cupiditas, mala non eſt: ut enim juſtus non ſemper operatur ex charitatis imperio, ita nec injuſtus agit ſemper ex tyrannide cupiditatis, ſed aliquando ex inſtinctu luminis naturalis, & ex amore honeſtatis. Senſus igitur ſancti Doctoris eſt, in ſubjecto ſeu perſona agente regnare quoad habitum carnalem cupiditatem, ubi non eſt Dei charitas, quod certè veriſſimum eſt; homo enim vel juſtus eſt, vel injuſtus: ſi juſtus regnat in eo charitas; ſi injuſtus, cupiditas; charitas autem & cupiditas nullam imponunt voluntati neceſſitatem, ad actus ſibi conformes ſemper ac neceſſariò exercendos. Libro de ſpir. & litt. citato, hoc unum ſanctus Doctor intendit, liberum arbitrium ſibi quidem ſufficere ad malum; ad bonum verò ſupernatura-

le, quod ſemen ſit vitæ æternæ, non ſibi ſufficere ſine ſpeciali Dei auxilio.

Quis ſit Arauſicani Canonis ſenſus, expoſuimus anteà articulo 1. cùm objectiones ſolvebamus.

Objicies 2. ea S. Auguſtini loca, in quibus ſæpiſſimè declarat ante fidem nihil planè boni eſse in homine.

Tom 3. part 2. p. 713. D. Tractatu 86. in Joan. *Non eſt*, inquit, *ut dicas, antequam crederem, jam bona operabar, ideò electus ſum. Quid enim eſt boni operis ante fidem, cùm dicat Apoſtolus: Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt?* Et in Pſal. 31. in præfatione *Nemo*, inquit, *computet opera ſua bona ante fidem: ubi fides non erat, bonum opus non erat.*
Tom 4. p. 172. D. In Epiſt. ad Sixtum 194. aliàs 105. n. 9. *Opera bona fiunt ab homine; fides*
Tom. 2. p 718 B. *autem fit in homine, ſine qua illa à nullo fiunt homine. Omne enim quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* In Epiſt. ad Vitalem 217. aliàs 107. n. 10. *Itaque* (Diabolus)
Ib. pag. 803. A. *aliquos eorum, per quos ampliùs decipere affectat, ſinit habere nonnulla velut opera bona, in quibus laudantur, per quaſque Gentes, præcipueque in Gente Romana, qui præclarè glorioſiſſimeque vixerunt. Sed quoniam ſicut veraciſſima Scriptura dicit: Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt: &, Sine fide impoſſibile eſt placere Deo, non hominibus, nihil ſic agit hic princeps, quàm ut non credatur in Deum.*

T. 10. p. 211. A. Denique Libro de geſtis Pelagii c. 14. *Quamtumlibet*, inquit, *opera infidelium prædicentur, ejuſdem Apoſtoli ſententiam veram novimus & invictam: Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt .... cùm ipſa ſit initium, unde bona opera incipiunt.*

Reſpondeo his S. Auguſtini teſtimoniis rectè demonſtrari, ſine fide nullum ab homine fieri poſse opus bonum morale, quod ad vitam æternam pertineat:
Ibid pag. 798 F. *Fides enim*, ait S. Doctor Lib. de Prædeſt. SS. c. 7. *prima datur, ex qua impetrantur cætera quibus juſtè vivitur.* Et in Enchiridio c. 117. *Fides impetrat quod lex impe-*
T. 6 pag. 240. F. *rat.* De illo bonitatis genere ſe loqui explicat apertè S. Doctor L. 4. c. Julian. cap. 3. ubi poſtquam prolixa diſputatione contendit nullas eſse veras in infidelibus virtutes, nullaque eorum opera eſse bona, ſubjungit: *Si ad conſequen-*
T. 10. p. 594. F. *dam veram beatitudinem, quam nobis immortalem fides, quæ in Chriſto eſt vera, promittit, nihil proſunt homini virtutes; nullo modo poſſunt eſſe virtutes.* Porrò fatemur, virtutes infidelium planè ſteriles ac inutiles ipſis eſse ad vitam æternam conſequendam. Huic reſponſioni lux major ex mox dicendis affulgebit.

Objicies 3. ea S. Doctoris teſtimonia, in quibus ex profeſso diſputans contra Pelagianos de virtutibus infidelium, ſignificat eas eſse falſas ac mera vitia; opera verò eorumdem, quæ videntur bona, vera eſse peccata: duplici maximè in loco argumentum iſtud fusè proſecutus eſt: nempe Libro 1. de nuptiis
Ca. 3. & 4. & concupiſcentia, unde primum exordium duxit acris illa S. Doctoris cum Juliano ea de re concertatio; tum Lib. 4. c. Julianum c. 3. ubi rursùs revocat & expendit, quod dixerat in Lib. illo I. de nuptiis & concupiſcentia. Itaque

Lib. 1. de nuptiis & concupiſcentia cap. 3. initio probat ex Apoſtolo 1. Corinth. 7. v. 7: pudicitiam conjugalem eſse donum Dei, quod ab ipſo petendum eſt, & pro quo gratiæ ipſi referendæ ſunt. Tum proponit quæſtionem de pudicitia conjugali apud impios & infideles: An in eis aliquando ſit; & unde
T. 10 p. 281. E. ſit? *Quid ergo dicimus*, inquit, *quando & in quibuſdam impiis invenitur pudicitia conjugalis? Utrùm eo peccare dicendi ſunt, quòd dono Dei malè utantur, non id referentes ad cultum ejus, à quo acceperunt? An fortè nec dona Dei putanda ſunt iſta, quando hæc infideles agunt, ſecundùm Apoſtoli ſententiam dicentis: Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt?* En quæſtio, cui ſic reſpon-

det:

det: *Quis autem audeat dicere donum Dei eſſe peccatum? Anima enim, & corpus, & quæcumque bona animæ & corporis naturaliter inſita, etiam in peccatoribus dona Dei ſunt; quoniam Deus, non ipſi iſta fecerunt. De his autem quæ faciunt, dictum eſt: Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Cùm igitur faciunt hæc homines ſine fide, quæ videntur ad conjugalem pudicitiam pertinere, ſive hominibus placere quærentes, vel ſibi, vel aliis, ſive in his rebus, quas vitioſè concupiſcunt, humanas moleſtias devitantes, ſive dæmonibus ſervientes, non peccata coercentur, ſed aliis peccatis alia peccata vincuntur. Abſit ergo pudicum veraciter dici, qui non propter Deum verum fidem connubii ſervat uxori.*

Et cap. 4. ſic pergit: *Hoc tam evidens bonum* (nempe ſocietas viri & mulieris Ibid. p.
ad procreandam prolem) *cùm infideles habent, quia infideliter utuntur, in ma-* 282. B. C.
lum peccatumque convertunt .... Quapropter qui non hac intentione, ac voluntate, hoc fine generant filios, ut eos ex membris hominis primi in membra transferant Chriſti, ſed infideles parentes de infideli prole glorientur; etiamſi tanta ſit obſervantia, ut ſecundùm matrimoniales tabulas nonniſi liberorum procreandorum cauſa concumbant, non eſt in eis vera pudicitia conjugalis. Cujus quidem ſententię
duplicem rationem ſeu firmamentum ibidem ſubjicit ſanctus Doctor. 1. Ib. D. E.
Eſt: *Quia pudicitia virtus eſt, quæ in animo habitat. Quomodo autem,* inquit, *vera ratione pudicum corpus aſſeritur, quando à vero Deo ipſe animus fornicatur? ... Vera igitur pudicitia, ſive conjugalis, ſive vidualis, ſive virginalis dicenda non*
eſt, niſi quæ veræ fidei mancipatur. Secunda ratio eſt, quia *ex Apoſtolo, Omne* Rom. 14.
quod non eſt ex fide, peccatum eſt; &, Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. v. 25. Heb. 11.
Ex illo ſancti Doctoris prolixo teſtimonio, hæc urgeri maximè ſolent v. 6.
adverſùs doctrinam concluſionis noſtræ:

I. Pudicitiam impiorum, ſi quæ ſit, donum Dei eſſe, neque ex hac parte (ratione ſcilicet officii) illam peccatum eſſe: quis enim dixerit Dei donum eſſe peccatum? Donum autem Dei eſſe affirmat, eo prorſùs modo quo cætera corporis vel animi bona Dei naturæ Auctoris dona ſunt.

II. Infideles eo Dei dono malè uti, *non id referentes ad cultum ejus, à quo acceperunt*; adeoque ratione finis, peccare illos infideles, cùm fidem conjugalem ſervant uxori.

III. Idcircò infideles illos non ad bonum, ſed malum finem hanc pudicitiam conjugalem referre, adeoque peccare, quia carent fide; & omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.

IV. Veram non eſſe pudicitiam, quæ non propter verum Deum fidem conjugalem ſervat.

V. Ut vera ſit pudicitiæ conjugalis virtus, neceſſe eſſe ea intentione eoque fine procreari filios, *ut ex membris hominis primi transferantur in membra Chriſti*. Cùm ergo infideles ea intentione eoque fine moveri non poſſint, non habent veram pudicitiæ conjugalis virtutem.

VI. Denique, veram non eſſe pudicitiæ virtutem in corpore, quando animus à Deo fornicatur: talis porrò eſt infidelis animus.

Idem argumentum prolixè verſat S. Auguſtinus Lib. 4. c. Julianum cap. 3. ubi I. paucis reſumit, quæ fuſiùs diſſeruerat citato mox Lib. 1. de nuptiis & con-
cupiſcentia; quibus recenſitis, ſic Julianum alloquitur: *Vide ergo, quid bonum* T. 10. p.
negandum arbitreris. Virtutem eſſe pudicitiam conjugalem, promptiſſimè confiteris: 591. B.
omnes virtutes, etiam quæ per corpus operantur, in animo habitare non negas. Porrò C.

infidelis animum fornicari à Deo ille poteſt negare, qui ſe palam ſanctarum Scripturarum adverſarium profitetur. Ex quibus omnibus hæc ſumma conficitur, ut aut in animo fornicante pudicitia vera eſſe poſſit, quod cernis quam ſit abſurdum; aut in animo infidelis pudicitia vera eſſe non poſſit.

pag.512. B. II. Refert ſententiam Juliani ac Pelagianorum: (n. 16.) *Acerbiſſimi*, inquit, *gratiæ inimici, exempla nobis opponitis impiorum, quos dicitis alienos à fide abundare virtutibus; in quibus ſine adjutorio gratiæ, ſolum eſt naturæ bonum, licèt ſuperſtitionibus mancipatum, qui ſolius libertatis ingenitæ viribus, & miſericordes crebro, & modeſti, & caſti inveniuntur & ſobrii.*

En ſententia Juliani, in qua confutanda totus deinceps incumbit.

Ibid. D. III. Ait longè *ſatiùs eſſe fateri hæc eſſe in infidelibus dona Dei*, nempe naturalia, *ſub cujus*, inquit, *occulto judicio, nec injuſto, alii fatui, alii tardiſſimi ingenii & ad intelligendum quodammodo plumbei, alii obliviosi, alii acuti memoreſve naſcuntur.... Quantò ergo tolerabiliùs*, ait Julianum alloquens, *illas, quas dicis*
Ibid. G. *in impiis eſſe virtutes, divino muneri potiùs, quàm eorum tribueres tantummodo voluntati? .....Sed abſit ut ſit in aliquo vera virtus, niſi fuerit juſtus. Abſit autem*
pag.593. A *ut ſit juſtus verè, niſi vivat ex fide. Juſtus enim ex fide vivit.*

Rom. 10. v 13. Deinde ait, infideles veras non habere virtutes, quia ad ſuum non referuntur auctorem; atque hoc ipſo illos injuſtos eſſe ac malos, quòd iis malè utantur.

Ib. pag. 600. F. IV. Juliano roganti n. 30. *Si Gentilis nudum operuerit, numquid quia non eſt ex fide, peccatum eſt? Prorſùs*, reponit S. Auguſtinus, *quantùm non eſt ex fide, peccatum eſt; non quia per ſeipſum factum, quod eſt nudum operire, peccatum eſt; ſed de tali opere non in Domino gloriari, ſolus impius negat eſſe peccatum.* Quod deinde probat, hoc ex Scripturis deducto argumento: Arbor mala non poteſt bonos fructus facere: infidelis eſt arbor mala; namque vel bona eſt, vel mala: non eſt autem bona, aliàs infidelis Deo placeret & acceptus eſſet, contradicente Scriptura, quæ ait: Sine fide impoſſibile eſt placere Deo; ergo mala eſt; ergo fructus bonos facere non poteſt. Statimque occupat reſponſionem Juliani aſſerentis, infidelem, quatenùs infidelem, eſſe quidem arborem malam, non verò quatenùs hominem: ſiquidem non de infideli: quatenùs præciſè homo eſt, dixit Scriptura, illum eſſe arborem malam, homo etenim Dei bonum opus eſt; ſed de infideli, quatenùs eſt infidelis. *Non itaque*, in-
pag.601. B. quit, *in quantum homo eſt, quod eſt opus Dei, ſed in quantum malæ voluntatis eſt, quiſquis arbor mala eſt, & bonos fructus facere non poteſt.*

V. Urgenti Juliano (n. 31.) ipſam voluntatis miſericordiam, qua quis movetur ut pauperi ſubveniat, bonam eſſe, minimèque peccatum, ſic
Ib.C. reſpondet S. Auguſtinus: *Rectè iſtud diceretur, ſi quemadmodum fides Chriſti, id eſt, fides quæ per dilectionem operatur, ſemper eſt bona, ita miſericordia ſemper eſſet bona. Si autem reperitur & miſericordia mala, qua perſona pauperis accipitur in judicio &c... Porrò ſi vitium eſt malè miſereri, procul dubio vitium eſt infideliter miſereri. Quòd ſi & ipſa per ſeipſam naturali compaſſione opus eſt bonum, etiam iſto bono malè utitur, qui infideliter utitur, & hoc bonum malè facit..... qui autem malè facit aliquid, profectò peccat.*

VI. Infidelem autem male uti miſericordia propter defectum fidei & bonæ intentionis, probat ex cap. 6. S. Matth. v. 22. & 23. *Si oculus tuus nequam eſt, totum corpus tuum tenebroſum erit; ſi autem oculus tuus ſimplex eſt, totum corpus tuum lucidum erit. Hunc oculum*, inquit, *agnoſce intentionem, qua facit quiſ-*

que

Digitized by Google

que quod facit; & per hoc diſce, eum, qui non facit opera bona intentione Ib. pag. 602. B.
fidei bonæ, hoc eſt, ejus quæ per dilectionem operatur, totum quaſi corpus, quod illis, velut membris, operibus conſtat, tenebroſum eſſe, hoc eſt, plenum nigredine peccatorum.

Ex his omnibus ſic adversùs concluſionem noſtram arguitur: Ille negat aliquod opus moraliter bonum fieri poſſe ſine fide, qui aſſerit virtutes infidelium veras non eſſe virtutes, ſed potiùs vera vitia; eorumque opera, quæ videntur bona, ex defectu fidei ac rectæ intentionis vera eſſe peccata: atqui S. Auguſtinus aſſerit, virtutes infidelium non eſſe veras ac germanas, imò vera vitia; eorumque opera, quæ videntur bona, ex defectu fidei ac rectæ intentionis vera eſſe peccata; ergo negat aliquod opus moraliter bonum fieri poſſe ſine fide.

Reſp. Diſtinguo min. Atqui S. Auguſtinus aſſerit virtutes infidelium veras non eſſe, ad ſenſum Juliani, quem impugnat, id eſt, non eſſe veras quæ fiunt ex pravo fine ac perverſa intentione; vel quæ infidelem ſimpliciter bonum ac juſtum efficiant, & ad vitam æternam perducere poſſint; vel quæ ſint abſolutè ac ſimpliciter veræ ac germanæ virtutes, ſteriles tamen ad vitam æternam, qui triplex erat Juliani ſenſus, concedo: aſſerit virtutes infidelium non eſſe veras virtutes ex propria ſua mente atque ſententia, & ad ſenſum noſtræ concluſionis, nego.

Itaque ut mens ſancti Doctoris remotis ambagibus clariſſimè pateat, exponendus eſt error Juliani circa virtutes infidelium. Tria ille docebat.

I. Opera, quæ ex officio dumtaxat bona ſunt, licèt ex pravo fine fierent, eſſe tamen ſimpliciter bona. Ita cenſuiſſe Julianum probat S. Auguſtinus citato c. 3. Libri 4. adversùs ipſum, adductis propriis ipſius verbis: (n. 19.) *Hæc ubi didiceris*, ait ſanctus Doctor, *neſcio. Jam tamen cernis, ut arbitror, conſequens eſſe, ut vera ſit virtus avarorum prudentia, qua excogitant genera lucellorum; & avarorum juſtitia, qua gravium damnorum metu faciliùs ſua nonnunquam contemnunt, quàm uſurpant aliquid alienum &c.... Ergo virtutes iſte tali fine turpes atque deformes, & ideo nullo modo germanæ veræque virtutes, tibi tamen ita veræ videntur & pulchræ, ut* (verba ſunt Juliani) *nec nominis ſui poſſint, nec generis ſuſtinere diſpendium, ſed ſolius quod appetiverunt præmii exilitate fruſtrentur, id eſt, terrenorum commodorum fructu, non cœleſtium præmiorum.* Ita ſententiam Juliani ſugillat & explodit S. Auguſtinus; tum paulò poſt (n. 21.) ſic pergit: *Noveris itaque, non officiis, ſed finibus à vitiis diſcernendas eſſe virtutes. Officium eſt autem, quod faciendum eſt: finis verò propter quod faciendum eſt. Cùm itaque facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, ſi non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur. Quæ tu non attendens, fines ab officiis ſeparaſti, & virtutes veras officia ſine finibus appellandas eſſe dixiſti. Ex quo te tanta abſurditas ſequitur, ut veram cogaris appellare juſtitiam, etiam cujus dominam reperis avaritiam.*

Ib. pag. 595. C.

Ibid. D.

Pag. 556. B.

Oppoſito igitur huic Juliani doctrinæ ſenſu contendit S. Auguſt. veras non eſſe in infidelibus virtutes, quę ſcilicet fiunt ex pravo fine ac perverſa intentione; quas meritò *turpes atque deformes* hic appellat: *Quibus illi*, ut ait citato Lib. 1. de nupt. & conc. cap. 3. *ſibi vel hominibus placere quærentes .... ſive humanas moleſtias devitantes, ſive dæmonibus ſervientes, non peccata coercentur, ſed aliis peccatis alia peccata vincuntur.* Solus quippe Julianus in tantam devenire potuit abſurditatem, ut non ex fine, ſed ex officio dumtaxat æſtimandam eſſe puta-

Ibid. p. 281. F.

 ret mo-

ret moralis actionis honeſtatem; cùm ea multò magis ex fine pendeat, quàm ex officio. Cùm igitur ſanctus Doctor aſſerit, infidelem, qui ex miſericordia pauperi ſubvenit, peccare, ſupponit eum ex perverſo fine, ad vanam ſcilicet gloriam & oſtentationem ſibi unicè placendo, miſericordiam exercere; adeòque eo bono malè, ſeu, ut loquitur, infideliter uti.

II. Julianus ad Semipelagianiſmum primò deflectens, docuerat aliqua virtutum deſideria, & ſolam boni cupiditatem in ordine ad vitam æternam, haberi poſſe ſine gratia; poſtea verò virtutes ſimpliciter veras, imò & virtutum abundantiam ipſis tribuit infidelibus, quo pacto, dicebat S. Auguſtinus illum redarguens citato cap. 3. Libri 4. c. ipſum (n. 16. *Quid remanſit, quod gratiæ reſervemus, in tam evidentibus, quibus dixiſti eos abundare virtutibus?* Ex qua doctrina manifeſtè ſequebatur in mente Juliani, infideles his virtutibus ſimpliciter juſtos eſſe ac conſtitui, atque æternam damnationem effugere poſſe. Hanc Juliani mentem non diſſimulat ipſemet Janſenius Lib. 4. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 4. ſibi non ſatis conſtans: *Julianus*, inquit, *non ſolùm in hoc errabat, quòd infidelibus opera nonnulla bona tribueret, ſed in eo quoque, quòd virtutes eis ita perfectas daret, ut eos & verè juſtos eſſe diceret, & propter veram juſtitiam extra damnationem ſempiternam futuros. Cùm enim Auguſtinus omnes illos damnatione plectendos, & quamvis diſparibus pœnis puniendos tamen eſſe diceret, reſpondens inducitur Julianus*, (n. 26.) *Erunt ergo*, inquiebat, *in damnatione ſempiterna, in quibus erat vera juſtitia?* Cui Auguſtinus: *O vocem impudentia majore præcipitem! Non erat, inquam, in eis vera juſtitia, quia non actibus, ſed finibus penſantur officia.*

Ib pag. 592. C.

T. 1. p. 229. col. 2. A.

Paulò antè (n. 16.) adversùs illam ejus dementiam increpans dixerat, quòd *non audiret dicentem Scripturam: Qui dicit impium juſtum eſſe, maledictus erit in populo, & odibilis in gentibus.* Tum (n. 17.) gravi momentorum pondere errorem illum refellit. *Abſit*, inquit, *ut ſit in aliquo vera virtus, niſi fuerit juſtus. Abſit autem, ut ſit juſtus verè, niſi vivat ex fide; Juſtus enim ex fide vivit. Quis porrò eorum, qui ſe Chriſtianos haberi volunt, niſi ſoli Pelagiani, aut in ipſis etiam fortè tu ſolus, juſtum dixerit infidelem, juſtum dixerit impium, juſtum dixerit diabolo mancipatum?*

T. 10. p. 592. D Proverb. 24. v. 24. Ibid. p. 593. A. Rom. 1. v. 17.

Unde infert Auguſtinus ex ejus principiis, eos etiam ad regnum cælorum admittendos eſſe. *Quomodo*, inquit, *eſt in eis vera juſtitia, in quibus non eſt vera ſapientia? Quam ſi eis tribuerimus, nihil erit cauſæ, cur non eos ad illud regnum pervenire dicamus, de quo ſcriptum eſt: Concupiſcentia ſapientiæ deducit ad regnum. Ac per hoc Chriſtus gratis mortuus eſt, ſi homines ſine fide Chriſti ad fidem veram, ad virtutem veram.... quacumq; re alia, quacumq; ratione perveniunt. Prorsùs ſicut de lege veriſſimè ait Apoſtolus: Si per legem juſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt: ita veriſſimè dicitur, ſi per naturam voluntatemque juſtitia; ergo Chriſtus gratis mortuus eſt.... Per quod enim vera juſtitia, per hoc etiam regnum Dei. Deus namque ipſe, quod abſit, erit injuſtus, ſi ad ejus regnum verus non admittitur juſtus.*

Ibid. D. Sap. 6. v. 21.

Quando igitur S. Aug. Julianum confutans negabat eſſe veras in infidelibus virtutes, contrario errori Juliani ſenſu intelligi debet: nimirum veras non eſſe ſimpliciter virtutes, quibus illi ſimpliciter boni ac juſti ſint & conſtituantur; quibus æternam effugiant damnationem; quibus denique (quod ex principiis Juliani, tametſi negare iſtud videretur, neceſſariò ſequebatur) ad regnum cælorum pervenire illi poſſent. Non negat autem ſanctus Doctor, eſſe in infi-

infidelibus virtutes aliquas, quibus non ſimpliciter boni aut juſti, ſed tantùm ſecundùm quid & modo valdè imperfecto boni dici poſſint; quibus non quidem æternam, ſed temporalem aliquam mercedem ſibi concilient; quibus non æternam fugiant damnationem, ſed mitiorem dumtaxat pœnam ſuſtineant: uno verbo, virtutes aliquas humanas omninò ſteriles tum ad gratiam, tum ad regnum cœlorum obtinendum.

III. Julianus invictis Auguſtini argumentis ſuperatus fateri tandem coactus fuit, eas quas in infidelibus admittebat virtutes, ſteriles omninò eſſe ad vitam æternam: quæ declaratio fuci, abſurditatis & contradictionis tota plena erat, ſicut oſtendit S. Auguſtinus. Namque in mente Juliani, aut virtutes illæ, quas ſteriles dicebat, bonæ dumtaxat erant ex officio, non autem ex fine; aut ex omni parte bonæ ac perfectæ: ſi prius; non modò ſteriles illas dicere debebat, ſed planè nullas, ſed falſas & vera vitia: virtus enim ex fine potiſſimùm bono & honeſto penditur. Certè illuſiſſe Auguſtino videtur Julianus, cùm dixit virtutes illas eſſe ſteriles: intelligebat enim haud dubiè, virtutes ex officio tantùm bonas, non ex fine; quo ſenſu illudens ac fallens concedere potuit eas ſteriles eſſe ad vitam æternam: ſi verò ex omni parte veras Julianus intellexerit virtutes, non potuit ſine abſurditate ac manifeſta contradictione illas ſteriles appellare: quomodo enim vera virtus, ex qua vera juſtitia comparatur, ſterilis eſſe poteſt? Porrò in ſententia Juliani, virtus illa erat vera & perfecta, per quam vera juſtitia, & fides ipſa, ſine qua ſalus haberi non poteſt, comparabatur. Non enim eò abſurditatis devenit Julianus, ut crediderit infideles per eas virtutes, quibus eos abundare dicebat, poſſe ſine fide ad æternam ſalutem pervenire; ſed contendebat ipſos per bonum uſum liberi arbitrii ac naturales virtutes poſſe ſibi conciliare gratiam fidei, &, iſta mediante, regnum cœlorum adipiſci. Hanc Juliani ſententiam non obſcurè indicat S. Auguſtinus verbis mox relatis ex cap. 3. Lib. 4. adversùs ipſum: (n. 17.) *Si homines*, inquit, *ſine fide Chriſti ad fidem veram, ad virtutem veram perveniunt* .... *Chriſtus gratis mortuus eſt*. Ergo in mente Juliani virtutes illæ ſteriles dici non poterant, cùm per eas & fides, & vera juſtitia, ac conſequenter regnum cœlorum infideles ſibi compararent. Craſſa igitur & apertiſſima erat illius contradictio, cùm diceret & virtutes illas eſſe veras, perfectas, quibus vera conſtabat juſtitia; & tamen ſteriles ad vitam æternam. Quam contradictionem & abſurditatem ſententiæ carpit S. Auguſtinus citato cap. 3. Libri 7. c. Julian. *Quid reſponſurus es*, inquit, (n. 33.) *niſi vana? Ego, inquis, ſteriliter bonos dixi homines, qui non propter Deum faciendo bona quæ faciunt, non ab eo vitam conſequuntur æternam. Ergo*, premit S. Auguſtinus, *Juſtus & bonus Deus bonos eſt in mortem miſſurus æternam? Piget jam dicere, quàm multa te ſequantur inſana, talia ſentientem, talia ſcribentem.* T. 10 p. 593. E. Ib p. 601. G.

Quia verò Julianus gravem hanc quæſtionem ad meram de nomine controverſiam deflectere conabatur, S. Auguſtinus in re ipſa pedem figendum eſſe, remota de verbis controverſia, cautè ac ſapienter admonet. *Breviter accipe*, inquit, *ne fortè cùm in rebus ipſis tantum erres, quantum errari plurimùm poteſt, videar tecum certare de verbis* .... *Quoniam ſaltem concedis opera infidelium, quæ tibi eorum videntur bona, non tamen eos ad ſalutem ſempiternam regnumque perducere: ſcito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, ſine Dei gratia, quæ datur per unum Mediatorem Dei & hominum, nemi-* Ibid. p. 602. A. Ibid. C.

nemini poſſe conferri; per quod ſolum homo poteſt ad æternum Dei donum regnumque perduci. Et paulò anteà (n. 22.) *Dici non poteſt*, ait, *quantùm te iſta fallat opinio, qua dixiſti, omnes virtutes affectus eſſe, per quos aut fructuosè, aut ſteriliter boni ſumus. Fieri enim non poteſt, ut ſteriliter boni ſimus: ſed boni non ſumus, quidquid ſteriliter ſumus.*

Ib. p. 596. F.

Oppoſito igitur ſenſu dixit S. Auguſtinus, non eſſe in infidelibus veras virtutes, id eſt, perfectè ac ſimpliciter veras, quibus nempè vera conſtet juſtitia, ac infideles ſimpliciter ac perfectè boni & juſti ſint ac dicantur, quæ denique ad vitam æternam conferant; quas tamen Julianus, non ſatis ſecum ipſe cohærens ac conſentiens, ſteriles dicebat ad regnum cœlorum. Fatemur hoc ſenſu negaſſe S. Auguſtinum veras eſſe in infidelibus virtutes, non autem alio ſenſu quem jam expoſuimus.

Et ſanè diſputans Auguſtinus cum Juliano de virtutibus infidelium, virtutem uſurpabat, non tantùm Philoſophorum more, ſed ſtricto ac proprio Chriſtianorum ſenſu, pro illo ſcilicet habitu, qui eſt ex gratiæ beneficio, per quem homo ſimpliciter bonus ac rectus denominatur, qui tendit & ordinatur ad vitam æternam. Cùm ergo nullæ hujuſmodi ſint in infidelibus virtutes; cùm aliunde verbo tenus fateretur Julianus virtutes illas ſteriles eſſe ad vitam æternam, S. Doctor concludebat appoſitè ad hunc ſenſum, nullas eſſe in infidelibus veras virtutes.

Adde, quòd cùm virtus etiam à Philoſophis, referente Auguſtino citato toties cap. 3. Lib. 4. c. Julian. (n. 19.) definiatur, *animi habitus naturæ modo atque rationi conſentaneus*. Habitus autem multiplici actuum exercitio comparetur, ac ſtabilis fixuſque ſit; recto ſenſu dici poteſt, nullas eſſe in infidelibus hujuſmodi virtutes, qui & rarò bonis operibus vacant, & ab honeſto agendi fine per concupiſcentiam facilè dimoventur, tametſi aliquando recti aliquid poſſint, ac reverà operentur.

Ib. p. 594. E.

Inſtabis 1. contra primam reſponſionem: S. Auguſtinus non tantùm probat adversùs Julianum, actiones infidelium, quæ fiunt ex perverſo fine, ſeu, ut ipſe loquitur, ſtulta & noxia, id eſt, infideli voluntate, malas eſſe, ſed etiam omnes illorum actiones eo ipſo fieri ex perverſo fine ac ſtulta & noxia voluntate, quo fiunt abſente fide, quæ ſola intentionem rectam dirigit; quod quidem paſſim demonſtrat ſanctus Doctor his rationibus ac momentis:

I. Si quid boni fit in infidelibus, à Deo eſſe; ac infideles illo bono malè uti, quia non ad eum referunt finem, ad quem debent referre, Dei ſcilicet gloriam, ſed ad ſe ipſos ac vanam gloriam & oſtentationem referunt. *Nam*, inquit S. Auguſtinus Lib. 19. de Civitate Dei cap. 25. *licèt à quibuſdam tunc veræ & honeſtæ putentur eſſe virtutes, cùm ad ſeipſas referuntur, nec propter aliud expetuntur; etiam tunc inflatæ ac ſuperbæ ſunt: & ideo non virtutes, ſed vitia judicanda ſunt.*

T. 7. p. 571. A.

II. Quia omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt; ac fides intentionem rectam dirigit.

III. Quia infidelis eſt arbor mala, quæ non poteſt bonos fructus facere.

IV. Inde colligit ac probat, veram non eſſe apud infideles, qui connubii fidem ſervant, pudicitiam conjugalem, quia non ea intentione filios generant, ut ex membris hominis primi fiant membra Chriſti; hoc eſt, quia fide in Chriſtum carent, qua dirigi debent, cùm procreandis filii vacant.

Nec.

Nec poteſt vera eſſe corporis pudicitia, cùm animus à Deo fornicatur. Pariter gentilem, qui ex miſericordiæ affectu nudum cooperuit, *peccare, non quòd per ſeipſum factum, quod eſt nudum operire, peccatum ſit; ſed de tali opere non in Domino gloriari, ſolus impius negat eſſe peccatum.* T. 10. p. 591. C. Ibid. p. 600. F.

℟. Nego ant. Neque enim ſcopus Auguſtini Julianum impugnantis erat, infideles propter ſolam fidei abſentiam ſemper ex pravo fine operari, ſed eos, qui ex pravo fine ac perverſa intentione (quod ſæpiſſimè contingit) operantur, reipſa peccare: idque appoſitè contra errorem Juliani demonſtrat, qui fines ab officiis virtutum non diſtinguebat, ac virtutes ex fine turpes atque deformes, veras eſſe contendebant.

Diſtingui nihilominus poteſt idem antecedens. S. Auguſtinus probat propter ſolam fidei abſentiam rectum non eſſe in infidelibus actionum finem, in ordine ad vitam æternam, concedo: quo ſenſu ait ex fide rectam intentionem dirigi. In ordine ad honeſtatem moralem, ſubdiſtinguo: ut plurimùm, concedo: quia infideles ſæpiſſimè perverſum habent actionum ſuarum finem: ſemper, nego.

Ad primam probationem fatemur, quidquid boni habent infideles, à Deo eſſe: fatemur eos ſæpiſſimè eo dono malè uti: fatemur etiam eos in iis peccare actionibus, quas vel ad ſeipſos, in iis tanquam in fine ultimo poſitivè hærendo, vel ad vanam gloriam & oſtentationem referunt. At contendimus, tales neceſſariò non eſſe infidelium omnes & ſingulas actiones: poſſunt enim rem bonam operari ex ipſo motivo moralis honeſtatis, eam nec ad vanam oſtentationem, nec ad ſeipſos referendo; quam tametſi explicitè ad Deum, quem ignorant, non referant, implicitè ſaltem in eum tanquam omnium bonorum fontem referri ac recidere dicimus. Cùm verò S. Auguſtinus dixit, actiones infidelium idcircò malas eſſe, quòd ad ſuum non referantur auctorem, ſenſus ipſius non eſt, eas idcirco eſſe malas, quòd explicitè ad Deum non referantur, ſed quòd nullatenus, nec explicitè, nec implicitè, referantur, cùm ſupponat eas ex fine perverſo ac ſtulta & noxia voluntate ab illis fieri, ſive ut hominibus, aut ſibi placeant, ſive ut humanas moleſtias devitent, ſive ut dæmonibus ſerviant: quo caſu meritò pronunciat, *non peccata coerceri, ſed aliis peccatis alia peccata ſuperari.* Ibid. p. 281. G.

Ad ſecundam probationem ductam ex verbis Apoſtoli: *Quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, ſuprà jam reſpondimus.

Ad tertiam, diſtinguo. Infidelis eſt arbor mala, quæ non poteſt bonos fructus producere, quando agit ex ſua infidelitate, ſeu formaliter ut mala eſt, concedo: quando non agit ex ſua infidelitate, ſed ex bono fine ac recta intentione, nego. Infidelis eſt arbor mala, ſicut fidelis juſtus eſt arbor bona: quemadmodum igitur homo juſtus non ſemper agit ex juſtitia, ſed aliquando peccat; ita infidelis non ſemper agit ex infidelitate, ſed aliquando boni aliquid moralis operatur.

Ad quartam, manifeſtum eſt ex textu S. Auguſtini, eum loqui de illis infidelibus, qui fidem ſervant conjugalem ob finem perverſum ac intentionem malam: *Vel hominibus placere quærentes*, inquit, *vel ſibi, vel aliis, ſive in his rebus, quæ vitioſè concupiſcunt, humanas moleſtias devitantes, ſive dæmonibus ſervientes.* Non ergo illi præcisè peccant, quòd explicitè ad Deum non referant fidem illam conjugalem: ſi enim omni ex parte iſta perfecta foret, proprio Ibid. F.

ſuo

ſuo quaſi pondere in Deum referretur; ſed idcircò peccant, quia in ſeipſis hærent ac gloriantur. *Infideles parentes*, ait S. Auguſtin. Lib. 1. de nuptiis & concup. c. 4. *de infideli prole gloriantur*. Atque hoc ſenſu meritò dixit ibidem, *veram non eſſe corporis pudicitiam, quando animus à Deo fornicatur*. Vera enim virtus bona eſt, non tantùm ex officio ſeu objecto, ſed etiam ex fine: atqui illa, de qua loquitur, infidelium pudicitia, non erat ex fine bona, imò perverſa; ergo non erat germana ac genuina virtus pudicitiæ: *Virtus quippe*, ait S. Doctor, *in animo reſidet*: quomodo verò reſideret in animo vera pudicitiæ virtus, cùm animus à Deo fornicatur, non tantùm propter inhærentem & habitualem, ſed etiam propter actualem ac ſingularem malitiam, quæ oritur ex intentione mala ac perverſo fine in ſervanda pudicitia conjugali?

Ib. 282. D.

Verùm, inquies, S. Auguſtinus ſæpiſſimè repetit, quæcumque ab infidelibus videntur bona fieri, ea vera eſſe peccata.

Diſtinguo, quando fiunt, ut ſæpiſſimè contingit, ex mala intentione ac fine perverſo, concedo: quando fiunt ex fine honeſto, ſubdiſtinguo: ait peccata eſſe, id eſt, planè inutilia ad regnum cœlorum, concedo: peccata eſſe formaliter ac propriè, adhuc ſubdiſtinguo: ſæpiſſimè, quia rarò contingit infidelem agere ex honeſto fine, concedo: ſemper ac neceſſariò, nego.

Inſtabis 2. contra ſecundam reſponſionem: Julianus concedebat infidelium virtutes ſteriles eſſe ad vitam æternam: ergo incaſſum laboraſſet Auguſtinus ut id obtineret: ergo non modò ſteriles, ſed planè nullas eſſe infidelium virtutes exiſtimabat.

Reſp. Diſtinguo ant. Julianus concedebat virtutes, quæ ex officio dumtaxat, non autem ex fine bonæ ſunt, ſteriles eſſe ad vitam æternam; qua in re Auguſtino illudebat, ut obſervavimus, concedo: concedebat virtutes ex omni parte bonas ac perfectas, ſteriles eſſe, nego. Aut ſaltem cùm id verbo tenus Julianus concedebat, in apertam incidebat abſurditatem & contradictionem, nempe virtutes illas eſſe perfectas, quibus infideles ſimpliciter boni ac juſti dici poſſent; & tamen eas ſteriles eſſe ad vitam æternam.

Ib. pag. 596. E. Inſtabis 3. S. Auguſtinus nullum agnoſcit bonum ſterile. *Fieri non poteſt*, inquit, *ut ſteriliter boni ſimus; ſed boni non ſumus, quidquid ſteriliter ſumus*. Atqui virtutes infidelium reipſa ſteriles ſunt: ergo non ſunt veræ virtutes, ſed falſæ.

Reſp. diſtinguo majorem. S. Auguſtinus nullum agnoſcit bonum ſterile, ad ſenſum Juliani, concedo: ad ſenſum Catholicorum, nego. Julianus, ut mox dictum eſt, volebat 1. bonum opus ad vitam æternam ſterile, dumtaxat bonum eſſe ex objecto, vitioſum autem ex fine: tale verò opus Orthodoxi non bonum, ſed ſimpliciter malum eſſe contendunt, cùm ex fine potiſſimùm æſtimetur moralis actionis rectitudo & honeſtas. Volebat 2. opus ex omni parte bonum, ſterile non eſſe ad vitam æternam, aut ſaltem ex ipſius ſententia id neceſſariò conſequens erat, cùm per opera hujuſmodi diceret hominem ſimpliciter bonum ac juſtum conſtitui. Econtra S. Auguſtinus cum aliis orthodoxis contendebat, hæc infidelium opera, tametſi ex objecto & fine honeſta, nihilominùs ſterilia eſſe ad vitam æternam, *quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, ac, Juſtus ex fide vivit*. Nullus autem infidelis per opera illa humana ſimpliciter bonus ac juſtus dici poteſt.

Diſtinguo min. Virtutes infidelium ſunt ſteriles ad vitam æternam, concedo: ad mer-

Digitized by Google

ad mercedem aliquam temporalem, aut mitiorem in æterna damnatione pœnam ſubeundam, nego.

Inſtabis 4. ex eodem ſancto Doctore (Lib. 4. c. Jul. c. 3.) *ſterilium fructus arborum non ſunt laudandi*; atqui infideles ſunt arbores ſteriles: ergo &c. *Ibid. p. 601. F.*

Reſp. Diſtinguo majorem: quando ſteriles ſunt ad mentem & ſenſum Juliani, id eſt, vel ex officio tantùm, non autem ex fine, bonæ ſunt; vel ſi ex utraque parte bonæ, hominemque ſimpliciter bonum ac juſtum efficiant; tamen ſteriles dicantur, concedo: quando ſteriles ſunt ad ſenſum Orthodoxorum, id eſt, ex omni parte quidem bonæ, ſed ad vitam æternam inutiles, nego. Licèt enim ex hoc capite infideles ſint arbores malæ, nec fructus faciant ad vitam æternam utiles, adeòque nec ſimpliciter laudandos, fructum tamen aliquem ferunt ad mercedem temporalem utilem, eaque ratione utcumque laudandum. *Ibid.*

Inſtabis 5. ex eodem ſancto Doctore ibid. *Si fructus boni ſunt, profectò ſteriles arbores non ſunt.*

Reſp. diſtinguo ant. Si fructus boni ſunt ſimpliciter, qui hominem verè juſtum efficiant vel ſupponant, profectò ſteriles arbores non ſunt, concedo: ſi fructus boni ſunt tantùm ſecundùm quid, & ratione honeſtatis naturalis cui temporalis aliqua merces retribuatur, ſteriles arbores non ſunt, ſubdiſtinguo, non ſunt ſteriles reſpectu hujus mercedis temporalis, concedo: reſpectu vitæ æternæ, ad quam potiſſimùm comparantur, cùm ſteriles ab Auguſtino dicuntur, nego.

Inſtabis 6. ex eodem S. Auguſtino ibid. (n. 25.) *Minùs Fabricius, quàm Catilina punietur, non quia iſte bonus, ſed quia ille magis malus: & minùs impius, quam Catilina, Fabricius, non veras virtutes habendo, ſed à veris virtutibus non plurimùm deviando.* Ergo in Fabricio nulla fuerunt opera bona. Idem dicendum de aliis omnibus infidelibus. *Ib p. 598. A. B.*

Reſp. diſt. conſeq. Nulla in Fabricio fuerunt opera bona, ad ſenſum Juliani modò expoſitum, concedo: ad ſenſum Orthodoxorum, nego. Comparat eò loci S. Doctor Fabricium cum Catilina, aitque, mitiùs puniendum fore Fabricium quàm Catilinam, non quòd Fabricius ſimpliciter bonus ac juſtus fuerit ad mentem Juliani, ſed quòd minùs malus fuerit ipſo Catilina; quia nempe ille ſe fortem exhibuit ad Reipublicæ ſubſidium, & mundanæ gloriæ deſiderium; iſte fortis fuit, non ſolùm ad aucupandam vanam gloriam, ſed etiam ad evertendam Rempublicam.

Inſtabis 7. Fabricius, Scipio & alii infideles nec habuerunt, nec habere potuerunt ſuarum actionum honeſtum finem: quia ex Auguſtino citato cap. 3. Lib. 4. contra Julianum n. 30. eo ipſo quo actio non fit ex motivo fidei, non habet honeſtum finem. Juliano quippe ſic interroganti: *An ſi Gentilis nudum operuerit, quia non eſt ex fide, peccatum eſt?* Reſpondet S. Auguſtinus: *Prorsùs in quantum non eſt ex fide, peccatum eſt.* Atqui Fabricius, Regulus & alii, fidem nec in operibus, nec in cordibus habuerunt: ergo &c. *Ibid. p. 600. E.*

Reſp. nego ant. Ad cujus probationem dico, S. Auguſtinum eodem modo explicandum, quomodo verba Apoſtoli expoſuimus ſuprà. Scilicet illud peccatum eſſe, quod non eſt ex fide, contrariè, id eſt, quod adverſatur motivo fidei, putà quod fit ex vana gloria, ex infidelitate alioque perverſo fine, concedo: quod non eſt ex fide, negativè, id eſt, quod ducitur alio motivo quàm motivo fidei, putà motivo luminis naturalis, nego: lumen enim

natu-

naturale, cùm à Deo ſit, non proponit malum motivum. S. autem Auguſtinus loquitur priori ſenſu, ut patet ex his verbis, quæ ſubjungit: *Non quia per ſeipſum factum, quod eſt nudum operire, peccatum ſit; ſed de tali opere non in Domino gloriari, ſolus impius negat eſſe peccatum.*

Ibid.

Ib. p. 592. A. Inſtabis 8. ex Auguſtino: Qui orat pro infideli, *ut illius voluntati retribuatur pretium, orat ei grande ſupplicium.*

Reſp. diſtinguo ant. Qui orat pro infideli, ut illius voluntati retribuatur pretium ad mentem & ſenſum Juliani, id eſt, voluntati, quæ ex fine mala & perverſa eſt, orat ei grande ſupplicium, concedo: voluntati, quæ fertur in opus tum ex officio, tum ex fine honeſtum, ſubdiſtinguo: ita ut gratiam tanquam præmium huic bonæ voluntati debitum petat, ſicut Julianus cum omnibus Semipelagianis debitum exiſtimabat, ratus naturali ſtudio virtutis nos fidem, cæteraque Dei dona promereri, concedo, ita ut poſtulet tantùm pro illa voluntate præmium aliquod temporale, nego.

Ib. p. 602. E. Inſtabis ex eodem S. Auguſtino: *Sine amore Creatoris nullis quiſquam benè utitur creaturis*. (Lib. 4. c. Julian. c. 3. n. 33.)

Reſp. diſtinguo ant. Nemo poteſt benè uti creaturis, in ordine ad vitam æternam, concedo. *Hoc amore opus eſt*, ait ibid. ſanctus Doctor, *ut bonum beatificum ſit*. In ordine ad virtutem aliquam moralem, nego.

Objicies denique auctoritatem S. Proſperi, carmine de ingratis cap. 16. ubi ſic canit:

Pag. 147. nu. 407.

Omne etenim probitatis opus, niſi ſemine veræ
Exoritur fidei, peccatum eſt, inque reatum
Vertitur, & ſterilis cumulat ſibi gloria pœnam.

℞. S. Proſperum eò loci agere contra Semipelagianos, ac probare ea opera, quæ fidem antecedunt, nullatenus fidem ipſam mereri ac provocare, ſicut illi exiſtimabant. Mentem ſuam diſertè ibidem aperit ſanctus Doctor his verbis cap. 37.

Pag. 171. nu. 779.

Si tamen hæc propria virtute capeſcere quemquam
Poſſe putant, ſive ut dignus labor iſte juvari,
Ingenium meruiſſe ajunt, bona vera petentis:
Creſcere quo cupiunt, minuuntur; proficiendo
Deficiunt; ſurgendo cadunt; currendo recedunt.

Inſtabis: Si homo infidelis poſſet bonum aliquod morale ſuis viribus facere, maximè quia remanſiſſent in natura humana poſt Adæ peccatum aliqua virtutum ſemina, ſicut docebat Caſſianus: atqui hoc ipſum in eo reprehendit S. Proſper Lib. contra Collatorem cap. 13. aliàs 28.

℞. Semina virtutum, ſi propriè accipiantur, nihil aliud eſſe niſi lumen intellectus practici, & inclinatio voluntatis ad bonum proſequendum & malum fugiendum, ut S. Th. docet 1. 2. q. 63. art. 1. Atque hoc modo ſemina virtutum remanſerunt poſt peccatum, nec poſſunt aboleri, niſi homo deſinat eſſe homo: Caſſianus verò, per ſemina virtutum intelligebat ſemina veræ pietatis, id eſt, bonas cogitationes & pia deſideria, quibus homo præparatur ad gratiam. Sic enim de illo refert S. Proſper loco mox citato: *Jam hic quaſi per inſcrutabilem diverſitatem introducitur definitio, qua docetur multos ad gratiam venire ſine gratia, & hunc affectum petendi, quærendi, pulſandi, habere quoſdam de vigilantia liberæ voluntatis.* Ipſe Caſſianus: *Dubitari ergo non poteſt*, in-

Pag. 313. A.

inquit, *ineſſe naturaliter omni animæ virtutum ſemina*. Hanc porrò ſententiam meritò refellit S. Proſper his verbis: *Qui ergo dicit, ſine ullo opere gratiæ, naturaliter omni animæ ſemina ineſſe virtutum, quid laborat oſtendere, niſi de iſtis ſeminibus quædam germina præcedentium Dei gratiam pullulare meritorum?* Pag. 340.C.

Utrùm ſine habituali ſeu ſanctificante Gratia poſſit homo aliquod bonum opus morale perficere?

Negarunt Joannes Vviclef & Hus, quorum inter alios multos hic articulus refertur ac damnatur à Concilio Conſtantienſi an. 1415. ſeſſ. 15. *Ex principiis fidei eſt per ſe notum, quòd quidquid homo in mortali peccato fecerit, peccat mortaliter: Quia*, ait Joannes Hus articulo 16. *ſicut vitium, quod crimen dicitur ſive peccatum mortale, inficit univerſaliter actus hominis vitioſi, ſic virtus vivificat omnes actus hominis virtuoſi.* T. 12. Con. p. 124 E. ibid. p. 130.D.

Lutherani & Calviniſtæ non tantùm hominum peccatorum, ante juſtificationem, ſed etiam Juſtorum opera omnia peccata eſſe affirmant, tametſi Juſtis propter fidem non imputentur. *Conſtituimus ergo extra dubium*, pronunciat audacter Calvinus L. 3. Inſtitutionis c. 14. n. 8. *quod vulgatiſſimum eſſe debet mediocriter in Scripturis exercitato, quæ vel ſummo ſplendore conſpicua ſunt opera in hominibus nondum verè ſanctificatis, tam procul abeſſe à juſtitia coram Domino, ut peccata cenſeantur.*

Inter propoſitiones, quæ Bajo adſcribuntur, & damnatæ ſunt à SS. Pontificibus Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. hæc numero 35. legitur: *Omne quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt.* Recueil des Bulles pag. 18.

Propoſita quæſtio intelligi poteſt vel de bono morali naturalis ordinis, vel de bono ſupernaturali: priori ſenſu, ex dictis ſufficienter manet demonſtrata. Si enim poteſt homo ante fidem aliquod opus moraliter bonum perficere, quantò magis hoc poterit fidelis ante adeptam gratiam habitualem ſeu ſanctificantem? De bono igitur ſupernaturali potiſſimùm hic controverſia inſtituitur: docet autem fides Catholica, hominem ante juſtificantem gratiam poſſe aliquod opus bonum ordinis non tantùm naturalis, ſed etiam ſupernaturalis exercere. Itaque ſit

CONCLUSIO.

Poteſt homo ſine habituali ſeu ſanctificante gratia, bonum aliquod opus morale, ordinis non tantùm naturalis, ſed etiam ſupernaturalis, per gratiam actualem perficere.

Probatur. 1. ex Scripturis, quæ peccatores hortantur & excitant ad pœnitentiam, mutationem morum, ac cordis converſionem, ut nempe in gratiam cum Deo redire poſſint. An verò ad id hortaretur Scriptura, quod ſemper peccatum eſt ac Deo diſplicet? Quis credat? Ezechielis 18. v. 30. *Convertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris.* Danielis 4. v. 24. *Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum.*

Confirmant exempla, quæ in Scripturis referuntur. Publicani Lucæ 18. v. 13. qui ex humili ac demiſſo animo à longè ſtans, ne oculos quidem ad cœlum attollere audebat, *ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus propitius eſto* mihi

mihi peccatori! Cornelii Centurionis, *qui*, ut refertur Actorum 10. *vir erat religioſus ac timens Deum, faciens eleemoſynas multas & deprecans Deum ſemper*. An, quæſo, peccatum fuit humilitas Publicani? An peccavit Cornelius,
T. 10 p. 799. A. cùm eleemoſynas dabat & Deum deprecabatur? Et quidem non *ſine aliqua fide*, ait S. Auguſtinus Lib. de prædeſt. Sanct. cap. 7. nec tamen nondum juſtificantem gratiam adeptus, antequam à Petro myſteriis fidei initiatus & baptizatus fuiſſet.

Probatur 2. ex Conciliis Conſtantienſi, à quo damnatus eſt articulus Joannis Hus antea memoratus. Tridentino ſeſſ. 6. Can. 7. ubi adversùs Novatores
T. 14. Con. p. 765. B. Lutheranos & Calviniſtas ſic ſtatuit: *Si quis dixerit opera omnia, quæ ante juſtificationem fiunt, quacumque ratione facta ſint, vera eſſe peccata, vel odium DEI mereri; aut quantò vehementiùs quis nititur ſe diſponere ad gratiam, tantò eum graviùs peccare, anathema ſit*. Et ſeſſ. 14. cap. 4. pronuntiat, attritionem quæ
ibid. p. 817. D. E. *vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ, non ſolum non facere hominem hypocritam & magis peccatorem; verum etiam donum Dei eſſe, & Spiritus ſancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus, viam ſibi ad juſtitiam parat, & ad gratiam Dei per Sacramentum obtinendam ſe diſponit*. Quod iterum definit Synodus Can. 5. ejuſdem ſeſſionis, addito anathemate adversùs eos, qui contrarium aſſeruerint.

Accedunt SS. Pontifices Pius V. Gregorius XIII. Urbanus VIII. qui relatam Baji Propoſitionem proſcripſerunt.

Probatur denique manifeſta ratione. Tum quia ſola principii corruptio actionem ipſam non inficit, niſi agens ex ſpeciali ſua conditione teneatur eſſe in ſtatu gratiæ ſanctificantis, ut ſunt Sacrorum Miniſtri: tum quia homo peccator non ſemper agit ex corrupto principio, ſicut juſtus non ſemper agit ex dominante juſtitia; unde meritò proſcripta fuit hæc Baji Propoſitio: *In omni-*
Recueil des Bulles pag. 18. *bus ſuis actionibus peccator ſervit dominanti cupiditati*. Tum quia peccato mortali ſemel infectus nuſquam poſſet per veram animi converſionem redire in gratiam cum Deo; nuſquam poſſet præparare ſe ad juſtificationem. Neque enim poteſt homo per actionem malam Deum ſibi conciliare, aut præparare ſe ad gratiam: imò quantò magis niteretur per actus aliquos ad ſanctificantem gratiam pervenire, eò remotior ab ea fieret, quia ſemper per illos actus peccaret: hæc porrò omnia per ſe abſurda eſſe, nemo ſanus non intelligit.

Dices 1. Scriptura opera peccatorum, quæ videntur bona, damnat ac reprobat tanquam vera peccata.

Iſaiæ 1. v. 13. Deus ait: *Incenſum abominatio eſt mihi..... Calendas veſtras & ſolemnitates veſtras odivit anima mea*.

Proverbiorum 15. v. 8. *Victimæ impiorum abominabiles Domino, vota Juſtorum placabilia*.

Matth. 7. v. 18. *Non poteſt arbor mala bonos fructus facere*.

Joan. 9. v. 31. *Deus peccatores non audit*.

Ad Titum 1. v. 15. *Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum, ſed inquinatæ ſunt eorum mens & conſcientia*.

Reſp. Nego ant.

Ad primam probationem ex Iſaia & Salomone Bellarminus Lib. 5. de gratia & libero arbitrio c. 10. reſpondet: *Multùm intereſſe inter ſacrificia & opera mora-*

moralia: nam ut fiat benè opus morale, non requiritur, ut fiat cum deteſtatione peccatorum, vel cum conſcientia pura, quod tamen requiritur ad Sacrificium ritè offerendum. Cujus differentiæ ratio eſt, quia ſacrificium habet pro fine placare & reconciliare Deum, vel ab illo beneficia aliqua impetrare, aut pro acceptis gratias agere: qui autem Deum ſibi reconciliare nititur, & tamen peccata non deteſtatur, nec relinquit, is pugnat cum ipſa ſua actione, nec tam Deum placat, quàm ad iracundiam provocat. Sic etiam qui vult à Deo beneficia impetrare, vel ei pro acceptis gratias agere, & tamen cum eo inimicitiam gerit, eumque offendere, legem ipſius prævaricando, non ceſſat, is Deum non tam honorat, quàm irridet. Quare nihil eſt mirum, ſi ſacrificium ejus Deo non placeat, quippe quod non ritè offertur. At opus morale, ut eleemoſyna in pauperem, non habet pro fine niſi egenti opem ferre, ad quem finem conſequendum nihil pertinet puritas vel impuritas vitæ, & conſcientiæ ejus qui eleemoſynam facit. Hæc Bellarminus. *T. 4. p. 251. col. 2. F.*

Verùm, diſcrimen iſtud, quod Bellarminus ſtatuit inter opera moralia & ſacrificia non ſatis firmum aliis Theologis videtur, ut inde concludatur ad ſacrificium ritè offerendum neceſſe eſſe, ut qui offert, juſtus ſit, aut ſaltem peccata ſua deteſtetur. (De ſacrificiis veteribus hìc loquimur: nemo enim Chriſtianus dubitat, incruentum novæ legis ſacrificium exigere in Sacerdote offerente cordis munditiem ac puritatem.) Namque, inquiunt, ſi quis non attendens omninò ad peccata à ſe commiſſa, quorum nunquam dolorem habuit, Deo offerat ſacrificium tanquam auctori vitæ & mortis, quia id honeſtum & ſecundùm rationem ac legis præſcriptum judicat, nec ullam aliam malam circumſtantiam apponat, is profectò in tali opere non peccat; alioquin, quovis alio opere Religionis etiam peccaret: nam omnis actus Religionis, præſertim votum & gratiarum actio, ad hoc ipſum ſpectare videtur, ut Deum nobis placemus, aut ei gratias agamus. Addunt, opus morale, præſertim miſericordiæ, quod pro ſacrificio, imò præ ſacrificio acceptum Deo eſſe ſolet, ſuapte natura ad impetrandum referri: quia Deus ex gratitudine pro quolibet opere bono retribuere poteſt, ſicut & pro ſacrificio & operibus miſericordiæ ſpeciatim retributio promiſſa eſt; & tamen opus morale non redditur malum, ex eo quòd auctor illius ſit in ſtatu peccati. *Vaſquez in 1. 2. diſp. 191. c. 3.*

℟. Itaque diſtinguo ant. Victimæ impiorum ſunt abominabiles Deo, quando ex pravo fine ac perverſa intentione vitiantur, quales erant victimæ Judæorum, concedo: quando nullo pravo fine vitiantur, ſed fiunt animo Religionis & juxta legis præſcriptum, nego. Porrò plures Judæi præceptis Legis ſuæ apertè repugnantes, exiſtimabant ſibi omnia in tuto eſſe, ac cuncta ſibi licere & impunita fore ſcelera, modò externos ritus ac cæremonias legales obſervarent. Tali fine ac intentione oblata ſacrificia Deus meritò abominabatur, quibus Deum ipſum in partem ſuorum ſcelerum venire, ac mali quaſi auctorem aut approbatorem eſſe ſignificare videbantur; quo nihil iniquius & Deo injurioſum magis excogitari poteſt.

De hujuſmodi verò ſacrificiis, fine ac intentione tam perverſa oblatis, loqui Prophetam, manifeſtum eſt ex adjunctis: *Iniqui ſunt cœtus veſtri*, ait, *& manu veſtræ ſanguine plenæ ſunt*. Quare concludit: *Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis: quieſcite agere perversè*. Illos igitur Judæos in hujuſmodi ſacrificiis ſpem omnem ſuam collocaſſe, poſtpoſitis animi virtutibus, patet ex cap. 7. Jeremiæ, ubi v. 3. dicitur: *Bonas*

nas facite vias veſtras & ſtudia veſtra. Et v. 4. *Nolite conſidere in verbis mendacii, dicentes: Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini eſt:* quaſi ſolo Templo ſalvo ac peracto ſacrificio, neglectis virtutum ſtudiis ac bonis operibus, ipſi nihilominus ſalvi futuri eſſent.

Porrò præciſo fine illo pravo, poterat quis victimas & ſacrificium ex præſcripto legis offerre ſine novo peccato, licèt affectum peccandi nondum depoſuiſſet, aut de peccatis expreſsè non doluiſſet. Quia nempe circumſtantia hæc neceſſaria quidem erat ad fructum ſpiritualem percipiendum, non autem ad novum eo in opere fugiendum peccatum: quandoquidem opus illud, tum ex objecto, tum ex fine bonum erat, eo nempè factum animo ut legi obtemperaretur. Quòd ſi Judæi toties peccaſſent, quoties non depoſito peccandi affectu victimas & ſacrificia obtuliſſent, longè ſatiùs ac conſultiùs ipſis fuiſſet ab illis omninò abſtinere, quod quidem nemo ſanus dixerit.

Ad ſecundam probationem ex cap. 7. S. Matth. diſtinguo: arbor mala formaliter ut mala eſt, agens ex malitia, non poteſt bonos fructus facere, concedo: quatenus non eſt mala, nec agit ex malitia, nego. Peccator eſt quidem arbor mala; & quatenus peccator, non poteſt aliquid boni facere: ſed quatenus homo lumine rationis & recti naturalis amore ductus, nonnihil boni moralis poteſt operari.

Ad tertiam probationem ex cap. 9. S. Joan. obſervat S. Aug. Lib. 2. cont. Epiſt. Parmeniani, id dictum non fuiſſe à Chriſto Domino, ſed à cæco nato nondum interiori lumine fidei colluſtrato: certum quippe eſt multos peccatores, tum in temporalibus, tum in ſpiritualibus interdum à Deo exaudiri. Vel ſi placuerit, diſtingui poteſt propoſitio: Deus non exaudit peccatores, ad illa ſcilicet miracula patranda, quibus ſe ſuamque innocentiam & doctrinam à Deo eſſe comprobent, concedo; agebatur enim eò loci de miraculo, quod Chriſtus (qui tanquam peccator & blaſphemus à Phariſæis habebatur) in gratiam cæci nati operatus fuerat: Deus non exaudit peccatores aliis in rebus, iterum diſtinguo: quando perverſa intentione, aut propter aliquem perverſum finem orant, eſtò: ſecùs, nego. Quamquam & Deus aliquando peccatores exaudit, & ea ipſis concedit, quæ perperam ab ipſo poſtulant: aliquando enim, ait S. Auguſtinus, Deus concedit iratus, quæ negat propitius.

Ad quartam ex cap. 1. Epiſt. ad Titum, jam ſuprà repoſuimus, agendo de operibus infidelium in ſolutione objectionum.

Dices 2. Ille peccat, qui agit ex cupiditate. *Radix enim omnium malorum eſt cupiditas*, ex Apoſtolo 1. ad Timoth. 6. v. 10. atqui peccator ſemper agit ex cupiditate: vel enim agit ex cupiditate, vel ex charitate; nullum quippe medium eſt. Atqui non agit ex charitate, aliàs juſtus foret; ergo ſemper agit ex cupiditate.

℞. Nego min. Ad probationem diſtinguo: Vel agit ex cupiditate, vel ex charitate ſaltem impropriè & latiori quodam ſenſu dicta, hoc eſt, ex aliqua bona voluntate, & aliquo recti & honeſti amore, concedo: agit ex charitate propriè dicta ſeu Theologica, quæ verſatur circa Deum propter ſe ſuper omnia dilectum, nego. Solutio patet ex antedictis; ubi etiam obſervatum fuit, inter vitioſam cupiditatem & laudabilem charitatem nullum quidem dari medium, quantum ad habitum, & ratione ſubjecti, in quo dominatur vel charitas, vel cupiditas, verum eſt; at quantùm ad actum, datur aliquod me-

Digitized by Google

medium inter vitioſam cupiditatem, & laudabilem charitatem propriè dictam ſeu Theologicam, nempe charitas impropriè dicta, ſeu bona voluntas, recti & honeſti amor; qualis eſt in homine etiam pagano, qui ex naturali pietate parentes honorat, & naturali commiſeratione indigenti ſuccurrit.

Utrùm ſine actuali gratia poſſit homo bonum aliquod opus morale naturalis ordinis perficere?

Connexa eſt hæc quæſtio cum præcedenti, tametſi ab ea diſtincta.

Qui cum Bajo & Janſenio exiſtimant, fidem ſupernaturalem ac Theologicam omnium gratiarum primam eſſe, atque ſine illa & ſine charitate propriè dicta, nihil omninò boni moralis fieri poſſe, ii conſequenter aſſerunt, infideles, quibus illa deeſt gratia, nihil boni ac recti poſſe operari; & omnes eorum actiones, vera eſſe peccata; & virtutes, vera vitia: quam doctrinam, judice ipſo Eſtio anteà citato, Scholaſtici ferè omnes communi ſuffragio rejecerunt.

Orthodoxi fatentur quidem cum Synodo Tridentina ſeſſ. 6. de juſtificatione cap. 8. *Fidem eſſe humanæ ſalutis initium, fundamentum & radicem omnis juſtificationis*. Sed agnoſcunt etiam ante fidem, gratias quaſdam ſupernaturales, quæ ad illam diſponant ac præparent, quas S. Auguſtinus appellat quaſdam inchoationes fidei: quapropter meritò damnatas à Clemente XI. Conſtitutione *Unigenitus*, fatentur iſtas Quenellii Propoſitiones XXVI. *Nulla datur gratia niſi per fidem*. XXVII. *Fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum*. T. 14. Conc. p. 760. B.

Præſens igitur controverſia in eo unicè verſatur, utrùm ad quodlibet opus moraliter ex omni parte bonum neceſſaria ſit gratia Dei, ita ut infidelis nullum hujuſcemodi opus perficere poſſit, niſi divinitùs adjuvetur; ac neceſſe ſit eum peccare, ſi gratia fuerit deſtitutus. Affirmant nonnulli, alii negant, alii verò diſtinguunt inter opera, quæ ardua ſunt ac difficilia, ſeu ex objecto, ſeu ex circumſtantiis, & ea quæ facilia ſunt, nullamque adjunctam habent tentationem. Qui verò partem affirmantem ſequuntur, ii ſimul vulgò agnoſcunt, infidelibus, quoties boni aliquid operantur, gratias concedi ad benè agendum neceſſarias.

Duæ verò hic ſunt hæreticorum inter ſe contrariæ pugnanteſque ſententiæ, inter quas media incedit veritas orthodoxa. Conveniunt Catholici omnes in duobus: primùm, non poſſe fieri ulla opera ſolis naturæ viribus, quæ ſint meritoria gratiæ, idque contra Pelagianos: deinde non eſſe peccata, omnia opera, quæ juſtificationem præcedunt, idque contra Lutheranos. Intra hos terminos diſputant aliqui pro libero arbitrio, fortaſsè liberiùs quàm par eſſet, ait Bellarminus, ut Durandus & Gabriel in 2. ſent. diſt. 28. & in 3. diſt. 27. Alii fortaſſe minùs tribuunt eidem libero arbitrio, quàm oporteret, ut Gregorius Ariminenſis, Capreolus in 2. ſent. diſt. 28. L. 5. de Gr. & l. arb. c. 2.

Inter eos qui libero arbitrio minùs tribuunt, aut potiùs qui nihil illi præter peccatum tribuunt, eminent præſertim Bajus & Janſenius.

Bajus docuit Propoſitione 27. inter damnatas à Pio V. *Liberum arbitrium ſine Dei adjutorio non niſi ad peccandum valere*: 37. *Cum Pelagio ſentire, qui boni aliquid naturalis, hoc eſt, quod ex ſolis naturæ viribus ortum ducit, agnoſcit*. 38. *Omnem amorem creaturæ rationalis, aut vitioſam eſſe cupiditatem, quâ mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur; aut laudabilem illam charitatem, quâ per* Recueil des Bulles p. 17. & ſeq.

Digitized by Google

Spiritum ſanctum in corde diffuſa Deus amatur. 65. Non niſi Pelagiano errore admitti poſſe uſum aliquem liberi arbitrii bonum, ſive non malum: & gratiæ Chriſti injuriam facere, qui ita ſentit & edocet.

Janſenius L. 3. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 15. & 16. Baji veſtigia preſſiùs ſequitur, ejuſque doctrinam congeſtis, ut aſſolet, infinitis ex Auguſtino teſtimoniis confirmare conatur. Videtur ille non alio conſilio ac mente opus ſuum ſuſcepiſſe, quàm ut doctrinæ Baji apologiam adornaret: quin memorant nonnulli, Iprenſem Opus ſuum *Baji Apologiam* primùm inſcripſiſſe, ac ſubinde titulum immutaſſe, quòd prævidiſſet concitandam in ſe Romanam indignationem.

Gabriel Vaſques in 1. 2. S. Thomæ diſput. 190. prolixè quæſtionem præſentem verſat. Cap. 2. plures appellat è Schola Theologos, qui docent, nullum opus morale ex omni circumſtantia bonum poſſe fieri ſine aliquo divinæ gratiæ auxilio, quam ſententiam ipſe ſequitur & explicat cap. 12. at ſenſu à Bajo & Janſenio multùm alieno. Iſti quippe, ſine fide ſupernaturali & charitate propriè dicta ſeu Theologica nihil omninò boni fieri poſſe, & quidquid ita fit, verum eſſe peccatum contendunt, non ita Vaſques. Duplex ille diſtinguit auxilii genus; unum, quod ſuapte natura eſt ordinis ſupernaturalis, quale ad opera virtutum infuſarum neceſſarium eſt: aliud, quod ſuapte natura ordinis naturalis eſt, & per cauſas naturales æterna Dei per Chriſtum miſericordia nobis præparetur. Primi generis auxilium neceſſarium eſſe ait ad omne opus virtutum infuſarum; aliud verò ad omne opus morale, quod fit ex omni parte
T. 2. p. 501. col. 1. n. 117. bonum: *Hac diſtinctione auxilii, ſuapte natura ordinis ſupernaturalis, & naturalis, ſcilicet per cauſas naturales, ...uſus ſum*, ait Vaſques, *an.* 1580. *dum hanc materiam de gratia Compluti docerem, tam ad vincendas tentationes, quàm ad opera moralia facienda: & poſtea anno* 1586. *explicans materiam de Prædeſtinatione in noſtro Collegio Romano, eamque Cardinalis noſter Bellarminus probavit.*

Auxilium porrò illud naturalis ordinis, tametſi per Chriſtum nobis conceſſum, conſiſtit in ſingulari Dei protectione ac providentia, qua removentur peccandi occaſiones, ardor concupiſcentiæ ac tentationum minuitur, ſubſtra-
Ibid. p. 505. col. 1. n. 131. huntur externa objecta & exempla, quibus ad malum incitamur, alia verò proponuntur, quibus amor virtutis accenditur. *Opus inſigne virtutis moralis*, ait Vaſques citato cap. 12. *eo ſolùm dicitur fieri ex auxilio gratiæ per Chriſtum, quia excitatur lumen naturale ad cogitandum de opere illo faciendo, præſertim verò, quia ita excitatur, ut congruat arbitrio, & ipſum ad opus bonum excitet.* Hæc Vaſques, qui cap. 18. ejuſdem diſputationis 190. diluens objectionem, quæ ex Bulla Pii V. adversùs Bajum, fieri poſſet contra ſuam ſententiam, reſpondet Baji Propoſitiones circa præſens argumentum damnatas fuiſſe, non propter errorem & falſitatem, ſed propter acrimoniam cenſuræ, qua Bajus ſibi contrariam opinionem velut errorem Pelagianum perſtringebat, quod certè multis ſcan-
Ibid. p. 516. col. 2. n. 176. dalo & offenſioni fuit. *Non dubito*, ait Vaſques ibidem, *propoſitiones, quas memoravimus, ſicut etiam multas alias continentes acre judicium, quo Doctor ille* (Bajus) *aliorum opiniones criminabatur, damnari tantùm, ut ſcandalo & offendiculo patentes, & hac ratione ſolùm prohiberi: nam & audacia, nimiaque arrogan-*
Pag. 517. col. 1. n. 179. *tia in aliorum ſententiis malignè vellicandis ac lacerandis, non parum ſcandali afferre ſolet, à quo docti & prudentes Theologi in ſuis ſcriptis abſtinere deberent.*

Addit ibidem Vaſques, ſenſum hujus cenſuræ Pontificiæ, qualem expoſuit,

ſe

ſe contuliſſe cum illuſtriſſimo Domino Cardinali Franciſco Toleto, cùm adhuc ſacri Palatii Concionator & Theologus eſſet anno 1586. *quique Lovanium pro illa damnatione recipienda miſſus fuit, eumque*, inquit, *probavit & germanum eſſe dixit, propriaque manu ſubſcripſit, cujus ſubſcriptionis exemplar apud me adhuc eſt*.

Communior ſcholæ ſententia eſt S. Thomæ 1. 2. q. 109. art. 2. ubi tria docet.

Primum, hominem innocentem & integrum potuiſſe per ſua naturalia, velle & operari bonum ſuæ naturæ proportionatum.

II. Hominem lapſum non poſſe per ſolas naturæ vires operari quodlibet bonum morale ordinis naturalis, nec conſequenter omnia legis naturæ præcepta obſervare & omnes ſuperare tentationes.

III. Non ita extinctum eſſe in homine lapſo lumen naturale ac quemlibet boni ac recti amorem, quin ſola duce natura poſſit bonum aliquod morale, ſaltem facile & cùm nulla pulſat tentatio, perficere. Videtur hæc eſſe Bellarmini ſententia Lib. 5. de Gratia & libero arbitrio c. 5. & ſequentibus. Sit itaque

PRIMA CONCLUSIO.

In ſtatu naturæ innocentis & integræ, potuiſſet homo quodlibet bonum naturalis ordinis operari ſine ſpeciali auxilio gratiæ.

Probatur auctoritate S. Thomæ loco mox citato: *In ſtatu naturæ integræ*, inquit, *quantùm ad ſufficientiam operativæ virtutis poterat homo per ſua naturalia, velle & operari bonum ſuæ naturæ proportionatum, quale eſt bonum virtutis acquiſitæ, non autem bonum ſuperexcedens, quale eſt bonum virtutis infuſæ*.

Ratio eſt, quia facultas libera & non impedita ferri poteſt in quodlibet objectum ſibi proprium & proportionatum: atqui in ſtatu naturæ innocentis facultas hominis ſeu virtus operativa, ut loquitur S. Thomas, liberrima erat, & nullatenus impedita; ergo &c.

Dices ex S. Auguſtino L. de natura & gratia cap. 26. n. 20. *Sicut oculus corporis etiam pleniſſimè ſanus, niſi candore lucis adjutus, non poteſt cernere; ſic homo etiam perfectiſſimè juſtificatus, niſi æterna luce juſtitiæ divinitus adjuvetur, rectè non poteſt vivere*. *T. 10. p. 140. A.*

Et ex Concilio Arauſicano 2. can. 19. *Natura humana etiam ſi in illa integritate, in qua condita eſt, permaneret, nullo modo ſeipſam Creatore ſuo non adjuvante ſervaret*. *T. 4. Cs. p. 1670. B.*

℞. Tum S. Auguſtinum, tum Concilium Arauſicanum loqui de bono ſupernaturali, quod tendit ad vitam æternam; concluſio verò noſtra, de bono naturalis ordinis conceptis verbis loquitur: ergo ſcopo noſtro ac præſenti inſtituto aliena eſt nec accomodata objectio.

Eſt autem veriſſima Auguſtini ſententia, nullum planè opus, quod ad veram pietatem ac vitam æternam pertineat, fieri poſſe ſine ſpeciali auxilio gratiæ. *Liberum arbitrium dicimus ad benè pièque vivendum non valere*, inquit L. 2. c. 5. n. 9. contra duas Epiſtolas Pelagianorum, *niſi ipſa voluntas hominis Dei gratia fuerit liberata, & ad omne bonum actionis ſermonis, cogitationis adjuta*. Et Lib. de prædeſt. SS. c. 2. n. 5. ait: *Quod pertinet ad religionem atque pietatem, non ſumus idonei cogitare aliquid quaſi ex nobiſmetipſis, & nemo ſibi ſufficit ad incipiendum*. *T. 10. p. 436 E. Ibid. p. 792. E.*

Digitized by Google

Non alium eſſe Canonis Arauſicani ſenſum, oſtendunt iſta verba quæ ſequuntur: *Unde cùm ſine gratia Dei ſalutem non poſſit cuſtodire, quam accepit, quomodo ſine Dei gratia poterit reparare, quod perdidit?*

T.4.Ct. p. 1670. B.

SECUNDA CONCLUSIO.

Homo lapſus non poteſt quodlibet bonum morale ordinis naturalis etiam quoad ſubſtantiam operari, adeoque nec univerſa legis naturæ præcepta implere ſine ſpeciali auxilio gratiæ.

Probatur ex ſancto Thoma loco mox citato: *In ſtatu naturæ corruptæ*, inquit, *etiam deficit homo ab hoc quod ſecundùm ſuam naturam poteſt, ut non poſſit totum hujuſmodi bonum implere per ſua naturalia.*

Ratio eſt, quia licet liberum arbitrium per peccatum Adami extinctum non ſit, viribus tamen multùm attenuatum eſt ac infirmatum, nec par tot naturæ præceptis obſervandis, præſertim cùm tot graves undequaque premant tentationes, quibus ſuperandis natura ſola non ſufficit.

Videtur hæc ſententia propiùs accedere ad mentem & modum loquendi Scripturarum, quæ paſſim docent legis obſervationem tribuendam eſſe gratię Dei. Ezechielis 36. v. 27. *Spiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis.* Rom. 8. v. 3. *Quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem; Deus Filium ſuum miſit, in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, ut juſtificatio legis impleretur in nobis.* Quo loco S. Paulus apertiſſimè docet, impoſſibilem fuiſſe legis obſervationem ſine gratia Dei, idque propter carnis infirmitatem, quia natura corrupta infirma facta erat; & ideo miſſum fuiſſe Filium Dei, ut per ipſum poſſibile fieret, quod alioqui impoſſibile erat: nec dubium eſt, quin loquatur de præceptis naturalibus ſive moralibus, cùm in ſpecie diſſerat de præcepto, *Non concupiſces.*

Idem etiam Apoſtolus legem Divinam moralem & naturalem vocat legem peccati & mortis, ad Rom. 8. Item 2. ad Corinth. 3. ait litteram occidere, quia demonſtrando quid ſit faciendum, & non præbendo vires naturæ infirmæ, prævaricatorem hominem conſtituit, & reum peccati & mortis. Addit ad Rom. 8. Spiritum vitæ, quem habemus à Deo per Chriſtum, liberaſſe nos à lege mortis, quia per gratiam Spiritus legem implemus, quam per vires naturæ & legis litteram implere nunquam potuiſſemus. Unde 2. Corinth. 3. v. 6. ait: *Littera occidit, Spiritus autem vivificat.*

Neque eſt quòd dicas, hæc omnia teſtimonia ſolùm probare, non poſſe legem obſervari perfectè & quoad modum, non autem non poſſe obſervari quoad ſubſtantiam operis. Namque obſervatio ſecundùm ſubſtantiam operis requirit, ut ſic præceptum obſervetur, ut peccatum non committatur, & non fiat homo reus ob præceptum non impletum: Scripturæ autem allegatæ apertiſſimè docent, non poſſe legem ſine Dei gratia ita obſervari, ut non peccetur; ideo enim vocant legem, ſine gratia adjuvante, legem peccati & mortis, virtutem peccati, litteram occidentem &c. Et idcircò Apoſtolus ad Galat. 3. v. 22. ait: *Concluſit Scriptura omnia ſub peccato, ut promiſſio ex fide JESU Chriſti daretur credentibus.* Hæc Bellarminus L. 5. de Gratia & libero arbitrio c. 5.

Deinde ſunt inter præcepta moralia, nonnulla difficilia & ardua: tale eſt mandatum continentiæ, de quo legimus Sap. 8. v. 21. *Scivi, quoniam aliter non poſ-*

Digitized by Google

poſſem eſſe continens, *niſi Deus det*; *& hoc ipſum erat ſapientiæ*, *ſcire cujus eſſet hoc donum: adii Dominum*, *& deprecatus ſum illum*, *& dixi ex totis præcordiis meis*. Et 1. ad Corinth. 7. Beatus Paulus Dei donum eſſe dicit, non ſolùm continentiam Virginum & Viduarum, ſed etiam conjugatarum. *Unuſquiſque*, ait v. 7. *proprium donum ſuum habet ex Deo*, *unus quidem ſic*, *alius autem ſic*.

Pariter præceptum dilectionis Dei ſuper omnia ſaltem ut Auctoris naturæ, morale eſt & naturale, ſicut & præceptum reſiſtendi concupiſcentiæ illicienti ad varia peccata contra præcepta moralia: atqui ſolis naturæ viribus præcepta hæc obſervari non poſſunt, quæ tum ex objecto, tum ex circumſtantiis difficultatem plurimam patiuntur; nihil enim arduum magis & ſupra hominem poſitum, quàm ut Deum ſuper omnia diligat, ſeipſum renuntiet, & bellum perpetuò ſuis cupiditatibus inferat: ergo neceſſaria ipſi eſt gratia ſpecialis, ut naturalia & moralia præcepta obſervet & impleat. Verùm de hoc argumento rursùs paulò poſt.

Dices: Præcepta legis naturæ, ideo naturalia dicuntur, quia proportionem habent ad vires naturæ; igitur naturæ viribus ſervari poſſunt.

℞. Nego conſeq. Natura quippe humana infirmata eſt ac multùm per originale peccatum depreſſa: unde ſola jam non poteſt, quod potuiſſet ſana; tametſi præcepta quoad ſubſtantiam conſiderata, ſemper cum illa proportionem habeant. Quemadmodum poteſt homo per morbum debilitatus, breve aliquod iter ſolus; at non poteſt niſi adjutus longum ac difficile perficere.

TERTIA CONCLUSIO.

Poteſt homo lapſus aliquod bonum opus morale naturalis ordinis facere ſine ſpeciali auxilio gratiæ, quando nulla ſaltem gravis urget tentatio.

Probatur 1. auctoritate & ratione ſancti Thomæ 1. 2. q. 109. art. 2. in corpore: *Quia tamen*, ait Angelicus Doctor, *natura humana per peccatum non eſt totaliter corrupta*, *ut ſcilicet toto bono naturæ privetur*, *poteſt quidem etiam in ſtatu naturæ corruptæ per virtutem ſuæ naturæ aliquod bonum particulare agere ..... non tamen totum bonum ſibi connaturale*; *ita quòd in nullo deficiat*: *ſicut homo infirmus poteſt per ſe ipſum aliquem motum habere*, *non tamen perfectè poteſt moveri motu hominis ſani*, *niſi ſanetur auxilio medicinæ*.

Neque verò eſt quòd excipiat quiſpiam, 1. S. Thomam in exemplum boni operis, quod abſque gratia fieri poteſt, proferre operationes artium, ut ædificare domos, plantare vineas &c. quæ profectò pertinent ad bonum ordinis phyſici, non autem moralis, de quo hìc agitur. 2. Eumdem Angelicum Doctorem citato mox loco expreſsè affirmare, hominem, in quocumque ſtatu ſit, *indigere auxilio Divino*, *ad faciendum vel volendum quodcumque bonum*.

Namque 1. cùm ſanctus Doctor adducit in exemplum phyſicas artium operationes, non excludit, imò ſupponit operationes morales: tum quia loquitur de homine, qui, ut oportet & quando oportet, ea artium opera exercet, id eſt, ex debito fine & in legitimis circumſtantiis: tum quia loquitur de eodem bono reſpectu naturæ lapſæ, ac naturæ integræ & innocentis; at bonum iſtud morale eſt. 2. Auxilium, quod ibidem requirit S. Thomas, eſt auxilium, ut ipſe vocat, *primi moventis*, quod certè ad omnem, cujuſcumque ordinis ſit, hominis actionem ſemper neceſſarium eſt: ſi actio fuerit naturalis, moralis

ac facilis, requiritur auxilium generale, ſeu concurſus Dei generalis: ſi actio ſupernaturalis fuerit, vel naturalis, ſed ardua & difficilis, ſive ex objecto, ſive ex circumſtantiis, requiritur auxilium ſpeciale ordinis ſuperioris.

Quòd verò S. Thomas non requirat auxilium ordinis ſuperioris pro quocumque opere bono morali ac facili, demonſtrant hæc ipſius verba jam laudata: *Poteſt homo per virtutem ſuæ naturæ aliquod bonum particulare agere*. Ubi certè *virtutem naturæ* non opponit auxilio naturali, ſeu generali Dei concurſui, ſed auxilio vel ſupernaturali, vel naturali quidem, ſed ſpeciali & indebito.

Recueil des Bulles pag. 17. Probatur 2. ex cenſura Romana hujus 27. Propoſitionis Baji: *Liberum arbitrium ſine adjutorio Dei nonniſi ad peccandum valet*. Quæ certè Propoſitio nuda & ſimplex eſt, abſque ulla, ut per ſe patet, oppoſitæ ſententiæ acerbitate cenſuræ: ergo non propter illam cenſuræ acerbitatem, (quod de Propoſitionibus 37. & 65. dicit Vaſques) ſed propter falſitatem damnata fuit. Porrò ex illa dictæ Propoſitionis cenſura, illud neceſſariò ſequi videtur, liberum nempè arbitrium poſſe ſine ſpeciali adjutorio Dei aliquod opus bonum morale perficere.

Namque SS. Pontifices eos damnant, qui aſſerunt, liberum arbitrium ſine adjutorio Dei nonniſi ad peccandum valere; ergo ſupponunt liberum arbitrium ſine adjutorio Dei aliquid poſſe, quod verum non ſit peccatum: hoc eſt, aliquod opus ex officio & ſine bonum & honeſtum; ſiquidem inter opus morale bonum, vel malum, non datur medium, præſertim in opinione adverſa, quæ nullos agnoſcit actus indifferentes in individuo.

Probatur 3. Concluſio iiſdem omninò momentis, quibus paulò ſuperiùs oſtendimus, poſſe hominem & aliquod verum ſeu ſpeculativum, ſeu practicum, ſine ſpeciali gratia cognoſcere; & infideles abſque fide, aliquod opus morale ex omni parte bonum exercere: momenta illa huc revocanda ſunt, ne ſæpiùs eadem repetere teneamur.

Solvuntur Objectiones contra tertiam concluſionem.

Omitto ea hìc referre tum Scripturæ, tum ſancti Auguſtini benè multa teſtimonia, quibus opus bonum divinæ gratiæ adſcribunt. Jam quippe non ſemel monuimus, intelligenda illa eſſe de bono ſupernaturali, quod ad veram pietatem & vitam æternam pertineat; quod quidem ſine ſpeciali gratia fieri non poſſe, docet fides Catholica adversùs Pelagianos.

Objicies itaque 1. Bonum morale etiam naturalis ordinis, vel ſit per gratiam, vel per legem: atqui fieri non poteſt per legem, *Lex enim iram operatur*. Et: *Ubi non eſt lex, nec prævaricatio*, ait Apoſtolus Rom. 4. v. 15. Et cap. 5. v. 20. *Lex ſubintravit, ut abundaret delictum*. Id ipſum ſexcentis in locis affirmat S. Aug. Epiſtola ad Vitalem 217. cap. 3. n. 12. aliàs 107. *Agnoſcamus*, inquit, *gratiam, quæ facit prodeſſe doctrinam; quæ gratia ſi deſit, videmus etiam obeſſe doctrinam*. T. 2. p. 803. E.

Et ſermone de verbis Apoſtoli 163. aliàs 3. cap. 10. *Vis videre*, inquit, *quid valeat ſine ſpiritu adjuvante littera jubens..... virtus peccati lex: quia ſubintravit lex, ut abundaret delictum. Quid eſt, ut abundaret delictum? Quia ubi gratia non erat, auxit prohibitio deſiderium: & cùm quaſi de propria præſumitur virtute, factum eſt grande vitium*. Hæc & plura hujuſmodi congerit Janſenius L. 3. de Gratia Chriſti cap. 5. 6. 7. 8. & 9. Et L. 3. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 15. cui titulus: *Oſtenditur non poſſe unum opus legis fieri ante gratiam*. T. 5. p. 758. C. T. 2. p. 203. col. 1.

Reſp.

Reſp. Diſtinguo min. Per legem impleri non poteſt omne & quodlibet opus legis ſine gratia, concedo: nullum omninò opus legis, ſubdiſtinguo: quod pertineat ad veram pietatem & vitam æternam, concedo: quod pertineat dumtaxat ad moralem honeſtatem, iterum diſtinguo: quando gravis aliqua urget tentatio, concedo: ſecùs, nego.

Ad probationem ex Apoſtolo, diſtinguo: lex iram operatur per accidens, concedo: nam pro ea, quæ in nobis eſt, humani cordis diſpoſitione ac congenita ſuperbia, ferè ſemper nitimur in vetitum, cupimuſque negata: lex iram operatur per ſe, nego. Nam ex Apoſtolo Rom. 7. v. 12. *Lex quidem ſancta; & mandatum ſanctum, juſtum & bonum*. Eodem ſenſu lex dicitur littera occidens, nempe per accidens, quia per legem cognitio peccati, & ex cognitione peccati accenditur ut plurimùm in nobis deſiderium illud perpetrandi. *Peccatum non cognovi niſi per legem*, ait Apoſtolus ibid. v. 7. *nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret: Non concupiſces. Occaſione autem accepta, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam.*

Pariter lex ſubintravit, ut abundaret delictum, non quòd hic ſit ſcopus legis & intentio Legislatoris, abſit; *ſed lex ſubintravit, ut abundaret delictum*, ait S. Aug. Epiſtola 157. aliàs 99. ad Hilarium cap. 3. n. 16. *ſive cum homines negligunt, quod Deus jubet, ſive cum de ſuis viribus præſumentes, adjutorium gratiæ non implorant, & addunt infirmitati ſuperbiam. Cùm autem vocatione Divina intelligunt, cur ſit ingemiſcendum, & invocant eum in quem credunt.... fiet quod ſequitur: Ubi abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia.* *T. 2. p. 549. D.* *Ibid. F.*

Appoſitè ad hunc ſenſum S. Joannes Chryſoſtomus hom. 10. in Epiſtolam ad Roman. cap. 6. obſervat, particulam, *ut*, in citato Apoſtoli loco, non cauſam, ſed eventum denotare. *Vox hæc, Ut, inquit, non cauſam dicit, ſed rei eventum denotat. Neque enim lata lex eſt, ut abundaret, ſed lata quidem, ut minueret, & tolleret peccatum: evenit autem ſecùs, non à legis natura, ſed ab eorum ignavia & ſocordia, qui legem accepere.* *Ed. Commel. pag. 101.*

Sanctus verò Auguſtinus locis citatis hoc unum intendit adversùs Pelagianos, gratiam ſcilicet legis ac doctrinæ non ſufficere ad legis univerſæ obſervationem; atque Chriſtum gratis veniſſe & mortuum, ſi lex per legem impleri poſſet: adeoque neceſſariam eſſe gratiam, qua voluntas adjuvetur ad legem, ut oportet, adimplendam. *Lex enim*, ait S. Auguſtinus Lib. 1. ad Simplicianum q. 1. n. 15. *auget concupiſcentiam ex prohibitione, & reum obligat ex prævaricatione, jubendo quod implere homines ex infirmitate non poſſunt, niſi ſe ad Dei gratiam pietate convertant.* Non tantùm verò legem univerſam, ſed ne unum quidem legis præceptum obſervari poſſe, ut oportet ad vitam æternam, demonſtrat invictè ſanctus Doctor contra Pelagianos: at non negat, quod unum hic contendimus, quin aliquod legis naturalis mandatum ex honeſto fine poſſit obſervari ſine ſpeciali gratia, ita ut reus ille non ſit peccati, qui v. g. eleemoſynam indigenti porrigit, aut parentes honorat, ex miſericordia & pietate quadam naturali. *Tom. 6. pag. 86. D. E.*

Inſtabis: Si conceſſiſſet S. Auguſtinus, vel unum opus legis fieri poſſe ſine ſpeciali gratia, omnem argumentorum ſuorum adversùs Pelagianos molem ſubvertiſſet.

Reſp. Neg. conſeq. Pelagiani quippe contendebant univerſam legem obſervari, omnes tentationes ſuperari, omniaque peccata vitari poſſe ſine gratia ſpecia-

ſpeciali: contendebant & per opera ſolis naturæ viribus elicita, hominem
pervenire poſſe ad vitam æternam, quem errorem meritò repreſſit S. Aug.
Porrò error ille nihil prorsùs commune habet cum doctrina concluſionis no-
ſtræ, quæ nec de omni opere bono, ſed de aliquo dumtaxat, eoque facili,
cùm nulla gravis pulſat tentatio, loquitur; nec de illo quod pertineat ad vi-
tam æternam, ſed tantùm ad moralem honeſtatem ordinis naturalis.

Objicies 2. cum Janſenio L. 3. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 15. Sub lege
& ante gratiam homo ita infirmus eſt, ut nequidem pugnare poſſit cum
ſua concupiſcentia, ſed ipſi ſemper obſequatur: quòd ſi uni reſiſtat, al-
teri cedit; & unum peccatum nonniſi alio peccato declinat: ergo ſine ſpe-
ciali gratia homo ſemper peccat.

Reſp. Diſtinguo ant. Quando ardentior eſt concupiſcentia, vel gravis urget
tentatio, concedo: ſecùs nego. Diſtinguo pariter iſtam propoſitionem: Ho-
mo ſine gratia unum peccatum non ſuperat niſi per aliud peccatum, ut pluri-
mùm & quando tentatio premit, concedo: ſemper, iterum diſtinguo: quan-
do unum peccatum ex pravo aliquo fine vult declinare, v. g. intemperantiam
ex vana gloria, aut ex alia vitioſa cupiditate, concedo, ſi nullum (quod fie-
ri poteſt) ſibi perverſum finem proponat in aliquo peccato declinando, aut
aliquo bono morali exercendo, vel nulla urgeat tentatio, nego. Porrò S.
Auguſtinus in iis locis, quæ refert Janſenius, loquitur de homine indurato
& excæcato, in quo ardentior fervet ac dominatur concupiſcentia, quam ne-
T. 6. p. 300. G. quidem ut hoſtem & inimicam agnoſcit. *Hanc pugnam*, ait S. Aug. L. de conti-
nentia cap. 3. n. 7. *non experiuntur in ſemetipſis niſi bellatores virtutum debella-
toreſque vitiorum: nec expugnat concupiſcentiæ malum, niſi continentiæ bonum.
Sunt autem qui legem Dei omninò neſcientes, malas concupiſcentias nec in hoſtibus
deputant, eiſque miſerabili cæcitate ſervientes, inſuper etiam beatos ſe putant,
Rom. 7. ſatiando eas potiùs quàm domando.* Et Lib. 1. ad Simplic. q. 1. n. 9. exponens iſta
v. 16. verba Apoſtoli: *Si autem quod nolo, hoc facio, conſentio legi. Loquitur*, ait
Ib. pag. S. Auguſtinus, *adhuc ex perſona hominis ſub lege conſtituti, nondum ſub gratia,*
84. E. *qui profectò trahitur ad malè operandum concupiſcentia dominante, atque fallente
dulcedine peccati prohibiti.* Quis porrò negat hujuſmodi hominibus neceſſa-
riam prorsùs eſſe gratiam, ut ardentiori concupiſcentiæ reſiſtere valeant?
Tom. 5. *Cùm* (Deus) *deſeruerit*, ait idem ſanctus Doctor ſerm. 57. in Matth. aliàs
pag 335. 9. de diverſis, c. 9. n. 9. *invenit quid faciat tentator. Non enim invenit adversùs
A. ſe luctatorem, ſed continuò illi ſe exhibet poſſeſſorem, ſi deſerat Deus..... Quia ſine
Ibid. D. dubio vinceris, ſi illum adjutorem non habueris, ſi te deſeruerit; ideo ponis in Ora-
tione: Ne nos inferas in tentationem.*

Denique agit S. Auguſtinus de iis, qui unam cupiditatem alia ſuperant,
quos profectò peccati reos eſſe nemo diffitetur. *Planè magna diſtantia eſt*, inquit
S. Auguſtinus L. 3. contra duas Epiſtolas Pelagianorum ad Bonifacium cap.
Tom. 10. 4. nu. 11. *quòd faciunt iſta ſub lege poſiti, quos littera occidit, terrenam felici-
p. 463. tatem vel cupiditate adipiſcendi, vel timore amittendi: & ideo non verè faciunt;
D. quoniam carnalis cupiditas, qua peccatum commutatur potiùs vel augetur, cupi-
ditate alia non ſanatur.* Porrò falsò ſupponit Janſenius, hominem ſine ſpe-
ciali gratia, nulla ſaltem gravi tentatione urgente, unam cupiditatem, &
unum peccatum per aliud ſemper ſuperare.

Objicies 3. cum eodem Janſenio c. 15. & 16. L. 3. de ſtatu naturæ lapſæ:
Qui

Digitized by Google

Qui agit ex timore pœnæ, non ex amore juſtitiæ; ex cupiditate, non ex charitate, ille peccat: atqui abſente gratia homo agit ex timore pœnæ, non ex amore juſtitiæ; ex cupiditate, non verò ex charitate; ergo abſente gratia homo ſemper peccat.

Major propoſitio aperta videtur eſſe S. Auguſtini doctrina multis in locis
L. de natura & gratia cap. 57. n. 63. *Qui timore ſupplicii*, ait, *non amore* Ib pag.
juſtitiæ ſe ſentit abſtinere ab opere peccati, nondum liber nec alienus à voluntate 156. C.
peccandi. In ipſa enim voluntate reus eſt, quà mallet, ſi fieri poſſet, non eſſe quod
timeat, ut liberè faciat quod occultè deſiderat. Et Lib. de ſpiritu & litt. c. 8. n. 13.
Quicumque faciebant quod lex jubebat, non adjuvante ſpiritu gratiæ, timore pœ-
næ faciebant, non amore juſtitiæ: ac per hoc coram Deo non erat in voluntate,
quod coram hominibus apparebat in opere, potiuſque ex illo rei tenebantur. Ibid. p.
Deniquè, ut alia benè multa hujuſmodi loca ſileamus, Epiſtola 145. aliàs 144. 92. A.
n. 4. *Inaniter putat victorem ſe peccati, qui pœnæ timore non peccat, quia etſi*
non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipſa tamen mala cupiditas intùs eſt
hoſtis.... ac per hoc in ipſa voluntate reus eſt, qui vult facere, quod non licet T. 2. pag.
fieri, ſed ideo non facit, quia impunè non poteſt fieri. Nam quantum in ipſo eſt, 470. G.
mallet non eſſe juſtitiam peccata probibentem atque punientem.... Tantum porrò quiſ- pag. 471. A.
que peccatum odit, quantum juſtitiam diligit, quod non poterit lege terrente per lit-
teram, ſed ſpiritu ſanante per gratiam. Ibid. C.

Minor verò propoſitio nou minùs clarè ex Auguſtino probatur in Enchiri-
dio ad Laurentium cap. 118. *Regnat*, inquit, *carnalis cupiditas, ubi non eſt*
Dei charitas. Et Lib. 2. de peccat. mer. & rem. cap. 18. n. 30. *Mirum*, inquit,
ſi voluntas poteſt in medio quodam ita conſiſtere, ut nec bona nec mala ſit. Tom. 6.
Aut enim juſtitiam diligimus, & bona eſt.... aut ſi omnino non diligimus, non pag. 240. F.
bona eſt. Quis verò dubitet dicere, voluntatem nullo modo juſtitiam diligen- T. 10. p.
tem, non modò eſſe malam, ſed etiam peſſimam voluntatem? 56. B.

Porrò in phraſi Auguſtiniana bona voluntas eſt charitas. L. de Gratia
Chriſti cap. 21. n. 22. *Quaſi verò*, ait, *aliud ſit bona voluntas quàm chari-*
tas, quam Scriptura nobis eſſe clamat ex Deo, & Patre datam, ut filii ejus Ibid. p.
eſſemus. Paulò antè dixerat: *Cùm ergo peccat homo, non ſecundùm charita-* 337. G.
tem, ſed ſecundùm cupiditatem peccat, ſecundùm quam non eſt natus ex Deo. Ibid. F.

Reſp. Diſtinguo maj. Qui agit ex timore pœnæ ſerviliter ſervili, eo ſcilicet qui affectum & voluntatem peccandi ſaltem actualem non excludit, ſed ſupponit, ille peccat, concedo: qui agit ex timore pœnæ ſimpliciter ſervili, qui nempe actualem peccandi voluntatem excludit, nego. Diſtinguo pariter iſtam propoſitionem: qui agit ex cupiditate actuali ſeu actu in opus influente, ille peccat, concedo: ex cupiditate duntaxat habituali in ipſum opus non influente, nego. Iſtam verò propoſitionem: Quod non fit ex charitate, peccatum eſt, prorsùs negamus tanquam falſam & erroneam, ſive intelligatur de charitate habituali, ſive de actuali. Certum quippe eſt, hominem peccato mortali implicatum, adeoque charitate habituali ſeu gratia ſanctificante deſtitutum, aliqua bona opera interdum exercere, aliàs ad deperditam juſtitiam ſe præparare, eamque recuperare nunquam poſſet. Certum non minùs, actus timoris ſupernaturalis, ſpei, & aliarum virtutum infuſarum, qui non ſunt à charitate actuali, bonos eſſe, rectos ac laudabiles, neque vera eſſe peccata.

cata. Certum denique, neque charitatem, neque cupiditatem habitualem ſemper in actus conformes influere, aliàs nec juſtus unquam peccaret, nec peccator quidquam boni operaretur.

Porrò ſanctum Auguſtinum locis adductis loqui de timore ſerviliter ſervili, qui actualem peccandi voluntatem fovet & includit, ſolus ille negare poteſt, qui verba ſancti Doctoris non intelligit. Quid enim ſignificant iſta? *In ipſa voluntate reus eſt, qui vult facere quod non licet fieri; ſed ideo non facit, quia impunè non poteſt fieri.* Niſi actualem peccandi voluntatem, quę tamen ab opere externo prohibito abſtinet propter timorem pœnæ.

Quòd verò ſanctus Doctor agnoſcat pœnæ timorem rectum ac laudabilem, qui actualem peccandi voluntatem excludat, qualem Synodus Tridentina ſeſſ. T 5 pag. 1341. F. 14. de pœnit. cap. 4. approbat, patet ex ſermone 348. aliàs 214. de tempore cap. 1. ubi ſic loquitur: *Cùm timetur pœna, quam* (Deus) *minatur, diſcitur amari præmium, quod pollicetur: ac ſic per timorem pœnæ bona vita retinetur; per bonam vitam bona conſcientia comparatur, ut per bonam conſcientiam nulla pœna timeatur. Quapropter diſcat timere, qui non vult timere. Diſcat ad tempus eſſe ſollicitus, qui ſemper vult eſſe ſecurus.*

T 4 pag. 1439. F. Et Enarratione in Pſal. 127. n. 7. *Alius*, inquit, *non in hac terra pati timet, ſed gehennas timet, unde terruit & Dominus. Audiſtis, cùm Evangelium legeretur: Ubi vermis eorum non moritur, & ignis eorum non extinguetur. Audiunt hæc homines, & quia verè futura ſunt impiis, timent, & continent ſe à peccato. Habent timorem, & per timorem continent ſe à peccato. Timent quidem, ſed non amant juſtitiam. Cùm autem per timorem continent ſe à peccato, fit conſuetudo juſtitiæ, & incipit, quod durum erat amari, & dulceſcit Deus; & jam incipit* Pag 1441. A. *homo propterea benè vivere.... Timet, ne mittatur in gehennam. Bonus eſt & iſte timor, utilis eſt.*

Cùm verò S. Auguſtinus ait tantum quemque odiſſe peccatum, quantum amat juſtitiam, loquitur de odio perfecto, quod ex amore perfectæ ſeu ſanctificantis juſtitiæ oritur, quam L. de gratia Chriſti c. 35. vocat, *inſpirationem* Tom. 10. p 246. D. *flagrantiſſimæ & luminoſiſſimæ charitatis.* At non excludit odium peccati ex ſupernaturali timore pœnarum conceptum, quod certè donum eſt Spiritus ſancti, nondum quidem inhabitantis, ſed moventis.

Ad minorem verò argumenti propoſitionem, diſtinguo propoſitionem iſtam: Regnat carnalis cupiditas, quoad habitum & ratione ſubjecti, ubi non eſt Dei charitas, concedo: nullum quippe datur medium in homine inter ſtatum juſtitiæ ſeu gratiæ ſanctificantis, aut injuſtitiæ ſeu peccati; quo ſenſu meritò dixit S. Aug. *mirum ſi poſſit voluntas in medio conſiſtere.* Nullum datur medium quoad actus, quaſi omnis moralis actio neceſſariò fit vel ex charitate, vel ex cupiditate actuali, nego. Non ſemel enim diximus, actus fidei, ſpei, timoris ſupernaturalis & aliarum virtutum infuſarum non ſemper, nec neceſſariò eſſe à charitate propriè dicta ſeu Theologica, multò minùs à vitioſa cupiditate. Actus illos ſæpè quidem imperat charitas, at non elicit: habent ſcilicet virtutes ſingulæ propria ſua & interna motiva, & actus domeſticos ex ſeſe rectos & honeſtos, tametſi ſteriles ad vitam æternam, ſi fiant ſine ſpeciali auxilio Divinæ gratiæ.

Quapropter meritò proſcripta fuit hæc n. 38. Baji Propoſitio: *Omnis amor*

crea-

Digitized by Google

creaturæ rationalis aut vitioſa eſt cupiditas, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum ſanctum in corde diffuſa Deus amatur.

Hanc Baji doctrinam renovavit ſuamque fecit Quenellius iſtis, quæ à Clemente XI. proſcriptæ pariter fuere; Propoſitionibus. 38. *Peccator non eſt liber, niſi ad malum, ſine gratia Liberatoris.* 44. *Non ſunt niſi duo amores, unde volitiones & actiones omnes noſtræ naſcuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor quo nos ipſos, ac mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum eſt, non refert, & propter hoc ipſum fit malus.* 45. *Amore Dei in corde peccatorum non ampliùs regnante, neceſſe eſt ut in eo regnet cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat.*

Diſtinguenda pariter iſta S. Auguſtini propoſitio: Bona voluntas nihil aliud eſt quàm charitas; bona, inquam, voluntas ſupernaturalis, de qua loquitur diſputans cum Pelagianis, qua nempè natura infirma ſanatur, & ad opus veræ pietatis faciendum excitatur & adjuvatur, concedo: omnis & quælibet bona voluntas, id eſt, amor quilibet recti & honeſti, quo homo ex proprio cujuſque virtutis motivo ac fine movetur ad opus morale bonum, eſt charitas, ſubdiſtinguo: eſt charitas latiori quodam ſenſu, id eſt, amor recti, concedo: eſt charitas propriè dicta ſeu Theologica, nego. Audivimus enim antea Auguſtinum duplicem charitatem diſtinguentem, unam ſupernaturalem, alteram verò naturalem. Conſule quæ ſuperiùs dicta ſunt, ex quibus præſens reſponſio fit manifeſta.

Porrò certum eſt, S. Auguſtinum loco citato ex cap. 21. L. de Gratia Chriſti, loqui de bona voluntate ſupernaturali, ſeu potiùs de gratia neceſſaria, ut voluntas bona ſit, ut ſanetur natura, ut filii Dei ſimus, & opus veræ pietatis perficiamus; idque contra Pelagianos, qui gratiam illam voluntatis negabant rati voluntatem ſanam eſſe, ipſique ſufficere gratiam poſſibilitatis ſeu legis ac doctrinæ. *Ecce*, inquit loco citato, *qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei vocemur & ſimus. Iſte* (Pelagius) *audiens, Deus charitas eſt, quare adhuc uſque contendit, quòd ex illis tribus tantummodo poſſibilitatem habeamus ex Deo, bonam verò voluntatem, bonamque actionem habeamus ex nobis? Quaſi verò aliud ſit bona voluntas quàm charitas, quam Scriptura nobis eſſe clamat ex Deo, & à Patre datam, ut filii ejus eſſemus.* T. 10. p. 239. F. G.

Objicies 4. Virtute primi hujus mandati, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, tenetur homo quilibet omnes ſuas actiones referre in Deum, tanquam in finem ultimum propter ſe dilectum, atque hujus relationis defectu vitioſa eſt actio: atqui non poteſt actio referri in Deum tanquam in finem ultimum, ſine charitate ſeu gratia; ergo ſine charitate nulla omnino recta & licita eſſe poteſt hominis actio.

Majorem propoſitionem probat Janſenius L. 3. de ſtatu naturæ lapſæ c. 17. teſtimoniis S. Auguſtini.

Lib. 3. de moribus Eccleſiæ c. 8. n. 13. *Audiamus*, inquit, *quem finem bonorum nobis Chriſte præſcribas; nec dubium eſt quin is erit finis, quò nos ſummo amore tendere jubes: Diliges Dominum Deum tuum ..... Audivimus quid diligere, & quantùm diligere debeamus: eò eſt omninò tendendum, ad id omnia conſilia noſtra referenda. Bonorum ſumma, Deus nobis eſt. Deus eſt nobis ſummum bonum. Neque infrà remanendum nobis eſt, neque ultrà quærendum: alterum enim periculoſum, alterum nullum eſt.* T. 1. p. 691. B. Ibid. D.

Ser-

Sermone 33. aliàs 18. de diverſis cap. 4. nu. 3. *Peccatum non ſolùm illud eſt, quod in turpi aut iniquo facto apparet hominibus, ſed etiam ſi habeat ſpeciem boni operis, & tamen propter mercedem temporalem fiat, non propter requiem ſempiternam. Quodlibet enim quiſque facit, ſi hoc animo facit, ut terrenum emolumentum conſequatur, ſerviliter facit.*

T. 5. p. 169. E. F.

Lib. de fide & operibus cap. 3. n. 11. *In homine niſi præcedat fides, vita bona ſequi non poterit. Quidquid enim homo veluti rectè fecerit, niſi ad pietatem, quæ ad Deum eſt, referatur, rectum dici non oportet.* Cujus quidem rationem hanc reddit Enarratione 2. in Pſal. 31. n. 4. *Nemo computet opera ſua ante fidem: ubi fides non erat, bonum opus non erat. Bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit.*

T. 6. p. 170. G. T. 4. p. 171. D.

Hanc Janſenii objectionem jam occupavimus, cùm paulò antè quærebamus, an omnia infidelium opera vera ſint peccata; ſumma reſponſionis hæc eſt:

I. Mandatum dilectionis Dei & relationis omnium noſtrarum actionum ad ipſum, eſſe affirmativum, quod proinde, judice ipſomet S. Thoma 1. 2. q. 100. art. 10. ad 2. non ſemper obligat. Non tenemur igitur ex præcepto charitatis ſub pœna peccati, omnes & ſingulas actiones noſtras referre in Deum, niſi quo tempore præceptum ipſum charitatis obſtringit. Non eſt autem hujus loci ſcrupuloſiùs determinare, quoties & quando in decurſu vitæ obliget; ſatis hìc nobis eſt, quòd non ſemper ac pro omni tempore obliget ſub peccato: tametſi laudanda plurimùm ac commendanda, imò & præcipienda, frequens actuum charitatis repetitio.

2. Actiones morales ſine charitate factas meritorias non eſſe, ſed ſteriles ad vitam æternam: hoc unum vult S. Auguſtinus locis à Janſenio citatis; & quidem appoſitè ad errorem Pelagianorum confutandum, qui opera moraliter bona meritoria eſſe, & ad vitam æternam conducere, quibus homo ſimpliciter bonus conſtituitur, opinabantur. Porrò longè aliud eſt opus aliquod morale non eſſe meritorium vitæ æternæ; & illud eſſe verum peccatum æterna pœna dignum: prius ab Auguſtino cæteriſque orthodoxis Theologis meritò admittitur; alterum verò tanquam erroneum, in Bajo, Janſenio ejuſque ſectatoribus reprobatur. Unde meritò proſcripta 35. Baji Propoſitio: *Omne quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt.* Et 65. *Nonniſi Pelagiano errore admitti poteſt uſus aliquis liberi arbitrii bonus ſive non malus; & gratiæ Chriſti injuriam facit, qui ita ſentit & docet.*

Recueil des Bulles pag. 13.

Meritò pariter propter doctrinæ affinitatem cum Bajo, proſcripta Propoſitio 40. Quenellii: *Sine gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem.* Et 48. *Quid aliud eſſe poſſumus, niſi tenebræ, niſi aberratio, & niſi peccatum, ſine fidei lumine, ſine Chriſto, & ſine charitate?*

Igitur cum Bajo & Janſenio ſentit Quenellius, abſente fide & charitate, opus morale verum eſſe peccatum, quod vergit in condemnationem ſui auctoris, & æterna punitione dignum eſt.

III. Teneri nos nihil unquam agere, quod contrarium ſit charitati & dilectioni Dei: quo ſenſu mandatum dilectionis negativum dici poteſt, quod ſemper obligat. Imò & meritò dici etiam poteſt, nos poſitivè obligari ad referendas actiones noſtras ad Deum, inquantum ſcilicet tenemur ſemper ſub peccato agere ex motivo & fine honeſto morali, licèt non teneamur agere ſemper ex motivo charitatis propriè dictæ: cùm verò ex motivo & fine honeſto

mora-

morali operamur, opus illud implicitè ſaltem ac virtute ad Deum refertur, ut anteà expoſuimus.

Porrò cùm S. Auguſtinus locis hìc allegatis damnat tanquam peccata, actiones ſine charitate factas, loquitur tum de iis actionibus, quæ hærent in creatura & bono temporali velut in fine ultimo, ita ſerm. 33. aliàs 18. de diverſis: tùm de illis, per quas Pelagiani contendebant & gratiam & vitam æternam promereri homines poſſe. Ita L. de fide & operibus c. 7. citato, & Concione 2. in Pſalm. 31.

Objicies 5. cum eodem Janſenio citato L. 3. de ſtatu naturæ lapſæ c. 18. & 19. plurima S. Auguſtini teſtimonia, quibus effici videtur, omnem amorem rei creatæ vitioſum eſſe, niſi amori Dei ſubordinetur.

Unde ſic arguitur: Quælibet hominis actio moralis vel fit ex amore Dei, vel ex amore mundi ſeu creaturæ; nullum quippe medium datur; ſi fiat ex amore Dei, recta quidem eſt ac legitima, ſed auxilium Divinæ gratiæ præexigit; ſi verò fiat ex amore creaturæ, vitioſa eſt: ergo &c.

Reſp. ad utramque argumenti partem.

Ad primam, diſtinguo. Quælibet moralis actio vel fit ex amore Dei, aut ſupernaturali, aut naturali, concedo: ſupernaturali, Dei ſcilicet tanquam Auctoris gratiæ & gloriæ, ita ut actio ex alio quàm hujuſce amoris motivo ac fine elicita vitioſa ſit ac verum peccatum, nego. Duplex igitur Dei amor; unus ſupernaturalis, quo Deus diligitur ut Auctor gratiæ & gloriæ, ad quem neceſſariam prorsùs eſſe gratiam, ſolus negat Pelagianus: alter verò naturalis, qui ex cognitione naturali Dei ut Auctoris naturæ naſcitur. Unde Gentiles Philoſophos reprehendit S. Paulus, quòd cùm Deum cognoviſſent, non ſicut Deum glorificaverunt.

Ad hunc autem amorem Dei naturalem eliciendum, exigunt aliqui Theologi gratiam, alii verò non exigunt: ſed hac jam ſepoſita controverſia, hoc unum nobis hìc ſufficit, actionem ex amore Dei naturali bonam ex officio & fine, verum non eſse peccatum; quòd nempe falſum & erroneum ſit dicere, id omne quod non fit ex charitate propriè dicta, verum eſse peccatum.

Diſtinctionem hanc amoris Dei ſupernaturalis & naturalis negabat Bajus, quapropter meritò confixa eſt 34. ipſius Propoſitio: *Diſtinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut Auctor naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur ut Beatificator, vana eſt & commentitia, & ad illudendum ſacris Litteris & plurimis veterum teſtimoniis excogitata.* Ad hanc Baji Propoſitionem accedere videtur iſta Quenelliana inter damnatas 41. *Omnis cognitio Dei etiam naturalis, etiam in Philoſophis Ethnicis, non poteſt venire niſi à Deo; & ſine gratia non producit niſi præſumptionem, vanitatem, & oppoſitionem ad ipſum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis & amoris.* Recueil des Bulles p. 18.

Ad alteram partem argumenti, nempe, id omne quod fit ex amore creaturæ, vitioſum eſse, diſtinguo: quod fit ex amore creaturæ inordinato & vitioſo, vitioſum eſt, concedo: quod fit ex quolibet amore creaturæ, quaſi nullus eſse poſſit ordinatus ac legitimus amor creaturæ, nego. An non licet diligere parentes, proximos, amicos, &c. affectu quodam naturali? An peccat quiſquis ita diligit, abſente fide vel charitate? Affirmat Bajus & Janſenius, ſed in hoc ipſo à vero aberrant. Sophiſtam hìc profectò agit Janſenius, qui ex iis Auguſtini locis, in quibus inordinatum creaturæ amorem culpat, genera-

neratim infert omnem & quemlibet amorem creaturæ vitioſum eſse. Sophiſma eſt quod Dialectici vocant à dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter. Locis à Janſenio relatis L. 3. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 18. & 19. perſpicuum eſt, hunc ſolum ab Auguſtino amorem creaturæ redargui, qui ex aliquo capite defectum & vitium habet.

I. Eum reprehendit amorem creaturæ, qui ſiſtit & hæret in creatura tanquam in fine ultimo, quo homo creatura non tantùm utitur, ſed fruitur: de tali amore loquitur L. de vera religione c. 38. n. 69. *Serviunt*, inquit, (infideles) *cupiditati triplici, vel voluptatis, vel excellentiæ, vel ſpectaculi .... Ita neſcientes diligunt temporalia, ut inde beatitudinem expectent. His autem rebus quibus quiſque beatus vult effici, ſerviat neceſſe eſt, velit, nolit.*

Tom. 1. p. 772. E.

II. Eum qui nimio & inordinato impetu fertur in creaturas, quibus amans conformari affectat, quaſi nihil melius habeat. Hic eſt verborum S. Auguſtini ſenſus L. 1. de moribus Eccleſiæ Catholicæ c. 21. n. 39. *Auctoritate Novi Teſtamenti*, ait, *jubemur nihil mundi hujus diligere, illa maximè ſententia qua dictum eſt: Nolite conformari huic mundo .... Habet igitur vir temperans in hujuſcemodi rebus mortalibus & fluentibus, vitæ regulam utroque Teſtamento firmatam; ut eorum nihil diligat, nihil per ſe appetendum putet, ſed ad vitæ hujus atque officiorum neceſſitatem, quantum ſat eſt, uſurpet, utentis modeſtia, non amantis affectu.*

Ib. pag. 701. F. pag. 702. C.

III. Eum damnat amorem, quo creatura ſic amatur, ut Deus deſeratur, & illi potiùs, quàm Creatori ſerviatur. Ita L. de patientia c. 19. n. 16. *Quaſi verò*, inquit, *& non ipſi* (infideles) *ex mundo ſint, cùm ab iis diligitur mundus, deſerto eo, per quem factus eſt mundus: ſerviunt enim creaturæ, potiùs quàm Creatori*. De quo amore dicebat Chriſtus Matth. 10. v. 37. *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus.*

Tom. 6. pag. 540. A.

IV. Denique, cùm in Scripturis amor mundi in malam partem ut plurimùm uſurpetur, dicente ſancto Joanne Epiſt. 1. c. 2. *Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ*: mirum videri non debet, quòd S. Auguſtinus amorem creaturæ ſeu mundi generatim improbet; quamquam agnoſcat aliquem eſſe laudabilem, qui ex ſolo recti motivo, ſine gratia ſeu charitate propriè dicta fertur ad bonum opus.

Objicies 6. cum Janſenio Lib. 3. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 11. & Lib. 4. cap. 18. Ante gratiam vera eſt in homine peccandi neceſſitas in ſingulis ſuis actionibus: ergo nullum planè opus moraliter bonum fieri poteſt ſine gratia.

Antecedens probatur ex S. Auguſtino Lib. 1. Operis imperfecti cap. 105. *Multùm erras*, inquit alloquens Julianum, *qui vel neceſſitatem nullam putas eſſe peccandi, vel eam non intelligis illius peccati eſſe pœnam, quod nulla neceſſitate commiſſum eſt.*

Tom. 10. p. 934. G.

Lib. de natura & gratia cap. 66. n. 79. refellens Pelagium ait: *Quòd ex vitiis naturæ, non ex conditione naturæ, ſit quædam peccandi neceſſitas, audiat homo, atque ut eadem neceſſitas non ſit, diſcat Deo dicere: De neceſſitatibus meis educ me.*

Ib. pag. 361. E.

Denique Lib. 1. Retract. cap. 15. *Qui cogenti cupiditati*, inquit, *bona voluntate reſiſtere non poteſt, & ideò facit contra præcepta juſtitiæ, jam hoc ita peccatum eſt, ut ſit etiam pœna peccati.*

T. 1. p. 24. F.

Reſp. nego ant. Homo quippe liber eſt, ac liberè peccat: quòd ſi ad peccandum neceſſariò adigeretur, peccatum ad culpam ipſi non imputaretur,

tareretur, nemo enim peccat, ait S. Auguſtinus, in eo quod vitare non poteſt.

Ad probationem ex S. Auguſtino Lib. 1. Operis imperfecti, diſtinguo: eſt in homine peccandi quædam neceſſitas indeterminata & vaga, id eſt, non poteſt homo lapſus ante gratiam vitare omnia & ſingula collectivè peccata, ſicut contendebat Julianus, ſed neceſſe eſt, habita ratione ipſius infirmitatis & tentationum quibus exercetur, ut aliquando peccet, concedo: eſt peccandi neceſſitas determinata, ſpecificationis vel exercitii, nego. Refellit eò loci S. Doctor Julianum, qui contendebat hominem poſſe ſine gratia vivere purum ab omni peccato, eò quòd haberet *liberum arbitrium tam plenum poſt peccata, quàm fuit ante peccatum*; ac meritò probat hominem infirmum non poſſe vivere ſine peccato, univerſam legem adimplere, tentationes omnes vincere abſque auxilio gratiæ, quo abſente, neceſſe eſt illum in aliquod peccatum incidere; quamvis nullum ſit in particulari, quod vitare non poſſit per auxilium gratiæ, quod ipſi datur vel offertur, & quo nonniſi propria ſua culpa privatur.

Ad teſtimonium ductum ex cap. 66. Libri de natura & gratia, eadem eſt ſolutio. *Quædam peccata*, ait S. Thom. q. 24. de veritate articulo 12. hanc ſibi proponens objectionem, *dicuntur neceſſaria in quantùm non poſſunt vitari omnia, quamvis poſſint vitari ſingula*. Unde S. Auguſtinus non dixit, eſſe neceſſitatem ſimpliciter dictam peccandi, ſed quamdam neceſſitatem; indicans eſſe tantùm neceſſitatem vagam & indeterminatam, non verò ad hoc vel illud peccatum determinatam. Ad locum ex L. 1. Retract. cap. 15. reſpondet ibidem S. Thomas, *quòd cupiditas non poteſt intelligi eſſe cogens abſolutè liberum arbitrium*, (nempe ut auferat veram poteſtatem vitandi peccatum) *ſed dicitur cogens, propter vehementiam inclinationis, cui tamen poteſt reſiſti, licèt cum difficultate*. T. 12. p. 874. col. 2. B. Ib. C.

Objicies 7. Sine gratia nulla eſt in homine libertas ad bonum. Joan. 8. v. 36. *Si vos filius liberaverit, verè liberi eritis*. Et Conc. Arauſicanum II. Can. 3. *Arbitrium voluntatis*, inquit, *in primo homine infirmatum, niſi per gratiam Baptiſmi non poteſt reparari: quod amiſſum, niſi à quo potuit dari, non poteſt reddi. Unde ipſa veritas dicit: Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis*. S. denique Auguſtinus ſexcentis in locis, ſed maximè L. 1. ad Bonifacium in fine capitis 3. n. 7. *Nec poteſt*, inquit, *homo boni aliquid velle, niſi adjuvetur ab eo, qui malum non poteſt velle, hoc eſt gratia Dei per J. C. Dominum noſtrum*. Ergo non poteſt homo naturæ ſuæ viribus elicere bonum aliquod opus morale. T. 4. Con. p. 1669. C. Tom. 10. p. 415. A.

Reſp. diſting. ant. Sine gratia nulla eſt in homine libertas ad bonum ſupernaturale, quo benè juſtèque vivitur, & ad vitam æternam pervenitur, C. *Libertas quidem periit per peccatum*, ait ibid. S. Aug. c. 3. n. 2. *ſed illa, quæ in paradiſo fuit, habendi plenam cum immortalitate juſtitiam; propter quod natura humana divina indiget gratia, dicente Domino: Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis: utique liberi ad benè juſtèque vivendum*. Nulla eſt libertas ad bonum naturale, ſubdiſtinguo: ſi nomine libertatis intelligas facilitatem operandi boni promptè ac expeditè, concedo: nam S. Auguſtinus L. de corrept. & gratia c. 12. vocat Adami libertatem facilitatem benè vivendi; hanc autem amiſimus facilitatem, quia prolapſi ſumus in difficultatem, ſcilicet in concupiſcentiam, quam ubique S. Auguſtinus difficultatem appellat: ſi nomine libertatis intelligas facultatem boni electivam, nego. Nam ex eodem S. Auguſtino aliqua in nobis adhuc remanſerunt poſt peccatum imaginis Dei lineamenta, quibus poſſumus aliqua legis præcepta facilia, cùm nulla premit tentatio, adimplere. Ibid. p. 413. D.

Qua de cauſa Conc. Trid. ſeſſ.6. de juſtificatione cap. 1. in fine docet: *Liberum arbitrium minimè extinctum eſſe, viribus licèt attenuatum & inclinatum*.

T.14.Co. p.757.D. Objicies 8. Omne bonum oritur à Deo. *Sine me nihil poteſtis facere*, ait Chriſtus Joann. 15.v.5. Et Apoſtolus 1. Cor. 4.v.7. *Quid habes, quod non accepiſti?* Et ad Philippenſes 2. v. 13. *Deus eſt, qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate*. Unde S. Aug. Lib.4.adversus Julian.cap. 3. reprehendit Julianum, quòd veras in infidelibus agnoſceret virtutes, nec illas divinæ gratiæ Tom. 10. p.592. G. adſcriberet. *Quantò tolerabiliùs*, inquit, *illas quas dicis in impiis eſſe virtutes, divino muneri potiùs quàm eorum tribueres tantummodò voluntati*.

Reſp. diſtinguo ant. Omne opus bonum ſupernaturalis ordinis, id eſt, quod ducit ad vitam æternam, concedo: omne opus bonum naturalis ordinis, ſeu, ut loquitur S. Fulgentius Lib. de gratia Chriſti cap. 26. *Quod ad ſocietatis humanæ pertinet æquitatem*, ſubdiſtinguo: oritur à Deo ut auctore naturæ, pag 314. n.31. concedo, ut auctore gratiæ, nego. Porrò citata Scripturæ teſtimonia loquuntur de opere, quod ducit ad vitam æternam, ut patebit ſingula expendenti. Sic ea interpretatur Synodus Arauſicana II. Can. 4. 5. 6. & 7.

Eadem diſtinctio adhibenda eſt Concilio Dioſpolitano adversùs Pelagius definienti, gratiam neceſſariam eſſe ad ſingulos pietatis actus. Pelagius enim contendebat gratiam Chriſti non eſſe abſolutè & ſimpliciter neceſſariam ad ſalutem. Eadem interpretatione exponendum eſt Concilium Arauſicanum II. Can 9. Ibi quippe pronuntiat adversùs Semipelagianos, qui aliquam ſalutis inchoationem aſſignabant nudæ naturæ.

Non diſſimili ratione intelligendus eſt S. Aug. dum lib. de ſpir. & litt. c. 14. n. 26. ſcribit: *Non eſſe fructum bonum, qui de charitatis radice non ſurgit*. Etenim nomine boni operis intelligit illud, quod perducit hominem ad æternum Dei regnum, ut ipſemet explicat L. 4.c. Julian. c. 3. *Scito*, inquit, *nos illud bonum* Tom.10. pag.100. C. *hominum dicere &c. per quod ſolum homo poteſt ad æternum Dei donum regnumque perduci*.

Eodem prorsùs modo ſolvitur, quod opponitur ex eodem c. 3. Lib. 4. c. Julian. Eum ſcilicet meritò redarguit ſanctus Doctor, quòd veras atque per- Ibid. p. 602. C. fectas agnoſceret in infidelibus ſine gratia virtutes, quibus ſimpliciter boni ac juſti eſſent, & ad vitam æternam poſſent pervenire. Quanquam & meritò dici poteſt, nullas morales virtutes acquiri poſſe ſine gratia Dei: *Quia*, ut rectè ait Bellarminus Lib. 5. de gratia & libero arbitrio cap. 11. *non poſſunt acquiri virtutes niſi per actus frequentes: non poſſunt autem frequentari hujuſmodi actus,* T. 4.pag. 255. D. *niſi reſiſtendo paſſionibus, eaſque frænando & coercendo, quod ſine adjutorio & protectione Dei fieri non poteſt*. At ex eo quòd virtutes acquiri non poſſint ſolis naturæ viribus ſine gratia, *non ſequitur non poſſe hominem ſuis viribus aliquod bonum opus facere, quando nulla tentatione pulſatur, quod ſit bonum moraliter, hoc eſt, non ſit peccatum propriè dictum*.

Inſtabis: In opere morali ex omni parte bono, nihil planè deeſſe videtur, ut homo per illud poſſit ad vitam æternam pervenire: inde eſt quòd S. Aug. c. Julianum contendat Lib. 4. c. 3. nullum eſſe bonum ſterile. Cùm ergo certum ſit hominem non poſſe pervenire ad regnum cœlorum ſine gratia, non minùs certum eſſe debet, nullum opus moraliter bonum fieri poſſe ſine gratia.

Reſp. Nego ant. Deeſt quippe illi motivum ſupernaturale, deeſt ordinatio ad finem ſupernaturalem. S. Auguſtinus nullum agnoſcit bonum ſterile ad ſenſum

Digitized by Google

ſum Juliani, ut diximus antea, hoc eſt, bonum perfectum, per quod homo perfectè bonus ac juſtus conſtituatur, ut volebat Julianus, & tamen ſterile ſit ad vitam æternam; agnovit tamen ſanctus Doctor bonum aliquod morale naturalis ordinis, cui temporalis merces, non verò felicitas æterna debeatur. Namque Lib. de bono viduitatis cap. 8. docet, filiorum procreationi operam dare, non canino more per uſum promiſcuum fœminarum, ſed honeſto ordine conjugali, non eſſe in homine improbandum affectum; etſi ipſum laudabiliùs tranſcendat & vincat cœleſtia cogitans animus Chriſtianus. Et Lib. de patientia cap. 26. & 28. probat, hæreticum vel ſchiſmaticum, qui pro Chiſto ſanguinem conſtanter funderet; non quidem vitam æternam conſecuturum, ſed mitiorem dumtaxat laturum in inferno punitionem.

Objicies denique: Si ad bonum opus morale non requireretur, niſi auxilium Dei generale, ſequeretur Deum non magis concurrere ad opera bona, quàm ad mala; id verò abſurdum eſſe docet S. Aug. Lib. de Gratia Chriſti cap. 25.

Reſp. nego ſequelam antecedentis. Deus enim magis ſpeciali ratione concurrit ad bonum, quàm ad malum. In bono facit Deus & quod eſt, & quod bonum eſt: in malo facit quod eſt, ſed non quod malum eſt. Rursùs Deus concurrit ad bonum moraliter, quia illud præcipit vel conſulit; ad malum autem nulla ratione moraliter concurrit. Quapropter apud Iſaiam c. 43. v. 24. Deus conqueritur, quòd à peccatoribus adigatur ad ſerviendum eorum iniquitatibus. *Servire me feciſti*, inquit, *in peccatis tuis: præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis*. S. verò Auguſtinus loco citato non tantùm loquitur de bono morali, ſed de eo quod meritorium eſt gratiæ vel gloriæ; de quo abſurdum planè eſt dicere, Deum non majori auxilio concurrere ad opus bonum quàm ad peccata: quod abſurdum ſequebatur ex errore Pelagii, qui concurſum tantùm generalem admittebat neceſſarium ad opera bona æternæ beatitudinis meritoria.

ARTICULUS III.

Utrùm abſque Gratia poſſit homo Deum diligere ſuper omnia.

CUm Deus cognoſci poſſit, vel ut Auctor gratiæ & gloriæ, vel ut Auctor naturæ, poteſt etiam amari vel amore ſupernaturali, vel amore naturali. Amor Dei naturalis vel eſt effectivus, vel affectivus.

Effectivus dicitur ille, qui conjunctam habet vel omnium, vel aliquorum dumtaxat mandatorum Dei executionem: ſi omnium, dicitur effectivus ſimpliciter; ſi aliquorum dumtaxat, dicitur effectivus ſecundùm quid.

Amor affectivus, eſt propoſitum voluntatis amandi Deum. Duplex diſtinguitur: unus affectivus abſolutè, quo ſimpliciter & abſolutè voluntas ſtatuit amare Deum ſuper omnia; id eſt, rerum omnium ac vitæ ipſius diſpendium potiùs pati, quàm ipſum offendere: alter verò conditionatus, qui eſt tantùm ſimplex complacentia, ſeu velleitas, qua voluntas reipſa Deum amaret, ſi voluptatibus renuntiandum non eſſet: talis profectò Dei amor non eſt ſuper omnia, ut per ſe manifeſtum eſt. Talis amor Dei iterum dividitur in eum, qui

benevolentiæ, & alium, qui concupiſcentiæ dicitur. Amor benevolentiæ ille eſt, quo Deus diligitur propter ſemetipſum, quia in ſe bonus; amor verò concupiſcentiæ, quo diligitur quia nobis bonus: non iſto quidem ſenſu quòd Deus tanquam medium ad nos referatur, qui amor ſanè vitioſus ac perverſus eſt. *Qui enim*, ait S. Aug. in Pſal. 77. n. 2. *propter beneficia terrena Deum quærebant, non utique Deum, ſed illa quærebant*, ac Deum ad ſe tanquam medium ad finem referebant; ſed Deus dicitur diligi, quia nobis bonus, hoc eſt, quia finis noſter ultimus.

T. 4 pag. 221. E.

Denique amor DEI vel perfectus eſt, vel imperfectus; idque tribus modis: I. Perfectus eſt appretiativè ſeu ſecundùm æſtimationem, cùm nempè Deus rebus omnibus anteponitur; & dicitur amor ſuper omnia: imperfectus verò, qui Deum nondum rebus cæteris anteponit.

II. Perfectus dicitur intenſivè, quo nempe Deus non tantùm rebus omnibus anteponitur, ſed etiam majori ardore ac vehementia diligitur, quàm res quælibet creata; & dicitur amor perfectus tum appretiativè, tum intenſivè: imperfectus verò dicitur, qui reverà pluris Deum æſtimat quàm rem quamcunque creatam, & mallet rerum omnium diſpendium pati potiùs quàm Deo diſplicere; attamen non tanto ardore, vehementia ac intentione in Deum afficitur, ac in res aliquas creatas.

III. Denique, amor ille perfectus eſt, qui includit firmum propoſitum placendi Deo in omnibus, ac mandatorum omnium executionem; & dicitur amor ille perfectus affectivè & effectivè. Imperfectus verò, qui afficitur quidem in Deum ſuper omnia, dum homo cogitat eum eſſe ſummum bonum, & nulla occurrit tentationis occaſio, nihilominùs occurrente objecto aliquo alliciente, facilè deficit & extinguitur.

Duobus verò modis poteſt aliquis actus dici homini impoſſibilis ſine gratia. 1. Phyſicè, propter defectum propriæ virtutis per ſe ac phyſicè efficientis: hoc modo per ſe ac phyſicè homo ſine gratia eſt incapax eliciendi actus fidei, ſpei & charitatis, & alios omnes, qui ad æternam ſalutem pertinent. Incapacem intelligo proximè, non tantùm quoad actum, qui nunquam elicitur ſine gratia, ſed etiam quantùm ad proximam potentiam: de capacitate enim remota naturali, nulla hic prorsùs quæſtio, cùm exploratum ſit apud omnes, hominem habere naturam intelligentem, quæ, mediante gratia ſupernaturali, elevari poteſt ad actus ſupernaturales: quo ſenſu S. Auguſtinus L. de prædeſt. SS. c. 5. n. 10. dixit: *Poſſe habere fidem, ſicut poſſe habere charitatem, naturæ eſt hominum: habere autem fidem, quemadmodum habere charitatem, gratiæ eſt fidelium.*

T. 10. p. 797. F.

Auxilium porrò gratiæ, de quo hic controvertitur, an ſit neceſſarium, vel eſt ſupernaturalis ordinis, vel naturalis, indebitum tamen naturæ, & ex meritis Chriſti gratis conceſſum: gratiam quippe ordinis ſupernaturalis vocant, quæ tendit ad Deum Auctorem gloriæ intuitivè videndum: gratiam verò naturalis ordinis, eam, quæ ducit ad cognitionem & amorem Dei ſimpliciter ut Auctoris naturæ. Non una eſt in præſenti cauſa Theologorum opinio.

Bajus Propoſitione inter damnatas 34. velut commentitiam & ad illudendum ſacris Litteris ſugillat diſtinctionem duplicis amoris Dei, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut Auctor naturæ; & gratuiti, quo Deus amatur ut Beatificator.

T. 2. p. 284. Magiſtri veſtigia preſſiùs ſequitur Janſenius Lib. 1. de ſtatu naturæ puræ c. 3. in fi-

in fine. Fluit neceſſariò hæc opinio ex alia Baji & Janſenii doctrina, nullum ſcilicet opus moraliter bonum fieri poſſe ſine gratia, ſeu charitate erga Deum propter ſe dilectum: unde meritò tum in ſenſu auctoris proſcripta fuit adducta Baji Propoſitio; tum propter acerbitatem cenſuræ, qua vanam, commentitiam & ad illudendum ſacris Litteris excogitatam eſſe aſſerit diſtinctionem duplicis amoris Dei, naturalis & ſupernaturalis. Neque enim damnatam volumus ea in Propoſitione Baji, eorum Theologorum ſententiam, qui contendunt hominem propriis viribus ſine gratia non poſſe Deum amore perfecto, ſeu ſuper omnia diligere: imò, nec præcisè vi cenſuræ hujus Propoſitionis, damnata eſt ſententia, quæ ad amorem Dei etiam imperfectum gratiam exigit; de neceſſitate enim gratiæ nulla fit mentio in adducta Propoſitione: ſed damnatur, ut dixi, eò quòd vana, commentitia, & illuſoria dicatur diſtinctio amoris Dei naturalis & ſupernaturalis.

Sunt non pauci Theologi, quos appellant Suares Lib. de neceſſitate gratiæ cap. 32. & Vaſques in 1. 2. diſput. 194. cap. 1. & 2. qui exiſtimant, poſſe in hoc ſtatu naturæ lapſæ Deum amari amore affectivo ſuper omnia, ſine ſpeciali gratiæ auxilio.

Econtra Bellarminus L. 6. de gratia & libero arbitrio cap. 7. contendit: *Non poſſe Deum ſine ope ipſius diligi, neque ut Auctorem naturæ, neque ut largitorem gratiæ & gloriæ: neque perfectè, neque imperfectè ullo modo. Hancque ſententiam non dubitat eſſe S. Auguſtini, imò etiam Scripturarum & Conciliorum, quidquid*, inquit, *aliqui minùs conſideratè in hac parte ſcripſerint*. Quam ſententiam tuentur Suares & Vaſques locis mox indicatis. *Pag. 284. E.*

His præmiſſis ſit

PRIMA CONCLUSIO.

Poteſt homo ſine ſpeciali auxilio gratiæ, diligere Deum ut Auctorem naturæ, amore ſaltem imperfecto & inchoato.

Probatur concluſio iiſdem planè momentis, quibus paulò ſuperiùs oſtendimus, hominem ſuis propriis viribus, ſine ſpeciali auxilio gratiæ, poſſe aliquod opus moraliter bonum naturalis ordinis, cùm nulla gravis pulſat tentatio, perficere; cùm enim Deus cognoſci naturaliter poſſit ut ſummum bonum, amari quoque poteſt naturaliter amore ſaltem imperfecto & inchoato. Inde Apoſtolus Rom. 1. v. 21. inexcuſabiles ait eſſe Gentiles Philoſophos, *quia cùm Deum cognoviſſent, non ſicut Deum glorificaverunt. Quia*, inquit Eſtius in hunc locum, *Philoſophi per naturæ vires Deum cognitum ut Deum, potuerunt aliquatenus laudare & glorificare, & gratias illi agere, non tamen ſicut oportuit, hoc eſt, non eo voluntatis affectu, quo ad veram juſtitiam appropinquarent*. *Pag. 14. col. 2.*

Deum autem glorificare, quid eſt aliud quàm Deum diligere? Enim verò glorificare Deum, eſt Deum colere; colitur autem per amorem, juxta illud S. Aug. Epiſt. 167. aliàs 29. *Quid eſt pietas, niſi Dei cultus? Et unde ille colitur, niſi charitate?* Et in ſecundum ſentent. diſt. 26. parag. 28. *Apoſtolus eo loco*, inquit idem Eſtius, *non negat illos, qui ſic Deum cognoverunt, dilexiſſe Deum; ſed negat ſicut Deum glorificaſſe, & gratias egiſſe, ſine quibus duobus ſtare poteſt aliqualis dilectio. Quòd autem talis dilectio non ſit ex gratia Dei per Chriſtum, ſic probatur; non enim habet ordinem ad beatitudinem ſupernaturalem, nec ad ſpem vitæ æternæ.* *T. 2 pag. 598. G.*

Qui ergo vel conſiderat Deum ut in ſe bonum ac naturæ Auctorem, & amore erga ipſum afficitur; vel boni aliquid moralis operatur, quia rectum eſt ac Deo Auctori naturæ acceptum, ille profectò Deum diligit, amore ſaltem imperfecto & inchoato. Imperfectum autem hic voco amorem, eum, qui nondum eſt ſuper omnia, non quidem poſitivè aliquid Deo præferendo, (talis quippe amor omninò vitioſus ac perverſus foret) ſed negativè, aut potiùs abſtractivè; quia amor ille non fit per comparationem Dei ad creaturas, ſed abſtrahit ab illa, nec includit formale propoſitum placendi Deo in omnibus, licèt illud etiam poſitivè non excludat.

SECUNDA CONCLUSIO.

Homo lapſus non poteſt ſine ſpeciali auxilio gratiæ diligere Deum ſuper omnia ut Auctorem naturæ, amore aut affectivo, aut effectivo.

Bellarminus Lib. 6. de gratia & libero arbitrio, concluſionem probat multis Scripturæ, Conciliorum ac SS. Patrum teſtimoniis.

Verùm Suares Lib. 1. de neceſſitate gratiæ c. 33. obſervat, genus hoc probationis non ſatis firmum eſſe in præſenti quæſtione; quia nempè facile eſt ea omnia teſtimonia referre ad amorem Dei ſupernaturalem, qui ad ſalutem animæ pertinet, & qui, ut loquuntur Concilia, Deum, ut oportet, diligit: quæ exceptio videtur apertè indicare ſermonem eſſe de amore ſupernaturali, non verò naturali, qui ad juſtitiam & gloriam comparandam nec proximè, nec remotè diſponit.

Nihilominùs ex Canone 25. Concilii II. Arauſicani non immeritò colligi poteſt, mentem illius eſſe, non tantùm amorem Dei ſupernaturalem, ſed etiam naturalem, qui fit ſuper omnia, elici non poſſe in præſenti ſtatu naturæ corruptæ, ſine ſpeciali gratia. En verba Canonis: *Hoc prædicare debemus & credere, quòd per peccatum primi hominis inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus poſtea aut diligere Deum, ſicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum eſſe poſſit, niſi eum gratia miſericordiæ Divinæ prævenerit.* His verbis Synodus Arauſicana impotentiam hominis lapſi ad Deum ſuper omnia diligendum repetit, non tantùm ex ſupernaturalitate actus, ſed etiam ex infirmitate liberi arbitrii per peccatum contracta: ergo impotentia illa extendenda eſt, non tantùm ad amorem Dei ſupernaturalem, ſed etiam naturalem. Conſequentia videtur aperta: certum enim eſt non fuiſſe contractam per peccatum impotentiam diligendi Deum actu ſupernaturali ſine gratia; hæc enim impotentia erat ante peccatum. Contracta ergo fuit per peccatum impotentia diligendi Deum ſuper omnia, ſine ſpeciali auxilio confortante noſtram voluntatem inclinatam ad quærenda propria ſua commoda; adeoque jam neceſſarium eſt ſpeciale Dei auxilium, ut Deus ſuper omnia diligatur, nō tantùm amore ſupernaturali tanquā Auctor gratiæ & gloriæ, ſed etiam amore naturali tanquam Auctor naturæ.

T. 4 Con. p. 1671. B.C.

Ratio concluſionis manifeſta videtur. Ac primò quidem quantùm ad amorem Dei effectivum, certum eſt, ut ex dicendis patebit, non poſſe omnia Dei mandata obſervari ſine ſpeciali gratia; quod tamen importat amor, qui dicitur effectivus. Quantùm verò ad amorem Dei ſuper omnia affectivum, facilè oſtenditur: namque amor ille firmum ac efficax ex ſe includit propoſitum vitandi

Digitized by Google

tandi omnia peccata, adimplendi univerſam legem, omnes tentationes ſuperandi, uno verbo, placendi Deo in omnibus: atqui ſine ſpeciali gratiæ auxilio, non poteſt homo propoſitum hujuſmodi firmum ac efficax concipere: tum quia maximè arduum ac difficile eſt: tum quia non poteſt homo id efficaciter ac naturaliter velle, quod non poteſt naturaliter aſſequi; atqui non poteſt homo per ſolas naturæ vires fugere omnia peccata, univerſam adimplere legem, omnibus tentationibus reſiſtere; ergo neque id efficaciter per ſolas naturæ vires velle poteſt: unde ex impoſſibilitate executionis effectiva, oritur impoſſibilitas affectiva, ſeu affectus & propoſiti abſoluti & ex ſe efficacis: tum quia non poteſt homo infirmus ac corruptus excludere à ſe omnem inordinatum affectum, qualem tamen excludit amor Dei ſuper omnia: tum denique quia amor Dei ſuper omnia, eſt actus omnium maximè perfectus & heroicus; qua igitur ratione homo ad terrena totus depreſſus poſſet ſine auxilio ſuperiori in actum tam ſublimem ac perfectum erumpere?

Concluſioni noſtræ favet S. Thomas 1. 2. q. 109. articulo 3. ubi ſic loquitur: *Homo in ſtatu naturæ integræ dilectionem ſui ipſius referebat ad amorem Dei, ſicut ad finem: & ſimiliter dilectionem omnium aliarum rerum; & ita Deum diligebat pluſquam ſeipſum & ſuper omnia. Sed in ſtatu naturæ corruptæ homo ab hoc deficit ſecundùm appetitum voluntatis rationalis, quæ propter corruptionem naturæ ſequitur bonum privatum, niſi ſanetur per gratiam Dei. Et ideo dicendum eſt, quòd homo in ſtatu naturæ integræ non indigebat dono gratiæ ſuperadditæ naturalibus bonis ad diligendum Deum naturaliter ſuper omnia; licèt indigeret auxilio Dei ad hoc eum moventis: ſed in ſtatu naturæ corruptæ indiget & homo etiam ad hoc auxilio gratiæ naturam ſanantis*. Loquitur autem hìc S. Thomas de amore affectivo; de effectivo enim articulo IV. diſputationem inſtituit.

Quàm bellè totum iſtud Angelici Doctoris ratiocinium concinit cum doctrina Concilii Arauſicani mox citati! Impotentiam ſcilicet, quæ eſt in homine lapſo ad diligendum Deum ſuper omnia propriis ſuis viribus ſine gratia, repetit S. Thomas ex infirmitate naturæ, non ex una ſupernaturalitate actus: ergo ſupponit per peccatum contractam impotentiam diligendi Deum naturaliter ſuper omnia. Loquitur autem ſanctus Doctor, ut per ſe clarum eſt, de dilectione Dei ut Auctoris naturæ, quæ ſine auxilio gratiæ naturam ſanantis elici non poteſt: per gratiam autem, quæ naturam ſanat, non hìc intelligit gratiam ſanctificantem ſeu habitualem, quæ per excellentiam dicitur gratia ſanans; ſed intelligit gratiam actualem neceſſariam, ut ſublevetur infirmitas naturę, qua fit, ut non poſſit actu Deum ſuper omnia diligere.

Ex quibus facile eſt inferre impotentiam hominis lapſi ad diligendū Deum ſuper omnia propriis ſuis viribus, non tantùm moralem eſſe, ortam ex difficultate; ſed etiam verè phyſicam, & quantùm ab ſubſtantiam operis, ortam ex infirmitate liberi arbitrii, per peccatum contractam. Quamvis enim Deus ut Auctor naturæ ſuper omnia diligendus, ſit objectum proportionatum viribus naturę integrę, non eſt tamen proportionatum viribus naturæ infirmæ ac corruptæ, niſi proportione, ut vocant, remota, quatenus ſcilicet homo capax eſt recipiendæ gratiæ, cujus auxilio aſſurgere poteſt ad amandum Deum ſuper omnia: eo ferè modo, quo homo à gravi morbo convaleſcens, non poteſt ex vera & phyſica impotentia longum iter pedibus perficere; tametſi facultatem habeat ambulandi; nempè vim motricem, & membra ad iter agendum deſtina-

ſtinata, nempè pedes. Unde hoc? Quia nimirum facultas illa per morbum debilitata, impar eſt phyſicis ſuis viribus ſuſtinendæ longiori peregrinationi. Hac comparatione utitur S. Thomas 1. 2. q. 109. articulo 2. in corp. *Sicut*, inquit, *homo infirmus poteſt per ſeipſum aliquem motum habere, non tamen perfectè poteſt moveri motu hominis ſani, niſi ſanetur auxilio medicinæ*. Impotentia verò, quæ oritur ex defectu virtutis ſeu virium in facultate, nonne phyſica eſt?

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. auctoritatem S. Bernardi Tractatu de diligendo Deo cap. 2. in fine: *Inexcuſabilis eſt*, inquit, *omnis infidelis, ſi non diligat Dominum Deum ſuum ex toto corde, tota anima, tota virtute ſua. Clamat nempe intus ei innata & non ignorata rationi juſtitia, quia ex toto corde ſe illum diligere debeat, cui ſe totum debere non ignorat*. Si autem inexcuſabilis eſt infidelis, qui Deum toto corde non diligit, profectò ſuis viribus eum diligere poteſt. *T. 1. pag. 586. E.*

Reſp. nego conſequent. quam ipſemet negat S. Bernardus verbis immediatè ſequentibus: *Verùm*, inquit, *difficile, imò impoſſibile eſt, ſuis ſcilicet quempiam, liberive arbitrii viribus ſemel accepta à Deo, ad Dei ex toto convertere voluntatem; & non magis ad propriam retorquere, eaque ſibi tanquam propria retinere, ſicut ſcriptum eſt: Omnes, quæ ſua ſunt, quærunt*. Quamvis autem propriis ſuis viribus non poſſit infidelis ſe ſuaque omnia ad Deum referre, inexcuſabilis tamen eſt, quòd ea non referat; quia offertur ipſi vel datur à Deo gratia, qua ſi benè uti vellet, uberiorem impetraret potentiam, ut actu Deum diligeret, & ſe ſuaque omnia ad ipſum referret. *Philip. 2. v. 21.*

Objicies 2. auctoritatem S. Thomæ 1. 2. q. 109. articulo 3. ad 1. *Natura*, inquit, *diligit Deum ſuper omnia, prout eſt principium ac finis naturalis boni. Charitas autem ſecundùm quod eſt objectum beatitudinis*.

Reſp. hæc S. Thomæ verba exponenda eſſe per ea, quæ ſcribit in corpore ejuſdem articuli, ubi cùm ait naturam poſſe diligere Deum ſuper omnia, naturam intelligit integram & ſanam, non verò infirmam & corruptam: in ea ſcilicet, quam ſibi proponit, objectione, naturam generatim opponit charitati, abſtrahendo à natura integra vel corrupta.

Objicies 3. Amor Dei ſuper omnia tanquam Auctoris naturæ, proportionatus eſt naturali hominis cognitioni & voluntati: homo quippe naturaliter cognoſcere poteſt Deum eſſe ſummum bonum, adeòque ſummè amabile; ergo etiam naturaliter poteſt illum diligere. Aliunde verò in illo actu amoris, qui momento vel breviſſimo tempore fieri poteſt; non ſemper occurrit ſuperanda gravis aliqua difficultas & tentatio: nec obſtat, quòd actus ille amoris ſuper omnia dicatur efficax, includatque firmum propoſitum obſervandi omnia DEI mandata; namque efficax non dicitur, quia facit, ſed quia de ſe aptus eſt facere; neque propoſitum illud videtur quoad ſubſtantiam ſuperare vires naturæ: ergo poteſt homo potentia tum phyſica tum morali diligere Deum ſuper omnia tanquam Auctorem naturæ.

Reſp. diſt. ant. Amor Dei ſuper omnia tanquam Auctoris naturæ, proportionatus eſt homini integro & ſano, concedo: homini lapſo & infirmo, ſubdiſtinguo: proportione remota & inchoata, concedo: proportione proxima, nego. Deus quippe ſuper omnia diligendus, objectum eſt quoad ſubſtantiam poſi-

poſitum ſupra vires naturales voluntatis noſtræ infirmæ ac depravatæ, propter rationes allatas.

Inſtabis 1. Poteſt homo naturaliter ſine ſpeciali auxilio cognoſcere Deum eſſe ſummè amabilem, etiam ut Auctorem naturæ: ergo voluntas poteſt etiam naturaliter eum diligere.

Reſp. nego conſequens. Homo etenim longè graviùs vulneratus eſt in voluntate & appetitu, quàm in cognitione: *Video meliora proboque, deteriora ſequor*, inquit Poeta. Et Apoſtolus quo tempore legi condelectabatur, ſecundùm interiorem hominem, quod nolebat malum, operabatur: nos ipſi quotidiana experientia exploratum habemus, longè minorem nos difficultatem pati in credendis fidei myſteriis, quàm in cohibendis ac ſuperandis pravis cupiditatibus; ergo licèt homo naturaliter cognoſcat Deum eſſe ſummè amabilem, non poteſt naturaliter eum ſuper omnia diligere. *Humana natura*, inquit S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 2. ad 3. *magis eſt corrupta per peccatum quantùm ad appetitum boni, quàm quantùm ad cognitionem veri*. Idque propterea quòd peccatum ipſum voluntate commiſſum eſt, ideòque voluntatem magis quàm cæteras potentias infecit.

Inſtabis 2. Deus ut Auctor naturæ ſemper omnia diligendus, non eſt objectum ſupernaturale, aliàs nihil diſcriminis foret inter amorem Dei ut Auctoris naturæ, & Auctoris gratiæ & gloriæ; ergo naturæ viribus Deus ut Auctor naturæ diligi poteſt ſuper omnia.

Reſp. diſtinguo ant. Non eſt objectum ſupernaturale, id eſt, non eſt objectum, quod intuitiva ſui viſione hominem beatum efficiat, concedo: id eſt, non eſt objectum, quod ſuperet naturæ vires, nego. Æquivocatio latet in ea voce, *ſupernaturale*; ſi ſupernaturale ſumatur, ut ſæpiùs ſumitur, pro eo quod vel ducit ad claram & intuitivam Dei viſionem, vel eſt ipſummet objectum, ſeu Deus in ſe intuitivè cognitus, fatemur hoc ſenſu, Deum ut Auctorem naturæ ſuper omnia diligendum, non eſſe objectum ſupernaturale. Amor enim hujuſmodi, nec remotè, nec proximè diſponit aut ad gratiam, aut ad gloriam. Si verò objectum ſupernaturale idem ſit ac illud, quod naturæ vires ſuperat, contendimus, hoc ſenſu Deum ut Auctorem naturæ ſuper omnia diligendum eſſe objectum ſupernaturale.

Inſtabis 3. Intellectus oſtendit majorem eſſe in Deo rationem, qua diligi debeat, quàm in quocumque bono creato; ergo voluntas ſequendo lumen rationis, plus Deum diligere poteſt, quàm creaturas omnes.

Reſp. nego conſeq. Namque voluntas pondere propriæ ſuæ inclinationis pravæ fertur in bonum ſenſibile; aut certè ſequitur bonum ſuum privatum, niſi ſanetur per Dei gratiam, ut ait S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 3. Inde eſt, quòd homo poteſt oppetere mortem, v. g. pro patria, pro amicis, vel etiam pro falſa religione, non poteſt autem pro vero Deo & ipſius cultu, niſi ex beneficio gratiæ; quia ſcilicet per peccatum homo à vero Deo averſus eſt, non ab aliis creatis & ſenſibilibus bonis.

Inſtabis. Si per peccatum contracta fuit phyſica ad Deum ut Auctorē naturæ ſuper omnia diligendum impotentia, affirmandum erit naturalia in homine poſt peccatum non manſiſſe integra; atqui tamen falſum iſtud eſt apud omnes.

Reſp. diſtinguo ſequelam majoris. Naturalia non manſerunt integra, quantùm ad integritatem & perfectionem virium, concedo: quantùm ad facul-

facultatem naturalem, quæ remotam & inchoatam quandam habet cum objecto ſupernaturali proportionem, nego. *Poſſe habere fidem, naturæ eſt hominum*, ait S. Auguſtinus Lib. de prædeſt. SS. c. 5. n. 10. *habere autem fidem, gratiæ eſt fidelium*. Remanet igitur in homine poſt peccatum liberum arbitrium quantùm ad eſſentiam & naturam. *Extinctum non eſt*, ait Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 1. *viribus licèt attenuatum & inclinatum*, non modò ad bonum ſupernaturale, ſed etiam morale ac naturalis ordinis.

T. 10. p. 797. F.

Objicies 4. At ſaltem poteſt homo diligere Deum ſuper omnia amore concupiſcentiæ abſque auxilio gratiæ: amor quippe ille totus naturalis eſt, cùm oriatur ex amore ſui, ad quem ſola natura ſufficit.

Reſp. nego ant. Ad probationem diſt. Amor ille oritur ex amore ſui recto & ordinato, concedo: inordinato & malo, nego. Amor concupiſcentiæ inordinatus eſt, quando Deus ad creaturam refertur, & amatur propter bona temporalia. Amor verò rectus & ordinatus eſt, quando creatura refertur ad Deum tanquam ad finem *qui*, hoc eſt, ad quem creatura tendit; non finem *cui*, hoc eſt, quem creatura refert ad ſeſe. Porrò licitum eſt Deum amare amore concupiſcentiæ, quia nempe ultimus eſt finis noſter, ac ſupremum bonum.

Objicies denique: Poteſt homo diligere proximum ſuper omnia, ita ut etiam pro illo ſe morti devoveat: poteſt etiam infidelis diligere Deum ſecundùm ſuam hæreſim aut perfidiam cognitum, ita ut etiam pro illo moriatur, quod interdum in hæreticis ac Judæis cernimus: poteſt denique civis aliquis plus diligere patriam ſuam, quàm ſeipſum, ut conſtat exemplo illorum Romanorum, qui pro ſalute Patriæ certiſſimæ morti ſe objecerunt. Cur igitur non poterit homo pariter Deum ſuper omnia diligere ſine auxilio gratiæ?

℞. Cum Bellarmino, faciliùs eſſe diligere ſeipſum, aliam creaturam ſuper omnia, quàm DEUM: tum quia ſenſibilia meliùs cognoſcuntur, & magis afficiunt: unde Joannes Epiſt. 1. cap. 4. v. 20. ait: *Qui non diligit fratrem ſuum, quem videt; Deum, quem non videt, quomodo poteſt diligere?* Tum etiam quia natura corrupta ſemper inclinata eſt ad ſe & ſua: porrò, qui pro ſuis hæreſibus, aut pro Patria moriuntur, ſeipſos quærunt, id eſt, gloriam propriam, cujus præcipuè Romani inter ethnicos, & hæretici inter infideles avidiſſimi ſemper fuere. Vide S. Auguſtinum in Lib. de patientia c. 16. & 17. ubi ſimile argumentum ſolvit, & inter alia ſic loquitur: *Qui hæc dicunt, non*
T. 6. p. 593. E. *intelligunt & quemque iniquorum tantò eſſe ad quæcumque mala toleranda duriorem, quantò in eo maior eſt cupiditas mundi; & quemque juſtorum tantò eſſe ad quæcumque mala perferenda fortiorem, quantò in eo eſt maior charitas Dei. Sed cupiditas mundi initium habet ex arbitrio voluntatis, progreſſum ex jucunditate voluptatis, firmamentum ex vinculo conſuetudinis: charitas autem Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis*. Addit Bellarminus, quòd ſi quis verè pro Patria moreretur, non gloriam ſuam, ſed Patriæ ſalutem quærens, is, quamvis infidelis, non ſine auxilio ſpeciali id facere credendus eſſet: tametſi enim mori pro Patria ſit opus morale, tamen eſt arduum ac difficile, & ideo à natura infirma, & ad ſeipſam diligendam prona præſtari nequaquam poteſt.

A R-

ARTICULUS IV.

Utrùm abſque gratia poſſit homo ſolis naturæ viribus præcepta legis obſervare ac tentationes ſuperare?

Legem hìc intelligimus naturalem ſcriptam in cordibus, hoc eſt dictamen illud rationis, quo duce natura cognoſcimus, quid bonum & honeſtum, quidve malum aut turpe ſit.

Obſervandum 1. Præcepta naturalia conſiderari poſſe, vel quantùm ad ſubſtantiam operis, hoc eſt moralem honeſtatem; vel quantùm ad modum operandi, hoc eſt, motivum ex quo, & finem propter quem fit.

Obſerv. 2. Præcepta illa vel collectivè, vel diſtributivè ſpectari; id eſt, vel omnia, vel eorum aliqua.

Obſerv. 3. In obſervandis præceptis impedimenta & difficultates occurrere poſſe duplicis generis: aliæ quippe ſunt, ut ita dicam, internæ, ex ipſamet re ſeu objecto actionis profluentes; aliæ verò externæ, quæ ex tentationibus oriuntur. Tentationes verò ex triplici potiſſimùm fonte ſcaturiunt, ex concupiſcentia, ex mundo, & ex dæmone.

Obſerv. 4. Inter tentationes alias graves ac vehementes eſſe, alias verò leves ac remiſſas. Gravis autem poteſt eſſe tentatio vel ex duratione, quando pertinaciter ac diu hominem pulſat; vel ex objecto, quod ſui imagine ac vivida repræſentatione plurimùm afficit ac commovet; vel ex modo, quando ſpecies ſenſibiles, quæ ad turpia ſollicitant, aut imaginationi continuò ac importunè obverſantur, aut mentem multùm perturbant; vel denique ex ipſo habitu, ſeu inveterata peccandi conſuetudine. Totidem modis ex adverſo tentatio poteſt eſſe levis & ad vincendum facilis.

Obſerv. 5. Tentationem quamlibet tribus modis poſſe ſuperari. 1. Per aliam tentationem, aut vitioſam actionem; ut ſi quis v. g. avaritiam vincat ex luxuria. 2. Per motivum charitatis, ita ut actio meritoria ſit vitæ æternæ. 3. Per motivum naturalis honeſtatis.

Non hìc movetur controverſia de præceptis ſupernaturalibus vel naturalibus, quantùm ad modum conſideratis; id eſt, quæ ex motivo charitatis obſervantur, & quorum obſervatio utilis eſt ad comparandam vitam æternam. Nemo dubitat Orthodoxus, quin ad hujuſmodi præcepta obſervanda neceſſaria ſit ſpecialis Dei gratia.

Neque etiam hìc quæritur, utrùm ad ſuperandam unam tentationem per aliam, aut unum peccatum per aliud vitandum, gratia requiratur. Quis enim ſanæ mentis dixerit unquam, gratiam eſſe neceſſariam ad peccandum?

Quæſtio igitur eſt de præceptis naturalibus, ſeu collectivè, ſeu diſtributivè ſumptis; ſive graves ſint tentationes, ſive tantùm leves: utrùm ſcilicet ſine ſpeciali auxilio gratiæ poſſit homo vel omnia, vel aliqua ſaltem obſervare præcepta abſque novo peccato, potentia aut phyſica, aut morali. Potentia phyſica eſt ipſa vis activa relativè proportionata & expedita operi faciendo: potentia verò moralis eſt vis activa relativè proportionata & expedita cum adjuncta facilitate.

Circa quam controverſiam

1. Er-

1. Errarunt Pelagiani, qui ſolis naturæ viribus abſque auxilio gratiæ univerſam legem obſervari, omnia peccata & tentationes omnes ſuperari ab homine poſſe affirmarunt.

2. Bajus, & qui cum illo ſentiunt, nullum planè opus bonum morale fieri ab homine poſſe ſine gratia, ſeu charitate propriè dicta, ita ut quidquid à laudabili charitate non eſt, ſit à vitioſa cupiditate, ac verum peccatum; ii conſequenter docent, nullum legis naturalis præceptum obſervari, nullam omninò tentationem vinci poſſe ſine gratia. Quin & oppoſitam ſententiam gravi cenſuræ nota perſtringit aliquando idem Bajus, & irridet diſtinctionem obſervationis præceptorum quoad ſubſtantiam, & quoad modum, Propoſ. 61. & 62.

3. Non conſentiunt inter ſe Scholæ Theologi. Sunt qui exiſtimant, hominem per ſua naturalia poſſe potentia phyſica omnia legis naturalis præcepta ſeu collectivè, ſeu diſtributivè, quantùm ad ſubſtantiam adimplere: poſſe verò potentia morali omnia diſtributivè, ſi nulla gravis urgeat tentatio; non autem omnia collectivè ſumpta. Item poſſe leves tentationes vincere, non verò graves. Auxilium verò in præſenti ſtatu neceſſarium ad omnia implenda præcepta graveſque tentationes ſuperandas, ajunt non eſſe ſupernaturale ex rei natura, ſed tantùm ex inſtitutione Dei, qui tale auxilium voluit eſſe gratiam habitualem. Alii verò contendunt, nullum omninò præceptum, nullam ne leviſſimam quidem tentationem ſuperari poſſe ſine gratia. Alii denique quaſi medii, docent, hominem non poſſe potentia phyſica aut morali univerſa legis naturalis præcepta, quantùm ab ſubſtantiam, ſeu collectivè, ſeu diſtributivè, obſervare ſine ſpeciali Dei auxilio, poſſe tamen aliqua facilia, cùm nulla gravis urget tentatio. Item non poſſe graves tentationes, ſed tantùm leves aliquas ſuperare. Ita Suares Lib. 1. de neceſſitate gratiæ c. 24. 25. & 26. Bellarminus L. 5. de Gratia & libero arbitrio cap. 5. 6. 7. & 8.

PRIMA CONCLUSIO.

Homo in ſtatu naturæ integræ potuiſſet omnia & ſingula legis naturalis præcepta, quantùm ad ſubſtantiam, obſervare ſine ſpeciali gratia. Non poteſt verò etiam phyſica potentia in ſtatu naturæ lapſæ.

Hæc ipſa eſt S. Thomæ doctrina 1. 2. q. 109. art. 4. *Dicendum*, inquit, *quòd implere mandata legis contingit dupliciter. Uno modo quantùm ad ſubſtantiam operum, prout ſcilicet homo operatur juſta & fortia, & alia virtutis opera; & hoc modo homo in ſtatu naturæ integræ potuit omnia mandata legis implere: alioquin homo non potuiſſet in ſtatu illo non peccare, cùm nihil aliud ſit peccare, quam tranſgredi Divina mandata; ſed in ſtatu naturæ corruptæ non poteſt homo implere mandata Divina ſine gratia ſanante. Alio modo poſſunt impleri mandata legis, non ſolùm quantùm ad ſubſtantiam operis, ſed etiam quantùm ad modum agendi, ut ſcilicet ex charitate fiant; & ſic neque in ſtatu naturæ integræ neque in ſtatu naturæ corruptæ poteſt homo implere abſque gratia legis mandata.* Ita S. Thomas, cujus doctrinam inverecundè carpit ac ſugillat Bajus Propoſitione 61. & 62. inter eas, quæ à SS. Pontificibus Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. proſcriptæ ſunt.

Pri-

Prima conclnſionis pars aperta eſt & manifeſta, quia mandatorum legis naturæ obſervatio ex ſe accommodata erat & proportionata viribus naturæ integræ. Aliunde verò nulla erant impedimenta, tentationes nullæ, quibus homo ſanus & integer à mandatis exequendis dimoveri ac retardari poſſet.

Secunda verò pars probatur ex infirmitate & impotentia, tum naturæ lapſæ, tum ipſius legis, quæ ſi auxilio gratiæ deſtituta fuerit, iram operatur, & eſt littera occidens; quæ omnia egregiè confirmat S. Paulus Rom. 7. v. 18. *Scio*, inquit, *quia non habitat in me, hoc eſt, in carne mea, bonum*. Et v. 23. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me ſub lege peccati, quæ eſt in membris meis*. Unde exclamat: *Infelix ego homo! quis me liberabit à corpore mortis hujus?* Reſpondet: *Gratia Dei per Jeſum Chriſtum*. Et cap. 8. v. 3. de lege ait: *Quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem: Deus Filium ſuum mittens..... ut juſtificatio legis impleretur in nobis*. Et v. 26. *Spiritus*, inquit, *adjuvat infirmitatem noſtram*. 1. Corinth. 15. v. 57. poſtquam dixit: *Virtus peccati lex*, ſtatim ſubjungit: *Deo autem gratias, qui nobis dedit victoriam per Jeſum Chriſtum*. Et 2. Cor. 3. v. 6. *Littera occidit, Spiritus autem vivificat*. Hoc eſt, ut docet S. Auguſtinus Libro integro de ſpiritu & littera, lex non ſolùm ſcripta, ſed etiam naturalis, peccatum non arcet, ſed auget potiùs ſine gratia, faciens ſcire peccatum, non tamen caveri.

Ad hæc teſtimonia Scripturæ accedunt & alia, quibus oſtenditur, nonnulla eſſe Dei mandata ita ſupra vires humanas poſita, ut ſine ope Divinæ gratiæ impleri non poſſint. Ita Sapiens Sapientiæ 8. v. 21. de continentia dicit: *Scivi quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det; & hoc ipſum erat ſapientiæ, ſcire cujus eſſet hoc donum*. Hinc S. Auguſtinus L. 10. Confeſſ. c. 29. *Continentiam jubes*, inquit Deum alloquens, *da quod jubes, & jube quod* T. 1. d.
vis. De præcepto cohibendæ linguæ S. Jacobus Epiſtolæ ſuæ cap. 3. v. 8. ait: 184. F.
Linguam nullus hominum domare poteſt.

Confirmatur hæc prima probatio aliis Scripturæ teſtimoniis, quæ teſtantur integram legis obſervationem ſignum eſſe certiſſimum veræ perfectæque charitatis Dei. Sic enim legimus Joan. 14. v. 21. *Qui habet mandata mea & ſervat ea, ille eſt qui diligit me*. Et v. 24. *Qui non diligit me, ſermones meos non ſervat*. Et in prima ſua Epiſtola cap. 2. v. 5. idem Apoſtolus ait: *Qui ſervat verbum ejus, verè in hoc eſt charitas Dei perfecta*. Et cap. 5. v. 3. *Hæc eſt charitas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus*. Porrò charitas Dei non poteſt naturæ viribus comparari, ſed infunditur à Deo per Spiritum ſanctum, ut loquitur Apoſtolus Rom. 5. v. 5.

His porrò teſtimoniis comprehendi etiam legem moralem naturalem, facile eſt oſtendere: cùm enim Dominus dixiſſet, & aliquoties repetiiſſet Joan. 13. 14. & 15. ſignum dilectionis Dei eſſe mandatorum ipſius obſervationem, addidit: *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem*. Et iterum: *Hoc eſt præceptum* Jan. 15.
meum, ut diligatis invicem. Dilectio autem proximi, quæ ſignum eſt certiſſi- 17. v. 12.
mum dilectionis Dei, continet virtute totam legem naturalem, ut Apoſtolus ait Rom. 13. v. 8. *Qui diligit proximum, legem implevit*. Nam: *non adulterabis: non occides: non furaberis: non falſum teſtimonium dices: non concupiſces; & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur: Diliges proximum tuum ſicut teipſum*. Idem ait ad Galatas 5. v. 14. *Omnis lex in uno ſermone impletur: Diliges proximum tuum ſicut teipſum*.

Quòd

Quòd verò ſignum charitatis Dei, ſit obſervatio mandatorum ſecundùm ſubſtantiam operis, perſpicuum eſt: tum quia ineptum eſſet dicere, ſignum dilectionis Dei eſſe obſervationem mandatorum, ex dilectione Dei; &, *Qui non diligit me, ſermones meos non ſervat* ex dilectione mea: tum etiam quia ſignum debet eſſe externum & viſibile, præſertim cùm referatur ad alios, quale
Ib.13.v.35. eſt iſtud, de quo Dominus dicit: *In hoc cognoſcent omnes, quòd diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* Ubi per dilectionem intelligit opera externa, quæ ab hominibus videri poſſunt, non internum affectum, qui videri non poteſt niſi in ſuo effectu. Obſervatio igitur omnium præceptorum moralium ſecundùm ſubſtantiam operis, neceſſariò cum dilectione proximi & Dei conjuncta eſt; ideòque ſecundùm Scripturas, viribus ſolius naturæ nullo modo haberi poteſt. Hæc Bellarminus.

Probatur 2. ex Conciliis, quæ adversùs Pelagianos definierunt univerſam legem impleri, omnia peccata declinari, omneſque ſuperari non poſſe tentationes, ſine ſpeciali gratiæ Chriſti adjutorio.

Ex Carthaginenſi II. an. 415. in Epiſtola Synodica ad Innocentium I. ubi
T. 2. Cō. p. 1534. Patres teſtantur damnatos idcircò fuiſſe Pelagianos, quòd aſſererent, in eo gratiam Dei deputandam, quòd talem hominis inſtituit creavitque naturam, quæ per propriam voluntatem legem Dei poſſet implere, ſive naturaliter in corde conſcriptam, ſive in Litteris datam.

Ex Milevitano an. 416. ſeu potiùs, ut multis placet, Carthaginenſi III.
Ibid. p. 1539. Can. 5. *Item placuit, ut quicumque dixerit, ideo nobis gratiam juſtificationis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, faciliùs poſſimus implere per gratiam, tanquam, etſi gratia non daretur, non quidem facilè, ſed tamen poſſemus etiam ſine illa Divina implere mandata, anathema ſit.*

Doctrinam hanc ex profeſſo probat S. Auguſtinus in iis omnibus, quæ ad-
T. 10. p. 42. C. versùs Pelagianos elucubravit Operibus. Lib. 2. de pec. mer. & rem. c. 5. n. 5. *Juſtitiæ*, inquit, *præceptum omni ex parte implere non poſſumus, niſi adjuvemur*
Ib. p. 129. C. *à Deo*. Lib. de nat. & grat. cap. 2. nu. 2. *Si per naturam juſtitia*, inquit refellens
Ib. p. 147. D. Pelagianos, *ergo Chriſtus gratis mortuus eſt?* Et cap. 40. n. 47. *Si poſſibilitas naturalis per liberum arbitrium, & ad cognoſcendum, quomodo vivere debeat, & ad benè vivendum ſufficit ſibi; ergo Chriſtus gratis mortuus eſt.* Et Lib. de perfectione juſtitiæ cap. 2. n. 1. poſtquam dixit vitari poſſe peccatum, ſi natura vitiata ſanetur gratia Dei per Jeſum Chriſtum, ſic pergit: *In tantum enim ſana non*
Ib. p. 168. B. *eſt, in quantum id quod faciendum eſt, aut cæcitate non videt, aut infirmitate non implet; dum caro concupiſcit adversùs ſpiritum, & ſpiritus adversùs carnem, ut non ea, quæ vult homo, faciat.* Manifeſtè eò loci S. Auguſtinus repetit impotentiam naturæ lapſæ ad obſervationem legis, ex defectu virium, nempè ex cæcitate aut infirmitate.

Ratio concluſionis eſt, quia natura per peccatum vulnerata eſt ac infirmata: unde poteſt quidem homo aliquod bonum morale facilè, cùm nulla inſtat tentatio, perficere ſine gratia, quia penitus extincta & oblitterata in nobis non eſt imago Dei, ſicut antea probavimus; ſed non poteſt omnia bona, ne diſtributivè quidem facere, ea potiſſimùm, quæ vel ex objecto, vel ex circumſtantiis ſpecialem habent adjunctam difficultatem, ob graviſſimum ſcilicet vulnus, quod per peccatum naturalibus viribus inflictum eſt. Hæc porrò impotentia phyſica eſt, non tantùm moralis, cùm oriatur ex im-

mimu-

Digitized by Google

minutione virium liberi arbitrii; ac ſimilis illi quam patitur homo ex gravi morbo convaleſcens, qui poteſt quidem aliquem motum habere, ſed non omnem; ſeu qui poteſt aliquod breve iter conficere, non longum ac laborioſum, non tantùm ex morali, ſed etiam ex phyſica impotentia.

SECUNDA CONCLUSIO.

Non poteſt homo ſine ſpeciali gratia ſuperare graves tentationes; poteſt verò leviores aliquas, quantùm ad ſubſtantiam operis moralis naturalis ordinis. *Eſtius in 2. diſt. 26.*

Prima concluſionis pars probatur 1. duplici ex Scripturis argumento. Primum petitur ex iis teſtimoniis, quibus generatim victoria tentationum Deo adſcribitur. Pſal. 17. v. 30. *In te*, ait David, *eripiar à tentatione*, & Pſal. 29. v. 8. *Avertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus*. Iterum Pſal. 117. v. 13. *Impulſus everſus ſum, ut caderem, & Dominus ſuſcepit me*. *Parag. 44.*

Inde Chriſtus commendat, ut oremus ſedulò, ne intremus in tentationem. Matth. 26. v. 41. *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem*. Et in Oratione ipſa quotidiana ſupplices petimus: *Et ne nos inducas in tentationem*. Hoc eſt, ne permittas nos tentari: Deus enim Auctor non eſt tentationis ad malum provocantis. *Deus*, ait S. Jacobus Epiſtolæ ſuæ cap. 1. v. 13. *intentator malorum eſt: ipſe neminem tentat*, niſi ea tentatione, quæ dicitur probationis vel tribulationis, quam Deus immittit ad probationem fidei & perfectionem virtutis; *Virtus enim in infirmitate perficitur*, ait Apoſtolus 2. Corinth. 12. v. 9.

Secundum argumentum ex iis locis deſumitur, quæ declarant tentationes vel carnis, vel mundi, vel dæmonum, ſuperari non poſſe ſine Dei adjutorio. De tentatione carnis intelligi debent hæc Apoſtoli verba: *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum*. De tentationibus mundi iſta ejuſdem Apoſtoli 1. ad Corinth. 10. v. 13. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere*. De tentationibus verò dæmonis dicitur 1. Petri 5. v. 8. *Adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens, quem devoret; cui reſiſtite fortes in fide*. Et S. Paulus Epheſ. 6. v. 11. *Induite vos*, inquit, *armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias diaboli*. Et infrà ..... *In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere*. *v. 16.*

Probatur 2. ex Conciliis.

Ex Dioſpolitano anno 415. cap. 11. ubi damnatur hic Pelagii articulus: *Victoria noſtra non eſt ex Dei adjutorio, ſed ex libero arbitrio*. *T. 2. Cs. p. 1529. E.*

Ibidem inter orthodoxa doctrinæ capita, quæ ut Pelagius confiteretur, Synodus exigebat, iſtud nu. undecimum recenſetur: *Ut fateatur, quando contra tentationes concupiſcentiaſque illicitas dimicamus, non ex propria voluntate, ſed ex adjutorio Dei provenire victoriam; non enim aliter verum eſt, quod Apoſtolus ait: Non volentis, non currentis, ſed miſerentis eſt Dei*. *Pag. 1530. D.* *Rom. 9.*

Ex Carthaginenſi II. anni ſequentis in Epiſtola Synodica ad Innocentium I. ubi ait: *Ex ſacrilegis Pelagianorum diſputationibus neceſſariò ſequi, ut nec orare debeamus, ne intremus in tentationem*. *Ibid. p. 1535. B.*

Ex Arauſicano II. an. 529. capitulo 14. *Nullus miſer de quacumque miſeria liberatur, niſi qui Dei miſericordia prævenitur*. *T. 4. Cs. p. 1669. C.*

Hoc ipſum declarant ac ſtatuunt SS. Pontifices contra Pelagianos. Innocen-

centius I. in Epiſtola ad Concilium Carthaginenſe: *Quotidiana*, inquit, *præ-*
T. 1. Cõ. *ſtat* (Chriſtus) *remedia: quibus niſi freti, confiſique nitamur, nullatenus hu-*
p. 1285. *manos vincere poterimus errores. Neceſſe eſt enim, ut quo auxiliante vincimus,*
D. *eo iterum non adjuvante vincamur.*

Zozimus in Epiſtola ad univerſos Orbis Epiſcopos, cujus fragmentum re-
Periit illa Epiſtola. fertur inter auctoritates SS. Pontificum circa gratiam, quas à Cœleſtino collectas ac ſuæ ad Galliarum Epiſcopos Epiſtolæ annexas fuiſſe nonnulli exiſtimant. N. 6. ſic loquens inducitur: *Quod ergo tempus intervenit, quo ejus non*
T. 2. Cõ. *indigeamus auxilio? In omnibus igitur actionibus, cauſis, cogitationibus, moti-*
p. 1616. *bus, Adjutor & Protector orandus eſt. Superbum eſt enim, ut quidquam ſibi hu-*
A. *mana natura præſumat, clamante Apoſtolo: Non eſt nobis colluctatio adversùs carnem & ſanguinem, ſed &c.*

Ephеſ. 6. Cæleſtinus in mox citata ad Gallos Epiſtola n. 6. *Nemo*, inquit, *etiam Baptiſmatis gratia renovatus, idoneus eſt ad ſuperandas diaboli inſidias, & ad evincendas carnis concupiſcentias, niſi per quotidianum adjutorium Dei perſeverantiam bonæ converſationis acceperit.*

Probatur 3. ex SS. Patribus.

Pag. 1:4. Ex S. Cypriano Tractatu de Oratione Dominica: *Quando rogamus*, inquit, *ne in tentationem veniamus, admonemur infirmitatis & imbecillitatis noſtræ, dum ſic rogamus, ne quis ſe inſolenter extollat, ne quis ſibi ſuperbè atque arroganter aliquid aſſumat.*

T. 1. p. 917. B. Ex ſancto Ambroſio in Pſalm. 43. n. 71. ad hæc verba: *Hæc omnia venerunt ſuper nos, nec obliti ſumus te. Quis*, inquit, *eſt tam fortis, ut nequaquam in tentationem moveatur, niſi Dominus ei adjutor aſſiſtat?*

Ex S. Hieronymo Lib. 2. adversùs Pelagianos, ubi poſtquam hæc verba
T. 4. p. 2. pag. 521. retulit: *Quid dormitis? Surgite & orate, ne intretis in tentationem.* Continuò ſubjungit: *Debuit juxta vos dicere: Quid dormitis? Surgite & reſiſtite: liberum enim habetis arbitrium, & ſemel vobis conceſſa à Domino poteſtate, nullius alterius indigetis auxilio. Si enim hoc feceritis, non intrabitis in tentationem.* Et initio
Ibid. p. 533. Libri tertii: *Noſtra enim*, inquit, *victoria & corona victoriæ illius protectione & clypeo paratur.*

Denique ex S. Auguſtino, ut alios multos prætermittam, Libro de perfectio-
T. 10. p. 190. A. ne juſtitiæ cap. ultimo: *Quiſquis*, inquit, *negat nos orare debere, ne intremus in tentationem: (negat autem hoc, qui contendit ad non peccandum gratiæ Dei adjutorium non eſſe homini neceſſarium, ſed ſola lege accepta, humanam ſufficere voluntatem) ab auribus omnium removendum, & ore omnium anathematizandum eſſe, non dubito.*

Libro de bono viduitatis cap. 17. refellens errorem Pelagianorum: *Sequi-*
T. 6. p. 480. C. *tur*, inquit, *ut fruſtrà Dominus dixerit: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem; & fruſtrà quotidie in ipſa Dominica Oratione dicamus: Ne nos inferas in tentationem. Si enim noſtræ tantummodò poteſtatis eſt, ne tentatione ſuperemur, ut quid oramus, ne intremus, vel inferamur in eam? ... Ut quid peto à Domino, quod in mea poſuit poteſtate? Sed abſit ut hoc ſapiat, qui ſanum ſapit.*

T. 5. p. 754. C. Sermone 156. aliàs 13. de verbis Apoſt. cap. 9. *In hoc agone*, inquit, *cùm confligimus, Deum habemus ſpectatorem; in hoc agone cùm laboramus, Deum poſcimus adjutorem: ſi enim non ipſe nos adjuvat, non dico vincere, ſed nec pugnare po-*
Ibid. p. 523. F. *terimus.* Denique Serm. 99. aliàs hom. 23. inter 50. cap. 6. *Hoc tibi*, inquit, *dicit Deus tuus: Regebam te mihi, ſervabam te mihi. Ut adulterium non committeres,*

res, ſuaſor deſuit: ut ſuaſor deeſſet, ego feci. Locus & tempus deſuit, & ut hæc deeſſent, ego feci. Adfuit ſuaſor, non deſuit locus, non deſuit tempus; ut non conſentires, ego terrui. Agnoſce ergo gratiam ejus, cui debes & quod non admiſiſti.

Duplex hic à ſancto Doctore gratia diſtinguitur, 1. externa, 2. interna. Prior in repellendis divinitùs mali objectis poſita eſt: poſterior, in cohibendo conſenſu. Prior dici poteſt gratia protectionis, altera illuminationis & inſpirationis.

Secunda pars concluſionis, nempe leves aliquas tentationes, quas Bellarminus *titillationes* potiùs, quàm veras tentationes appellat, ſuperari ab homine poſſe ſine ſpeciali gratiæ adjutorio, probatur iiſdem planè argumentis, quibus ſuprà oſtendimus, poſſe hominem per naturæ vires ſine gratia bonum aliquod opus morale tum ex officio, tum ex fine perficere, cùm vel nulla inſtat gravis tentatio, vel nullam difficultatem opus adjunctam habet.

Accedit auctoritas SS. Pontificum Pii V. Gregorii XIII. & Urbani VIII. qui hanc n. 29. Baji Propoſitionem damnarunt: *Non ſoli fures ii ſunt & latrones, qui Chriſtum, viam & oſtium veritatis & vitæ negant; ſed etiam quicumque aliunde, quam per ipſum in viam juſtitiæ (hoc eſt aliquam juſtitiam) conſcendi poſſe docent. Aut tentationi ulli, ſine gratiæ ipſius adjutorio, reſiſtere hominem poſſe, ſic ut in eam non inducatur, aut ab ea non ſuperetur.* *Rec. des B. p. 17. Prop. 30. ib.*

Etſi verò reſpondeat Vaſques, non ſubſtantiam Propoſitionis, ſed aſperitatem cenſuræ damnari; at ſaltem ſequitur, ut optimè advertit Suares, ſine ulla Pelagiani vel Semipelagiani erroris nota, poſſe hanc concluſionis noſtræ partem defendi. Si enim doctrina hæc aliquo pacto ad errorem Pelagii pertineret, injurioſa profectò foret gratiæ Chriſti, nec ferenda; unde meritò fur & latro dici poſſet, qui eam tueretur.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. contra primam partem 1. concluſionis: Non potuit Adamus in ſtatu innocentiæ ſine ſpeciali gratiæ auxilio obſervare præceptum ad legem naturæ pertinens, obedientiam ſcilicet, quam Deo præcipienti, ut ab eſu ligni vetiti abſtineret, debebat.

Antecedens probatur ex Conc. Arauſicano II. & ex S. Auguſtino. Canone 19. ſic ſtatuit Concilium: *Natura humana, etiamſi in illa integritate, in qua eſt condita, permaneret, nullo modo ſeipſam, Creatore ſuo non adjuvante, ſervaret.* *T. 4. Con. p. 1670. B.*

S. verò Aug. Lib. de correptione & gratia cap. 11. ſupponit, Adamum opus habuiſſe auxilio gratiæ: *Si autem*, inquit, *hoc adjutorium vel Angelo, vel homini, cùm primùm facti ſunt, defuiſſet..... non utique ſua culpa cecidiſſent: adjutorium quippe defuiſſet, ſine quo permanere non poſſent.* *T. 10. p. 768. A.*

℞. Nego ant. Licèt enim objectum talis præcepti fuerit naturale, erat tamen tum ex parte præcipientis, tum ex parte motivi & circumſtantiarum, præceptum poſitivum & ſupernaturale. Deus enim ut Auctor gratiæ, quam Adamo in ortu ſuo conceſſerat, ipſi prohibuit, ne de fructu vetito manducaret; nempe ut exploraret ejus fidem, charitatem probaret, & experiretur obedientiam: fidem quidem, quia non potuit Adamus abſtinere à fructu prohibito, niſi prævia & duce fide, qua pœnam mortis tum animæ, tum corporis à Deo intentatam, ſibi reipſa infligendam fore crederet: charita-

Digitized by Google

tem autem & obedientiam, quia per obſervationem præcepti, egregium utriuſque teſtimonium exhibuiſſet. Adde, quòd obſervationi hujus mandati annexa fuerit à Deo & immunitas à morte temporali, & æterna in Cœlo poſſidenda felicitas; unde meritoria fuiſſet vitæ æternæ. Quid ergo mirum, ſi Adamus opus habuerit gratiæ ſupernaturalis auxilio? Hinc patet reſponſio ad Concilium Arauſicanum, & S. Auguſtinum; loquuntur etenim de præcepto, quod erat ſupernaturale, aut quantùm ad ſubſtantiam, aut quantùm ad modum: fatemur autem ultrò, ad obſervationem talis præcepti neceſſariam planè eſſe Divinam gratiam.

Objicies 2. contra ſecundam partem ejuſdem 2. concluſionis, nonnulla Scripturæ teſtimonia.

Deuteronomii 30. v. 11. Moyſes ait: *Mandatum hoc, quo ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum.*

Eccli. 15. v. 16. *Si volueris mandata ſervare, conſervabunt te.*

Rom. 2. v. 14. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt.* Ergo poteſt homo naturaliter ſeu naturæ viribus, ſine gratia, obſervare legis naturalis præcepta.

Denique Apoſtolus ad Philippenſes cap. 3. v. 6. fatetur, ſe nondum ſub gratia, ſed ſub lege conſtitutum, *ſecundùm juſtitiam, quæ in lege eſt, converſatum ſine querela.*

℞. Ad 1. teſtimonium, diſtinguo: mandatum hoc non ſupra te eſt, quantùm ad cogitionem; quia facilè in ea, quæ datur, lege, cognoſci poteſt, concedo: non ſupra te eſt, quantùm ad executionem, ſubdiſtinguo: mediante auxilio gratiæ, concedo: ſine auxilio gratiæ, nego. Duplici ergo ſenſu exponi poteſt citatum ex Deuteronomio teſtimonium; primò de cognitione præcepti, ita ut ſenſus ſit: Mandatum dilectionis Dei ex toto corde, & converſionis ad ipſum, non ſupra te eſt, ſed facilè cognoſci à te poterit in ea, quam jam promulgo, lege. Senſum illum indicare videntur verba hæc ſequentia: *Nec in Cœlo ſitum, ut poſſis dicere: Quis noſtrum valet ad Cœlum aſcendere, ut deferat illud ad nos, & audiamus atque opere compleamus? Neque trans mare poſitum, ut cauſeris & dicas: Quis ex nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos uſque deferre? .... Sed juxta te eſt ſermo valdè, in ore tuo, & in corde tuo.* Exponi 2. poteſt de executione præcepti, ita ut ſenſus ſit; Mandatum hoc non eſt ſupra vires tuas poſitum, mediante gratia quæ tibi datur vel offertur. Unde v. 6. dicitur: *Circumcidet Dominus Deus cor tuum, & cor ſeminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua.* Uterque verò ille ſenſus rectè cohæret cum noſtra concluſione.

Ad teſtimonium Eccleſiaſtici & alia hujuſmodi, S. Auguſtinus Lib. de Gratia & libero arbitrio cap. 15. & 16. reſpondet, his locis demonſtrari liberum arbitrium, per quod præcepta implenda ſint; at non excludi gratiam, ſine qua impleri non poſſunt. Quemadmodum & in aliis multis teſtimoniis, quæ contraria iſtis videntur, gratiæ neceſſitas demonſtratur, nec liberum excluditur arbitrium. *Certum eſt*, ait ſanctus Doctor Lib. de Grat. & lib. arb. cap. 16. nu. 32. *nos mandata ſervare, ſi volumus: ſed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum eſt, ut tantùm velimus, quantùm ſufficit, ut volendo faciamus. Certum eſt nos velle, cùm volumus: ſed ille facit ut velimus bonum.*

T. 10. p. 734. G.

Ad

Ad teſtimonium Apoſtoli ex cap. 2. ad Romanos, diſtinguo: Gentes naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt, id eſt, aliqua legis faciunt, concedo: omnia, ſubdiſtinguo: omnia quæ ad aliquam legem pertinent, v.g. ad legem honorandi parentes, eſtò: omnia quæ pertinent ad omnem legem naturalem collectivè ſumptam, neg. Jam ſuprà diximus, ex illo Apoſtoli loco ſolùm colligi, gentes poſſe naturaliter implere aliquod mandatum legis naturalis, non tamen omnia: vel ſi volueris, poſſe ea omnia implere, quæ pertinent ad aliquam legem, v.g. poſſe implere omnia officia, quæ poſtulat lex honorandi parentes.

Quòd ſi cum Auguſtino iſtud *naturaliter* non opponamus gratiæ Chriſti, ſed dumtaxat legi Moſaicæ, ut ſenſus ſit: Gentes ſine lege Moyſis, & cum ſola Chriſti gratia ea, quæ legis ſunt naturalis, obſervavere, tota evaneſcit objectio. *Nec moveat*, ait S. Auguſtinus Lib. de ſpiritu & littera cap. 27. *quòd naturaliter eos dixit, quæ legis ſunt, facere, non Spiritu Dei, non fide, non gratia. Hoc enim agit Spiritus gratiæ, ut imaginem Dei, in qua naturaliter facti ſimus, inſtauret in nobis .... non quòd per naturam negata ſit gratia, ſed potiùs per gratiam reparata natura.* *Ibid. pag. 110. E.*

Ad ultimum ex cap. 3. ad Philippenſes, ſignificat dumtaxat Apoſtolus ſe Judaico more vixiſſe irreprenſibilem in lege; ita ut exteriùs videretur eſſe ſine peccato, propter externam legis obſervantiam. Nihilominus ad Titum 3. v. 3. ait: *Eramus aliquando & nos inſipientes, increduli, errantes, ſervientes deſideriis & voluptatibus variis, in malitia & in invidia agentes, &c.*

Objicies 3. Auctoritatem S. Chryſoſtomi hom. 5. in Epiſt. ad Rom. ubi ſcribit, *admiratione dignos eſſe*, (Gentiles) *quòd nec lege ipſis opus fuerit, & tamen omnia, quæ legis erant, præſtiterint.* *Pag. 44.*

℞. Senſum S. Chryſoſtomi eſſe, vel Gentiles impleviſſe omnia, quæ ad aliquam dumtaxat legem pertinent, ita ut in ea ſervanda nihil peccaverint, non tamen ſervaſſe omnes leges; vel in tota Gentilium collectione varias leges naturæ obſervatas fuiſſe, non omnes quidem à ſingulis, ſed à ſingulis aliquas, cùm nempe nulla erat difficultas vel ex parte operis, vel ex parte tentationis. Docet enim idem S. Chryſoſtomus homil. 13. in Epiſtolam ad Rom. ad iſta verba S. Pauli: *Miſer ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Legem non ſufficere ſine gratia; nec ſalutis ſpem, ac tentationum victoriam haberi poſſe ſine ſpeciali adjutorio Dei. *Pag. 140.*

Objicies 4. Auctoritatem S. Hilarii in expoſitione Pſalmi 68. n. 24. ad illud, *deleantur de libero viventium*: ubi duplicem librum diſtinguit, alterum viventium, alterum Juſtorum; & dicit, *eos in libro viventium ſcriptos eſſe, qui anteà ſine ulla Chriſti cognitione piè in lege verſati omnia præſcripta legis impleverint, de quibus Apoſtolus* Rom. 10. *Qui fecerit ea, vivet in illis. Eos autem ſcribi in libro Juſtorum, quibus juſtitia Chriſtus factus eſt*: ſecundùm illud: *Juſtus ex fide vivit*. Supponit igitur ſanctus Doctor, eos eſſe in libro viventium ſcriptos, qui ſine ulla Chriſti cognitione ac gratia, quæ legis ſunt naturalis, adimplevere. *Pag. 217. C.*

℞. Mentem S. Hilarii eſſe, eos ex Gentilibus, qui exteriùs abſtinent ab iis criminibus, quibus tranquillitas humanæ ſocietatis perturbatur, quique hominum judicio viri probi ac juſti habentur, ſcriptos eſſe in libro viventium, id eſt, vivere vita corporali; quo ſenſu dicebat Poeta: *Non feci furtum, non pa-*

paſcam in cruce corvos. Eos pariter, qui bonum opus quoad ſubſtantiam exteriùs operantur, licèt ex prava intentione ac perverſo fine, tranquillè vivere nec puniri; cùm nulla lex humana ſupplicium mortis decernat adversùs eos, qui opus ex officio bonum malè faciunt, id eſt, intentione mala & fine perverſo. Solus Deus, qui cordium ſcrutator eſt, ejuſmodi opera hominum judicio bona, tanquam vera peccata deteſtatur ac punit.

Objicies 5. Præcepta legis naturalis non ſunt impoſſibilia; vult enim Deus ea obſervari. *Deus*, ait S. Auguſtinus lib. de nat. & grat. cap. 43. n. 50. *impoſſibilia non jubet, ſed jubendo admonet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis*. Atqui verè impoſſibilia forent illa mandata, ſi homo ante gratiam phyſica laboraret ad illa obſervanda impotentia; quin etiam & phyſica neceſſitate ad peccandum adigeretur: quæ profectò doctrina, non tantùm Janſenianæ conſentit, ſed etiam longiùs progredi videtur; ſiquidem Janſeniani non phyſicam, ſed moralem dumtaxat admittunt ante gratiam obſervandi mandata impotentiam.

T. 10. p. 148. F.

Reſp. diſtinguo maj. Præcepta legis naturalis non ſunt impoſſibilia, cum gratia, quæ præſto adeſt, concedo: *Juſtè enim*, ait S. Leo Serm. 16. de Paſſione Domini, *nobis inſtat præcepto, qui præcurrit auxilio*. Non ſunt impoſſibilia ſine gratia, ſubdiſtinguo: hoc ſenſu, quòd homo remotam habet capacitatem recipiendi gratiam, per quam poſſit proximè implere præcepta, concedo: hoc ſenſu, quòd proximè poſſit phyſica potentia ſine gratia illa implere, nego. Diſtinguo min. Atqui impoſſibilia forent illa præcepta, phyſica impotentia proxima, ſi gratia deeſſet, concedo: phyſica impotentia remota, nego. Unde nego duplex illud, quod ex doctrina noſtra infertur, conſectarium: primùm quidem, nempè hominem phyſica neceſſitate ad peccandum compelli. Homo quippe ſemper liber eſt, nec ullum eſt peccatum, quod, ſi voluerit, declinare non poſſit. Nemo enim peccat, ait S. Auguſtinus, in eo quod vitare non poteſt. Ipſimet adverſarii, qui impotentiam illam ante gratiam emollito nomine moralem dumtaxat appellant, hanc ipſam difficultatem ex neceſſitate peccandi ortam, ſolvendam pariter habent: dicatur enim phyſica, vel tantùm moralis impotentia & neceſſitas, vera ſemper eſt ac propriè dicta impotentia & neceſſitas, quæ tolli non poteſt niſi per gratiam, quæ relativè ad oppoſitam actualem concupiſcentiam, par ſit illi ſuperandæ ac obſervando mandato.

Ed. nov. in 4. T. 1. p. 291.

Alterum conſectarium non minùs falſum eſt, doctrinam ſcilicet concluſionis noſtræ ſuffragari Janſenianæ, imò ea longiùs progredi. Non magis profectò diſtat Cœlum à terra, quàm noſtra ſententia à Janſeniana.

I. Janſenianus error in eo poſitus eſt, quòd in homine juſto, de quo prima Propoſitio loquitur, nullam agnoſcat gratiam verè ſufficientem; id eſt, quæ relativè ad oppoſitam concupiſcentiam tollat impotentiam, quæ dicitur eſſe in juſto ad obſervandum mandatum: quia ſcilicet gratia illa inferior, nullo modo poteſt relativè ſuperare oppoſitam majorem concupiſcentiam. *Major enim eſt*, inquiebat Sambovius, *reſiſtentia concupiſcentiæ, quàm virtus gratiæ parvæ*. Nos autem veram agnoſcimus in illo homine juſto gratiam relativè ſufficientem; id eſt, parem ſuperandæ concupiſcentiæ & obſervando præcepto, ſeu mediatè, ſeu immediatè. *Minima enim gratia poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, & vitare omne peccatum mortale*, ait S. Thomas 3. parte q. 70. articulo 4.

II. Im-

II. Impotentia, quam Janſenianis placet moralem appellare, reipſa phyſica eſt, cùm oriatur ex defectu gratiæ, hoc eſt, delectationis cœleſtis ſuperioris, quæ phyſicam potentiam perficere debet in ordine ad actus ſupernaturales. Solo igitur nomine hìc diſcrepamus. Nos phyſicam, Janſeniani moralem dicunt impotentiam, quæ in rei veritate phyſica eſt. Non igitur longiùs noſtra, quàm Janſeniana hic progreditur ſententia: in hoc verò diſtamus maximè, quòd phyſicam illam impotentiam tolli contendamus per gratiam verè ac relativè ſufficientem; Janſeniani verò eam non tollunt per ſuam parvam ſeu inferiorem gratiam, quæ abſolutam dumtaxat & abſtractam confert poteſtatem, non verò relativam ſeu proportionatam præſentibus ſubjecti diſpoſitionibus.

III. Janſeniani talem impotentiam, moralem dumtaxat, non verò phyſicam appellavere, ne omnes in ſe concitarent Catholicos; ſi nempe denegando juſtis gratiam verè ſufficientem, præcepta ipſis phyſicè impoſſibilia eſſe dixiſſent: cautè igitur temperanda ipſis fuit aſperitas ſententiæ molliori aliquo vocabulo. Opportunius autem non occurrit, quàm impotentiæ moralis: igitur ante gratiam mandata Dei phyſicè poſſibilia dixerunt; ſicque maluerunt accedere ad Pelagium, quàm à Janſenio recedere.

Inſtabis: Ille phyſica ad peccandum neceſſitate compellitur, qui phyſica laborat ad mandatum obſervandum impotentia.

℞. Diſtinguo maj. Si nulla ipſi adſit gratia, qua juvetur ac ſublevetur ejus infirmitas & impotentia tollatur, concedo: ſi adſit ejuſmodi gratia, nego. Jam obſervavimus, nodum iſtum adverſariis perinde ac nobis ſolvendum eſſe; quandoquidem moralis impotentia, quam illi admittunt, vera eſt impotentia, imò & phyſica. Cæterùm longè difficiliùs ab illis, quàm à nobis propoſita difficultas diluitur; eò quòd illi negent juſtis ſemper præſto eſſe gratiam verè ac relativè ſufficientem ad illam moralem ſuam impotentiam tollendam; nos verò gratiam hanc juſtis non deeſſe contendimus.

Objicies 6. Obſervatio mandatorum legis naturalis proportionata eſt viribus naturæ: ergo ante gratiam non eſt homini impoſſibilis.

℞. Ut ſuprà: diſtinguo ant. Eſt proportionata viribus naturæ integræ, concedo: lapſæ & infirmæ, nego. *Hæc præcepta*, inquit Eſtius in 2. diſt. 26. parag. 41. *rectè naturalia dicuntur: tum quia naturalis ratio dictat ea facienda; tum etiam quia per naturam integram, ſanam & incorruptam, quantùm quidem eſt ex parte ipſius naturæ, poſſunt omnia ſervari. Sed quia peccato vitiata nunc eſt ac debilitata natura, fit ut ad eadem præcepta ſervanda jam non valeat, niſi adjuta dono ſupernaturalis auxilii, quo ſublevetur ac ſanetur ejus infirmitas.* Eadem eſt Bellarmini reſponſio Lib. 5. de Gratia & libero arbitrio c. 6. Pag. 335. col. 1. D.

Objicies 7. Poſſunt aliqua legis naturalis præcepta obſervari: ergo & omnia brevi ſaltem tempore.

℞. Nego conſeq. Perinde eſt ac ſi dicerem: poteſt quis unum movere lapidem; ergo & magnam lapidum molem ſeu congeriem. Pariter, poteſt qui à morbo convaleſcit nec vires plenè confirmatas habet, breve aliquod iter perficere; ergo & longum ac laborioſum. Quis conſequentiam admitteret? Poteſt igitur homo ſine gratia pares habere vires alicui facili & obvio naturali præcepto adimplendo; non autem arduo ac difficili, ſive ex objecto, ſive ex tentatione, aliiſque circumſtantiis.

Digitized by Google

Objicies 8. contra primam partem 2. concluſionis: Nulla major eſt tentatio, quàm mortis imminentis: atqui poteſt homo naturaliter vincere tentationem mortis, quales fuere inter Romanos nonnulli, qui ſe pro ſalute Patriæ morti conſtanter devovere: quales hæretici vel ſchiſmatici, de quibus S. Auguſtinus L. de patientia c. 27. n. 23.

℞. Mortis tentationem ſeu formidinem ſuperari, vel ex motivo vanæ gloriæ, oſtentationis, cupiditatis, aut ferocis cujuſdam pertinaciæ, ad nominis gloriam aut ſectæ propagationem; quæ quidem victoria & mortis contemptus ex motivo ac pravo fine vitiatur. *Fortitudinem Gentilium*, ait S. Au-
T. 10. p. 922. E. guſtinus Lib. 1. Operis imperfecti contra Julian. cap. 83. *mundana cupiditas; fortitudinem Chriſtianorum Dei charitas facit*. Ut enim ait Poeta: *Vincit amor Patriæ, laudumque immenſa cupido*. Vel ſi ex honeſto ac laudabili motivo morti quis ſive infidelis, ſive hæreticus aut ſchiſmaticus, ſe objiciat, ad patriæ ſalutem, aut veritatis alicujus defenſionem, non ſine auxilio gratiæ Dei opus tam difficile & arduum exequitur. Ita S. Auguſtinus L. de patientia c. 28. ubi donum illud gratiæ ait eſſe *non filiorum & hæredum, ſed exhæredatorum*; quod
T. 6. p. 514. E. nempe ipſis prodeſt, non ut ad regnum Cœlorum promoveantur, ſed ut mitiùs propter alia peccata puniantur.

Egregiè S. Auguſtinus eodem Lib. c. 17. n. 14. p. 450. diſtinguit patientiam, quæ eſt ex concupiſcentia, ab ea, quæ eſt ex gratia. *Concupiſcentia*, inquit,
Ibid. p. 542. A. *quæ non eſt ex Patre, ſed ex mundo, quantò fuerit in homine vehementior & ardentior, tantò fit quiſque pro eo quod concupiſcit, omnium moleſtiarum dolorumque patientior. ... Non eſt iſta deſurſum deſcendens .... illi falſæ patientiæ poteſt ſine adjutorio Dei humana voluntas ſufficere; tantò durior, quantò cupidior; & eò tolerabiliùs mala ſuſtinens, quò ipſa fit pejor: huic autem, quæ vera patientia eſt, ideo voluntas humana, niſi deſuper adjuta & inflammata non ſufficit, quia Spiritus ſanctus eſt ignis ejus*.

Inſtabis S. Thomas in 2. diſt. 28. q. 1. art. 2. docet hominem ſine gratia vitare poſſe omnia mortalia peccata, licèt difficilè: ergo cenſet illum etiam poſſe omnes ſuperare tentationes.

Reſpondet Eſtius in 2. diſt. 26. parag. 44. S. Thomam hęc quę ſcripſit ſuper Sententias ex receptis ac vulgatis ſuo tempore opinionibus, ac re nondum ſatis diligenter excuſſa, tacitè retractaſſe in Scriptis poſterioribus; quibus expreſsè contrarium docet. Loca ſunt L. 3. contra Gentes cap. 160. de Veritate q. 24. art. 12. 1. 2. q. 63. art. 2. ad 2. ac denique ex profeſſo eadem parte q. 109. art. 8.

Objicies 9. contra 2. partem ejuſdem 2. concluſionis: Quæ laudata fuere in probationem 2. concluſionis momenta, ex Scripturis, Conciliis, ac SS. Patribus, omnium tentationum, nulla facta diſtinctione gravium aut levium, victoriam divinæ gratiæ auxilio adſcribunt.

Præterea, victoriam levium tentationum à Deo poſtulamus: ergo gratiam
T. 2. p. 623. G. prærequirit. *Oratio enim*, ait S. Auguſtinus, *clariſſima eſt gratiæ teſtificatio*.

Deinde, quòd tentatio ſit levis, Dei beneficium eſt: Deo quippe tribuendum eſt, ait S. Auguſtinus L. 2. Confeſſ. c. 7. quòd peccatum non committamus, quia ſi ejus occaſio vel tentatio occurrit, gratia Dei facit ut vincatur; ſi verò non occurrit, gratia Dei facit ut non veniat.

Pag. 531. Denique S. Joannes Chryſoſtomus hom. 24. in primam ad Corinth. docet, omnes planè tentationes ſine gratia vinci non poſſe. Idem & S. Gregorius Ma-

gnus

Digitized by Google

gnus L.9.Moral.cap.53.aliàs 29.ubi exponens iſta verba Job: *Et in pulverem deduces me*, ait, *hominem reduci ad pulverem, quia dimiſſus ſibi cujuslibet tentationis aura raptatur*, Cujus rei rationem petit ex numero & frequentia tentationum, hom.12. in Ezechielem; ſæpè enim uno tempore à pluribus hoſtibus oppugnamur, & dum unus à fronte ſe palam oſtentat, alius à tergo clam inſidiatur. T. 1 p. 323 D.

℞. ad 1. Non ſine cauſa Veteres non diſtinxiſſe inter victoriam gravium aut levium tentationum. 1. Quia tacitè ſupponebatur ex utraque parte illa diſtinctio. 2. Quia diſtinctio hæc nihil conferebat ad cauſam & victoriam Eccleſiæ adversùs Pelagianos, qui cùm indiſtinctè omnium tentationum victoriam humanis viribus tribuerent, refelli meliùs non potuerunt, quàm ſi harum indiſtinctè victoria ad gratiam Dei referretur. 3. Quia ex ſingulari Dei protectione ut plurimùm contingit tentationem levem eſſe. 4. Quia etſi poſſit homo ſuis viribus aliquam leviſſimam vincere, quia tamen id rarò contingit, ac brevi remiſſis ac defatigatis viribus alteri tentationi ſuccumbit, inde meritò, nullo facto diſcrimine, omnium tentationum victoriam à Deo eſſe Veteres docuerunt. Hinc patet ſolutio ad 2. & 3. Gratiam quippe à Deo poſtulamus, quia, ut dictum eſt, divina protectione ut plurimùm contingit leviores eſſe tentationes. SS. Chryſoſtomus & Gregorius Magnus exponi facilè poſſunt, vel de gravioribus tentationibus, vel de facili & prompta victoria levium, vel denique de victoria, quæ ordinem dicat ad vitam æternam.

Quæres, quodnam auxilium gratiæ requiratur ad hoc, ut omnia legis naturalis præcepta impleantur, & graves tentationes ſuperentur?

℞. 1. Ut lex ſervetur quantùm ad modum, id eſt meritoriè ad vitam æternam, requiri auxilium gratiæ, quæ ſupernaturalis ſit, tum quoad modum, tum quoad ſubſtantiam: ut verò lex ſervetur quantùm ad ſubſtantiam tantùm, id eſt operis honeſtatem, ſufficere auxilium ſupernaturale ratione principii, non verò ratione objecti.

Utraque reſponſionis pars videtur manifeſta. Prima quidem; quia auxilium gratiæ debet reſpondere fini, ad quem ordinatur & tendit: cùm ergo legis obſervatio quantùm ad modum conſiderata, tendat ad finem planè ſupernaturalem, intuitivam ſcilicet Dei viſionem, conſequenter neceſſarium eſt auxilium, quod ſit ſupernaturale quoad ſubſtantiam & modum: auxilium porrò illud, fides eſt ac charitas. Peccata enim vitari, ac legis mandata *veraciter atque ſinceriter* impleri non poſſunt, *niſi veræ delectatione juſtitiæ, quæ eſt in fide Chriſti*, ait S.Auguſtinus Lib.21. de Civitate Dei cap.16.... *Atque tunc*, pergit, *victa vitia reputanda ſunt, cùm Dei amore vincuntur, quem niſi Deus ipſe non donat, nec aliter niſi per Mediatorem Dei & hominum hominem Jeſum Chriſtum.* Tom. 7 p. 639. C. Ib. D.

Altera verò pars non minùs certa videtur: quia auxilium illud ſupernaturale dicitur ratione principii, non verò ratione objecti, quod eſt quidem indebitum, ſed hominem dumtaxat dirigit ad finem naturalem, non verò ſupernaturalem. Atqui auxilium quod requiritur ad obſervanda legis naturalis præcepta, quantùm ad ſubſtantiam dumtaxat conſiderata, indebitum eſt homini lapſo, eumque non ad finem ſupernaturalem, ſed tantùm naturalem dirigit: ergo ſupernaturale eſt tantùm ratione principii, non verò ratione objecti.

Reſp. 2. Gratiam ſanctificantem ſeu habitualem abſolutè & ex natura rei non eſſe neceſſariam, ut obſerventur legis naturalis præcepta.

Ratio eſt, quia duo tantùm obſtant ex parte hominis, ac impediunt man-

datorum obſervantiam; ignorantia in intellectu, & difficultas in voluntate: atqui duo hæc impedimenta removeri poſſunt per gratiam actualem, quæ mentem illuſtret ac torpentem excitet voluntatem.

Reſp. 3. ex ordinatione Dei ac de lege communi, gratiam ſanctificantem neceſſariam eſſe, ut omnia legis naturalis præcepta impleantur.

Ratio eſt, quia ante gratiam ſanctificantem infirma eſt natura nondum ſana, nondum liberata; cor inconſtans, & à Deo averſum. *Peccatum peccavit Jeruſalem, propterea inſtabilis facta eſt*, ait Scriptura Threnorum 1. v. 8. unde Pſaltes Regius Pſal. 17. ait: *Diligam te Domine, fortitudo mea, Dominus firmamentum meum & refugium meum*. S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 8. docet, *hominem in ſtatu naturæ corruptæ indigere gratia habituali ſanante naturam, ad hoc quòd*
T. 10. p. *omninò à peccato abſtineat*. Et S. Auguſtinus Lib. de ſpiritu & littera cap. 26. n.
109. D. 45. *Sic intelligendum eſt*, inquit, *factores legis juſtificabuntur, ut ſciamus aliter eos non eſſe factores legis, niſi juſtificentur; ut non juſtificatio factoribus accedat, ſed ut factores legis, niſi juſtificatio præcedat*. Rationem reddit S. Gregorius Ma-
Ed. n. T. gnus Lib. 25. in Job cap. 9. *Quia peccatum*, inquit, *quod pœnitentia non diluit,*
; p. 799. *mox ipſo ſuo pondere ad aliud trahit*.

c. ℞. 4. Præter habitualem ſeu ſanctificantem gratiam adhuc neceſſariam eſſe actualem: tum quia Chriſtus pro ſuis Apoſtolis ſanctificantem gratiam jam adeptis, auxilium à Patre poſtulavit Joan. 17. tum quia ſic docet Cæleſtinus
T. 2. Con. S. Pontifex in Epiſtola ad Gallos cap. 3. *Nemo*, inquit, *etiam per Baptiſmatis*
p. 1615. *gratiam renovatus, idoneus eſt ad ſuperandas diaboli inſidias, & ad vincendas car-*
A. *nis concupiſcentias, niſi per quotidianum adjutorium Dei perſeverantiam bonæ converſationis accipiat*. Eadem eſt S. Auguſtini mens, atque ſententia Lib. de na-
T. 10. p. tura & gratia cap. 26. n. 29. *Sicut*, inquit, *oculus corporis etiam pleniſſimè, ſa-*
140. A. *nus niſi candore lucis adjutus non poteſt cernere, ſic homo etiam perfectiſſimè juſtificatus, niſi æterna juſtitiæ luce divinitùs adjuvetur, rectè non poteſt vivere*. Denique, quia homo à Deo pendet, non ſolùm quantum ad potentiam agendi ſeu facultatem, ſed etiam quantùm ad ipſammet actionem.

ARTICULUS V.

Utrum ſine gratia homo poſſit mereri vitam æternam?

EX iis, quæ articulo 2. dicta ſunt, facilè ſolvitur propoſita quæſtio. Quippe ſi nullum planè opus ſupernaturale conferens ad vitam æternam fieri poteſt ſine auxilio gratiæ, quantò minùs poterit ipſa vita æterna, quæ finis eſt illorum bonorum operum, comparari ſine gratia? Unde meritò S. Paulus Rom. 5. v. 23. pronuntiat: *Gratia Dei vita æterna*. Et Regius Pſaltes Pſal. 83. v. 12. *Gratiam & gloriam dabit Dominus*.

Rationem ſubjicit S. Thomas hic articulo 5. Quia actus perducentes ad finem debent eſſe fini proportionati: atqui actus naturales non ſunt proportionati vitæ æternæ, quæ finis eſt ſupernaturalis. 1. Corinth. 2. v. 9. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum*.

Di-

Digitized by Google

Dices: Matth. 5. v. 12. vita æterna dicitur merces; *Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis*; Atqui merces redditur homini ſecundùm opera ejus, juxta iſtud Pſal. 61. v. 13. *Reddes unicuique juxta opera ſua.*

Reſp. diſtinguo min. Merces redditur juxta opera facta ex beneficio gratiæ, concedo: ſine beneficio gratiæ, nego. Deus enim in nobis dona ſua coronat, quando bonis operibus æternam retribuit mercedem. *Tanta eſt*, ait Cæleſtinus S. P. in Epiſtola ad Gallos, *Dei erga nos bonitas, ut noſtra eſſe velit merita, quæ ſunt ipſius dona.* T. 4 Con p. 1617. D.

ARTICULUS VI.

Utrùm homo poſſit ſe ad Gratiam præparare ſine Gratia?

PElagianorum error iſte fuit, poſſe hominem ſolis liberi arbitrii viribus gratiam à Deo promereri, quæ ad bonum, non quidem ſimpliciter, ſed faciliùs operandum neceſſaria foret. Semipelagiani verò ad gratiam fidei pervenire hominem poſſe aſſerebant per quoſdam pios naturæ conatus, & bonum voluntatis affectum in fidem ſuſcipiendam. Julianus tum ad fidem, tum ad juſtificantem gratiam, hominem præparari ac diſponi volebat per deſiderium ac ſtudium recuperandæ ſanitatis, quod præcedit, & natura ipſa inſpirat.

Eſtius in 2. Sentent. diſt. 26. parag. 34. refert nonnullos Scholæ Theologos docuiſſe, poſſe hominem per opera moraliter bona ex merito, ut vocant, de congruo, conciliare ſibi primam gratiam, eoque pacto ſe ad illam præparare & diſponere; juxta quem ſenſum intellexerunt illi tritum iſtud Scholæ effatum: *Facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam.* Ita ſenſiſſe ait, Durandum, Scotum & Gabrielem in hanc diſtinctionem; ac rurſum Durandum 4. diſt. 15. q. 3. Thomam Argentinenſem tum hoc loco, tum in 1. diſt. 41. art. 2. Altiſſiodorenſem in Summa L. 1. c. 15. q. 3. Et inter Neotericos, Alfonſum à Caſtro Lib. 2. de lege pœnali c. 14. ubi pro ea ſententia fortiter adeo pugnat, ut diverſam ſententiam impietatis & hæreſeos condemnet, non abſque grandi temeritate.

Obſerva duplicem hic diſtingui poſſe ad gratiam præparationem: unam proximam, remotam alteram. Proxima dicitur, cui tanquam ultimæ diſpoſitioni accedit gratia: remota verò, quæ id meretur, cui ſubinde gratia promiſſa eſt.

CONCLUSIO.

Non poteſt homo ſe ullo pacto præparare ad gratiam ſine gratia.

Hujus concluſionis probationes præoccupatæ jam à nobis fuerunt, cùm ſuperiùs adversùs Pelagianos ac Semipelagianos demonſtravimus, nullum planè opus ſupernaturale, quod ad veram pietatem & vitam æternam pertineat, fieri poſſe ſine ſpeciali gratiæ auxilio. Hoc unum igitur hîc à nobis jam exigi videtur, ut evolvamus ac rejiciamus modos varios, quibus fingi poſſet hominem ſibi relictum, poſſe ad primam gratiam ſe præparare, eamque certa lege à Deo ſibi conciliare.

I. Si

I. Si propter naturalia opera moraliter bona in quibus inſit ratio meriti, vel de condigno ex juſtitia, vel de congruo ex quadam decentia, gratia concedi à Deo dicatur: atqui modus ille totus eſt Pelagianus, funditusque evertit eſſentiam gratiæ, quæ planè gratuita eſt, nullisque operibus naturæ debita. Rom. 3. v. 20. *Ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro.* Et v. 24. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius.* Et cap. 4. v. 2. 3. & 4. *Si Abraham ex operibus juſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum. Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam. Ei autem qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum.* Epheſ. 2. v. 8. *Gratia eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt; non ex operibus, ne quis glorietur.*

Pag. 314. C. Vel apud Aug. Tom. 10. in App. p. 174. A. — Inde eſt, quòd S. Proſper Lib. contra Collatorem c. 3. dicat, alloquens Caſſianum: *Quomodo non advertis, te in illud damnatum incidere .... gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari; cùm aliquid præcedere boni operis ex ipſis hominibus, propter quod gratiam conſequantur, affirmas? .... Impium eſt, ſic velle meritis ante gratiam exiſtentibus locum facere.*

Si qui ergo ex veteribus Scholæ Magiſtris in hunc ſenſum vulgare axioma: *Facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam*, interpretentur, quaſi per opera bona moralia naturalis ordinis de congruo poſſit homo gratiam mereri, planè improbandi ac deſerendi ſunt; quos Eſtius loco citato ait, non ſatis diligenter attendiſſe, quid SS. Patres docuerint.

II. Homo dici poteſt præparare ſe ad gratiam per deſiderium, quod habet recuperandæ ſanitatis animæ: verùm deſiderium illud à gratia eſſe docet fides Catholica; ut videre eſt in Concilio Arauſicano II. cujus Canones laudavimus antea.

III. Dici poteſt hominem ſe ad gratiam præparare, non quidem poſitivè, ſed negativè; vel quia minoribus implicatus eſt vitiis, ac meliori donatus indole & ingenio; vel quia ita vitam ſuam ex rectâ ratione inſtituit, ut omnem removeat obicem gratiæ recipiendæ; ſicque Deus ex benignitate quidem ac liberalitate, cui tamen ſe obſtrictum voluit, certa lege ac decreto, tali homini gratiam largiatur, non quòd illa opera rationem meriti habeant, ſed quòd Deo motivū ſint, conditio, vel occaſio, qua excitatur, ut gratiā liberaliter largiatur.

Verùm, nec iſte ſenſus admitti poteſt, qui in priorem recidit. Namque quàm multi ſunt cupiditatibus ſuis toti immerſi, ac graviſſimis onerati peccatis, qui de Deo ne cogitant quidem, qui tamen Divina preveniente ac efficaciter movente gratia, convertuntur ac ſalvi fiunt; quando alii multi non tot vitiis deformes, relinquuntur? Quo ſenſu Deus apud Iſaiam c. 65. v. 1. ait: *Quæſierunt me, qui antè non interrogabant; invenerunt, qui non quæſierunt me.* Et Apoſtolus Rom. 9. v. 30. *Gentes, quæ non ſectabantur juſtitiam, apprehenderunt juſtitiam, juſtitiam autem quæ ex fide eſt. Iſrael verò ſectando legem juſtitiæ, in legem juſtitiæ non pervenit. Quare? Quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus.*

Totum iſtud eleganter ac verè demonſtrat S. Auguſtinus Lib. 1. ad Simplicianum q. 2. in fine, ubi loquens de electione ad gratiam, ejusque cauſam

T. 6 pag. 103. A. — inquirens: *Non habeo*, inquit, *quòd intuear in eligendis hominibus ad gratiam ſalutarem ... niſi vel majus ingenium, vel minora peccata, vel utrumque: addamus etiam, ſi placet, honeſtas utileſque doctrinas.* Tum oſtendit nihil horum

Ibid. B. — cauſam ſeu motivum Deo eſſe poſſe electionis ad gratiam. *Quiſquis ergo fuerit*, pergit,

pergit, *quàm minimis peccatis irretitus atque maculatus, & acer ingenio, & liberalibus artibus expolitus, eligendus videtur ad gratiam. Sed cùm hoc ſtatuero, ita me ridebit ille, qui infirma mundi elegit, ut confundat fortia, & ſtulta mundi, ut confundat ſapientes..... Nonne advertimus multos fideles noſtros ambulantes viam Dei, ex nulla parte ingenio comparari, non dicam quorumdam hæreticorum, ſed etiam mimorum? Item nonne videmus quoſdam homines utriuſque ſexus in conjugali caſtitate viventes ſine querela, & tamen vel hæreticos, vel paganos, vel etiam in vera fide & vera Eccleſia ſic tepidos, ut eos miremur meretricum & hiſtrionum ſubitò converſorum, non ſolùm patientia & temperantia, ſed etiam fide, ſpe, charitate ſuperari? Reſtat ergo, ut voluntates eligantur. Sed voluntas ipſa, niſi aliquid occurrerit, quod delectet atque invitet animum, moveri nullo modo poteſt: hoc autem ut occurrat, non eſt in hominis poteſtate.* Ita S. Auguſtinus.

Et Lib. 1. de peccat. mer. & rem. cap. 22. quærit, *unde ſit, ut homo ab ineunte pueritia modeſtior, ingenioſior, temperantior, ex magna parte libidinum victor, qui oderit avaritiam, luxuriam deteſtetur, atque ad virtutes cæteras provectior aptiorque conſurgat, & tamen eo loco ſit, ubi ei prædicari gratia Chriſtiana non poſſit.... Alius autem tardus ingenio, libidinibus deditus, flagitiis & facinoribus coopertus, ita gubernetur, ut audiat, credat, baptizetur, rapiatur, aut ſi detentus hic fuerit, laudabiliter vivat?* Cujus diſcriminis cauſam nullam ex parte hominis reddi poſſe, ſed ad inſcrutabilia Dei judicia recurrendum eſſe affirmat S. Auguſtinus. Igitur dotes animi vel corporis, quæ gratiam antecedunt, non ſunt Deo cauſæ ac motivum, ut illos eligat, alios verò relinquat. *T. 10 p. 17. E. F.*

Fruſtra reponitur in eo explicandi modo nullum admitti ex parte hominis meritum, ſed tantùm hominem à ſe illa removere, quæ gratiæ recipiendæ obicem afferre poſſent. Namque juxta hunc explicandi modum, Deus fidem obſtrinxit ſuam, ut homini facienti quod in ſe eſt per ſolas naturæ vires, atque omnem gratiæ obicem removenti, gratiam conferret; quod certè ſignificat, eſſe aliquam ex parte hominis conferendæ gratiæ rationem. Non poteſt autem alia ratio intelligi, quàm meritoria, ſaltem ſecundùm generalem meriti ſignificationem: ubi autem meritum, ibi & præparatio. Quapropter pugnant inter ſe hæc duo, Deum ideo dare gratiam homini, quia facit, quod in ſe eſt, & gratiam ei dare ex pura liberalitate ac miſericordia: eſt enim ſemper ex parte hominis aliquid, quod Deum ex certa lege moveat ad conferendam gratiam; quo poſito, gratia purè gratuita non eſt, nec ſtat amplius, quod dixit Apoſtolus, 1. Cor. 4. v. 7. *Quis te diſcernit? Quid habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?*

Unde meritò Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus an. 1700. ſententiam iſtam proſcripſit: *Axioma Theologicum, facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam, non ſolùm veriſſimum eſt, verùm etiam per illud ſignificatur obligatio quam Deus habet dandi gratiam facienti, quod in ſe eſt; nec ſolùm facienti quod eſt ex ſe viribus gratiæ, ſed etiam illi, qui cùm non habeat gratiam, facit, quod in ſe eſt viribus naturæ....*

Item & iſtam Propoſitionem: *Dicimus obligationem, quam Deus habet conferendi gratiam facienti, quod in ſe eſt viribus naturæ, ſeu viribus gratiæ purè naturalis ſive non theologicè ſupernaturalis, non oriri ex bonitate talium operum, aut ex ullo merito ſive condigno, ſive congruo, quod inſit in illis operibus in ordine ad gratiam, ſed ex pacto inter Chriſtum fidejuſſorem noſtrum & Patrem inito, ad gratiam homi-*

hominibus conferendam propter Chriſti merita, reſpiciendo ea naturalia opera ut purum terminum, non ut meritum ullum aut rigoroſam conditionem.

Quam doctrinam Clerus Gallicanus cenſura perſtrinxit his verbis: *Hæ duæ Propoſitiones, qua parte cauſam diſcernendi inter juſtos & non juſtos, in opera merè naturalia referunt, Semipelagianiſmum inſtaurant mutatis tantùm vocibus. Pactum autem, quod inter Deum & Chriſtum aſſeritur, commentum eſt temerarium, erroneum, nec ſolùm tacente, ſed etiam adverſante Scriptura & SS. Patrum traditione prolatum.*

Igitur opera moralia ſolis naturæ viribus elicita, nec habent rationem meriti ſeu de condigno ſeu de congruo reſpectu gratiæ, nec Deo ſunt motivum, cauſa, vel regula, vel occaſio, vel conditio, qua Deus ex certa lege ac decreto ad gratiam conferendam moveatur & excitetur: adeòque nullo pacto nec proximè nec remotè poteſt homo ſe præparare ad gratiam ſine gratia.

Ratio manifeſta eſt: Quia omnis diſpoſitio quamdam habere debet proportionem cum forma, ad quam diſponit: atqui actus naturales nullam habent proportionem cum gratia; ergo non poſſunt ad gratiam diſponere.

Ex his facilè colligitur axioma iſtud Theologicum: *Facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam*, intelligendum eſſe de illo qui facit, quod in ſe eſt per gratiam excitantem, cui Deus majorem ac uberiorem non denegat, ſive habitualis illa ſit ac ſanctificans, ſive actualis & operans. Sic axioma iſtud exponit S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 6. ad 2. ubi cùm ſibi objeciſſet illud: *Si homo facit, quod in ſe eſt, Deus non denegat ei gratiam*; reſpondet: *Dicendum, quòd nihil homo poteſt facere, niſi à Deo moveatur, ſecundùm illud Joan. 15. Sine me nihil poteſtis facere. Et ideo cùm dicitur homo facere quod in ſe eſt, dicitur hoc eſſe in poteſtate hominis, ſecundùm quod eſt motus à Deo*. Quem ſenſum pluribus declarat eadem parte q. 112. art. 3. ubi ex profeſſo quærit, an facienti quod in ſe eſt, *neceſſariò detur gratia*. Clarè etiam eundem ſenſum

Tom. 18. *pag.* 98. *col.* 1. *A.* explicat in Commentario Epiſtolæ ad Rom. 10. Lectione 3. *Hoc ipſum*, inquit, *quod aliqui faciunt quod in ſe eſt, convertendo ſe ſcilicet ad Deum, ex Deo eſt movente corda ipſorum ad bonum, ſecundùm illud Threnorum 5. Converte nos, Domine, ad te, & convertemur.*

Dices: S. Thomas de veritate q. 24. art. 1. ad 2. ait: *Quòd quamvis gratiam,*

T. 10. *p.* 856. *col.* 1. *D.* *quæ opera meritoria facit, non poſſit homo ex libero arbitrio acquirere; poteſt tamen ſe ad gratiam habendam præparare, quæ ei à Deo non denegabitur, ſi fecerit, quod in ſe eſt*. Et q. 14. art. 11. ad 1. dicit: *Ad divinam providentiam pertinere, ut cuilibet provideat de neceſſariis ad ſalutem, dummodo ex parte ejus non impediatur. Si enim aliquis*, inquit, *in ſylvis, vel inter bruta animalia nutritus, ductum naturalis rationis ſequeretur in appetitu boni & fuga mali, certiſſimè eſt tenendum, quòd ei Deus vel per internam inſpirationem revelaret ea, quæ ſunt ad credendum neceſſaria; vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, ſicut miſit Petrum ad Cornelium*. Et ad 2. *Si nos fecerimus*, ait, *quod in nobis eſt, ut ſcilicet ductum rationis naturalis ſequamur, Deus non deficiet nobis ab eo, quod*

Ib. pag. 762. *col.* 2. *E.*

ibid. E. *eſt nobis neceſſarium*. Similis apud ſanctum Doctorem locus eſt de homine in ſylvis enutrito in 3. diſt. 25. q. 2. art. 1.

Reſp. S. Thomam citatis in locis exponendum eſſe; vel de homine faciente quod in ſe eſt per gratiam prævenientem, cui Deus ulteriorem gratiam largitur: vel ſi loquitur de homine faciente quod in ſe eſt ſolis naturæ viribus, dicen-

Digitized by Google

dicendum eum in ſua Summa, quæ poſtremum ipſius Opus eſt, ſententiam iſtam revocaſſe; in qua, quod obſervandum, nuſquam abſolutè & *Eſtius in* expreſsè ſic loquitur, ut dicat Deum facienti quod in ſe eſt, dare gratiam ; *2 diſt.26* ſed tantùm, commune illud dictum, quomodo intelligi debeat, exponit : *paragr.* necuſquam alibi dicit, hominem ſine auxilio gratiæ Dei facere quod in ſe eſt: *35.* ſic ut per hoc dici poſſit præparatus ad gratiam ; quin potiùs expreſsè id negat q. 24. de veritate articulo ultimo.

Multa alia objici hic poſſunt, quæ præoccupata jam fuerunt & ſoluta ad ſecundum hujus Quæſtionis quartæ articulum.

ARTICULUS VII.

Utrùm homo abſque Gratia reſurgere poſſit à peccato?

TAm certa & explorata eſt hac in parte fides Catholica, ut ne Pelagiani quidem gratiæ Chriſti hoſtes infenſiſſimi contradixerint. Ita teſtatur S. Aug. L. de Gratia & libero arbitrio cap. 13. n. 26. *Dicunt*, inquit, (Pelagiani) *T. 10. p.* *gratiam Dei, quæ data eſt per fidem Jeſu Chriſti, quæ neque eſt lex neque na-* *731. D.* *tura, ad hoc tantùm valere, ut peccata præterita dimittantur, non ut futura vitentur, vel repugnantia ſuperentur*. Quamquam nec ab omni errore puri hic etiam fuere Pelagiani, quorum ſententia erat, gratiam remiſſionis peccatorum dari ſecundùm merita pœnitentium, non verò ſecundùm Dei miſericordiam. *Tom. 2.* Ita ferebat 12. Pelagii Propoſitio in Concilio Dioſpolitano. Sit *Conc. p. 1529. E.*

CONCLUSIO.

Non poteſt homo ſine adjutorio gratiæ reſurgere à peccato.

Probat hic S. Th. quia homo per peccatum triplex incurrit detrimentum, ſcilicet maculam, corruptionem naturalis boni, & reatum pœnæ æternæ ; *1. 2. q. 1-* atqui triplex illud detrimentum reparinon poteſt ſine gratia. *109. art. 7.*

I. Per peccatum quædam animi labes ac macula contrahitur, quæ elui planè ac abſtergi non poteſt ſine gratia. Quapropter David Pſalm. 50. v. 4. ad Deum confugiens dicebat: *Lava me ab iniquitate, & à peccato meo munda me.* Et v. 9. *Aſperges me hyſſopo, & mundabor; lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.*

II. *Per peccatum*, inquit S. Thomas, *bonum naturæ corrumpitur, in quantùm natura hominis deordinatur, voluntate hominis Deo non ſubjecta*. At non poteſt ordo ille naturæ reſtitui, niſi per gratiam, quæ voluntatem hominis Deo ſubjiciat. Hinc Deus apud Ezechielem cap. 36. v. 26. ait: *Dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum ponam in medio veſtri, & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum.*

III. Per peccatum homo contrahit debitum pœnæ æternæ, quod ſolus Deus ſolvere ac relaxare poteſt. Coloſſ. 2. v. 14. de Chriſto vero Deo dicitur: *Donans nobis omnia delicta; delens quod adversùs nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci.*

Denique non poteſt homo à peccato reſurgere, niſi juſtus fiat; ſed Apoſtolus

ſtolus Rom. 3. v. 23. generatim pronuntiat; *Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei. Juſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu:* Unde Galat. 2. v. 21. idem Apoſtolus: *Si per legem juſtitia*, inquit, *ergo Chriſtus gratis mortuus eſt.* Accedit & Synodus Arauſicana ſecunda Can. 19.
Tom. 2. Conc p. 1570. B. his verbis: *Natura humana ....cùm ſine gratia Dei ſalutem non poſſit cuſtodire, quam accepit, quomodo ſine gratia poterit reparare, quod perdidit?*

Dices; Illud quod præexigitur ad gratiam, fit ſine gratia: atqui reſurgere à peccato præexigitur ad illuminationem gratiæ: dicitur enim Epheſ. 5. v. 14. *Exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* Ergo homo poteſt reſurgere à peccato ſine gratia. Ita ſibi objicit S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 7.

Reſp. Diſt. maj. Quod præexigitur ad gratiam actualem, fit ſine gratia, conc. quod præexigitur ad gratiam habitualem ſeu ſanctificantem, nego. Diſt. min. Reſurgere à peccato præexigitur ad illuminationem, quæ comitetur gratiam juſtificantem, concedo: ad motionem cujuſcumque gratiæ actualis, nego. Homo igitur non poteſt gratiam habitualem ſeu juſtificantem aſſequi, niſi à peccato reſurgat; at non poteſt à peccato reſurgere, niſi per auxilium gratiæ actualis. Unde S. Thomas hìc in reſponſione ad 2. docet, non eſſe in natura principium ſanitatis ſupernaturalis; ſicut eſt in ægro principium ſanitatis corporalis; atque peccatorem comparat cum homine mortuo, cui, ut vivat, anima infundenda eſt. *Naturalis ratio*, inquit, *non eſt ſufficiens principium hujus ſanitatis, quæ eſt in homine per gratiam juſtificantem; ſed hujus principium eſt gratia quæ tollitur per peccatum: & ideo non poteſt homo per ſe ipſum reparari, ſed indiget, ut denuò ei lumen gratiæ infundatur, ſicut ſi corpori mortuo reſuſcitando denuò infunderetur anima.*

ARTICULUS VIII.

Utrùm homo ſine Gratia poſſit non peccare?

INtelligi præſens quæſtio poteſt de peccato tum mortali, tum veniali. Ex his porrò, quæ art. 4. diſputata ſunt, perſpicuum eſt, non poſſe hominem omnia peccata mortalia diu declinare per accuratam omnium mandatorum legis obſervantiam, ſine gratia, & quidem habituali; ſeu, ut hìc loquitur S. Th.
1. 2. qu. 109. a. 6. *ſanante. In ſtatu naturæ corruptæ*, ait ſanctus Doct. *indiget homo gratia habituali ſanante naturam, ad hoc quòd omninò à peccato abſtineat.* Poteſt tamen, ut dicitur ibidem in concluſione, mortalia & ſingula & omnia vitare, ſi eſt natura per gratiam infuſam reparata; aliàs enim ne mortalia quidem omnia (præſertim tempore longo) vitare poteſt.

De peccatis igitur venialibus hìc potiſſimùm controvertitur; quæ ſpectari poſſunt, vel collectivè, vel diſtributivè: id eſt, vel omnia, vel ſingula. Non omnia quidem ſimul; neque enim omnia ſimul occurrunt cavenda, nec ulla eſt in homine facultas deſtinata illi omnibus ſimul declinandis; ſed omnia intelligimus diſtributivè, ſeu ſucceſſivè, an ſcilicet hæc & illa, & ſic deinceps comparata ad ſe invicem & ad totum, poſſint caveri.

Qua in re erraverunt Pelagiani, aſſerentes hominem poſſe vitam omnem ſuam ducere liberam & immunem ab omni peccato.

Quæſtio

Quæſtio autem movetur de homine juſto, & de auxiliis gratiæ vel ordinariis, vel extraordinariis: utrùm ſcilicet homo juſtus cum auxiliis gratiæ ordinariis poſſit ſe immunem ſervare ab omni peccato veniali? 2. Utrum id poſſit cum auxiliis gratiæ extraordinariis? 3. Utrùm aliqui juſti (exceptis Chriſto ac B. Virgine) reipſa vitam omnem duxerint immunem & puram ab omni labe peccati venialis. Ita quæſtionem & de poſſibili, & de actu proponit S. Auguſtinus L. 2. de pecc. mer. & rem. cap. 6. n. 7. *Alia quæſtio eſt*, inquit, *utrùm quis eſſe poſſit in hac vita ſine peccato, alia utrum ſit: alia, ſi non eſt cùm poſſit eſſe, cur non ſit: alia utrum qui omninò nunquam ullum peccatum habuerit, non ſolùm quiſpiam ſit, verùm etiam potuerit aliquando eſſe vel poſſit.* T. 10. p. 43. D.

PRIMA CONCLUSIO.

Homo juſtus poteſt cum gratia ordinaria, ſaltem ad breve aliquod tempus, vitare omnia peccata venialia.

Probatur ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. Can. 23. ubi damnans eos, qui dicunt, hominem juſtificatum poſſe in tota vita omnia peccata etiam venialia ſine ſpeciali Dei privilegio vitare, innuere videtur ſaltem ad breve aliquod tempus poſſe illa cavere.

Probatur 2. ex S. Hieronymo Lib. 3. contra Pelagianos, cujus hæc verba ſunt: *Hoc eſt quod tibi in principio dixeram, in noſtra eſſe poſitum poteſtate, vel peccare vel non peccare: & vel ad bonum vel ad malum extendere manum; ut liberum ſervetur arbitrium: ſed hoc pro modo & tempore & conditione fragilitatis humanæ: perpetuitatem autem impeccantiæ ſoli reſervari Deo, & ei qui Verbum caro factus, carnis detrimenta & peccata non pertulit. Nec quia ad breve poſſum, coges me, ut poſſim jugiter. Poſſum jejunare, vigilare, ambulare, legere, pſallere, ſedere, dormire, numquid in perpetuum?* Tom. 4. part. 2. p. 540.

Ratio eſt, quia fieri poteſt, ut per breve aliquod tempus non occurrant peccandi occaſiones; tentationes non premant; ac præceptum adimplendum facilè ſit obvium: poſſunt igitur eo in ſtatu ſaltem ad breve tempus vitari peccata venialia. Qualis verò ſit illa temporis menſura, definire non audemus. Trid. Concil. ſeſſ. 6. c. 11. peccata venialia vocat quotidiana; ſive quotidiana in rigore dicantur, quia quotidie nonnulla committuntur; ſive minùs rigidè, quia frequentia: *in quæ*, ut loquitur Concilium, *quantumvis ſancti & juſti in hac mortali vita quandoque cadunt.*

SECUNDA CONCLUSIO.

Homo juſtus non poteſt toto vitæ ſuæ tempore cum auxiliis gratiæ ordinariis vitare omnia peccata venialia.

Probatur 1. ex Scripturis. Paralipomenon 2. cap. 6. v. 36. *Non eſt homo qui non peccet*. Pſal. 142. v. 2. *Non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens*. Et Pſal. 31. v. 5. & 6. *Dixi: Confitebor adverſùm me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Pro hac orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno. Non ergo omnis peccator*, ait S. Auguſt. L. 2. de peccat. mer. & rem. c. 7. hunc locum referens, *ſed omnis Sanctus: vox enim Sanctorum eſt, ſi dixerimus, quia peccatum non habemus: nos ipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt*, 1. Joan. 1. v. 8. T. 10. p. 44. C.

Pro-

Proverbiorum 18. v. 7. *Juſtus prior eſt accuſator ſui*. Et cap. 24. v. 16. *Septies cadet juſtus*; id eſt multoties. Eccleſiaſtes 7. v. 21. *Non eſt homo juſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet*. Matth. 6. v. 12. *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*. Quæ ſanè oratio omnium etiam juſtorum eſt; de quibus S. Auguſtinus L. 2. de pecc. mer. & rem. cap. 13. n. 18. ait: *Nec quiſquam eorum ſanè arroganter inſanit, ut non ſibi pro ſuis qualibuſcumque peccatis Dominica Oratione opus eſſe arbitretur*. Et Lib. de natura & gratia c. 35. n. 41. *Parum*, inquit, *attendit, cùm ſit acutiſſimus*, (Pelagius) *non fruſtra etiam juſtos in oratione dicere: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris: Dominumque Chriſtum, cùm eandem orationem docendo explicuiſſet, veraciſſimè ſubdidiſſe; Si enim dimiſeritis peccata hominibus, dimittet vobis Pater veſter peccata veſtra*.

Ib. pag. 50. C.

Ibid. p. 144. D.

Denique Jacobi 3. v. 2. *In multis offendimus omnes*. Et 1. Joan. 1. v. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*. Quem locum de juſtis interpretatur S. Auguſtinus citato cap. 7. Libri 2. de pecc. mer. & rem. Et Lib. de nat. & grat. c. 36. n. 42. *Si omnes*, inquit, *illos*
Ibid pag. 145. A. *Sanctos & Sanctas, cùm hic viverent, congregare poſſemus, & interrogare, utrum eſſent ſine peccato .... nonne una voce clamaſſent: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt?*

Obſervat S. Doctor ibid. c. 34. n. 38. Sanctos non ex modeſtia tantùm & humilitate, (ut Pelagiani putabant) ſed ex veritate ſe peccatores profiteri.
Ibid. p. 143. E. F. *Propterea enim addidit*: (S. Joannes) *Et veritas in nobis non eſt .... ac manifeſtè oſtendit*, inquit Aug... *hoc omninò verum non eſſe, ſi dixerimus, quia peccatum non habemus: ne humilitas conſtituta in parte falſitatis, perdat præmium veritatis*.

Probatur 2. ex Conciliis Milevitano & Tridentino.

Tom. 2. Conc. p. 1539. C. Milevitanum II. Can. 6. his verbis: *Placuit, quod ait S. Joannes: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt; quiſquis ſic accipiendum putaverit, ut dicat propter humilitatem oportere dici nos habere peccatum, non quia verè ita eſt, anathema ſit*.

T. 14. Conc. p. 766. E. Tridentinum ſeſſ. 6. Can. 23. *Si quis hominem ſemel juſtificatum dixerit ampliùs peccare non poſſe, nec gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur, & peccat, nunquam fuiſſe juſtificatum*; *aut contra, poſſe in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Eccleſia, anathema ſit*.

Probatur ex SS. Patribus.

Ex ſancto Hieronymo Lib. 2. contra Pelagianos: *Quamdiu*, inquit, *ille*
Tom. 4. part. 2. p. 532. *finis adveniat, & corruptivum hoc atque mortale incorruptione ac immortalitate mutetur, neceſſe eſt nos ſubjacere peccato, non naturæ & conditionis, ut tu calumniaris, vitio; ſed fragilitate & mutatione voluntatis humanæ, quæ per momenta variatur: quia Deus ſolus eſt immutabilis*.

Ex S. Auguſtino locis mox citatis, tum ex Lib. 2. de pecc. mer. & rem. tum ex Lib. de natura & gratia, ubi expreſsè quæſtionem verſat adversùs Pelagianos, quam cap. 1. Lib. 2. de pecc. mer. & rem. n. 1. ſic proponit: *Vivatne*
T. 10 p. 39. E. *aliquis in hoc ſeculo, vel vixerit, victuruſve ſit ſine ullo omnino peccato, excepto uno Mediatore Dei & hominum homine Chriſto JEſu?* Cui quæſtioni ſic reſpondet c. 7. n. 8. *Si autem, quod ſecundo loco poſueram*, (nempe an quis ſine ullo
Ib p. 44. B. lo peccato vixerit, aut victurus ſit) *quæratur, utrùm ſit, eſſe non credo. Magis enim*

enim credo Scripturæ dicenti: Ne intres in judicium cum ſervo tuo, Domine, quoniam non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.

Capite verò 3. dixerat: *Ad nonnulla ſuperanda, vel quæ malè cupiuntur, vel quæ malè metuuntur, magis aliquando & totis viribus opus eſt voluntatis, quas non perfectè in omnibus adhibituros prævidit, qui per Prophetam veridicè dici voluit: Non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* Ib. pag. 41. B.

Probatur denique ratione ductâ ex infirmitate naturæ, quâ fit, ut non poſſit homo erecto ſemper ac vigili animo eſſe, ut omnes obrepentes tentationes ſuperet, concupiſcentiæ motus compeſcat, ac omnes peccandi declinet occaſiones. Quamquam enim nullum ſit ſingulare peccatum, cui vitando juſtus pares non habeat vires, ſi tamen eorum multitudo & varietas, frequentia & vis tentationum ſpectetur, neceſſe eſt hominem brevi defatigatum fatiſcere ac ſuperari: tanta ſcilicet, eſt naturæ per peccatum depreſſæ ac vitiatæ infirmitas & corruptio. Ita S. Thomas hic articulo 8. *Non poteſt*, inquit, *abſtinere homo ab omni peccato veniali propter corruptionem inferioris appetitus ſenſualitatis, cujus motus ſingulos quidem ratio reprimere poteſt, (& ex hoc habent rationem peccati & voluntarii) non autem omnes: quia dum uni nititur reſiſtere, fortaſſis alius inſurgit; & etiam, quia ratio non ſemper poteſt eſſe pervigil ad hujuſmodi motus vitandos.*

TERTIA CONCLUSIO.

Homo juſtus poteſt ex privilegio ſpeciali & auxiliis gratiæ extraordinariis omnia vitare peccata venialia.

Probatur 1. quia abſolutus eſt Pelagius, cùm dixiſſet hominem poſſe quidem eſſe ſine peccato, ſed cum gratia Dei; uti refert S. Aug. Lib. de geſtis Pelagii c. 6. n. 16. T. 10. p. 200.

2. Quia S. Aug. Lib. 2 de pecc. mer. & remiſ. c. 6. n. 7. *Qui dicunt*, inquit, *eſſe poſſe in hac vita hominem ſine peccato, non eſt eis continuò incautâ temeritate obſiſtendum. Si enim eſſe poſſe negaverimus, & hominis libero arbitrio, qui hoc volendo appetit, & Dei virtuti vel miſericordiæ, qui hoc adjuvando efficit, derogabimus.* Et paulò poſt: *Si à me quæratur*, ait, *utrùm homo ſine peccato poſſit eſſe in hac vita, confitebor poſſe per Dei gratiam & liberum ejus arbitrium.* Ib. pag. 43. C. D.

3. Idem probatur ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. Can. 23. cujus verba laudata hìc ſunt concluſione 2.

Ratio eſt, quia ad vitandum omne peccatum veniale requiritur, ut homo diligentiſſimè invigilet omnibus actibus ſuis, nec obrepere ſinat vel minimum concupiſcentiæ motum: atqui id homo poteſt ex ſingulari Dei privilegio, & extraordinariis gratiæ Dei auxiliis adjutus & roboratus; ergo &c.

QUARTA CONCLUSIO.

Nullus homo purus, præter beatam Virginem, abſtinuit unquam ab omni peccato veniali.

Probatur ex S. Auguſtino Lib. de natura & gratia c. 36. n. 42. *Excepta itaque*, inquit, *ſancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorſus, cùm de peccatis agitur, haberi volo quæſtionem: unde enim ſcimus*, Ib. pag. 144. G.

 quid

Digitized by Google

quid ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum? Hac ergo Virgine excepta, ſi omnes illos Sanctos & Sanctas, cùm hic viverent, congregare poſſemus, & interrogare, utrùm eſſent ſine peccato, quid fuiſſe reſponſuros putamus? .... Nonne una voce clamaſſent. Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt?

S. Bernardus Epiſtola 174. ait nemini alteri, quàm beatiſſimæ Virgini in natis mulierum creditur eſſe donatum, immunem eſſe ab omni peccato.

Concilium Tridentinum ſeſſ.6.Can.23.citato hic Concluſione 1. docet hanc eſſe Eccleſiæ de beata Virgine ſententiam.

De Chriſto nihil hìc dicimus,cùm ſit extra controverſiam apud omnes Chriſtianos, nullam in eo vel leviſſimi peccati labem fuiſſe, aut eſſe potuiſſe, propter unionem perſonalem Verbi cum humanitate, qua factum eſt, ut Chriſtus homo Deus fuerit natura & ſubſtantia impeccabilis.

Quamquam verò S. Aug. in ea ſit ſententia, ſoli B. Virgini datum fuiſſe, ut nullum omninò peccatum fecerit, non audet tamen ſanctus Doctor definire rem ita certam eſſe, ut damnari debeat, qui aliquos alios præter B. Virginem diceret abſtinuiſſe ab omni peccato. Ita Lib. de perfectione juſtitiæ c. 21. n. 44. in fine: *Poſtremò*, inquit, *ſi excepto illo capite noſtro...*
Ib. pag. 189. A. *aſſeruntur, vel fuiſſe, vel eſſe in hac vita aliqui homines juſti ſine peccato ..... non nimis exiſtimo reluctandum. Scio enim quibuſdam eſſe viſum, quorum de hac re ſententiam non audeo reprehendere, quamquam nec defendere valeam.*

Solvuntur Objectiones adversùs præcedentes Concluſiones.

Objicies 1.contra primam Concluſionem. Si poteſt homo ad breve aliquod tempus immunem ſervare ſe ab omni peccato etiam veniali, poterit toto vitæ ſuæ tempore: namque priori ſua vigilantia ac victoria novas à Deo vires impetrabit,quibus vegetior factus poterit ſubſequentia peccata præcavere.

Reſp. nego ant. Ad probationem: equidem poteſt juſtus novas à Deo vires impetrare, ſed cùm non ſemper faciat, quod poteſt, ac brevi pro ſua infirmitate deficiat à ſua priori attentione ac vigilantia, inde eſt, quòd obrepant ipſi quotidiana peccata.

Objicies 2. contra 2. Concluſionem aliqua Scripturæ teſtimonia.

1. Joan. 3. v. 9. *Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quia ſemen ejus in ipſo manet; & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt.* Sed homo juſtus natus eſt ex Deo: ergo poteſt cum ordinariis gratiæ auxiliis abſtinere ab omni peccato etiam veniali.

Matth. 5. v. 48. *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt. Quod quidem*, ajunt Pelagiani apud S. Auguſtinum Lib. 2. de pecc. mer. & rem.
T. 10. p. 52. A. cap. 15. *non præciperet, ſi ſciret fieri non poſſe, quod præcipit.*

2. ad Timoth. 4. v. 7. *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, in reliquo*
Ib. 53. B. *repoſita eſt mihi corona juſtitiæ. Quod non diceret*, ajunt ibidem cap. 6. Pelagiani, *ſi haberet ullum peccatum.*

Lucæ 1. v. 6. de Zacharia & Eliſabeth dicitur: *Erant juſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & juſtificationibus ſine querela.*

Ad 1. S. Auguſtinus L. 2. de pecc. mer. & rem. cap. 7. & 8. reſpondet, in eo falli

eo falli Pelagianos, quòd non diſtinguant duplicem hominis in Deo regenerationem: unam hac in vita inchoatam, quæ in remiſſione peccatorum conſiſtit, non autem in immunitate ab omni infirmitate. *Non enim*, ait ſanctus Doct. c. 7. *ex qua hora quiſque baptizatur, omnis vetus infirmitas ejus abſumitur*. Alteram verò perfectam & conſummatam in patria, in qua nullum poterit eſſe peccatum. De hac poſtrema regeneratione & adoptione filiorum DEI loqui S. Joannem, docet ibid. c. 8. S. Aug. *Conſumetur ergo*, inquit, *quòd filii carnis & ſæculi ſumus, & perficietur, quòd filii Dei & Spiritu renovati ſumus. Unde idem Joannes, dilectiſſimi, inquit, nunc filii Dei ſumus, & nondum apparuit, quid erimus. Quid eſt hoc*, ait S. Auguſtinus, *ſumus, & erimus? Niſi quia ſumus in ſpe, erimus in re. Nam ſequitur & dicit: Scimus, quia cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum, ſicuti eſt. Nunc ergo & ei ſimiles eſſe jam cœpimus, primitias habentes ſpiritus; & adhuc diſſimiles ſumus, per reliquias vetuſtatis.*

Ib. p. 4. F. — Ib. p. 45. F. G. — 1. Joan. 3. v. 2.

Ex mente igitur S. Auguſtini ſic intelligenda eſt ac diſtinguenda S. Joannis ſententia: Omnis qui natus eſt ex Deo, nativitate ſeu regeneratione conſummata & perfecta in patria, non peccat, nec peccare poteſt, concedo: qui natus eſt ex Deo, nativitate ac regeneratione inchoata in hac mortali vita, nego.

Diſtingui aliter poteſt eadem ſententia: Qui natus eſt ex Deo, ſeu qui juſtus eſt in ſenſu compoſito, ut Scholæ loquuntur, id eſt, quamdiu conſervat juſtitiam ſeu gratiam ſanctificantem, & ex illa operatur, non peccat, concedo: *Quoniam* inquit S. Joann. *ſemen ipſius in eo eſt*. In ſenſu diviſo, quaſi non poſſit peccare & juſtitiam amittere, nego. Diſtinctionem hanc ſenſus compoſiti & diviſi ibidem c. 8. n. 10. non obſcurè ſubindicat S. Aug. *Proinde*, inquit, *in quantum ſimiles, in tantum regenerante Spiritu filii Dei; in quantum autem diſſimiles, in tantum filii carnis & ſæculi. Illinc ergo peccare non poſſumus: hinc verò ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos decipimus*. Clariùs adhuc ſenſum compoſitum & diviſum exprimit S. Doctor Lib. 1. contra Gaudentium c. 30. his verbis: *Quod non poteſt juſtè, non poteſt juſtus, quoniam hoc decernendo priùs amittit juſtitiam, ut quod non poteſt juſtus, poſſit injuſtus.*

Ib. pag. 46. A. — T. 9 p. 654. B.

Ad 2. S. Aug. citato L. 2. de pecc. mer. & rem. cap. 15. n. 22. reponit, Deum præcipere, ut perfecti ſimus, eo perfectionis genere, cujus homo hac in mortali vita capax eſt, non verò omni genere perfectionis. *Cùm legitur in Scripturis*, inquit, *cujuſque perfectio, qua in re dicatur, non negligenter intuendum eſt: quoniam non ideo quiſque prorſus ſine peccato eſſe intelligitur, quia in aliqua dicitur eſſe perfectus*. Et paulò antè dixerat: *Poteſt aliquis eſſe ſapientiæ perfectus auditor, cujus nondum ſit perfectus & doctor; poteſt eſſe perfectus juſtitiæ cognitor, nondum perfectus effector, &c.* Cùm igitur Deus mandat, ut *perfecti ſimus, ſicut Pater Cœleſtis*, eam proponit perfectionem, ad quam pervenire in altera, non in præſenti vita poſſimus ac debeamus.

T. 10 p. 52. E. — Ibid. D.

Ad 3. reſpondet idem S. Aug. eodem c. 16. n. 24. Apoſtolum de re futura, de qua certus erat, perinde loqui ac de re præſente. *Non re pleniſſima*, inquit, *ſed ſpe firmiſſima hæc dixit, & quod futurum eſſe præſumpſit, tanquam factum fuerit, indicavit*.... Et poſtea: *Miror, ſi cùm verba illa dicebat per quæ iſtis* (Pelagianis) *viſus eſt nullum habuiſſe peccatum, jam fuerat ab illo ablatus ille ſtimulus carnis, de quo à ſe auferendo Dominum ter rogaverat, reſponſumque acceperat: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.*

Ib. p. 53. D. — Ib. F. — 2. Corinth. 12 v. 9.

Ad 4. reſpondet 1. idem S. Aug. eodem Lib. c. 13. n. 19. *Eminenti juſtitiæ*
Ib. p. 50. C. (quantùm humana patitur fragilitas) *fuiſſe Zachariam in principibus Sacerdotum ad offerenda Veteris Teſtamenti Sacrificia pertinentium*. Inde tamen colligi non debere, eum ſine ullo prorsùs nequidem veniali peccato fuiſſe: *Solus quippe Chriſtus, ex Apoſtolo, Princeps eſt Sacerdotum, qui non habet neceſſitatem primùm*
Hebr. 7. v. 26. *pro ſuis peccatis Sacrificium offerre*.

Reſpondet 2. Lib. de Gratia Chriſti cap. 48. n. 53. ubi objectionem ex S. Ambroſio ductam ſolvit, nempè Zachariam juſtum dici ſine querela, *ſecundùm*
Ibid. p. 251. D. *quamdam inter homines converſationem probabilem atque laudabilem, quam nullus hominum juſtè poſſet in accuſationis & criminationis querelam vocare. Quam propterea in Dei conſpectu Zacharias & ejus uxor habuiſſe referuntur, quia in ea homines nulla diſſimulatione fallebant, ſed ut apparebant hominibus, ita noti erant oculis Dei. Non autem dictum eſt ſecundùm illam perfectionem juſtitiæ, in qua verè atque omni modo immaculati perfectique vivemus*.

Uno verbo, Zacharias vixit ſine peccato mortali, ſeu abſque querela & offenſione proximi, concedo: ſine peccato veniali, ſubdiſtinguo: hominum judicio & æſtimatione, eſtò, in rei veritate, nego. *Aliud eſt*, ait S. Auguſtinus Lib. de perfectione juſtitiæ c. 11. n. 24. *eſſe ſine peccato, quod de ſolo in hac vita*
Ib. pag. 178 B. *Unigenito dictum eſt; aliud eſſe ſine querela, quod de multis juſtis etiam in hac vita dici potuit: quoniam eſt quidam modus bonæ vitæ, de quo etiam in iſta humana converſatione juſta querela eſſe non poſſit*.

Objicies 3. contra eandem Concluſionem: Si homo juſtus non poſſet immunem ſe cuſtodire ab omni peccato veniali, ſequeretur, & Deum impoſſibilia jubere, cùm jubeat omne peccatum vitari; & hominem juſtum non peccare, cùm omnia venialia peccata non declinat: nemo enim peccat in eo, quod vitare non poteſt.

Reſp. Neg. utramque conſequentiam, quæ eſt ex falſo ſupponente. Deus quippe nec impoſſibilia jubet, nec juſtus à veniali culpa excuſatur, cùm peccat.
Ib. p. 44. B. *Dubitare non poſſum*, ait S. Aug. L. 2. de peccat mer. & rem c. 6. n. 7. *nec Deum aliquid impoſſibile homini præcepiſſe, nec Deo ad opitulandum vel adjuvandum, quo fiat, quod jubet, impoſſibile aliquid eſſe; ac per hoc poteſt homo, ſi velit, eſſe ſine peccato*. Non præcepit autem Deus, ut omnia collectivè venialia peccata vitentur, ſed ſingula dumtaxat, & in particulari. Nullum porrò tale eſt,
Ib. pag. 41. B. quod juſtus declinare non poſſit, ſi velit; ſed quia non ſemper vult, eo quo par eſt, modo, ideo peccat. *Ad nonnulla enim ſuperanda, vel quæ malè cupiuntur, vel quæ malè metuuntur, magnis aliquando & totis viribus opus eſt voluntatis*, ait S. Auguſtinus citato mox Lib. c. 3. & 17. Quas vires, quia juſti non ſemper adhibent, eorum profectò culpa eſt, quando peccant. Non eſt igitur in homine juſto determinata ad hoc vel illud veniale peccatum neceſſitas, ſed vaga dumtaxat, indeterminata & generalis; de qua S. Auguſtinus
Ib. pag. 170. F. L. de perfectione juſtitiæ c. 4. n. 9. ait: *Quia peccavit voluntas, ſecuta eſt peccantem peccatum habendi dura neceſſitas, donec tota ſanetur infirmitas, & accipiatur tanta libertas, in qua ſicut neceſſe eſt, permaneat beatè vivendi voluntas, ita ut ſit etiam benè vivendi, & nunquam peccandi voluntaria felixque neceſſitas*.

Inſtabis 1. Homo juſtus ſemper liber remanet ad vitanda omnia collectivè peccata cum auxilio gratiæ ordinariæ: ergo, &c.

R. Nego ant. Nam licèt homo juſtus ſemper liber ſit ad quodlibet peccatum decli-

Digitized by Google

declinandum, non tamen omnia & ſingula declinare poteſt; proindeque liber non eſt ad omnia collectivè venialia peccata vitanda.

Inſtabis 2. Si non poteſt homo omnia venialia peccata declinare, ergo ad aliquod patrandum neceſſitate compellitur.

Reſp. Neg. conſequentiam. Neceſſitas enim illa peccandi, ut jam dictum fuit, vaga eſt, generalis & indeterminata, quæ in nullum cadit particulare peccatum; & quæ, ut ait S. Aug. Lib. de natura & gratia cap. 66. n. 79. *ex vitiis, non ex conditione naturæ orta eſt*. Similis eſt neceſſitati, de qua Chriſtus dixit: *Neceſſe eſt, ut veniant ſcandala*; nec tamen quiſquam in particulari ad ſcandalum aliis præbendum neceſſitate ducitur. Quapropter Chriſtus ſubjungit: *Verumtamen væ homini illi, per quem ſcandalum venit*. Ratio eſt, *quia*, inquit S. Hieronymus in hunc locum, *vitio ſuo homo facit, ut per ſe fiat ſcandalum*. *Ibid. p. 161. E.* *T. 4. par. 1. p. 82.*

Objicies 4. contra 3. Concluſionem: Quod nunquam fuit, nec futurum eſt, fieri non poteſt etiam cum auxiliis gratiæ extraordinariis: atqui nullus unquam fuit juſtus, nullus eſt, nullus unquam futurus eſt, qui ab omni peccato veniali abſtinuerit: ergo &c. Major probatur ex S. Hieronymo Epiſtola ad Cteſiphontem, ubi Pelagianos aſſerentes hominem poſſe eſſe ſine peccato, licèt nullus unquam fuerit, ita ſugillat: *Egregii Doctores dicunt, eſſe poſſe, quod nunquam fuiſſe demonſtrant, dicente Scriptura: Omne quod futurum eſt, jam factum eſt in priori tempore*. Et L. 1. adversùs Pelagianos: *Tergiverſaris*, ait, alloquens Critobulum Pelagianum, *in eodem luto hæſitans: aut enim quod poteſt fieri, aliquando factum eſt: aut ſi nunquam factum eſt, fieri non poſſe concede*. *Tom. 4. part. 2. p. 474. Ib. pag. 489.*

Reſp. Nego maj. S. enim Auguſtinus Lib. de ſpiritu & Littera c. 1. multis exemplis demonſtrat aliquid eſſe poſſibile, quod nunquam tamen factum eſt. Potuit v. g. Chriſtus petere à Patre ſuo legiones Angelorum, quas non petiit: item efficere poteſt, ut camelus intret per foramen acus, &c. S. Hieronymus benignè interpretandus eſt. Diſputans enim cum Pelagianis meritò affirmabat, fieri non poſſe, ut homo ſine gratia abſtineat à peccato: an verò etiam per gratiam ab omni penitùs abſtinere poſſit, negat id ordinariè fieri poſſe, quia nunquam factum eſt: an verò ſpeciali quodam & extraordinario privilegio concedi alicui mortalium iſtud poſſit, nec affirmat, nec negat.

Objicies 5. contra 4. Concluſionem: S. Joannes Baptiſta caruit omni peccato; idcircò enim antra deſerti petiit, *ne levi ſaltem maculare vitam crimine poſſet*, ſicut canit Eccleſia.

Confirmatur, quia Chriſtus c. 11. S. Matth. v. 11. teſtatur, S. Joannem eſſe omnium Sanctorum principem: *Non ſurrexit*, inquit, *inter natos mulierum major Joanne Baptiſta*. Ergo non ſola B. Virgo habuit privilegium abſtinendi ab omni peccato.

Reſp. Nego antecedens. Hymnus Eccleſiæ teſtatur quidem hoc animo beatum Joannem deſerta petiiſſe, ut ab omni etiam leviſſima noxa immunem vitam tranſigeret: an verò id fuerit aſſecutus, Eccleſia non pronuntiat.

Ad confirmationem, Chriſtus abſolutè non dixit, S. Joannem omnium Sanctorum eſſe maximum, ſed eum dumtaxat cæteros legis antiquæ Prophetas ſanctitate ſuperaſſe. S. enim Lucas cap. 7. v. 28. ait: *Major inter natos mulierum Propheta Joanne Baptiſta nemo eſt*. Adde, quòd S. Joannes potuerit eſſe omnium Sanctorum maximus, nec tamen vitaverit omnia peccata venialia.

Inſtabis: Apoſtoli poſt viſibilem Spiritus ſancti illapſum confirmati fuere in

 gratia:

Digitized by Google

gratia: ergo poſtea nuſquam ne venialiter quidem peccarunt.

Reſp. Nego conſequentiam. Deſcenſus enim Spiritus ſancti in Apoſtolos, eos quidem immunes fecit à noxis lethalibus, ſed minimè à venialibus. Ita ingenuè fatetur ipſemet S. Joannes: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, &c.*

Objicies denique: nonnulli ex veteribus aſſerunt, B. Virginem venialiter lapſam aliquando fuiſſe.

Tertullianus Lib. de carne Chriſti c. 7. docet, fratres & matrem Domini *pag. 315. A.* ei non adhæſiſſe, ſed dubios in fide hæſitaſſe.

Origenes Hom. 17. in Lucam docet, Mariam tempore Paſſionis Chriſti ſcandalum paſſam fuiſſe, ac in fide titubaſſe. Idem videntur aſſerere SS. *pag. 145. Col. 1. B. C.* Baſilius Epiſtola 317. & Cyrillus Alexandrinus Comment. in Joan. Lib. 12.

S. Chryſoſtomus Hom. 45. in Matth. ad hæc verba: *Ecce mater tua*, ait, eſſe *T. 2. p. 1030. A. B.* manifeſtum, Virginem ex vana quadam gloria miraculum à Chriſto petiiſſe in nuptiis Cana Galileæ, ac propterea paulò duriùs à Chriſto exceptam ſeu re- *T. 4 pag. 1603. C.* prehenſam fuiſſe. Vide & Homil. 21. in Joan. ad illa verba: *Vinum non habent, &c.*

pag. 408. & ſeq. Reſp. ad Tertullianum, Origenem & Auctorem quæſtionum Veteris Teſtamenti, parum nos his nominibus moveri, cùm in multis à vero aberraverint.

Ad alios SS. Patres citatos, ſalva, quæ ipſis debetur, reverentia, dico, eos hìc deſerendos eſſe; cùm illi à communi Eccleſiæ doctrina hac in parte receſſerint, nec aliunde ullo legitimo nitantur fundamento.

Namque I. Cùm nuntianti Angelo, futurum ut pareret Filium, ſtatim non acquieſcit, non dubitat in fide, ſed modum, quo res eſſet futura, inquirit, neque hoc incredulitati potiùs, quàm prudenti moderationi ac cautioni tribui debet. Ita S. Ambroſius Lib. 2. in Lucam. Addit S. Thom. dubium iſtud non fuiſſe infidelitatis, ſed admirationis & diſcuſſionis.

II. Cùm de illa dicitur: *Tuam animam pertranſibit gladius*, non ſcandalum, quod paſſa fuerit, aut fidei defectus denotatur, ſed potiùs doloris magnitudo & acerbitas ex morte Chriſti concepta. Ita Venerabilis Beda.

III. Cùm in nuptiis Cana Galileæ vino deficiente, B. Virgo Filii ſui opem imploravit, ille verò repoſuit: *Quid mihi & tibi mulier?* Non vanam in matre ſua gloriam carpit Chriſtus, *ſed*, ait S. Thomas 3. p. q. 27. ar. 4. ad 3. *eum vanæ gloriæ motum, qui ab aliis poſſet æſtimari:* Vel, ut alii dicunt Interpretes, ita reſpondit Chriſtus, ut innueret, nihil ſibi cum matre commune eſſe, quantùm ad virtutem faciendi miracula, quæ à Divinitate oritur, quam quidem non à matre, ſed à Patre ſuo per æternam generationem accepit. Ita S. Auguſtinus Tract. 8. n. 9. in Joan. ubi ait: *Secundùm quod Deus erat, matrem* *T. 3 par. 2. p. 357. F.* *non habebat; ſecundùm quod homo erat, habebat matrem .... Miraculum autem quod facturus erat, ſecundùm Divinitatem facturus erat, non ſecundùm infirmitatem* (humanam.)

Inſtabis: S. Auguſtinus & S. Hieronymus ſolum hìc Chriſtum excipiunt, ac impeccabilem affirmant.

Reſp. Diſtinguo: Solum impeccabilem affirmant, ex natura propter unionem hypoſtaticam, concedo: ex gratia, nego. Præterea, nonne ipſe S. *T. 10. p. 143. G.* Auguſtinus beatam Virginem excipit, cùm ait Lib. de natura & gratia: *De qua. cùm de peccatis agitur, nullam volo haberi quæſtionem?*

ARTI-

ARTICULUS IX.

Utrùm qui jam conſecutus eſt gratiam, per ſe ipſum poſſit operari bonum, & vitare peccatum abſque auxilio gratiæ?

SEnſus quæſtionis eſt, utrùm homo juſtus præter ſanctificantem, quam habet gratiam, adhuc indigeat actuali ad bonum ſupernaturale operandũ?

CONCLUSIO.

Homo juſtus præter habitualem ſeu ſanctificantem gratiam, indiget actuali ad bonum ſupernaturale operandum.

Probatur generatim iis omnibus Scripturæ teſtimoniis, quæ articulo 2. hujus quæſtionis adversùs Pelagianos ac Semipelagianos protulimus. Accedat ad rem præſentem maximè idoneus textus ex cap. 15. S. Joan. v. 4. & 5. ubi Chriſtus ait: *Sicut palmes non poteſt facere fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite: ſic nec vos, niſi in me manſeritis. Ego ſum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia ſine me nihil poteſtis facere.* Sicut igitur palmites indigent jugi ac continuo vitis influxu, ut non areſcant, ſed fructum aliquem ferant; ſic omnis juſtus indiget actualis gratiæ auxilio, ut operetur bonum. Hac comparatione utitur Synodus Trid. ſeſſ. 6. c. 16. *Cùm enim*, inquit, *ille ipſe Chriſtus Jeſus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipſos juſtificatos jugiter virtutem influat; quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata & meritoria eſſe poſſent.* *T. 13 Co. p. 763 D.*

Probatur 2. ex Conciliis.

Ex Dioſpolitano damnante ſeptimam iſtam Pelagii Propoſitionem: *Gratiam Dei atque adjutorium non ad ſingulos actus donari.* *T. 2 Con. p. 1529. D.*

Ex Arauſicano II. Can. 9. *Quoties*, inquit, *bona agimus, Deus in nobis atque nobiſcum, ut operemur, operatur.* Et Can. 19. *Natura humana, etiamſi in illa integritate, in qua condita eſt, permaneret, nullo modo ſe ipſam, Creatore ſuo non adjuvante, ſervaret. Unde cùm ſine Dei gratia ſalutem non poſſit cuſtodire, quam accepit, quomodo ſine Dei gratia poterit reparare, quod perdidit?* *Tom. 4. Conc. p. 1669 B. Ibid. 1670 B.*

Probatur 3. ex S. Auguſtino Lib. de natura & gratia c. 26. *Sicut*, inquit, *oculus corporis etiam pleniſſimè ſanus, niſi candore lucis adjutus non poteſt cernere; ſic homo etiam juſtificatus, niſi æterna luce juſtitiæ divinitùs adjuvetur, rectè non poteſt vivere.* *Tom. 10. p. 140. A. B.*

Probatur denique his Theologicis momentis:

I. Quia tanta eſt hominis à Deo dependentia, ut non tantùm facultatem agendi, ſed etiam actum ipſum ab illo habere debeat. *Nulla enim res creata*, inquit hîc S. Th. *poteſt in quemcunque actum prodire, niſi virtute motionis Divinæ.* *1. 2. qu. 109. art. 9.*

II. Facultas etiam habitu inſtructa operari non poteſt, niſi priùs, ſi quæ ſit, tollatur difficultas: atqui in homine juſto remanet ſemper difficultas ad bonũ, tum ex tentationibus, quæ frequentes pulſant & ingruunt, tum ex concupiſcentia, & naturæ infirmitate. Rationem hanc exponit ibid. S. Thomas.

III. Habitus in actum non erumpit, niſi à facultate, in qua eſt, applicetur ad operandum: facultas autem ad hoc indiget, vel concurſu Dei generali in rebus naturalibus, vel ſupernaturali ac ſpeciali in rebus ſupernaturalibus.

ARTICULUS X.

Utrùm homo in Gratia conſtitutus, indigeat auxilio Gratiæ ad perſeverandum?

OBſervandum 1. perſeverantiam duobus generatim modis ſumi poſſe: nempe, vel pro ſpeciali virtute, quæ pars eſt fortitudinis, per quam aliquis in opere bono difficili conſtanter perſiſtit, de qua loquitur S. Thom. 2.2.q.137. art. 1. vel pro continuatione quadam in ſtatu gratiæ. De perſeverantia priori ſenſu uſurpata hic non loquimur.

Obſervandum 2. Perſeverantiam poſteriori ſenſu duplicem diſtingui, unam ſecundùm quid, ſeu alicujus dumtaxat temporis: alteram verò abſolutam & ſimplicem, per quam uſque ad vitæ finem in gratia ſanctificante perſeveratur. Hanc duplicem perſeverantiam diſtinguit S. Aug. Lib. de dono perſeverantiæ c.1. priorem vocat *alicujus temporis*, v.g. ſi quis decem annos in juſtitia vixit, ex qua ſubinde lapſus eſt, dicitur per decem annos perſeveraſſe, ſed non uſque in finem. De hac partiali perſeverantia hic non agitur, ſed de illa, inquit ſanctus Doctor, *qua uſque in finem perſeveratur in Chriſto. Finem*
Tom. 10. pag. 821. 822. A. *autem dico, quo vita iſta finitur, in qua tantummodo periculum eſt, ne cadatur.* Hanc perſeverantiam contumaciter amitti non poſſe affirmat c. 6. *Cùm enim*,
Ibid. p. 826. G. inquit, *perſeveraverit quiſque uſque in finem, neque hoc donum poteſt amittere, nec alia quæ poterat ante finem.* Curſus ergo perſeverantiæ non ſemper initium ducit à prima hominis juſtificatione, ex qua multi poſtea deficiunt; ſed ab ea, ex qua homo deinceps non excidit.

Obſervandum 3. duplicem rurſus diſtingui poſſe perſeverantiam uſque ad finem vitæ, unam, quæ activa; alteram, quæ paſſiva dicitur.

Perſeverantia activa, eſt continuatio in ſtatu gratiæ finalis juncta cum actibus virtutis: talis fuit perſeverantia Martyrum, qui *mundo ſæviente, ſteterunt in fide per ſpiritum virtutis & charitatis, qui cuncta minantia & cruciantia ſuperarunt*, ait S. Auguſtinus Lib. de corrept. & grat. c. 12.

Perſeverantia paſſiva eſt ipſa unio gratiæ habitualis cum morte: talis eſt perſeverantia parvulorum, qui ſtatim à Baptiſmo ſuſcepto moriuntur: talis & eorum adultorum, qui ex hac vita tunc opportunè rapiuntur, cùm juſti ſunt.

Obſervandum 4. nomine auxilii ſpecialis, quod ad finalem perſeverantiam neceſſarium eſt, intelligi poſſe, aut gratiam tantùm exteriorem, quæ dicitur gratia ſingularis protectionis Dei, qua vel avertuntur occaſiones peccandi, vel mors unitur cum ſtatu gratiæ; aut interiorem, quæ dicitur gratia illuminationis & inſpirationis. Iſthæc porrò gratia, non eſt habitualis nova; neque enim ad perſeverandum in gratia ſanctificante ſeu habituali, nova opus eſt habituali gratia: neque etiam eſt gratia ſufficiens, quæ juſtis inſtante præcepto nunquam denegatur; hæc quippe ordinaria eſt, ac communis omnibus
Quæ ſit ſpecialis Gratia perſeverantiæ. juſtis; gratia verò finalis perſeverantiæ, ſpecialis eſt, ſingularis, ac propria electorum, quam idcircò Trid. Synod. poſt S. Auguſtinum, magnum appellat perſeverantiæ donum: denique gratia finalis perſeverantiæ non eſt ſola unio mortis cum ſtatu gratiæ ſanctificantis in homine juſto adulto; talis etenim gratia interna non eſt, ſed tantùm externa, Deo juſtum ex hac vita rapiente, tum cum gratia ſanctificante inſtructus eſt.

Magnum

Magnum igitur perſeverantiæ donum duo ſimul includit ac complectitur in adultis, gratiam ſcilicet & interiorem, & exteriorem: interiorem quidem, per quam homo juſtus vel à peccando retrahitur, vel à ſuis prolapſionibus (propter quas tamen à Deo deſeri merebatur) certò reſipiſcit, ac tandem in accepta juſtitia finaliter perſeverat: exteriorem verò, per quam ab homine juſto, Deo protegente, occaſiones peccandi, tentationes, aliaque ſalutis obſtacula removentur; ac demùm innumeris hujus vitæ periculis ſubductus, ex hac vita rapitur, quo momento diffuſam habet in corde charitatem. De iſta finali perſeverantia, ſive infantium, ſive adultorum, quæſtio inſtituitur.

Semipelagiani non tantùm initium fidei, ſed etiam finalem perſeverantiam à libero eſſe arbitrio contendebant: per illam autem perſeverantiam eam intelligebant, quæ activa dicitur: paſſivam enim ſeu unionem mortis cum gratia donum Dei eſſe non diffitebantur. Ita de Monachis Adrumetinis teſtatur S. Auguſtinus L. de corrept. & grat. c. 8. In alio etiam capite aberrabant illi: exiſtimabant nimirùm, donum perſeverantiæ, quod admittunt Catholici, eſſe veluti qualitatem quamdam fixam, animo tenaciter adhærentem, quæ amitti contumaciter non poſſet. Ita S. Auguſtinus L. de dono perſev. c. 6. His prænotatis ſit

PRIMA CONCLUSIO.

Parvulis, qui ſuſcepto Baptiſmo moriuntur, datur ſpeciale donum perſeverantiæ.

Probatur ex Scriptura. Sap. 4. v. 11. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius..... propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.* Quo teſtimonio uſus eſt S. Auguſtinus L. de prædeſt. SS. c. 14. adversùs Semipelagianos; ac in confirmationem profert teſtimonium S. Cypriani ex Lib. de mortalitate, ubi docet, mortem, qua homines ſubſtrahuntur periculis peccati, eſſe ſingulare gratiæ beneficium, à quo nec infantes excipit: *Pueri enim,* inquit, *periculum lubricæ ætatis evadunt.* T. 10. p. 808 G.

Probatur 2. ex S. Auguſtino Lib. de dono perſeverantiæ cap. 17. n. 41. *Videte,* inquit, *à veritate quàm ſit alienum, negare donum Dei eſſe perſeverantiam uſque in finem hujus vitæ: cùm vitæ huic, quando voluerit, ipſe det finem; quem ſi dat ante imminentem lapſum, facit hominem perſeverare uſque in finem. Sed mirabilior & fidelibus evidentior largitas bonitatis Dei eſt, quòd etiam parvulis, quibus obedientia non eſt illius ætatis ut detur, datur hæc gratia.* Ibid. p. 844. B. C. Audis perſeverantiam illam parvulorum, gratiam vocari, non quidem internam illuſtrationis & inſpirationis, ſed externæ ſaltem protectionis, per quam parvuli ex hac vita rapiuntur priùs, quàm à gratia baptiſmali excidere poſſint.

SECUNDA CONCLUSIO.

Juſtus ſine ſpeciali Divinæ gratiæ auxilio non poteſt in accepta juſtitia perſeverare uſque ad vitæ finem.

Probatur 1. ex Scripturis. Philipp. 1. v. 29. *Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm ut credatis in eum, verùm etiam ut patiamini pro eo. Horum unum,* ait S. Auguſtinus Lib. de dono perſev. cap. 2. n. 2. *pertinet ad initium, alterum ad finem: utrumque tamen Dei donum eſt.* Ibid. p. 822. C.

Jere-

Jeremiæ 32. v. 40. *Timorem meum dabo in cor eorum, ut à me non recedant.*
Ibid. p. *Quod quid eſt aliud*, pergit ibid. ſanctus Doctor, *quàm talis ac tantus erit timor*
823. D. *meus, quem dabo in cor eorum, ut mihi perſeveranter adhæreant?*

Pſalmo 79. v. 18. *Fiat manus tua ſuper virum dexteræ tuæ, & ſuper filium ho-*
Ibid. p. *minis, quem confirmaſti tibi, & non diſcedimus à te. Manus ergo Dei eſt iſta*, in-
823. F. quit ibid. S. Aug. cap. 7. *non noſtra, ut non diſcedamus à Deo.*

Joan. 17. v. 11. Chriſtus Patrem orat, ut ſuos ſibi ſervet Apoſtolos: *Pater ſancte, ſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi.*

In Oratione Dominica Deum quotidie deprecamur, ut nos in tentationem
Ibid. p. non inducat, hoc eſt, induci non permittat. *Sancti quid aliud*, ait S. Aug.
826. C. Libri citati c. 5. *quàm ut in ſanctitate perſeverent, precantur?* Oſtendit ibid. S.
Doctor omnes Orationis Dominicæ petitiones noſtras, hac una excepta, qua
dicimus: *Dimitte nobis debita noſtra*, tendere ad obtinendum à Deo perſeve-
Ibid. p. rantiæ donum: *Cur autem*, inquit cap. 2. *perſeverantia iſta poſcitur à Deo, ſi non*
823. D. *datur à Deo? An & iſta irriſoria petitio eſt, cùm id ab eo petitur, quod ſcitur non ip-*
ſum dare, ſed ipſo non dante eſſe in hominis poteſtate; ſicut irriſoria eſt etiam illa actio
gratiarum, ſi ex hoc gratiæ aguntur Deo, quod non donavit ipſe, nec fecit?

Denique Philipp. 1. v. 6. *Confidens hoc ipſum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem Chriſti Jeſu.* Hac fide imbutus idem Apoſtolus 2. Corinth. 13. v. 7. dicebat: *Oramus autem Deum, ut nihil mali faciatis*, id eſt, ut in bono perſeveretis. Eodem ſenſu S. Petrus 1. ſuæ Epiſtolæ c. 1. v. 5. dicebat: *Qui in virtute Dei cuſtodimini per fidem in ſalutem.*

Probatur 2. ex Conciliis.

Ex Carthaginenſi II. an. 415. in Synodica ad Innocentium I. Epiſtola: *Iſto-*
T. 2 Con. *rum* (Pelagianorum) ajunt Patres, *ſacrilegas diſputationes neceſſariò ſequitur,*
p. 1535. *ut nec orare debeamus, ne intremus in tentationem .... Si poſſibilitate naturæ & arbi-*
B. *trio voluntatis in poteſtate ſunt conſtituta, quis non ea videat inaniter à Domino peti, & fallaciter orari, cùm orando poſcuntur, quæ naturæ jam ita conditæ, ſufficientibus viribus obtinentur?*

T. 4. Con. p. 1669. A. Ex Arauſicano II. an. 529. Can. 9. *Divini eſt muneris, cùm & rectè cogitamus, & pedes noſtros à falſitate & injuſtitia continemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiſcum ut operemur, operatur.* Et Can. 10. *Adjuto-*
Ibid. B. *rium Dei etiam renatis ac Sanctis ſemper eſt implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono poſſint opere perdurare.*

T. 14. Ex Tridentino ſeſſ. 6. Can. 22. *Si quis dixerit juſtificatum vel ſine ſpeciali auxi-*
Conc. p. *lio Dei in accepta juſtitia perſeverare poſſe, vel cum eo non poſſe, anathema ſit.*
766. E. Can. 26. *magnum* appellaverat *perſeverantiæ donum.*

Eadem eſt SS. Pontificum adversùs Pelagianos & Semipelagianos doctrina. Innocentius I. in Epiſtola ad Conc. Carthaginenſe: *Quamvis*, inquit, *homi-*
T. 2 Con. *nem redemerit Deus à præteritis peccatis, tamen ſciens illum iterum poſſe peccare,*
p. 1285. *ad reparationem ſibi ..... multa ſervavit, quotidiana præſtans illi remedia.*
D. Ex quibus verbatim repetitis Cœleſtinus in Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ
cap. 3. definit, *Neminem niſi per quotidianum Dei adjutorium perſeverantiam bo-*
Ibid. p. 1615. A. *næ converſationis accipere.*

Probatur 3. ex S. Aug. integro, quem ſcripſit de dono perſeverantiæ, Libro, ubi plurimis Scripturæ teſtimoniis ac momentis, imprimis verò ex Oratione Dominica, quod hìc contendimus, demonſtrat: *Si alia documen-*

ta

Digitized by Google

ta non eſſent, ait cap. 7. *hæc Dominica Oratio nobis ad cauſam gratiæ, quam defendimus, ſola ſufficeret: quia nihil nobis reliquit, in quo tanquam in noſtro gloriemur. Siquidem & ut non diſcedamus à Deo, non oſtendit dandum eſſe niſi à Deo; cùm poſcendum oſtendit à Deo. Qui enim non infertur in tentationem, non diſcedit à Deo. Non eſt hoc omninò in viribus liberi arbitrii, quales nunc ſunt: fuerat in homine, antequam caderet* .... Et infrà: *Prorſus in hac re non operoſas diſputationes expectet Eccleſia: ſed attendat quotidianas orationes ſuas. Orat, ut increduli credant: Deus ergo convertit ad fidem. Orat, ut credentes perſeverent: Deus ergo donat perſeverantiam uſque in finem.* T. 10. p. 818. B. Ibid. G.

Lib. de corrept. & grat. cap. 6. *Negare non poſſumus*, inquit, *etiam perſeverantiam in bono proficientem uſque in finem, magnum eſſe Dei munus: nec eſſe niſi ab illo, de quo ſcriptum eſt*, Jacobi 1. v. 17. *Omne datum optimum & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.* Idem fusè proſequitur capitibus 7. & 8. Ibid. p. 755. A.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Gratia ſanctificans ſeu habitualis in hunc finem à Deo conceditur, ut juſtus cum auxiliis ordinaris & actualibus poſſit vitare omne peccatum omneſque tentationes ſuperare, non tantùm ad breve aliquod tempus, ſed etiam uſque ad ultimum vitæ terminum: ergo neceſſarium non eſt auxilium ſpeciale diſtinctum.

℞. Nego maj. Namque præter gratiam habitualem & auxilia gratiæ actualis ſufficientis ad implenda præcepta, neceſſarium eſt ſpeciale auxilium, ut quis finaliter in bono permanere poſſit. *Sicut enim*, ut ratiocinatur S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 9. ad 1. *donum habitualis gratiæ non ad hoc datur nobis, ut per ipſum non indigeamus ulteriùs Divino auxilio, indiget enim qualibet creatura, ut à Deo conſervetur in bono:* ita pariter, cùm habituali gratiæ accedit actualis ſufficiens, non idcircò excludi debet aliud ſpeciale auxilium juſto neceſſarium ut perſeverare poſſit. Et quemadmodum idem S. Thomas ibidem aſſerit, ex eo quòd præter gratiam habitualem actualis ſit neceſſaria, concludi non debere habitualem inutilem eſſe vel imperfectam, *quia etiam in ſtatu gloriæ, quando gratia erit omninò perfecta, homo Divino auxilio indigebit:* ita pariter, ex eo, quòd præter gratiam habitualem, & actualem ſufficientem ad præcepta implenda, alia ſpecialis requiratur ad finalem perſeverantiam, concludi non debet habitualem & actualem ſufficientem inutilem eſſe; cùm ope ipſius, poſſimus ac teneamur ſupplici oratione donum perſeverantiæ à Deo poſtulare: *Hoc enim donum*, ait S. Aug. Lib. de dono perſever. c. 6. *ſuppliciter emereri poteſt.*

Objicies 2. Plus reſtitutum eſt homini per donum Chriſti, quàm amiſerat per peccatum Adæ, ſicut teſtatur Apoſtolus Rom. 5. Atqui Adam acceperat unde poſſet perſeverare abſque alio auxilio, ut docet S. Auguſtinus Lib. de corrept. & grat. cap. 11. & 12. Igitur multò magis hoc datur per gratiam Chriſti, ut perſeverare poſſimus ſine novo ac ſpeciali auxilio. Ibid. p. 326. G.

℞. Cum S. Thoma hic articulo 10. ad 3. plùs nobis collatum eſſe per Chriſtum, quàm amiſimus in Adam; quia ille in primo ſtatu habebat auxilium, per quod perſeverare poſſet, non tamen acceperat, ut perſeveraret: nunc autem per gratiam Chriſti multi accipiunt & ipſammet actualem perſeverantiam.

Hanc

Hanc autem Adam tunc non habuit, quia tametſi poſſet eo in ſtatu naturæ ſanæ perſeverare, idque multò faciliùs quàm nos nunc poſſimus, non tamen perſeveravit. Addi poſſet, plùs nobis collatum eſſe per Chriſtum, quàm amiſimus in Adamo; quia Adamus habebat ad perſeverandum tantùm gratiam intellectus, nobis verò gratiam voluntatis concedi.

Eſtius in 2. diſt. 26. Parag. 43. Objicies 3. Ad perſeverantiam in bono, ſufficit non peccare, ſeu peccatum cavere. Utrumque autem poteſt homo per liberum arbitrium ſine gratia: Propoſitiones enim quibus id negatur, damnatæ ſunt à Pio V. & Gregorio XIII. 27. his verbis: *Liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio, non niſi ad peccandum valet.* Et 28. his verbis: *Pelagianus eſt error dicere, quòd liberum arbitrium valeat ad ullum peccatum vitandum.* *Rec. des B. p. 17.* Ergo multò magis homo juſtificatus per gratiam, poterit abſque novo auxilio gratiæ non peccare, & ita ad finem uſque vitæ in bono perſeverare.

℞. Diſtinguo min. Poteſt homo non peccare, ſeu peccatum vitare ſine auxilio gratiæ, quando præceptum obvium eſt ac facile, nullaque gravis occurrit tentatio, concedo: ſecùs, nego. Duo hìc objectio confundit, quæ apprimè diſtingui debent; nempe abſtinere ab aliquo peccato, & perſeverare in gratia ſanctificante; quando nulla urget gravis tentatio, vel quando illa premit. Prius hominem poſſe ſine gratia, paulò antè aſſeruimus; atque hoc ſenſu damnatæ ſunt contrariæ Baji Propoſitiones, hominem ſcilicet in omnibus, quas ſine gratia elicit, actionibus, ſemper peccare, nec ullum omninò poſſe cavere peccatum, quando vel nulla, vel leviſſima tentatione pulſatur. Abſit enim, ut quiſquam exiſtimet hac cenſura Romana ullum inferri præjudicium doctrinæ Catholicæ, quæ agnoſcit planè neceſſariam eſſe gratiam, ut impleantur præcepta, vel omnia, vel ea quæ ſive ex objecto, ſive ex circumſtantiis, ſive ex tentatione, obſervare arduum eſt ac difficile: porrò arduum prorſus ac difficile eſt homini juſto, inter tot pericula, quibus hac in vita circumdamur, tot tentationes, quibus tam frequenter exercemur, in tanta naturæ infirmitate diu in bono perſeverare; ergo ſpeciali opus habet auxilio gratiæ, ut peccata fugiat & in bono ad finem uſque perſeveret.

Inſtabis: Fieri naturaliter poteſt, ut homo ſtatim ab accepta gratia ſanctificante ſubitò moriatur; quo caſu perſeveraret ſine ſpeciali auxilio gratiæ ſuperaddito.

Reſp. 1. objectionem iſtam noſtræ quæſtioni minùs accommodatam videri: conjunctio enim mortis in homine juſto cum ſtatu gratiæ eſt ipſummet donum perſeverantiæ paſſivæ, non medium ad perſeverandum, hìc verò quæſtio eſt de mediis ad perſeverandum neceſſariis.

℞. 2. nego maj. Licèt enim mori naturale ſit homini ſicut & naſci, nihilominus quemadmodum naſci ex parentibus fidelibus, cum tali ingenio, indole, affectu, ſanguinis temperie, gratiæ Dei adſcribitur; ita etiam ex hac vita eripi in ſtatu gratiæ ſanctificantis, ſingulare Dei beneficium eſt, non quidem intrinſecum, ſed extrinſecum ex ſpeciali Dei providentia & protectione; quod quidem ex mero ſuo beneplacito, quibus voluerit, Deus largitur. *Ex duobus parvulis originali peccato pariter obſtrictis*, ait S. Auguſtinus *T. 10. p. 831. B.* L. de dono perſev. c. 9. n. 21. *cur iſte aſſumatur, ille relinquatur; & ex duobus ætate jam grandibus impiis, cur iſte ita vocetur, ut vocantem ſequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur; inſcrutabilia ſunt judicia Dei. Ex duobus autem*

tem piis, *cur huic donetur perſeverantia uſque in finem*, *illi non donetur*, *inſcrutabiliora ſunt judicia* DEI. Et L. de corrept. & grat. cap. 8. n. 17. *Si à me quæratur*, ait, *cur eis Deus perſeverantiam non dederit*, *quibus eam*, *qua chriſtianè viverent*, *dilectionem dedit*, *me ignorare reſpondeo*. *Ibid. p. 758 G.*

Objicies 4. Deus ſua gratia ſemel juſtificatum non deſerit, niſi priùs ab ipſo deſeratur. Ita S. Auguſtinus L. de natura & gratia cap. 26. nu. 29. *Deus*, inquit, *cùm impium ad perfectam ſanitatem perduxerit*, *non deſerit*, *ſi non deſeratur*, *ut piè ſemper juſtèque vivatur*. Idem & Synodus Trid. ſeſſ. 6. cap. 11. *Deus namque*, ait, *ſua gratia ſemel juſtificatos non deſerit*, *niſi ab iis priùs deſeratur*. Atqui ſi perſeverantia finalis ſpecialis eſt gratia, quam Deus, quibus voluerit, concedat vel deneget, juſtum, cui gratia illa denegatur, priùs Deus deſerit, quàm deſeratur ab ipſo. Namque vel eſt in poteſtate juſti, perſeverare cum auxiliis ordinariis gratiæ habitualis & actualis, vel non: ſi priùs, ad quid requiritur ſpecialis gratia perſeverantiæ? Si poſterius, ergo priùs à Deo deſeritur, quàm ipſe Deum deſerat. *Ibid. p. 140. A.* *T. 14. Conc. p. 762. C.*

Reſp. nego min. Licèt enim Deus nullum juſtum primus deſerat, & conſequenter omni juſto conferat auxilium verè ac relativè ſufficiens, ut perſevarare poſſit, tametſi actualem & efficacem perſeverantiæ gratiam non ſemper conferat; nihilominùs utrumque iſtud veriſſimum eſt, & juſtum à Deo non deſeri, niſi Deum ipſe primus deſeruerit; & perſeverantiam eſſe ſpeciale ac ſingulare Dei donum, licèt juſtus ſufficiens habeat auxilium gratiæ, ut perſeverare poſſit.

Primum quidem: quia cùm Deus ab homine juſto uberiorem retrahit gratiam, neceſſe eſt, præceſſerit aliqua ex parte juſti cauſa ſeu culpa; ſive ex negligentia & tepore in oratione; (donum quippe perſeverantiæ *ſuppliciter emereri poteſt*, ait S. Aug. Lib. de dono perſever. c. 6.) ſive ex præſumptione ac tacita quadam & occulta ſuperbia. *Cætera enim vitia*, ait idem ſanctus Doctor L. de natura & gratia c. 27. n. 31. *tantùm in malefactis valent*, *ſola autem ſuperbia etiam in rectè factis cavenda eſt*. Quapropter L. de corrept. & grat. c. 13. n. 42. loquens ſanctus Doctor de iis, qui non ſunt perſeveraturi, ait, eos priùs deſerere, quàm Dei judicio juſto & occulto deſerantur: *Aut gratiam Dei ſuſcipiunt*, ait, *ſed temporales ſunt*, *nec perſeverant*; *deſerunt & deſeruntur*. *Dimiſſi enim ſunt libero arbitrio*, *non accepto perſeverantiæ dono*, *judicio Dei juſto & occulto*. *T. 10. p. 826. G.* *Ibid p. 140. D.* *Ibid. p. 773. G.*

Alterum non minùs verum eſt, nempè perſeverantiam, magnum eſſe, ſeu ſpeciale ac ſingulare Dei donum, licèt poſſit juſtus per auxilium verè ſufficiens perſeverare. 1. Quia licèt ipſius culpa ſit, quòd perſeverantiam non accipiat; an non ſingularis in ipſo Dei favor ac protectio fuiſſet, (qualem Deus electis concedit) ſi culpam, propter quam non accepit perſeverantiam, ab ipſo avertiſſet? 2. Dicitur ſpeciale donum, quia ſolis juſtis conceditur. 3. Quia ſpeciatim datur ad poſſe perſeverare, non ad aliud. 4. Quia diſtinguitur à gratia habituali, quæ ſola non ſufficit ad conferendam poſſibilitatem perſeverantiæ. 5. Concilium Trid. definit quidem, juſtum ſine ſpeciali auxilio perſeverare non poſſe, ſed non dixit ſine efficaci dono. Id ipſum confirmat intentum Concilii. Duo ſcilicet præſtat: 1. Vindicat fidem Eccleſiæ ab errore Semipelagianorum circa perſeverantiam, quem ipſi exprobrabant Novatores: unde definit, hominem juſtum ſine ſpeciali gratia actuali non poſſe perſeverare. 2. Hæreſim Novatorum ferit, qui contendebant juſtificationem ac

in-

Digitized by Google

in ipſa juſtificatione perſeverantiam, non gratiæ interiori, ſed ſoli imputationi externæ eſſe adſcribendam. Quapropter Conc. Trid. aſſerit, juſtificatum ſine ſpeciali auxilio perſeverare non poſſe, & cum illo poſſe.

Objicies 4. Inter probationes 2. Concluſionis, nonnullæ ſunt, quæ de dono efficaci, quo quis actu perſeverat, intelligi debent: ergo auxilium illud ſpeciale, ſine quo nemo poteſt perſeverare, ut dicitur 2. Concluſione, eſt auxilium efficax.

Reſp. nego conſequens. Fatemur quidem aliquas ex adductis probationibus directè probare donum efficax actualis perſeverantiæ eſſe à DEO; nihilominus tamen eædem probationes rectè Concluſionem noſtram conſequenter aſtruunt. Si enim nemo perſeverat actu niſi per gratiam Dei efficacem, ita nemo poteſt uſque in finem perſeverare, niſi per gratiam DEI ſufficientem, quæ cùm diſtincta ſit à gratia ſufficiente data ad præcepta obſervanda, idcirco dicitur ſpeciale gratiæ DEI adjutorium.

QUÆSTIO QUINTA.

De eſſentia ſeu natura Gratiæ.

1. 2. qu. 110. QUatuor hic proponit S. Thomas, quæ totidem articulis expendemus.

I. Utrùm gratia ponat aliquid in anima.

II. Utrùm gratia ſit qualitas.

III. Utrùm gratia differat à virtute infuſa.

IV. De ſubjecto gratiæ.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm Gratia ponat aliquid in anima.

CONCLUSIO.

GRatia ponit aliquid in anima.

Probatur: Quia gratia, quantùm ad præſens noſtrum inſtitutum, duplex eſt, actualis ſcilicet tranſiens; & habitualis ſeu permanens: utraque verò aliquid ponit in anima. Actualis quidem, mentis illuſtrationem ac piam voluntatis excitationem & inſpirationem: habitualis verò, aliquid fixum ac permanens, quod eſt ab actu fluente & tranſitorio diſtinctum; ac ſolet vulgò qualitas appellari.

Præterea, inquit hic S. Thomas in Concluſione: *Cùm diligere ſit velle alicui bonum, Deique voluntas rerum ſit cauſa: certum eſt, gratiam ſeu dilectionem Dei, ſemper aliquid (nempe id quod vult) in anima ejus, quem diligit, efficere.*

In corpore articuli S. Thomas obſervat, id eſſe diſcriminis inter gratiam ſeu dilectionem Dei & hominis, quòd Deus ſua gratia facit bonum, quod diligit, homo verò illud ſupponit. *Quia enim*, ait S. Doctor, *bonum creaturæ*

ra provenit ex voluntate Divina; ideo ex dilectione Dei, qua vult creaturæ bonum, profluit aliquod bonum in creatura. Voluntas autem hominis movetur ex bono præexiſtente in rebus: & inde eſt, quòd dilectio hominis non cauſat totaliter rei bonitatem, ſed præſupponit ipſam vel in parte, vel in toto.

ARTICULUS II.

Utrùm Gratia ſit qualitas animæ?

NOn hìc agitur de actuali, ſed de habituali dumtaxat gratia: certum quippe eſt, gratiam actualem, quæ nihil aliud eſt quàm motus Dei, quò anima movetur ad aliquid cognoſcendum, volendum & agendum, non eſſe qualitatem ſeu aliquid fixum & permanens. Igitur hìc expendendum eſt:

I. Utrùm præter actualem gratiam admittenda ſit habitualis, quæ per modum habitus ſeu qualitatis fixæ ac permanentis hæreat in anima.

II. Utrùm de fide ſit, talem admittendam eſſe habitualem gratiam.

III. Utrùm ejuſmodi gratia pertineat ad prædicamentum qualitatis.

Circa primum, S. Thomas 2. 2. q. 23. art. 2. Magiſtrum redarguit, quòd Lib. 1. ſent. diſt. 17. docuerit, charitatem non eſſe aliquid creatum nec habitum aliquem, ſed eſſe ipſummet Spiritum ſanctum. Quapropter inter articulos ad calcem Operis Magiſtri ſententiarum rejectos, & à cæteris Theologis improbatos, iſte primus recenſetur, *Quòd charitas non ſit aliquid creatum, ſed ipſe Spiritus ſanctus*. Quamquam idem Magiſter L. 2. diſt. 27. docet, *Virtutem eſſe qualitatem, quæ in anima eſt tanquam forma; & gratiam eſſe virtutem nobis à Deo infuſam*. Unde Scotus à D. Thoma hìc, ut & in aliis benè multis ex profeſſo diſſentiens L. 1. Sent. diſt. 17. q. 1. art. 3. Magiſtri defenſionem ſuſcipit, ejuſque ſententiam recto ſenſu intelligi poſſe propugnat.

Obſervat ipſe Magiſter L. 4. Sent. diſt. 4. ſuo tempore diſputatum fuiſſe, an parvulis, cùm baptizantur, gratia conferretur. *De adultis enim*, inquit, *qui dignè percipiunt Sacramentum, non ambigitur, quin gratiam operantem & cooperantem percipiant*.

Circa 2. diſſentiunt noſtri Theologi: alii negant rem eſſe de fide, cum Soto; alii affirmant, cum Vega.

Controverſiam hanc ex profeſſo attigimus, agendo de Sacramentis in genere, q. 4. art. 1. ubi probatum eſt, fide Catholica certum eſſe, gratiam, quæ per Sacramenta infunditur, eſſe aliquid internum, formale, inhærens, diſtinctum ab actu fluente ac tranſitorio, quod, deſinente ſæculo 12. per habitualem qualitatem cœpit explicari: an autem vera ſit qualitas Philoſophorum ſenſu, definitum ab Eccleſia non fuiſſe. Quæ hoc loco fusè diſputata à nobis fuere, hìc prætermittenda duximus, ne rem actam agere rurſus videamur, & nobis ad longè graviora properantibus mora injiciatur. Unum hìc dumtaxat S. Thomæ ſuffragium ac ratiocinium exſcribemus, quo patet, præter actualem gratiam, aliam habitualem, fixam ac permanentem admittendam eſſe. *Dupliciter*, inquit 1. 2. q. 110. art. 2. *ex gratuita Dei voluntate homo adjuvatur. Uno modo, in quantùm anima hominis movetur à Deo ad aliquid cogno-*

gnoſcendum, vel volendum, vel agendum: Et hoc modo ipſe gratuitus effectus in homine non eſt qualitas, ſed motus quidam animæ; actus enim moventis in moto eſt motus. Alio modo adjuvatur homo ex gratuita Dei voluntate, ſecundùm quod aliquod habituale donum à Deo animæ infunditur. Et hoc ideo, quia non eſt conveniens, quòd Deus minùs provideat his, quos diligit ad ſupernaturale bonum habendum, quàm creaturis, quas diligit ad bonum naturale habendum. Creaturis autem naturalibus ſic providet, ut non ſolùm moveat eas ad actus naturales, ſed etiam largiatur eis formas & virtutes quaſdam, quæ ſunt principium actuum, ut ſecundùm ſeipſas inclinentur ad hujuſmodi motus. Et ſic motus, quibus à Deo moventur, fiunt creaturis connaturales & faciles, ſecundùm illud Sapient. 8. Diſponit omnia ſuaviter. Multò igitur magis illis, quos movet ad conſequendum bonum ſupernaturale æternum, infundit aliquas formas ſeu qualitates ſupernaturales, ſecundùm quas ſuaviter & promptè ab ipſo moveantur ad bonum æternum conſequendum. Et ſic donum gratiæ qualitas quædam eſt. Ita ſanctus Thomas.

ARTICULUS III.

Utrum Gratia ſit idem quod virtus; ſeu utrum differat à charitate?

Vide Bellar. Lib.1.de Grat. & lib. arb. c 7 Eſtiũ in 2.diſt. 26. parag.4.

QUæſtio movetur de gratia dumtaxat habituali. Certum autem eſt apud omnes, gratiam ſanctificantem ſeu habitualem, realiter diſtingui à quibuſdam virtutibus infuſis, v.g. à fide & ſpe, quæ in peccatore abſente gratia juſtificante remanere etiam poſſunt. De ſola igitur charitate hìc quæritur, an & quomodo diſtinguatur à gratia ſanctificante.

Circa quam Scholæ diſputationem quatuor ſunt opiniones: Thomiſtæ realiter, Scotus formaliter, Durandus ſolo nomine, alii virtualiter dumtaxat charitatem à gratia ſanctificante diſtingui arbitrantur.

CONCLUSIO.

Gratia ſanctificãs realiter non diſtinguitur à charitate, ſed virtualiter tantũ.

Probatur prima pars: Quia non ſunt realiter habitus diſtinguendi, quorum iidem ſunt effectus: atqui charitatis & gratiæ ſanctificantis iidem ſunt effectus; ergo &c.

Minor oſtenditur: quia fatentibus adverſariis, ſex ſunt effectus gratiæ ſanctificantis: atqui iidem planè ſunt & charitatis.

I. Gratia ſanctificans nos filios Dei efficit: at id de charitate affirmat S. Joan. Epiſtolæ 1. cap. 4. v. 7. *Omnis qui diligit, ex Deo natus eſt.*

II. Gratia nos Deo gratos & acceptos reddit: id porrò efficit charitas. Joan. 14. v. 21. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo.*

III. Gratia vitam ſpiritalem nobis confert: at de charitate dicitur 1. Joan. 3. v. 14. *Scimus, quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte.*

IV. Gratia Deo nos conjungit: at id quoque præſtat charitas. 1. Joan. 4. v. 6. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

V. Gra-

Digitized by Google

V. Gratia radix eſt omnium bonorum operum: at Apoſtolus in prima ad Corinth. cap. 13. omnium ferè virtutum actus charitati adſcribit.

VI. Denique. Gratia ſemen eſt vitæ ęternę ac ſalutis noſtrę cauſa: at de charitate id ipſum dicitur Jacobi 1. v. 12. *Coronam vitæ repromiſit Deus diligentibus ſe.*

Probatur etiam, quia cauſa formalis, qua juſtificamur, eſt gratia ſanctificans; hinc enim juſtificans etiam appellatur: atqui charitas eſt cauſa formalis, qua juſtificamur. Namque Concilium Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. ait, nos effici formaliter juſtos per juſtitiam, qua donamur à Deo: & paulò poſt ait, id fieri in nobis, dum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui juſtificantur. *T. 10. Conc. p.* 759. *D. E.*

Secunda pars Concluſionis oſtenditur, quia quæcumque ita ſunt unum & idem, ut diverſa tamen præſtent officia, illa diſtinguuntur virtualiter; eſt enim diſtinctio virtualis, unitas æquipollens multitudini: atqui gratia ſanctificans & charitas ita ſunt unum & idem, ut diverſa tamen exequantur officia; funguntur enim officio tum naturæ, tum potentiæ: etenim gratia ſanctificans eſt ſimul principium eſſendi ſupernaturaliter, & ſupernaturaliter operandi; ergo gratia & charitas virtualiter diſtinguuntur.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Scriptura loquitur de gratia & charitate tanquam de rebus planè diſtinctis. 2. Corint. 13. v. 13. Apoſtolus ait: *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio Spiritus ſancti.* Et 1. ad Timoth. 1. v. 14. *Superabundavit gratia cum fide & dilectione.* Quibus in locis particula *&* diſtinctionem exprimere videtur.

℞. Nego ant. Tum quia particula conjunctiva, *&*, non eſt ſemper ſignum diſtinctionis inter ea, quæ conjungit: tum quia, interprete Eſtio, ibi gratia ſumitur pro beneficentia Chriſti Redemptoris; ut nempe denotetur Chriſtus Dominus Auctor gratiæ, ſicut Pater & Spiritus ſanctus. Pater quidem qui dilexit nos & dedit Filium ſuum pro nobis; Filius qui gratiam nobis ſuo ſanguine comparavit; Spiritus ſanctus larga donorum ſuorum effuſione, quæ ipſi tanquam Patris & Filii amore per quamdam appropriationem tribuitur.

Objicies 2. Principium eſſendi diſtinguitur realiter à principio operandi: atqui gratia eſt principium eſſendi ſupernaturaliter, charitas verò principium eſt operandi ſupernaturaliter; ergo &c.

℞. Diſtinguo maj. Principium eſſendi ſubſtantiale diſtinguitur realiter à principio operandi, tranſeat; nam potentiæ non diſtinguuntur ab anima, quamvis anima ſit principium eſſendi ſubſtantiale: principium eſſendi accidentale, nego. Porrò gratia eſt principium eſſendi accidentale, ſicut & charitas principium operandi: una autem & eadem entitas virtute diſtincta poteſt eſſe principium eſſendi & operandi accidentale; præſertim cùm iſtud eſſendi principium ex ſe ordinatur ad operandum: talis porrò eſt gratia ſanctificans, quæ velut animæ pondus & inclinatio eam ad bonum operandum inclinat & impellit.

Objicies 3. Effectus formales gratiæ ſanctificantis & charitatis ſeparari poſſunt; ergo gratia realiter diſtinguitur à charitate. Ant. probatur: Quia effectus formalis gratiæ in eo poſitus eſt, ut nos Deo gratos reddat; effectus verò formalis charitatis eſt, ut Deum diligamus: atqui

fieri poteſt, ut quis ſit Deo gratus, nec tamen Deum diligat; ergo &c.

℟. Nego ant. Ad cujus probationem dico, effectum formalem charitatis non eſſe, ut diligamus DEUM, (eſt iſte, ut vocant, effectus effectivus) ſed ut ſimus propenſi & inclinati ad diligendum Deum. Porrò per quod quis Deo gratus eſt, per hoc ipſum propendet & inclinatur ad diligendum Deum.

Objicies 4. Omnis virtus ſupponit naturam: atqui charitas eſt virtus, gratia verò eſt tanquam cœleſtis natura; per hanc enim Divinæ evadimus conſortes naturæ, teſte S. Petro Epiſtolæ ſuæ 2. cap. 1. v. 4.

℟. Diſtinguo min. Gratia eſt tanquam cœleſtis natura accidentalis, concedo: ſubſtantialis, nego. Juſtus enim non efficitur ejuſdem ſubſtantialiter & eſſentialiter naturæ cum Deo; unde neceſſe non eſt, ut charitas ſupponat gratiam ſanctificantem.

T. 10. p. 243. F. Inſtabis: Quod diffunditur per aliud, ab eo diſtinguitur: atqui charitas diffunditur per gratiam, Rom. 5. v. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis*; ergo, &c.

℟. Nego min. Ad probationem dico, Apoſtolum nomine Spiritus ſancti, qui datur nobis, non intelligere gratiam ſanctificantem, ſed tertiam ſanctiſſimæ Trinitatis perſonam, quæ in juſtificatione ſpeciali quodammodo mittitur ad juſtificatos; adeò ut ſi Spiritus ſanctus virtute immenſitatis non foret rebus omnibus præſens, fieret tamen juſtificatis præſens virtute ſanctificationis. Creatæ autem charitatis diffuſio Spiritui ſancto tribuitur, non per excluſionem operationis Patris & Filii; indiviſa enim ſunt opera Trinitatis, ſed per quamdam approbationem: quia nempe Spiritus ſanctus eſt charitas increata ſeu amor ſubſtantialis Patris & Filii, cui proinde bonitas appropriatur, quæ eſt ſui diffuſiva.

Inſtabis 2. Ex S. Auguſt. Lib. de gratia Chriſti cap. 30. per gratiam qua juſtificamur, charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris.

℟. Diſt. Propoſitionem: Per gratiam charitas Dei diffunditur formaliter, concedo: hoc ſenſu, robur diffunditur in pectus militis per fortitudinem. Diffunditur efficienter, ſubdiſtinguo: charitas actualis, concedo: cùm enim gratia ſanctificans ſit habitualis charitas, eo ipſo quo datur, cenſetur actualis charitas ſeu Divinus amor in ſua radice diffundi. Charitas habitualis diffunditur per gratiam, qua juſtificamur, rursùs diſtinguo: per gratiam qua juſtificamur diſpoſitivè, id eſt, per gratiam actualem, tranſeat; quatenus enim motio Divinæ gratiæ nos ad juſtificationem præparat ac diſponit, nos pariter diſponit ad infuſionem gratiæ habitualis: per gratiam qua juſtificamur formaliter, charitas habitualis diffunditur, nego.

Inſtabis 3. Concilia diſtinguunt gratiam à virtutibus. Viennenſe Clementina unica de ſumma Trinitate, dicit, in Baptiſmo infundi gratiam & virtutes. Tridentinum ſeſſ. 6. de juſtificatione cap. 7. pronuntiat, juſtificationem

T. 14. Conc. p. 759. C. fieri *per ſuſceptionem gratiæ & donorum*. Et Can. 11. mentionem facit gratiæ & charitatis diſtinctis vocabulis: atqui charitas eſt virtus; ergo gratia diſtinguitur à charitate.

℟. Diſt. maj. Diſtinguunt gratiam à virtutibus quibuſdam, concedo: gratia enim ſanctificans diſtinguitur à fide, ſpe, & aliis quibuſdam virtutibus infuſis: ab omni omninò virtute, nego. Nam Viennenſe ait, in parvulis vir-

virtutes & informantem gratiam reperiri non quoad actum, ſed quoad habitum; adeòque agnoſcit gratiam, quæ infunditur in Baptiſmo, habere actum ſuum proprium, ſicut habent virtutes: atqui non poteſt gratia ſanctificans ſuum habere actum proprium, ſi ſit à charitate diſtincta. Tridentinum autem cap. 7. nomine donorum non intelligit charitatem, quia non exprimit omnia dona: aliàs exprimeret ipſam gratiam, quæ eſt donum præſtantiſſimum; adeoque non diſtingueret gratiam à donis, quam tamen diſtinguit. Can. autem 11. duobus vocabulis rem eamdem exprimit, propter diverſitatem officiorum: propterea quòd eadem qualitas dicitur gratia, quatenus nos efficit Deo gratos; dicitur charitas, quatenus conſtituit nos amicos Dei: unde poſt illa duo vocabula, ſequitur locutio in ſingulari numero, *Quæ in cordibus eorum per Spiritum ſanctum diffunditur*. Qua quidem locutione ſatis indicat Concilium, ſe nomine charitatis & gratiæ unam eamdemque rem exprimere voluiſſe. *Ibid p. 675. D.*

ARTICULUS IV.

Utrùm Gratia ſit in eſſentia animæ tanquam in ſubjecto?

QUi cum Thomiſtis gratiam habitualem diſtinguunt à charitate, ii etiam docent, gratiam in eſſentia animæ tanquam in ſubjecto immediato reſidere: alii è contra volunt, eam immediatè recipi in voluntate.

CONCLUSIO.

Gratia ſanctificans immediatè recipitur in voluntate, tanquam in ſubjecto inhæſionis.

Probatur 1. Quia, ex mox dictis gratia non diſtinguitur à charitate: at charitas omnium conſenſu reſidet in voluntate.

2. Quia anima nullius habitus activi ſubjectum eſt immediatum, ſicut inductione conſtat per ſingulos habitus; atqui gratia ſanctificans eſt habitus; ergo &c.

Dices: Habitus, qui immediatè recipiuntur in potentiis, ordinantur tantùm ad actus hujuſmodi potentiarum: atqui gratia ordinatur non ſolùm ad actus voluntatis, ſed etiam ad actus omnium potentiarum.

℞. Diſtinguo maj. Ordinantur tantùm ad actus hujuſmodi potentiarum, eliciendo, concedo: imperando, nego. Charitas enim imperat actus aliarum potentiarum, v.g. intellectus & appetitus, ſicut & actus aliarum virtutum.

QUÆSTIO SEXTA.

De variis Gratiæ diviſionibus.

STrictim ac breviter varias gratiæ diviſiones in ipſo primo hujus Tractatus aditu expoſuimus, de quibus jam fuſiùs diſputandum. Iſtæ verò ſunt celebriores diviſiones gratiæ:

I. In gratiam gratum facientem, & gratis datam.

II. In operantem & cooperantem.

III. In prævenientem & ſubſequentem.

IV. In excitantem & adjuvantem.

V. Denique in ſufficientem & efficacem, quæ diviſio omnium celebratiſſima eſt, ob graves, quibus implicatur, difficultates, variaſque Theologorum ſententias, quæ tanto animorum æſtu ac ardore etiamnum agitantur.

ARTICULUS PRIMUS.

De diviſione gratiæ in gratum facientem, & gratis datam.

GRatia gratum faciens eſt donum ſupernaturale indebitum, primariò ac per ſe deſtinatum ad ſpiritualem ſalutem illius, cui datur: de quo dicitur 2. ad Corinth. 12. v. 9. *Sufficit tibi gratia mea.* Quamquam verò gratia hujuſmodi primariò deſtinetur ad propriam recipientis utilitatem, ad aliorum etiam ſalutem conferre multùm poteſt; tum propter exemplum bonorum operum, quod nobis invicem præbere tenemur. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus*, ait Chriſtus Matth. 5. v. 16. *ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.* Tum propter unitatem Eccleſiæ ac Sanctorum communionem, qua fit meritorum inter fideles ſocietas: juxta illud Pſalm. 118. v. 63. *Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua.*

Gratia gratis data eſt donum ſupernaturale indebitum, ad utilitatem aliorum per ſe primò deſtinatum: de quo dicitur 1. ad Corinth. 12. v. 4. *Diviſiones gratiarum ſunt.* Dicitur verò gratis data, non quòd aliqua ſit gratia non gratis data; ſed uni ſpeciei, quòd proprio nomine careat, relinquitur nomen generis. Dicitur etiam primò ac per ſe deſtinari ad ſpiritualem aliorum ſalutem, quia hic eſt illius finis proximus & immediatus; tametſi eadem gratia uti poſſit & debeat ad propriam ſalutem, ille cui conceſſa eſt: juxta illud Danielis 12. v. 3. *Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti; & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.*

Tria circa præſentem diviſionem quæruntur.

I. An legitima ſit ea diviſio.

II. An Apoſtolus 1. ad Corinth. 12. convenienter enumeraverit ſpecies gratiæ gratis datæ.

III. An gratia gratum faciens ſit dignior gratia gratis data.

PRIMA CONCLUSIO.

Legitima eſt diviſio gratiæ, in gratum facientem & gratis datam.

Probatur: Quia membra hujus diviſionis eas habent conditiones, quæ ad legitimam diviſionem requiruntur.

I. Communem generis diviſi rationem participant: utraque enim gratia Dei donum eſt gratuitum, ordinatum ad bonum ſupernaturale, ſibi vel aliis procurandum.

II. A

II. A ſe invicem diſtinguuntur: tum quia gratia gratum faciens primariò ac per ſe ad propriam ſalutem recipientis ordinatur, Epheſ. 1. v. 3. *Benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto .... ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in charitate*. Gratia verò gratis data ad aliorum ſalutem præcipuè refertur: 1. Corinth. 12. v. 7. *Unicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem* (ſcilicet Eccleſiæ.) Tum quia poſſunt à ſe invicem ſeparari, cùm poſſit eſſe gratia gratis data, ſine gratia gratum faciente. Matth. 7. v. 22. *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Quia nunquam novi vos, diſcedite à me, qui operamini iniquitatem*.

III. Denique, duo illa membra generalem gratiæ rationem adæquatè partiuntur; quia omnis gratia propriè dicta, vel ad propriam, vel ad aliorum ſalutem ordinatur.

Dices: Hæc diviſio legitima & adæquata non eſt:

1. Quia non comprehendit dona naturalia, quæ ſunt gratuita, nec pertinent ad gratiam gratum facientem, aut gratis datam.

2. Gratia gratum faciens eſt pariter gratis data; ergo unum membrum hujus diviſionis in aliud recidit.

3. Gratia gratis data ordinatur etiam ad ſalutem propriam, ſicut gratia gratum faciens ad ſalutem aliorum; ergo membra illius diviſionis non ſunt oppoſita.

4. Denique, poteſtas miſtrandi Sacramenta eſt quædam gratia diſtincta tum à gratia gratum faciente, quia reperitur in peccatoribus; tum à gratia gratis data, quia aſſignari non poteſt, ad quam ſpeciem gratiæ gratis datæ illa revocetur.

℟. Nego antecedens.

Ad 1. probationem dico, dona naturalia nonniſi improprio & latiori quodam ſenſu gratiam appellari: hìc verò loquimur de gratia propriè ac ſtrictè ſumpta.

Ad 2. Gratia gratum faciens eſt quidem gratis data, id eſt, ſine ullis præcedentibus meritis: gratia verò quæ ad ſalutem aliorum ordinatur, ex uſu recepto gratis data dicitur, quia proprio caret nomine; ac nomen generis ſolet ignobiliori ſpeciei adaptari. Hac ratione, brutum vocamus animal.

Ad 3. diſtinguo: Gratia gratis data ordinatur ad ſalutem propriam: ſicut gratia gratum faciens ad ſalutem alienam, ſecundariò, concedo: primariò, nego.

Ad 4. dico, poteſtatem miniſtrandi Sacramenta revocari poſſe ad eam ſpeciem gratiæ gratis datæ, quæ dicitur *operatio virtutum*.

SECUNDA CONCLUSIO.

Apoſtolus 1. Corinth. 12. v. 8. & ſequentibus legitimè aſſignat ſpecies gratiæ gratis datæ his verbis: *Alii quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ: alii autem ſermo ſcientiæ: alteri fides: alii gratia ſanitatum: alii operatio virtutum, alii prophetia, alii diſcretio ſpirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum*.

Hanc verò enumerationem legitimam eſſe ſic oſtendimus: Gratia gratis data confertur homini, ut aliorum ſaluti conſulat: homo autem non poteſt aliorum ſaluti perfectè ſeu omni ex parte conſulere, niſi 1. perfectè res Divinas cognoſcat, ut alios inſtruere poſſit. 2. Ea quæ novit, convenienter auditoribus exponere valeat. 3. Ea quæ profert, confirmare poſſit.

Ad 1. tria requiruntur: 1. Ut certiſſimè teneat principia ſeu fundamenta rerum divinarum; id verò fit per fidem. 2. Ut eliciat concluſiones ex illis altiſſimis principiis; id autem aſſequitur per ſapientiam. 3. Ut abundet exemplis, & ope rerum humanarum explicet divinas, quæ gratia vocatur ſcientia.

Ad 2. Neceſſe eſt, ut eo idiomate loquatur, quod poſſit ab audientibus intelligi; id verò præſtat gratia, quæ interpretatio ſermonum, & donum linguarum dicitur.

Ad 3. quatuor deſiderantur. Nam neceſſe eſt Evangelicum Doctorem ad Evangelii confirmationem ea facere, quæ naturali virtute fieri non poſſunt: ea autem ſunt: 1. Curare morbos; & eſt gratia ſanitatum. 2. Operari prodigia; & eſt operatio virtutum. 3. Prædicere futura; & eſt prophetia. 4. Scrutari corda; & eſt diſcretio ſpirituum.

Dices 1. Fides eſt gratia gratum faciens; ergo reponi non debet inter gratias gratis datas.

℞. Diſtinguo ant. Si fides ſumatur pro adhæſione, qua intellectus firmiter aſſentitur veritatibus à Deo revelatis, & juncta ſit cum charitate, concedo: ſi ſumatur pro ſpeciali illuſtratione, per quam aliquis redditur idoneus ad proponenda fidei myſteria, nego. Fidem autem hoc poſteriori ſenſu hìc uſurpamus.

Dices 2. Dona Spiritus ſancti gratiæ ſunt gratum facientes: atqui ſapientia & ſcientia ſunt dona Spiritus ſancti, quæ hominem Deo gratum reddunt; ergo non debent reponi inter gratias gratis datas.

℞. Diſtinguo min. Quatenus ſapientia & ſcientia reddunt hominem facilè mobilem à Spiritu ſancto, concedo: quatenus reddunt hominem idoneum ad alios inſtruendos, nego.

Dices 3. Gratia ſanitatum, operatio virtutum & diſcretio ſpirituum revocari poſſunt ad unam gratiam gratis datam, ſcilicet ad donum miraculorum; ergo diviſio, quam inſtituit Apoſtolus, non eſt accurata.

℞. Diſtinguo conſequens: Non eſt accurata, ſi Logicè ſpectetur, concedo: ſi moraliter & ſenſu Theologico, nego. Ad hoc enim ſufficit, ut prædicta diviſio complectatur omnia genera & ſpecies omnes gratiarum, quæ dicuntur gratis datæ.

TERTIA CONCLUSIO.

Gratia gratum faciens dignior eſt gratia gratis data.

Probatur 1. Quia poſtquam Apoſtolus enumeravit gratias gratis datas 1. Corinth. 12. ait v. 32. *Adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro*, intelligens charitatem.

2. Quia Chriſtus Lucæ 10. v. 19. ait: *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, &c. Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia ſpiritus vobis ſubjiciuntur: gaudete autem, quòd nomina veſtra ſcripta ſint in Cœlis.*

3. Quia

Digitized by Google

3. Quia tantò virtus aliqua excellentior dicitur, quantò ad bonum perfectius ordinatur; finis autem ſemper potior eſt iis, quæ ſunt ad finem: ſed gratia gratum faciens ordinat immediatè hominem ad ultimum finem; gratia verò gratis data ordinat ad ea, quæ diſponunt ad ultimum finem.

Hinc inferes, gratiam gratum facientem & gratis datam his quatuor capitibus inter ſe differre: 1. Gratia gratum faciens ex natura ſua ac primariò ad utilitatem propriam ſuſcipientis; gratia verò gratis data primariò ac per ſe ad utilitatem aliorum tendit & ordinatur. 2. Gratia gratum faciens non poteſt ſimul cohærere cum mortali peccato, è contra gratia gratis data. 3. Gratia gratum faciens ejuſdem eſt in omnibus rationis, tametſi magis vel minùs intenſa. 4. Gratia gratum faciens eſt qualitas inhærens animæ per modum habitus; gratia verò gratis data non ſemper datur per modum habitus, ſed aliquando per modum actus ſeu motionis tranſeuntis, ſicut prophetia.

ARTICULUS II.

De diviſione Gratiæ in operantem & cooperantem.

Diviſionem hanc aſſignat S. Auguſtinus Lib. de gratia & libero arbitrio cap. 17. n. 32. his verbis: *Quis iſtam etſi parvam dare cœperat* (S. Petro) *charitatem, niſi ille qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit? Quoniam ipſe ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.... Ut ergo velimus, ſine nobis operatur; cùm autem volumus, & ſic volumus ut faciamus, nobiſcum cooperatur.* T. 10. p. 735. E.

Quò etiam pertinet, quod cap. 5. n. 12. ejuſdem Libri dixerat de gratia, qua vocatus efficaciter fuit S. Paulus: *Ut de Cœlo vocaretur, & tam magna & efficaciſſima vocatione converteretur, gratia Dei erat ſola.* Ib. p. 724. E.

Non conſentiunt inter ſe Theologi circa notionem ſeu definitionem gratiæ operantis & cooperantis.

Bellarminus Lib. 1. de grat. & lib. arbit. cap. 2. circa finem, definit gratiam operantem, eam, *quæ facit ut velimus*: cooperantem verò, *quæ facit ut quod voluerimus, impleamus*. Rem paulò explicatiùs evolvit eodem Lib. cap. 14. *Dicendum*, inquit, *gratiam operantem illam eſſe, quæ efficit in homine primum actum deliberatæ voluntatis, qualis eſt converſio.... Gratiam verò cooperantem eſſe illam; quæ efficit conſequentes actus voluntatis, quales ſunt, velle orare, ... & alii ſimiles, quos continuò ſequuntur actus externi: ita ut gratia operans nihil ſit aliud, niſi auxilium ſpeciale efficax reſpectu primi actus voluntatis; gratia verò cooperans ſit auxilium ſpeciale reſpectu actuum ſequentium.* Ibidem exponit, quo ſenſu Auguſtinus dixerit, *Deum operari in nobis, ſine nobis*; non quaſi Deus ſit ſola cauſa efficiens, aut voluntas phyſicè ac liberè non concurrat; ſed quia *ſolus Deus eſt cauſa moralis actus voluntatis* ſuadendo, hortando, conſulendo. Inde concludit Bellarminus, *ad primum duntaxat actum voluntatis requiri gratiam operantem; ad reliquos autem non eſſe neceſſariam operantem, ſed cooperantem. Nam*, inquit, *poſteaquam cœpimus velle converti ad Deum, jam nos ipſi non tantum per liberum arbitrium producimus, Deo juvante, reliquos actus, ſed etiam nos incitamus & impellimus, Deo cooperante, ad eos.* Hæc Bellarminus. Tom. 4. p. 168. C. Pag. 183. H. Pag. 184. C.

Eſtius in 2. diſt. 26. paragr. 7. gratiam operantem vocat *priorem;* cooperantem verò, *poſteriorem: Ut prior ſit, qua per operantem Dei gratiam volumus, quod bonum eſt; poſterior, qua per eiuſdem cooperantem gratiam bonum, quod volebamus, perficimus:* uno verbo, *prior gratia, eſt velle; poſterior, facere.*

T. 1. p. 28. col. 2. E. F.

Ex quibus manifeſtum eſt, ea in ſententia per gratiam operantem elici bonam voluntatem ſeu volitionem liberam ac deliberatam; per cooperantem verò, poſt bonæ voluntatis deliberatæ productionem, opus bonum à nobis perfici.

Janſenius Lib. 4. de gratia Chriſti cap. 12. ſuo more confidenter aſſerit, Scholaſticos, ſequendo filum Philoſophiæ ſuæ, non ſatis aſſecutos eſſe mentem S. Auguſtini, cùm varias gratiæ diviſiones aſſignavit: ſcilicet uni Janſenio reſervatum erat mentem ſancti Doctoris intelligere; cæteri mortales hic cæcutiunt. Capite verò 15. versùs finem docet, gratiam operantem eam eſſe, quæ efficit bonam voluntatem deliberatam, ſed infirmam; cooperantem verò, quæ operatur bonam voluntatem, fortem ac robuſtam. *Nihil evidentius,* inquit, *quàm gratiam operantem eſſe, qua cùm antè nollemus, efficitur ut velimus: cooperantem, qua quando jam actu volumus, efficitur ut fortiùs velimus, ita ut ſuperando quævis obſtacula, etiam reipſa faciamus. Illam operari, ut quoquo modo voluntatem bonam ſeu velle quantumcumque infirmum atque imperfectum habeamus; hanc ut illa bona voluntas augeatur & roboretur: non tantùm ut ex inefficaci fiat efficax, ſicut nonnulli volunt, ſed ita ut etiam efficax, efficiatur fortior.*

T. 3. p. 196. col. 1. D.

Exponit ibidem Janſenius, quo ſenſu gratia operans dicatur ſola in nobis ſine nobis operari, non quidem ſine nobis liberè conſentientibus, ut vulgò exponunt Theologi, *ſed ſola dicitur,* inquit, *quia ſine ſtudio, ſine oratione, ſine merito hominis præcedente, voluntatem ſeu velle operatur, per quod voluntas ex mala fit bona, & ex injuſta fit juſta. Cooperans verò, quæ homini jam volenti conantique cooperatur, firmam illam augendo roborandoque voluntatem, id efficit & perficit, quod voluerit, & conatur.*

Ibid. A.

Ex qua Janſenii ſententia iſtud manifeſtè ſequitur, per gratiam operantem aliquem deliberatum voluntatis actum bonum, tametſi tenuem ac imperfectum, ſemper produci, adeoque illam ſemper eſſe efficacem; qua ex parte diſcrepat à memorata Bellarmini opinione, qui agnoſcit aliquam gratiam prævenientem ſufficientem, cui non obtemperat voluntas, & quam ab operante gratia diſtinguit.

Vera porrò cauſa & ratio, quæ Janſenium impulit, ut in tradenda definitione gratiæ operantis & cooperantis, à communi Scholaſticorum doctrina recederet, hæc eſſe videtur, quòd per ordinem ad conſenſum liberum voluntatis, Scholaſtici poſt SS. Patres, varias gratiæ diviſiones exponant: quem conſenſum ſi gratia prævenit per pias illuſtrationes & motiones, quas Deus in nobis ſine nobis, id eſt non liberè cooperantibus, operatur, dicitur præveniens, operans, & excitans: ſi autem illum conſenſum comitatur, aut ſequitur, dicitur adjuvans & cooperans, ſeu comitans aut ſubſequens. Hunc porrò conſenſum voluntatis ab omni neceſſitate etiam ſimplici liberum & immunem, veluti præcipuum hæreſis Pelagianæ dogma cæterorumque fontem, abhorret Janſenius, paſſim affirmans libertatem indifferentiæ fuiſſe per peccatum originale extinctam, nihilque boni vel mali fieri à voluntate, niſi neceſſariò determinata fuerit per ſuperiorem delectationem indeliberatam, ſive cœleſtem, ſive terrenam.

Sunt

Sunt qui duplicem admittunt gratiam operantem, unam moraliter operantem, quæ nempe mentem illuminat & voluntatem excitat, alliciendo, invitando, ſuadendo: aliam verò phyſicè operantem, quæ voluntatem efficienter ac phyſicè prædeterminat ad agendum. Ita Alvares L.9. de auxiliis, diſput. 81. ubi docet, gratiam operantem moraliter non diſtingui à gratia excitante ſeu ſufficiente; gratiam verò phyſicè operantem diſtingui ab excitante: quia hæc moraliter dumtaxat, non verò phyſicè movet ad agendum.

Sanctus Thomas 1. 2. q. 111. art. 2. docet, non tantùm actualem, ſed etiam habitualem gratiam rectè dividi in operantem & cooperantem, pro duplici ipſius effectu, quorum primus eſt formalis, reddere ſcilicet hominem Deo gratum, atque hoc modo dicitur operans: alter verò eſt effectivus, quòd nempe ſit principium operis meritorii.

CONCLUSIO.

Gratia operans rectè definitur, indeliberatus motus intellectus & voluntatis cœlitùs immiſſus, per quem Deus incipit bonum opus in nobis. Cooperans verò, rectè definitur, concurſus ſupernaturalis Dei, quo nobiſcum concurrit ad omnes & ſingulos pietatis actus ſupernaturales ac liberos.

Probatur teſtimoniis S. Auguſtini, initio hujus articuli relatis: Iſta etenim ſancti Doctoris verba, *ſine nobis operatur*, actum denotant indeliberatum, qui ſubitò in nobis ſine nobis excitatur; non quidem ſine nobis phyſicè ac vitaliter agentibus, ſed ſine nobis liberè conſentientibus. Eundem ſenſum exprimit Conc. Arauſicanum II. Can. 9. & 20. In priori ait: *Quoties bona agimus, Deus in nobis atque nobiſcum, ut operemur, operatur*. In poſteriori: *Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo*: (nempè liberè conſentiendo) *nulla verò facit homo bona, quæ non præſtet Deus, ut homo faciat*. Quæ verba ſunt Auguſtini Lib. 2. contra duas Epiſtolas Pelagianorum, cap. 8. *Tom. 4. Conc. p. 1669. B. p. 1670. C.*

Favet S. Thomas 1. 2. q. 111. art. 2. *Operatio*, inquit, *alicujus effectus, non attribuitur mobili, ſed moventi. In illo ergo effectu, in quo mens noſtra eſt mota, & non movens, ſolus autem Deus movens, operatio Deo attribuitur; & ſecundùm hoc dicitur gratia operans. In illo autem effectu, in quo mens noſtra & movet, & movetur, operatio non ſolùm attribuitur Deo, ſed etiam animæ; & ſecundùm hoc dicitur gratia cooperans*. Audis ex Angelico Doctore, gratiam eſſe operantem, quando voluntas eſt mota, non movens, id eſt, liberè non conſentiens: vitaliter enim ac phyſicè ſeipſam movet. Gratia igitur dicitur operans, quatenus per motionem indeliberatam applicat intellectum ad pias cogitationes, & voluntatem ad ſanctas affectiones: dicitur verò cooperans, quatenus cum intellectu & voluntate producit vel piam cogitationem, vel ſanctam affectionem.

Hinc refellitur expoſita mox Janſenii ſententia, qui in gratia operante deliberatum agnoſcit voluntatis motum; nec aliud inter operantem ac cooperantem diſcrimen ſtatuit, niſi quòd operans imperfectam ac tenuem, cooperans verò perfectam ac robuſtam exprimat ad bonum voluntatem. Certum enim eſt, gratiam operantem dari ad voluntatem robuſtam eliciendam; & cooperantem, viceverſa, ad eliciendam imbellem & invalidam. Nullum enim pietatis opus elici poteſt ab homine ſine auxilio gratiæ operantis & cooperantis, juxta iſtud S. Auguſtini Lib. de gratia & libero arbitrio cap. 17. n. 33. *Quis iſtam*, *To. 10. p. 735. E.*
ait,

ait, *etſi parvam dare cœperat charitatem, niſi ille qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit? Quoniam ipſe ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.... ſine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.* Atqui bona voluntas, ſeu infirma ſit, ſeu valida, opus eſt pietatis; ergo ad utramque voluntatem requiritur gratia operans & cooperans.

Hinc patet, legitimam eſſe diviſionem gratiæ, in operantem & cooperantem. Nam vel gratia efficit in homine indeliberatum motum, vel deliberatum: ſi prius, eſt operans gratia; ſi poſterius, eſt cooperans.

ARTICULUS III.

De diviſione Gratiæ in prævenientem & ſubſequentem.

T. 6. pag. 208. F. Diviſionem hanc adducit S. Auguſtinus in Enchirid. cap. 32. *Præcedit*, inquit, *bona voluntas hominis multa Dei dona, ſed non omnia: quæ autem non præcedit ipſa, in eis eſt & ipſa. Nam utrumque legitur in ſanctis eloquiis, &, Miſericordia eius præveniet me; &, Miſericordia eius ſubſequetur me. Nolentem prævenit, ut velit; volentem ſubſequitur, ne fruſtra velit.* Ibid. E.

Duobus verò modis gratia dici poteſt præveniens & conſequens; nempe vel reſpectu voluntatis, vel comparatè ad ſe invicem.

I. Per reſpectum ad voluntatem ſeu actum bonum, gratia præveniens dicitur, quia prævenit voluntatem, cauſando in ea boni motus initium: ſubſequens verò, quia ſubſequitur & provehit & executioni applicat bonum motum jam in voluntate per gratiam prævenientem inchoatum. Et hic verus ac proprius eſt ſenſus Eccleſiæ, cùm in ſuis ad Deum Orationibus ait: *Vota noſtra, quæ præveniendo aſpiras, etiam adjuvando proſequere.* Cave igitur, ne per ſubſequentem gratiam, eam intelligas cum Semipelagianis, quæ prævium liberi arbitrii motum ſubſequitur, qui ſenſus damnatus eſt in Conc. Arauſic. II. Can. 6. Subſequens ergo dicitur, quòd bonum pietatis motum beneficio gratiæ prævenientis productum, perficit: vel generali quadam ratione ita dicitur, in quantum ſcilicet Deus priora gratiæ ſuæ beneficia nobis collata auget, eademque aliis præſtantioribus, ac ſubſequentibus beneficiis cumulat, nova ſubinde veteribus adjiciens.

II. Si gratiæ comparatè ad ſe invicem ſpectentur, ea dicitur præveniens, quæ ſequentem gratiam præcedit; ut ſubſequens, quæ præcedentem ſequitur. Quo ſenſu dixit S. Auguſtinus Lib. de natura & gratia cap. 31. n. 35. *Prævenit, ut ſanemur, quia & ſubſequetur, ut etiam ſanati vegetemur; prævenit ut vocemur, ſubſequetur ut glorificemur; prævenit ut piè vivamus, ſubſequetur ut cum illo ſemper vivamus: quia ſine illo nihil poſſumus facere.* T. 10. p. 142. C.

Ex iſta duplici gratiæ prævenientis & ſubſequentis conſideratione, facilè ſolvitur iſta quæſtio, utrùm ſcilicet præſens gratiæ diviſio diſtinguatur à priori? Namque ſi gratia præveniens & ſubſequens dicatur reſpectivè ad liberum conſenſum voluntatis, ita ut gratia præveniens conſenſum illum liberum includat; tunc diſtinguitur ab operante, quæ, ut diximus, non includit il-

lum

lum liberum conſenſum: ſecùs verò, non diſtinguitur; ac præſens diviſio in priorem coincidit, tantumque ratione diſtinguitur, in quantum præveniens & ſubſequens ſignificant ordinem prioris & poſterioris, qui non deſignatur nomine gratiæ operantis & cooperantis.

Porrò cùm gratia præveniens non includit voluntatis conſenſum, neceſſe eſt admittere præter gratiam prævenientem ac ſubſequentem, tertium aliquod membrum, gratiam ſcilicet concomitantem, quæ voluntatem comitatur & adjuvat, ut bonum efficaciter velit. Cùm enim ille voluntatis actus, quo conſentit ſeu vult bonum, ſit à gratia Dei, neque includatur in præveniente aut in ſubſequente gratia, neceſſe eſt ut ſit à gratia concomitante. Hanc triplicem gratiam deſignat Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 16. his verbis: *Quæ virtus in ipſos juſtificatos jugiter influit, bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur.* Tom. 14. Conc. p. 763. D.

S. Thomas citata jam q. 111. art. 3. docet, gratiam in prævenientem & ſubſequentem dividi per ordinem ad diverſos effectus: *Sicut gratia*, inquit, *in operantem & cooperantem ſecundùm diverſos effectus, ita etiam in prævenientem & ſubſequentem .... Sunt autem quinque effectus gratiæ in nobis, quorum primus eſt, ut anima ſanetur: ſecundus, ut bonum velit: tertius eſt, ut bonum quod vult, efficaciter operetur: quartus eſt, ut in bono perſeveret: quintus eſt, ut ad gloriam perveniat. Et ideo gratia ſecundùm quod cauſat in nobis primum effectum, vocatur præveniens reſpectu ſecundi effectus, & prout cauſat in nobis ſecundum, vocatur ſubſequens reſpectu primi effectus. Et ſicut unus effectus eſt poſterior uno effectu, & prior alio; ita gratia poteſt dici præveniens & ſubſequens ſecundùm eundem effectum reſpectu diverſorum.* Ita S. Thomas.

Janſenius L. 4. de Gratia Chriſti c. 12. exiſtimat, gratiam prævenientem eſſe illam ſolam & unicam, quæ efficit primum liberum converſionis actum; cæteros verò actus, quos ſubinde peccator elicit, ait pendere à ſola gratia ſubſequente. *Præveniens gratia dicitur*, inquit, *quia prævenit omnem omninò etiam primum bonum voluntatis humanæ motum: ſubſequens, quia bonum voluntatis humanæ motum ſequitur. Motum intelligo*, pergit Janſenius, *liberum voluntatis conſenſum, quo aliquid præmii homo à Deo ſive de congruo, ſive de condigno promeretur.* T. 3. pag. 189. col. 1. E.

Refellitur hæc Janſenii opinio: quia licèt veriſſimum ſit, eam gratiam, quæ antecedit primum converſionis actum, eſſe prævenientem, & hoc maximè ſenſu ſumi à S. Auguſtino adversùs Semipelagianos: illa nihilominùs gratia, quæ excitat voluntatem hominis jam juſtificati, eſt etiam præveniens, ut colligitur ex verbis S. Auguſtini jam citatis cap. 31. Libri de natura & gratia: *Prævenit*, inquit, *ut piè vivamus, ſubſequetur, ut cum illo ſemper vivamus*.

Quidam volunt duplicem diſtingui gratiam prævenientem: alteram dicunt cauſam vitalis actus, ſcilicet cogitationis & volitionis indeliberatæ; alteram verò ajunt prævenire liberos actus, & prædeterminare voluntatem ad illos eliciendos. Ita Alvares L. 8. de auxiliis diſput. 74. & diſput. 82. ubi contendit cooperantem gratiam eſſe prævenientem. Ratio eſt, quia cùm Thomiſtæ admittant phyſicam præmotionem, neceſſe eſt, ut cohærenter loquantur, quòd dicant gratiam cooperantem eſſe prævenientem.

AR-

ARTICULUS IV.

De diviſione Gratiæ in excitantem & adjuvantem.

DIviſio hæc fundamentum habet in Scripturis ac SS. Patribus, ac Concilio Tridentino.

Apocalypſeos 3. v. 20. *Ecce ſto ad oſtium & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi Januam, intrabo ad illum & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.*

Epheſ. 5. v. 14. *Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.*

S. Aug. Lib. 2. de peccat. mer. & rem. c. 18. n. 31. *Quòd ad Deum*, inquit, *nos convertimus, niſi ipſo excitante atque adjuvante non poſſumus.* Et lib. de ſpiritu & littera c. 34. n. 6. *Quòd viſorum ſuaſionibus*, ait, *agit Deus ut velimus & ut credamus, ſive extrinſecùs per Evangelicas exhortationes .... ſive intrinſecùs, ubi nemo habet in poteſtate quid ei veniat in mentem, ſed conſentire vel diſſentire propriæ voluntatis eſt.*

T. 10 p. 56. D. Ibid. p. 120. D. E.

S. Bernardus Lib. de gratia & lib. arbit. c. 13. *Cujus* (liberi arbitrii) *conatus ad bonum*, inquit, *& caſſi ſunt, ſi à gratia non adjuventur; & nulli, ſi non excitentur.*

Tom. 1. p. 620. A.

Utramque hanc gratiam agnoſcit Eccleſia, cùm Deum orat, modò ut excitet fidelium ſuorum voluntates & corda; modò ut actiones eorum, quas aſpirando prævenit, etiam adjuvando proſequatur.

Denique Trid. Conc. ſeſſ. 6. c. 5. dicit, eos, qui per peccata averſi erant à Deo, per excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum ſe, ad ſuam ipſorum juſtificationem diſponi: & c. 6. *Diſponuntur*, inquit, *ad Juſtitiam, dum excitati divina gratia & adjuti, fidem ex auditu concipientes liberè moventur in Deum.* Meminit & Can. 4. excitationis, qua liberum arbitrium à Deo excitatur, quæ excitatio, ipſa eſt gratia, quæ hìc excitans appellatur.

T. 14. Co. p. 758. E.

Quæ porrò dicenda ſit gratia excitans, & quæ adjuvans, non conſentiunt inter ſe Theologi; quemadmodum nec circa definitionem operantis & cooperantis gratiæ, ut antea diximus.

Qui volunt per operantem gratiam bonum voluntatis actum deliberatum fieri, ii quoque dicunt, gratiam excitantem eam eſſe, quæ per aliquos actus liberos voluntatem velut ſopitam ac torpentem, à ſomno peccati aut negligentià bonorum operum excitat: adjuvantem verò eam, qua excitata voluntas adjuvatur, ut perfectiùs velit, quod velle incæpit, utque perficiat quod jam voluit. Excitat enim, inquiunt, gratia ut velimus, adjuvat ut faciamus. Ita Eſtius in 2. diſt. 26. par. 10. Janſenius Lib. 4. de Grat. ſalvat. c. 16. Alii verò, qui per operantem gratiam indeliberatos dumtaxat actus bonos voluntatis fieri exiſtimant, conſequenter definiunt gratiam excitantem, eam qua homo excitatur ad bonum, licèt illud nondum velit actu deliberato; adjuvantem verò, eam qua adjuvatur ut velit, ac deinde faciat & exequatur.

AR-

ARTICULUS V.

De diviſione Gratiæ in ſufficientem & efficacem.

CErtum eſt apud omnes, poſſe hominem ex conceſſa ſibi gratia bonum operari, & ad vitam æternam pervenire: nec minùs etiam certum, nonnullos, bonum quod poſſunt, reipſa operari, alios verò non operari. Hinc nata celebris apud Theologos diviſio gratiæ in efficacem & ſufficientem. Circa utrumque hujus diviſionis membrum graves jamdiu exardeſcunt inter Scholæ Theologos diſcordiæ ac contentiones, de quibus impoſterum dicturi ſumus.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Gratia ſufficiente.

GRatia ſufficiens vi nominis, ea eſt, quæ ſufficit ad opus bonum: uſu verò Scholæ, & prout diſtinguitur ab efficaci gratia ſufficiens ea dicitur, quę dat poſſe operari; gratia verò efficax, ea, quæ certiſſimè dat bonum operari.

Circa ſufficientem gratiam, multa, eaque graviſſima in quæſtionem hìc veniunt apud Scholæ Theologos, quæ ſpectant tum ejus naturam & vires, tum neceſſitatem, ſeu exiſtentiam; tum denique ejus deſtributionem ſeu gratuitam conceſſionem, de quibus ſequentibus articulis diſſeremus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quæ ſit eſſentia ſeu natura Gratiæ ſufficientis? Et quid per illam Eccleſia intelligat?

GRatiæ ſufficientis natura conſiderari poteſt vel in ſeipſa, vel reſpectivè ad opus bonum, ad quod tendit & ordinatur. Priori reſpectu, ſenſus quæſtionis eſt, utrum gratia excitans ſeu ſufficiens ſit actus intellectus & voluntatis, quatenus à Deo productus; an verò ſit illius cauſa: hoc eſt, ut exponit Alvares L. 8. de auxiliis diſput. 74. utrùm gratia ſufficiens ſit formaliter actus ille vitalis illuſtrationis mentis & excitationis voluntatis, quem Deus in nobis ſine nobis operatur; an verò ſit motio Dei prævia, quæ cauſaliter & efficienter actus illos in nobis operatur: quæ quidem quæſtio non tanti momenti eſt, ut in ea hìc immoremur. Gratiam igitur ſufficientem hìc unicè ſpectamus, quatenus ad opus bonum ordinatur; & quærimus, quæ ſit ejus natura, quæ virtus, & quid per eam intelligat Eccleſia? Priuſquam verò rem concluſione noſtra ſtatuamus, neceſſe eſt referre tum errores Novatorum, tum varias ac diſcrepantes Scholæ noſtræ opiniones circa gratiam ſufficientem.

No-

Novatorum error.

Calvinus L. 2. Inſtit. cap. 13. aliam non agnoſcit gratiam, quàm efficacem Pag. 99. & invincibilem, cui reluctari homo non poſſit. *Voluntatem movet* (Deus) inquit n. 10. *non qualiter multis ſæculis traditum eſt & creditum, ut noſtræ poſtea ſit electionis, motioni aut obtemperare, aut refragari: ſed illam efficaciter afficiendo. Illud ergo toties à Chryſoſtomo repetitum repudiari neceſſe eſt: Quem trahit, volentem trahit.* Et paulò poſt: *Neque ſecus accipi ſententia Chriſti poteſt: Omnis qui audivit à Patre meo, venit ad me, quàm ut efficacem à ſeipſa Dei gratiam doceat.... Nam medium quem Sophiſtæ* (ita Catholicos ſibi adverſantes traducit) *imaginantur motum, cui obſequi, vel quem repellere liberum ſit, apertè excludi videmus, ubi aſſeritur efficax ad perſeverandum conſtantia.*

Non ergo aliam in præſenti ſtatu gratiam admittit Calvinus, quàm efficacem, invincibilem & inſuperabilem, cui voluntas reluctari non poſſit; ergo ſufficientem, cui reſiſtitur, omninò ille rejicit atque repudiat.

Cùm idem Calvinus vim omnem & efficaciam gratiæ docuerit repetendam eſſe ex delectatione victrice, neceſſe eſt eas omnes conſecutiones admittat, quæ cum illo principio inſeparabili nexu colligatæ ſunt, hoc eſt: 1. Ut nullam verè ſufficientem admittat gratiam, quæ ſatis virium habeat ad oppoſitam ardentiorem cupiditatem debellandam ac ſuperandam. 2. Ut ſub motione gratiæ efficacis voluntas libera non ſit ut ei conſentiat, vel diſſentiat: ſed neceſſitate vera, reali, phyſica & antecedente ad conſentiendum adigatur.

Synodus Dordracena Calvinianæ doctrinæ adeo capitaliter averſam intellexit gratiam ſufficientem, ut ſuis ex Scholis eam exulare juſſerit. *Diſtinctio illa*, inquit, *gratiæ in ſufficientem & efficacem* (*ſi non de externis mediis, ſed de vero & interno Spiritus tractu loquamur*) *minimè nobis probatur. Retineant eam ſibi Bellarminus & Arminius: quoſcunque enim Spiritus ſanctus trahit, illis non tantùm dat poſſe currere, ſed etiam ut reipſa currant.*

Si recentioribus Calvini diſcipulis fides, imprimis Ludovico le Blanc in Theſibus Sedanenſibus: Pag. 548. *Reformati, qui negant, omnes eos, qui non convertuntur, gratiam ad converſionem ſufficientem habere; non negant tamen quin aliquo uſq; gratia Dei operetur in multis, qui ſe ſe in peccatis obſirmant, nec ad Deum per fidem & reſipiſcentiã accedunt.* Gratiam porrò illam, non modò exteriorem eſſe, ſed etiam interiorem, ibidem tum ſuo, tum aliorum, quos appellat teſtimonio probat citatus Scriptor. Quapropter videtur ipſi præſens controverſia mera quæſtio de nomine: an ſcilicet ea dumtaxat gratia ſufficiens dicenda ſit, cum qua homo ad Deum convertitur; non ea verò cum qua nõ convertitur, ſed quę debiles tantùm & infirmos excitat in voluntate ad converſionem & reſipiſcentiam motus. Verùm quę in decurſu hujuſce diſputationis dicturi ſumus apertè demonſtrabunt, non de nomine tantùm hic moveri quæſtionem, ſed de re graviſſima, quæ fidem ſpectat, & veram mandatorum Dei poſſibilitatem.

Janſenius circa gratiam ſufficientem inſigniter aberravit.

I. Non aliam nomine ac re ſufficientem in præſenti ſtatu gratiam admittit, T. 3 pag. 1842. col. C. quàm efficacem & victricem, quæ voluntatis conſenſum indeclinabiliter & inſuperabiliter ſemper exprimit, cui conſequenter numquam reſiſtitur. *Hinc claret* ait Janſenius L. 4. de Gratia Chriſti c. 10. *cur Auguſtinus omnem omnino gratiam*

purè

purè ſufficientem auferat. Ratio perſpicua eſt, quia cùm ei nulla ſit gratia operandi præter iſtam ſuavitatem Dei, niſi iſta tanta fuerit, ut ei delectationes rerum creatarum ceſſerint, vel peccabitur, vel alternante delectationum fluctu in medio remanebitur. Sin autem iſta ſuperaverit, jam ſine dubio benè voluntas operabitur: Quod enim ampliùs nos delectat, ſecundùm id operemur neceſſe eſt. Sed utrumlibet fiat, non erit ſufficiens gratia, ſed vel efficax, vel ita inefficax, ex qua operatio nequidem poſſit ſequi, niſi ejus inefficacia per aliam ſuppleatur. Et cap. 1. Lib. 3. de Gratia Chriſti dixerat: *Vocamus ſufficientem gratiam, ſeu ſufficiens adjutorium, præter quod nihil aliud ex parte Dei per modum principii neceſſarium eſt, ut homo velit aut operetur.* *Ib. pag. 102. col. 2. B.*

II. Docet, gratiam eſſe ſemper efficacem, licèt ſemper victrix non ſit. L. 8. cap. 2. *Delectatio victrix*, inquit, *quæ Auguſtino efficax adjutorium, relativa eſt. Tunc enim eſt victrix, quando alteram ſuperat. Quòd ſi contingat alteram ardentiorem eſſe, in ſolis inefficacibus deſideriis hærebit animus.* *Ib. pag. 344. col. 2. C.* Unde licèt parva Janſenii gratia ſit efficax debilis alicujus & infirmi effectus, non tamen eſt victrix; quia oppoſitam cupiditatem non ſemper ſuperat, nec plenum atq; perfectum effectum aſſequitur, *propter defectum virium*, ait Janſenius Lib. 3. de Grat. Chr. c. 13. De qua rurſus L. 2. c. 27. dicit, *eam nullo modo ſufficere, ut homo Dei mandatum operetur, ut Deum ſuper omnia diligat, ut ſperet, &c. licèt aliquid faciat, nempe velleitates quaſdam excitet.* *Ib. pag. 138. col. 2. C.* Ratio eſt, quia in ſyſtemate delectationis relativè ſuperioris ac victricis, non poteſt gratia parva ſeu inferior vincere ſuperiorem concupiſcentiam: *ibid. p. 87. col. 1. A.* quapropter in eo ſyſtemate nulla datur gratia verè ac propriè ſufficiens, præter ſuperiorem cœleſtem delectationem. Gratia quippe, quam Janſenius parvam appellat, ſi abſolutè & in ſe præciſis ſubjecti circumſtantiis ſpectetur, de ſe quidem eſt efficax, & ad bonum perfectum antecedente Dei voluntate ordinatur, quod reipſa efficeret, ſi minus ipſi reſiſteret oppoſita cupiditas: ſi verò ſpectetur relativè ac comparatè ad majorem actualem concupiſcentiæ delectationem, planè inſufficiens eſt & impar huic debellandæ; quia ad hoc ſatis virium non habet. Ergo in rei veritate, gratia parva Janſenii planè inſufficiens eſt relativè, ex qua, ut mox audivimus, *Operatio nequidem poſſit ſequi, niſi ejus inefficacia per aliam ſuppleatur.* Nec aliter ejus diſcipuli à tot annis hic nobis illuſerunt, quàm turpi æquivocatione potentiæ, non tantùm completæ ac perfectæ, ſed etiam completiſſimæ, perfectiſſimæ, ſufficientiſſimæ, proximæ, &c. (his enim titulis non parcunt) quam in ſua gratia ſufficiente ſeu parva admittere ſe conteſtabantur.

Verùm hoc nomine abſolutam dumtaxat & abſtractam intelligunt potentiam, præciſis ſubjecti præſentibus circumſtantiis: non verò relativam & ad illas comparatam, ſicut fuſiùs probatum eſt prima parte hujus Tractatus, ubi de ſyſtemate doctrinæ Janſenii. Ex quibus colligitur, errorem Janſenii circa gratiam ſufficientem in eo præciſè repoſitum eſſe, quòd velit, illam imparem eſſe, nec proportionatam relativè ad oppoſitam ſuperandam cupiditatem. Cur verò impar illa ſit, apertè declarat Janſenius L. 3. de Grat. Chr. c. 13. nempe propter *virium defectum:* quia ſcilicet minor gratia non poteſt relativè & comparatè ardentiorem ſuperare concupiſcentiam. *Tunc enim*, dicebat Sambonius, *major eſt reſiſtentia concupiſcentiæ, quam virtus gratiæ parvæ. Eſt autem*, ait auctor recentior, *in omni ſtatu immobilis divinæ providentiæ lex conſtituta, ut actio ex proportione majoris inæqualitatis oriatur, qua agens ſibi ſubjiciat paſſum, & major* *P. Maſſoulié S. Thomas ſui Interpres T. 2. differt 3. q. 6. art. 1. p. 109.*

vis

Digitized by Google

vis vincat minorem. Ex quo hæc conſectaria colliguntur: 1. Reſpectu ipſius operis boni actu exercendi, perinde eſſe, aut nullam prorſus habere, aut ita imparem viribus habere gratiam, *ex qua operatio non poteſt ſequi*. 2. Juſtis ſola gratia parva inſtructis abſente efficaci, relativè, ſeu ut loquitur Janſenius, *ſecundùm præſentes quas habent vires*, vel, ut Arnaldus, *in ea hypotheſi* (nempe inferioris gratiæ, mandata Dei eſſe impoſſibilia. 3. Gratiam ſufficientem, ſeu parvam ad ſenſum Janſenii, definiendam eſſe eam, quæ gradibus inferior eſt oppoſita concupiſcentia actuali; nec eam, *propter defectum virium*, relativè vincere ac ſuperare poteſt.

Definitio gratiæ ſufficientis ſenſu Janſenii.

III. Janſenius gratiam ſufficientem, quam admittunt recentiores miſerè diſcerpit ac dilaniat. Non tantùm *hominibus inutilis eſt*, ait L. 3. de Grat. Chr. c. 2. *ſed & pernicioſa*. *Et verò quid homini miſero pernicioſius, quàm illa gratia abundare, qua nemo unquam fatentibus etiam Scholaſticis, niſi majorem damnationem aſſecutus eſt?* Et cap. 3. *Illud à recentioribus prolatum gratiæ ſufficientis genus, quo adjuvante nullum unquam opus factum eſt, aut fiet unquam.... videtur monſtrum quoddam ſingulare gratiæ, ſolummodo peccatis faciendis, majorique damnationi accerſendæ ſerviens; ideoque lapſis hominibus, citra Dei invidiam damnandis excogitatum*.

T. 3. p. 206. col. C.

Ibid. 2. col. A.

Magiſtrum imitantur diſcipuli. Ignorat nemo, quantis facetiarum jocis ac ſannis auctor comici Libelli, cui gallicè titulus, *Lettres Provinciales*, in perſona cujuſdam Dominicani, quem in ſcenam inducit, irrideat gratiam ſufficientem, quæ non ſufficit; gratiam quæ ſemper dat poſſe agere, & nunquam dat agere: attamen illi ipſi, cùm rebus ſuis expedit, ſe Thomiſtas profitentur; eorumque larva ſe obtegunt, ut elabantur.

Opiniones Scholæ circa naturam & vires gratiæ ſufficientis.

Jam obſervavimus, quæſtionem hìc eſſe de gratia ſufficiente actuali, non de habituali ſeu ſanctificante, quam nonnullis, poſt S. Thomam, ſufficientem placet appellare. Iſtæ ſunt celebriores circa gratiam illam ſufficientem actualem Theologorum Scholæ opiniones.

Prima Thomiſtarum.

I. Thomiſtæ ſufficientem gratiam, prout ab efficaci diſtinguitur, definiunt eam, cum qua poteſt homo benè operari, nunquam tamen benè operatur, niſi novum ex parte Dei accedat efficax ac phyſicè præmovens auxilium. Gratia igitur ſufficiens, ex doctrina Thomiſtarum, natura & entitate ita diſtat & diſtinguitur ab efficaci, ut nuſquam ſe ſola efficax evadere poſſit; atque licèt conferat poſſe operari, nuſquam tamen in tanta hominum multitudine, qui hactenus vixerunt, & ſubinde victuri ſunt, continget, ut vel unus cum illa ſola bonum operetur.

Apud Thomiſtas idem ſignificat gratia ſufficiens, quod gratia excitans, cujus quidem duplex eſt diſtinguendus effectus: unus proximus, debilis & imperfectus, ad quem abſoluta Dei voluntate deſtinatur; alter ultimus, plenus ac perfectus, ad quem ultimatè tendit & ordinatur.

Rurſus, prior effectus vel indeliberatus eſt, vel deliberatus. Certum eſt in quacumque ſententia gratiam ſufficientem ſeu excitantem eum ſemper haberè indeliberatum effectum, quem Deus in nobis ſine nobis liberè cooperantibus producit. Neque enim fieri poteſt, ut Deo mentem illuminante ac excitan-

Digitized by Google

citante voluntatem, mens non illuminetur & voluntas non excitetur: illuſtratio quippe iſta & excitatio ſunt actus vitales, qui phyſicè & efficienter oriuntur ab internis ac vitalibus principiis.

Quantum verò ſpectat actum ejuſdem gratiæ deliberatum, tametſi debilem & infirmum, fieri poteſt, ut mens hominis ita excæcata ſit, & voluntas indurata, ut pia mentis illuſtratio ac excitatio voluntatis ſtatim in ortu ſuo præfocetur; nullumque, ne tenuem quidem & inchoatum, ad pietatem motum deliberatum excitet in voluntate.

Exiſtimant nihilominùs ex Thomiſtis nonnulli, gratiam ſufficientem imperfectum aliquem deliberatum effectum producere, cujus reſpectu efficax eſt; reſpectu verò effectus ulterioris ſeu perfecti, tantùm ſufficiens. *Auxilium, quod eſt ſufficiens comparatione unius effectus*, ait Alvares L.8. de auxiliis diſput. 71. n. 13. *ſimul eſt efficax comparatione alterius*. Et diſput. 8. n. 2. *Omne auxilium ſufficiens comparatione unius actus, ſemper eſt efficax reſpectu alterius, ad quem efficiendum decreto abſoluto Divinæ voluntatis deſtinatur: v. g. auxilium ſufficiens ad actum fidei efficaciter producit in homine pias cogitationes, & notitias credendorum, vel pia deſideria habendi fidem, & alios hujuſmodi actus imperfectos, qui regulariter loquendo antecedunt aſſenſum fidei .... Hanc ſententiam*, ait Alvares, *docent communiter recentiores Thomiſtæ*. Ibid. n. 5. *Auxilium actuale dicitur efficax comparatione effectus, ſive actus imperfecti, quem producit; & ſufficiens comparatione actus perfecti, quem poteſt producere, & ad quem ultimatè ordinatur*. Rurſus n. 6. *Toto illo tempore quo auxilium ſufficiens potentiam afficit, ſimul producit efficaciter actus illos imperfectos, de quibus diximus; & eſt principium ſufficiens in ſuo genere, comparatione actus perfecti, ad quem ordinatur. Quòd ſi de facto liberum hominis arbitrium per illud auxilium actum perfectum non producit, id ex ejus culpa procedit, quia noluit benè uti eodem auxilio; ſed illi reſiſtendo, impedimentum poſuit, ne Deus ſua gratia progrederetur ulteriùs, hominem adjuvando, ut perfectum actum produceret*. Quod probat ibidem dictus Alvares adducto S. Thomæ teſtimonio ex 3. contra Gentes c. 159. pag. 697. pag. 641. pag. 642. pag. 643.

Sunt tamen inter Thomiſtas, imprimis Navarreta, Controverſia 18. Concluſione 1. qui aſſerunt, *de facto dari multoties auxilium gratiæ excitantis abſque auxilio gratiæ adjuvantis; atque totum hominem incipere excitari, & tamen voluntatem non appetere bonum, nec odio habere peccatum*. Supponit ergo Navarreta, gratiam excitantem aliquando fruſtrari quolibet effectu deliberato.

In ſententia verò Thomiſtarum, homo nuſquam benè utitur gratia ſufficiente ad bonum perfectum actu faciendum, niſi accedat gratia efficax phyſicè præmovens. Imò, cùm gratia ſufficiens effectum tenuem licèt ac imperfectum producit, eum non producit, quatenus ſufficiens eſt, ſed prout cum adjuvante gratia conjungitur; utraque ſuo modo: ſufficiens ſeu excitans, moraliter; adjuvans, phyſicè ſeu efficienter. *Gratia excitans*, inquit jam citatus Alvares L. 9. diſp. 81. n. 9. *non producit operationem efficienter ſeu phyſicè; ſed ſolùm moraliter attingit conſenſum voluntatis: ac per conſequens, quando producitur pia operatio, ſæpè non exiſtit gratia excitans; unde efficienter operari non poteſt*. Ibid. n. 12. *Duo*, ait, *hic habemus: 1. Quòd quamvis liberum hominis arbitrium liberè velit, ſolus tamen Deus eſt, qui facit eum velle, non ſolùm moraliter ſuadendo per gratiam excitantem, ſed etiam verè efficienter per gratiam operantem; faciendo ut ipſum arbitrium conſentiat & cooperetur, & ſimul tempore nobiſcum cooperando* pag. 649. pag. 653.

ipſum conſenſum habemus. 2. Deum duobus modis præparare voluntatem ut conſentiat: Primò ſuaſione quadam morali, quæ eſt per gratiam excitantem. 2. Per motionem prædeterminantem voluntatem ad conſenſum, quod fit per gratiam operantem, qua operans eſt .... Undè quamvis idem munus ſit gratiæ operantis moraliter ipſum velle, & gratiæ excitantis; non tamen eſt idem munus gratiæ operantis phyſicè, & gratiæ excitantis; & conſequenter iſtæ duæ gratiæ realiter inter ſe diſtinguuntur.

Gratia igitur ſufficiens ſeu excitans, præciſè ut ſufficiens & excitans, phyſicè non agit nec determinat, ſed moraliter dumtaxat, nempe movendo, ſuadendo, & alliciendo: gratia quippe ſufficiens & excitans qua talis, dat tantum poſſe agere, poſſe converti. *Porrò*, ait idem Alvares diſput. 91. n. 13.
pag. 734. ad 1. argumentum, *prædeterminatio non eſt neceſſaria, ut quis reverà poſſit converti vel piè operari, ſed ut de facto convertatur & piè operetur.* Idem n. 14. ad
pag. 735. 8. ait, *ſolam gratiam excitantem non prædeterminare phyſicè liberum arbitrium ad conſenſum, ſed id efficere gratiam adjuvantem, quæ gratiam phyſicè operantem & cooperantem includit.* Unde concludit, *Gratiam operantem non eſſe confundendam cum gratia excitante, à qua realiter diſtinguitur.*

Immeritò Janſeniani affirmant, diſputare inter ſe diſcordi animo Thomiſtas, qualis ſit, & quomodo vocanda potentia illa gratiæ ſufficientis ad actum perfectum; quam alii cum Alvares dicunt perfectam eſſe, proximam & completam in actu primo, non autem in actu ſecundo: gratiam verò efficacem appellant complementum actus primi, quatenus ſcilicet facit, ut actus primus exeat in ſecundum. Alii autem cum Zumel negant potentiam illam etiam in actu primo perfectam, adæquatam & completam dici debere; quia nempe actus primus nonniſi per ſecundum perficitur ac completur: quæ certè controverſia his concluſa terminis, levis momenti eſt, ac tota ferè de nomine. Sufficit hìc ad cauſam fidei, quòd Thomiſtæ veram & in rigore propriè dictam agnoſcant in gratia ſufficiente potentiam, non tantùm abſolutam & abſtractam à præſentibus ſubjecti circumſtantiis, ut volunt Janſeniſtæ, ſed relativam & proportionatam ſubjecto; qua nimirùm poteſt homo juſtus hic & nunc tentationi reſiſtere, declinare peccatum & mandata Dei obſervare.

II. Molinæ. II. Ludovicus Molina gratiam ſufficientem eam eſſe arbitratur, cujus uſus vel abuſus, ut nempe ſit efficax vel inefficax, omninò pendet à libero voluntatis arbitrio. Mentem ſuam aperit Concordiæ q. 14. art. 13. diſp. 40. his verbis: *Antequam quintum aſſertum ſubjiciamus, ſciendum eſt, nos non negare communem illam diſtinctionem auxilii ſufficientis, in efficax & inefficax: ita tamen ut efficax libertatem arbitrii, ac proinde meritum & laudem ab eo non tollat; ſed in poteſtate ipſius ſit, nihil tali auxilio impediente, non converti, atque adeò caſſum inefficaxque illud reddere: & ita ut ſufficiens inefficax auxilium, verè in ſeipſo ſufficiens ſit, per arbitriumque ipſum ſtet, quòd illo non convertatur; atque adeò quòd efficax non ſit .... Quo fit, ut diviſio ſufficientis auxilii in efficacem & inefficacem, noſtra ſententia, ab effectu, qui ſimul ab arbitrii libertate pendet, ſumatur; illudque auxilium ſufficiens, ſive majus, ſive minus in ſe ſit, efficax dicatur, cum quo arbitrium pro ſua libertate convertitur, cùm tamen, nihil eo auxilio impediente, potuerit non converti: illud verò inefficax dicatur, cum quo arbitrium pro eadem ſua libertate non convertitur, cùm tamen potuerit converti; alioquin tale auxilium ſufficiens non eſſet ad converſionem.* Hæc Molina. Eadem ferè repetit q. 23. art. 4. & 5. diſput. 1. membro 6. Ibidem ſic monet: *Quando audis*, inquit, *conſenſum noſtrum effica-*

Edit. Antuerpi p. 166.

Ib. pag. 329. col. 1.

efficacia reddere auxilia gratiæ , non ita id intelligas quaſi arbitrium noſtrum vim aliquam aut efficaciam tribuat auxiliis ipſis, ut q.14. art. 13. diſput. 40. explicatum eſt. Arbitrium & influxus noſter nullam vim conferunt gratiæ auxiliis; ſed potiùs auxilia, vim & propenſionem arbitrio tribuunt ad conſenſum eliciendum, arbitriumque ipſum ad id invitando, alliciendo atque adjuvando.

Quibus profectò verbis apertè innuit Molina, hanc dumtaxat ſibi mentem eſſe, efficacem quidem reddi gratiam in actu ſecundo per liberum arbitrium, non autem efficacem in actu primo; cujus vis omnis, efficacia, & efficientia à DEO Auctore profluit, *vimque omnem ac propenſionem arbitrio confert ad conſenſum eliciendum, ipſum ad id invitando, alliciendo atque adjuvando.*

Cùm verò Molina docet, in arbitrio voluntatis poſitum eſſe, ut gratiam, quæ ſufficiens dicitur, reddat efficacem, non ſic intelligit, quaſi voluntas poſſet ſine novo Dei phyſico influxu cum ſola præveniente ſeu excitante gratia bonum operari; non ita eſt: Deus quippe in ejus ſententia, phyſicè operatur per gratiam prævenientem motus illos indeliberatos bonæ cogitationis in mente, ac piæ motionis in voluntate, quibus moraliter invitatur & allicitur ad conſenſum, quos ſi contumaciter illa non reſpueret, Deus *novo*
influxu novaque actione, ait Molina citata q.14. art. 13. diſput. 38. *per gratiam* pag. 228.
tanquam per inſtrumentum in actum cum libero arbitrio efficienter concurreret & influeret; ſicut reipſa concurrit & influit, cùm voluntas dictis gratiæ motibus
ſe facilem præbet. Addit ibid. *Non duas, ſed unam eſſe numero actionem ſuper-* pag. 231.
naturalem, tam re, quàm ratione formali, quæ ſpectata præcisè ut ab arbitrio noſtro tanquam à minùs præcipua parte integræ ipſius cauſæ, emanat, dicitur conſenſus & influxus liberi arbitrii noſtri in illam; quatenus verò emanat à Deo per auxilium gratiæ prævenientis, tanquam à præcipua parte integræ cauſæ, à qua habet ut ſupernaturalis ſit, dicitur influxus, & actio Dei per gratiam coadjuvantem.

Duplex igitur in ſententia Molinæ intervenit Dei actio ſeu phyſicus influxus quando voluntas gratiæ conſentit: primus, cùm motus illos bonos indeliberatos producit: ſecundus, quando voluntatem adjuvat, ipſique cooperatur ad actum perfectum eliciendum. In eo dumtaxat hic à Thomiſtis Molina diſſidet, quòd præter moralem excitationem ſeu influxum gratiæ prævenientis, Thomiſtæ requirant Dei motionem phyſicam natura & cauſalitate priorem, ac prædeterminantem phyſicè voluntatem ad conſenſum; Molina verò contendat illam phyſicam Dei actionem natura & cauſalitate priorem non eſſe, ſed ſimultaneam cum actione voluntatis. En radix, & prima origo tot diſſenſionum ac diſcordiarum, quæ utramque Scholam jam diu dividunt ac perturbant.

III. Gratia ſufficiens, in opinione Suaris, eſt gratia inefficax, ſeu certis III. Sententia
quibuſdam, perſonæ, temporis & loci circumſtantiis non accommodata; quę Suaris.
tametſi perfectam, proximam & completam conferat ad benè operandum poteſtatem, nuſquam tamen dat operari. Cujus ſi cauſam & rationem poſtules, reſpondebit Suares, cauſam hanc nec in Deum refundi debere, qui gratiam illam eo animo eaque intentione homini confert, ut operetur; nec in ipſammet gratiam, quæ non invalidiores, ſed pares omninò debellandæ concupiſcentiæ actuali vires confert: ergo unica cauſa hujus inefficaciæ eſt voluntas, quæ cum illa gratia non operatur, quia non vult; cum qua tamen poſſet
operari, ſi vellet. *Unde ſit*, ait Suares L. 4. de Gratia cap. 4. *ut homini habenti* Part. 2.
tale auxilium ſufficiens, imputetur quòd non operatur. Quòd enim vocatio non ſit pag. 148. col. 1. A.

congrua, pergit Suares c. *6. in his qui tantùm auxilium ſufficiens recipiunt, cauſa eſt in ipſis; poſſent enim facere ut vocatio eſſet congrua, ſi vellent gratiæ cooperari, prout reverà poſſent .... Equidem non eſt in hominis poteſtate facere, ut Deus ipſi tribuat vocationem, quam prævidet futuram & congruam; ſed in ipſius poteſtate eſt, ut vocatio ſufficiens, quæ illi datur, ſit congrua.* Ergo non ex defectu virium in gratia, ſed ex ipſo vitio voluntatis fit, quòd homo non operetur: *Sicut*, ait ibid. Suares, *quòd habitus charitatis actu non eliciat amorem, non provenit ab illo ſecundùm ſe, quia potiùs ipſe, quantùm eſt de ſe, inclinat ad actualem amorem; provenit ergo ex libertate voluntatis.*

pag. 259. col. 2. D.

pag. 258. col. 2. E.

Licèt gratia ſufficiens Suareſiana natura & virtute interna non diſtinguatur ab efficaci, cùm tamen conceditur à Deo in iis circumſtantiis, in quibus per ſcientiam mediam novit hominem ea benè uſurum, tunc gratia hæc alteri quoad naturam & entitatem æqualis, major nihilominùs eſt ac dicitur in ratione doni ac beneficii, eò quòd hæc, non altera, opportunis in circumſtantiis conferatur. Eo ferè modo, quo, inquiunt, gladius datus alicui tempore pacis & tempore belli, realiter idem gladius eſt; tamen in genere doni ac beneficii, majus donum ac beneficium recipit ille, cui datur gladius tempore belli, quando illo uti poteſt in ſui defenſionem, quàm ſi donaretur tempore pacis, quo illi gladius neceſſarius ampliùs non eſſet.

Recentiorum quorūdam opinio.

IV. Qui inter recentiores vim & efficaciam gratiæ repetunt ex ipſius interna ſuavitate, delectatione, ac præmotione morali, ii duas in partes hìc dividuntur.

I. Qui volunt delectationem gratiæ efficacis ſimpliciter & abſolutè, non relativè victricem eſſe, ii conſequenter tenentur aſſerere, gratiam ſufficientem, prout ab efficaci diſtinguitur, eſſe delectationem quamdam ac motionem moralem cœlitùs immiſſam, quæ tametſi verè ac propriè poſſit voluntatem flectere ad bonum, nuſquam tamen eam flectit, niſi accedat victrix & efficax novæ gratiæ delectatio.

Hæc opinio ſubſtituta dumtaxat motione morali in locum phyſicæ ac Thomiſticæ prædeterminationis, iiſdem ferè ſubjacet difficultatibus, quibus gratia ſufficiens Thomiſtica; nec magis in una, quàm in altera dilucidè explicatur, unde fiat, ut gratia ſufficiens, quæ ſemper effectum plenum ac perfectum poteſt obtinere, eum tamen nunquam obtineat ſine novo auxilio aut phyſicè, aut moraliter determinante. Unde porrò iſtud? An ex natura ipſius gratiæ? An ex Dei voluntate? An ex ſolo voluntatis creatæ vitio? En anguſtiæ utrique ſententiæ communes. Utraque tamen opinio ſana & orthodoxa eſt, ab omni cenſuræ nota immunis & libera.

II. Qui contendunt delectationem gratiæ efficacis relativè ſuperiorem ac victricem eſſe, comparatione ſcilicet ad minorem oppoſitam cupiditatem, quique gratiam ſufficientem Thomiſticam, Molinianam ac Suareſianam perinde repudiant, ii ſufficientem gratiam definire tenentur, delectationem concupiſcentia minorem ac inferiorem; quæ, ut explicant, non ſatis *habet virium, ut concupiſcentiam poſſit vincere: vel quæ ſemper conjuncta eſt cum impotentia morali ad faciendum bonum.* Ejuſmodi Theologos impensè rogamus obteſtamurq;, ut dignentur nobis exponere, qua ex parte diſtet hæc ſua gratia ſufficiens, ab ea quam Janſenius parvam appellat. Fatemur ingenuè id nos ignorare; cùm ex utraque parte commune ſit principium, unde illa defluit, delectatio ſcilicet relativè ſuperior & victrix. Janſenius parvam dicit, quam iſti recentiores,

ut ſe

Digitized by Google

ut ſe recepto uſui accommodent, ſufficientem appellant. Janſenius parvam illam gratiam diſtinguit quidem à victrice, nihilominus ait illam efficacem eſſe alicujus effectus ſaltem inchoati & imperfecti: hoc ipſum & recentiores fatentur. Janſenius ejuſque illuſtriores diſcipuli, in ea parva gratia in ſe & abſolutè ſpectata, præciſis ſubjecti circumſtantiis, & ex voluntate Dei antecedente, agnoſcunt perfectiſſimam, completiſſimam, ſufficientiſſimam ac proximam ad opus bonum potentiam, ſicque verbis in ſpeciem orthodoxis incautos Catholicos decipiunt; at verò in eadem conſiderata relativè ad majorem actualem concupiſcentiam, nullas agnoſcunt vires pares & proportionatas, nullam potentiam relativè ſufficientem ad vincendam illam majorem concupiſcentiam: an non & hoc ipſum, ſuis mox adductis definitionibus declarant, ac declarare tenentur illi recentiores, ſi coherenter loqui ac ſentire velint in ſuo de relativa delectatione ſyſtemate? Gratia porrò illa hoc modo ſufficiens, quæ nēpe non ſatis habet virium ut concupiſcentiam vincere poſſit, vel quæ ſemper conjuncta eſt cum impotentia morali ad bonum proveniente ex defectu ſuperioris delectationis, an quæſo, verè ac relativè dici poteſt ſufficiens; & non potiùs in rei veritate inſufficiens, cùm nulla ſit proportio inter inferiorem gratiam & ſuperiorem cupiditatem? *Vigente enim delectatione carnali*, ait Janſenius L. 4. de Gratia Chriſti c. 9. *impoſſibile eſt ut virtutis & honeſtatis conſideratio prævaleat*. Et c. 10. *Ita eſt inefficax gratia*, inquit, *ex qua operatio nequidem poſſit ſequi, niſi ejus inefficacia per aliam ſuppleatur*. An verò cum gratia hujuſmodi inferiore, & relativè ad præſentem delectationem ac concupiſcentiam ſuperandam omninò inſufficiente, mandata Dei hominibus juſtis poſſibilia dici poſſunt? Hæc ſeriò expendant recentiores illi, de quibus hìc loquimur.

T. 3. pag. 183. col. 2. B. Ib. pag. 184. col. 2. D.

Aliorū Sententia.

V. Tandem alii Theologi ad declinandas graves, quæ hinc & inde premunt difficultates, mediam quamdam ineunt rei intricatiſſimæ explicandæ viam. Obſervant, gratiam duplici modo ſufficientem dici poſſe, proximè nimirum, vel remotè; atque inter præcepta & actiones pietatis, alias diſtinguunt, quæ nullam vel parvam habent ſive ex objecto, ſive ex tentatione aliiſve circumſtantiis difficultatem; alias verò arduas & difficiles. Ad iſtas quidem poſteriores, gratiam efficacem neceſſariam profitentur; ad alias verò, gratiam tantùm ſufficientem, per quam nempe opus ipſum difficile mediatè poſſunt perficere, ſupplici oratione uberius à Deo impetrando auxilium: quod ut impetrent juſti, ſemper habent gratiam orationis, qua uti poſſunt, ſi velint. Fatentur ultrò iidem Theologi, eſſe quamdam orationis gratiam efficacem, imò & efficaciſſimam, quam Deus pro ſua infinita benignitate nonnullis etiam nequiſſimis hominibus interdum largitur: verùm aliam quoque gratiam juſtis, etiam ut oportet non orantibus, ſufficientem dari, cum qua poſſint, ſi velint, orare ut oportet, & uberius impetrare auxilium ad tentationem ſuperandam, & obſervandum mandatum neceſſarium, iidem Theologi certiſſimè credunt ac conſtanter tuentur.

Scio equidem, nonnullos è recentioribus, zelo paulò ardentiori inſurgere in iſtam poſtremam opinionem, quaſi nova foret, ad nos uſque in Scholis Sorbonicis inaudita, ac inconcuſſum dogma gratiæ per ſe ſe efficacis ad ſingulos pietatis actus neceſſariæ funditùs convelleret. Verùm ſcio etiam illuſtriſſimum Habertum Societatis noſtræ Sorbonicæ Doctorem, Eccleſiæ Pariſienſis primò Canonicum Theologum, tùm Epiſcopum Vabrenſem L. 2. Theologiæ

Græcorum c. 6. teſtari, ſententiam hanc ætate ſua *in Scholis omnibus, ac præ-* pag. 194. *ſertim Sorbonica*, tritam ac communem fuiſſe. Scio eruditum Theologum Pariſienſem ac Socium Sorbonicum Carolum du Pleſſis Dargentrè, Regi ab eleemoſynis, deſignatum Epiſcopum Tullenſem, in ampliſſima quam improbo labore adornavit, *De multiplici genere Divinæ gratiæ variaque eius partitione*, Diſſertatione, benè multos referre Scholæ Theologos, qui à duodecimo ſeculo ineunte ad hanc uſque ætatem, ſententiam illam, quam recentiores nonnulli, re non ſatis expenſa & explorata, recentem appellant, clarè & apertè probant ac conſtanter defendunt. Scio doctiſſimum ac Eminentiſſimum Cardinalem Noriſium, doctrinæ S. Auguſtini, ſi quis alius, maximè addictum, ad iſtam tandem ſententiam adductum fuiſſe. Scio denique, ſanam & orthodoxam quidem eſſe ſententiam, quæ gratiam à ſe efficacem, ſeu phyſicè, ſeu moraliter præmoventem, neceſſariam admittit ad ſingulos indiſtinctè pietatis actus: at ſcio etiam ad fidei dogma eam non pertinere. De fide quidem eſt, neceſſariam eſſe gratiam voluntatis & actionis, ſine qua homo nihil boni velle poteſt aut operari; at gratiam illam Scholaſticorum ſenſu eſſe à ſe efficacem, quo tandem Canone, quo Decreto Eccleſia definivit? Verùm de hoc argumento pleniùs infrà dicendum nobis erit.

His hiſtoricè præmiſſis, ac Scholæ libertati relictis opinionibus, quas Eccleſia intactas hactenus reliquit, unam hic aggredimur Janſenii doctrinam circa naturam gratiæ ſufficientis, quam Eccleſia ſua cenſura configendo, eo ipſo contrariam veram & Catholicam eſſe declaravit. Quid ergo per gratiam ſufficientem, ſeu parvam Janſenius intellexit? Quid è contra intelligit Eccleſia? En ſtatus præſentis controverſiæ.

Janſenius, ex dictis paulò antè, per gratiam parvam ſeu ſufficientem, eam intelligit, quæ viribus inferior eſt oppoſita concupiſcentia, quam hic & nunc, ſeu relativè ad præſentes ſubjecti circumſtantias, vincere non poteſt; cui tamen à voluntate creata reſiſti, fallaciter ac illuſoriè aſſerit Iprenſis, ob eum ſcilicet ulteriorem effectum, quem gratia illa in ſe & abſolutè conſiderata poſſet habere, & quem non habet. Contrario igitur ſenſu, Eccleſia per gratiam ſufficientem, eam intelligit, per quam homo, maximè verò juſtus, potentia non tantùm abſoluta, ſed relativa ad præſentes ſubjecti circumſtantias, poteſt oppoſitam ſuperare concupiſcentiam, vincere tentationes, ac Dei mandata obſervare. Quia verò culpa & vitio humanæ voluntatis, effectus illos non aſſequitur, quos poſſet relativè aſſequi; idcirco propriè ac ſtrictè loquendo, voluntas divinæ gratiæ reluctari ac reſiſtere dicitur.

Vides in iſta, ut & in alia qualibet cum Janſenio circa gratiam controverſia, præ oculis habendam ſemper famoſam æquivocationem vocis, *potentiæ, ſeu abſolutè, ſeu relativè*, quæ totius ſyſtematis Janſeniani fundamentum eſt & quaſi medulla; qua ſemel diſcuſſa & retecta, non habent ampliùs Janſeniani, quò latitent ac ſe involvant.

Obſerva igitur 1. Non in eo verſari præſentem quæſtionem, utrùm gratia ſufficiens completam, vel perfectam & proximam conferat voluntati ad opus bonum potentiam: mera iſta eſt de nomine controverſia, de qua diſputant inter ſe nonnulli Theologi. Sequatur quilibet quam partem voluerit, parum rei Catholicæ intereſt. Janſeniani plenis manibus dabunt potentiam illam eſſe completiſſimam, perfectiſſimam, ſufficientiſſimam, proximam &c. ſolita

ſua

ſua æquivocatione completiſſimam intelligendo abſolutè, ac in ſe præciſis ſubjecti circumſtantiis ſpectatam; non autem relativè ad illas circumſtantias, de qua una poſtrema hic contra Janſenium controvertitur.

Obſerva 2. De juſtis hic potiſſimùm agi, de quibus prima Janſenii Propoſitio; de illis quippe ſolis Eccleſia pronuntiavit: impoſſibilia non eſſe Dei mandata ſecundùm præſentes, quas habent, vires.

Paulus Iren. diſq. 3. art. 2. pag. 206. ad calcem Diarii de S. Amour.

Obſerva 3. Cum dicimus, per gratiam ſufficientem vires pares & æquales relativè conferri, vires cum viribus non comparamus, quaſi æquales illæ deberent eſſe inter gratiam & concupiſcentiam, non ita eſt: imò potiùs contendimus, vires gratiæ ſufficientis, tametſi gradibus inæquales & inferiores viribus oppoſitæ concupiſcentiæ, pares tamen eſſe ac ſufficientes huic oppugnandæ ac ſuperandæ.

Obſerva denique, mentem ac ſententiam Eccleſiæ circa gratiam ſufficientem, dignoſci meliùs non poſſe, quàm ex cenſura primæ Propoſitionis Janſenii, ubi de juſtis loquitur, quibus ſufficiens tantùm ſeu parva, non verò efficax & victrix, ineſt gratia, cum qua Dei mandata impoſſibilia ipſis eſſe docet Janſenius. Sicut ergo Janſenius impoſſibilia dicit præcepta, impoſſibilitate dumtaxat relativa, non abſoluta: ita contrario ſenſu Eccleſia intelligit ea eſſe poſſibilia, poſſibilitate, ſeu potentia relativa. Itaque ſit

CONCLUSIO.

Nomine gratiæ ſufficientis eam Eccleſia intelligit, quæ expeditam, proportionatam & relativam ad præſentes ſubjecti circumſtantias confert voluntati ad opus bonum potentiam; ac vires pares & æquales ſuperandæ oppoſitæ concupiſcentiæ: nec aliter etiam intelligit gratiæ interiori reſiſti, quàm quòd eo privatur effectu, quem relativè ad oppoſitam actualem concupiſcentiam, ex ordinatione ac voluntate Dei, hic & nunc habere poteſt.

Duæ ſunt Concluſionis partes.

Prima pars Concluſionis.

Probatur 1. hoc ſimplici argumento: Eccleſia eam agnoſcit in gratia ſufficiente ad opus bonum potentiam, quam negat prima Janſenii Propoſitio damnata: atqui Janſenius in hac prima ſua Propoſitione, non negat eſſe in gratia ſufficiente ſeu parva abſolutam ad bonum potentiam, ſed tantùm negat relativam ad præſentes juſtorum vires; ergo Eccleſia non tantùm abſolutam, ſed etiam relativam agnoſcit in gratia ſufficiente ad opus bonum potentiam.

Major hujus argumenti propoſitio nullam videtur pati difficultatem. Eccleſia quippe damnando ſenſum Janſenii, contrarium declarat eſſe verum & orthodoxum.

Minor verò propoſitio tam certa eſt, ut à nemine negari meritò poſſit. Gratia etenim quælibet ex ſeſe ad opus bonum refertur, cujus habet in ſe, ajunt ipſimet Janſeniani, vim omnem ac principium activum. Quid enim eſt gratia? Niſi cœleſtis motio, impulſio, excitatio voluntatis ad bonum. An verò concipi iſtud poteſt ſine illa abſoluta, quam continet ac confert ad opus bonum, potentia? Nonne illi juſti, de quibus prima Propoſitio, volunt ac

conantur cum ea, quam habent, gratia? Ergo gratia illa in ſe abſolutè ſpectata vires ſeu potentiam confert ad opus bonum. Et certè illa potentia tam intima eſt ac eſſentialis Janſeniano ſyſtemati, ut eo ſtante negari non poſſit. Namque in eo ſyſtemate, eadem entitas gratiæ victrix eſt aut non victrix, prout minori vel majori oppugnatur actuali oppoſita delectatione: ita ut quæ in uno homine victrix eſt, propter minùs obſiſtentem concupiſcentiam, in alio victrix non eſt, propter eandem concupiſcentiam magis renitentem. Quapropter ſola decreſcente concupiſcentia, eadem entitas gratiæ, quæ anteà inferior fuerat, ſuperior evadit, nullo accedente novo ex parte Dei auxilio: qua ex parte jactitant diſcipuli Janſenii, ſuam parvam gratiam longè meliori titulo ſufficientem dici debere, quàm quæ à Thomiſtis admittitur. Hæc etenim nunquam in actum erumpit, niſi novo accedente auxilio Dei phyſicè præmovente; illa verò ex ſola concupiſcentiæ rebellantis imminutione plenum ac perfectum ſortitur effectum. Ergo parva illa gratia Janſeniana, abſolutam in ſe ſe includit ac confert voluntati ad opus bonum potentiam. Ergo Janſenius in eo dumtaxat aberrat, quòd neget, in juſtis ſola gratia parva ſeu ſufficiente inſtructis, relativam eſſe ac parem obſervando præcepto, & oppoſitæ concupiſcentiæ debellandæ poteſtatem.

* Dionyſius Ray. 4 par. ar. 4. c. 1. Conferences en 1603. p. 27.

Et verò vel ipſe ſolus primæ Propoſitionis contextus, ac cenſura Eccleſiæ ipſi contraria, ſenſum impotentiæ vel potentiæ relativæ clarè præſeferunt. Quid enim ſibi volunt verba iſta primæ Propoſitionis: *Juſtis volentibus atque conantibus ſecundùm præſentes quas habent vires, aliqua Dei præcepta ſunt impoſſibilia*? Niſi ſunt impoſſibilia relativè ad præſentes juſtorum vires. *Secundùm præſentes*, aut relativè ad præſentes vires, nonne idem omninò eſt ac ſignificat? Oppoſita igitur Eccleſiæ ſententia hæc eſt: Juſtis, ſecundùm præſentes, id eſt relativè ad præſentes quas habent vires, Dei præcepta poſſibilia eſſe; ac conſequenter in gratia ſufficiente agnoſci debere potentiam ad bonum, non tantùm abſolutam, quam Janſenius admittit, ſed etiam relativam, quam negat.

Et certè potentia relativa gratiæ parvæ ſeu inferioris, quæ valere poſſit ad oppugnandam contrariam delectationem ſuperiorem, capitaliter repugnat Janſeniano ſyſtemati, in quo impoſſibile prorſus eſt, ſuperiorem delectationem vinci ac ſuperari à minori: gratia quippe, juxta Janſenium, agit ex virtute relativa, non verò abſoluta. *Delectatio victrix*, ait Janſenius L. 8. de Grat. Chr. cap. 2. *relativa eſt. Tunc enim eſt victrix, quando alteram ſuperat. Quòd ſi contingat alteram ardentiorem, in ſolis inefficacibus deſideriis hærebit animus*. Mirum igitur videri non debet, quòd Janſenianis adeò diſpliceat ac infenſa ſit illa, quam gratiæ ſufficienti Eccleſia aſſerit, relativa ad opus bonum poteſtas; hac quippe unica ſententia totum ruit ac funditùs ſubvertitur doctrinæ Janſenii ſyſtema.

T. 3. p. 144. col. 2. C.

Secundum argumentum ex SS. Patribus.

Probatur 2. eadem prima Concluſionis noſtræ pars auctoritate SS. Patrum. S. Ambroſius ſerm. 19. in Pſal. 118. n. 4. ad hęc verba verſus 151. *Propè es tu Domine. Numquid*, ait, *ſi quis oſtia domus ſuæ claudat, Solis eſt culpa, quòd non illuminet domum ejus? Ergo ſi quis peccatorum ſuorum repagulis obſerandam mentem propriam judicaverit, & Verbi à ſe ſplendorem ſtultus avertat, ac ſibi inferat inſipientiæ cæcitatem; cauſari poterit, quòd Sol juſtitiæ noluerit intrare, aut infirmitatem luminis cæleſtis arguere?* Porrò ſi judice S. Ambroſio,

Tom. 1. p. 1220. D.

infir-

infirmitas gratiæ argui nunquam poteſt; neceſſe eſt in ea vires agnoſcere pares & æquales relativè ad oppoſitam cupiditatem vincendam, & Dei mandatum obſervandum.

S. Auguſtinus Enchiridii cap. 118. *Si autem*, inquit, *reſpexerit Deus, ut ad implenda, quæ mandat ipſe, adjuvare credatur, & agi homo cœperit Dei Spiritu, concupiſcitur adversùs carnem fortiore robore charitatis: ut quamvis adhuc ſit, quod homini repugnet ex homine, nondum tota infirmitate ſanata; ex fide tamen juſtus vivat, juſtèque vivat, in quantum non cedit malæ concupiſcentiæ, vincente delectatione*, (ſeu, ut alii legunt) *dilectione juſtitiæ*. Supponit hìc ſanctus Doctor charitatem in homine juſto fortiorem eſſe qualibet concupiſcentia. *Concupiſcitur adversùs carnem fortiore robore charitatis*. T. 6. p. 241. A. B.

S. Gregorius Magnus L. 9. Moral. cap. 46. ſic loquitur: *Pius Conditor cum viribus flagella moderatur, ne virtutem pœna tranſeat, & per aſtutiam fortium, humana infirmitas excidat. Unde & benè per Paulum dicitur: Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari ſupra quàm poteſtis, ſed faciet cum tentatione etiam proventum ut poſſitis ſuſtinere. Niſi enim miſericors Deus cum viribus tentamenta modificet, nullus profectò eſt, qui malignorum ſpirituum inſidias non corruens portet: quia ſi menſuram judex tentationibus non præbet, eo ipſo protinùs ſtantem dejicit, quo ultrà vires onera imponit*. Tantam lucem iſta ſancti Doctoris verba præferunt, noſtramque confirmant Concluſionem, ut expoſitione non indigeant. T. 1. p. 320. D. E.

S. Thomas 3. p. q. 62. art. 6. ad 3. *Minima*, inquit, *gratia poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, ac mereri vitam æternam*. Rurſus q. 70. art. 4. in Corp. *Minima gratia poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, & vitare omne peccatum, quod committitur in tranſgreſſione mandatorum legis: minima enim charitas plus diligit Deum, quàm cupiditas millia auri & argenti*. Paradoxum in principiis S. Auguſtini Janſenio videtur, quod hìc docet S. Thomas, *Charitatem quamvis minimam ſufficere ad quamcumque tentationem ſuperandam, vel quæcumque præcepta ſine tranſgreſſione ſervanda*. Verùm longè meliori jure paradoxa videri debet Janſenii doctrina ad ipſum uſque in Scholis Catholicis inaudita, quæ novitate ſua univerſam, ut ipſe Janſenius præſentiebat, turbatura erat Eccleſiam. L. 3. de Gr. c. 15. T. 3. p. 144. col. 1. E.

Scio ad S. Thomam mox citatum Janſenianos ſolitos reponere, Angelicum Doctorem citatis locis agere de gratia ſanctificante ſeu habituali, quæ in quocumque gradu ſit, poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, ac mereri vitam æternam. Fatemur ita eſſe: ſed advertere illi debuiſſent, in mente ac doctrina S. Thomæ, actualia gratiæ auxilia juncta ſemper eſſe cum habituali ſeu ſanctificante charitate; hæc enim non niſi per gratiam actualem operatur. Porrò tametſi gratia actualis juncta cum habituali minima ſit & in gradu inferiori, confert nihilominùs voluntati vires pares ac ſufficientes, ut poſſit cuilibet concupiſcentiæ reſiſtere, & vitare quodcumque peccatum mortale. Vide S. Thomam 1. 2. q. 109. art. 2. & 9. ubi probat ex profeſſo, præter gratiam habitualem neceſſariam eſſe & actualem, ſine qua habitualis nunquam in actum erumpit. 3. p. q. 69. art. 5. in Corp. *Neceſſe eſt*, inquit, *quòd per Baptiſmum aliquis incorporetur Chriſto quaſi membrum ipſius: ſicut autem à capite naturali derivatur ad membra ſenſus & motus; ita à capite ſpirituali, quod eſt Chriſtus, derivatur ad membra ejus, ſenſus ſpiritualis, qui conſiſtit in cognitione veritatis; & motus ſpiritualis, qui eſt per gratiæ influxum*.

Pro-

Probatur 3. Rationibus & motivis, quibus ducuntur Orthodoxi, ut gratiam ſufficientem admittant; illis enim ipſis etiam demonſtratur gratiæ hujus virtutem accommodatam eſſe debere, ac relativè proportionatam ad opus veræ pietatis hìc & nunc exercendum.

III. Argumentum Rationũ momẽtis.

I. Ratio ex utilitate & æquitate mandatorũ Dei.

Prima ratio ducitur ex utilitate & æquitate mandatorum Dei, & juſta punitione hominis, qui ea tranſgreditur. Utilia & æquiſſima eſſe Dei mandata, quibus noſtri admonemur officii, nemo eſt qui vel ipſo naturali ſenſu non intelligat: porrò utilia hominibus eſſe non poſſent, nec ipſis juſtè imponi, niſi adjunctam haberent gratiam, per quam illa impleri poſſent relativè ad præſentes circumſtantias, in quibus homo conſtituitur. Præceptorum enim obſervatio, non abſolutè, non abſtractè, ſed hìc & nunc relativè urget & obligat; ergo pariter vis gratiæ non tantùm abſoluta, ſed relativa ſit oportet ad præceptum hìc & nunc obſervandum. Quid enim prodeſt lex, ſi deſtituta fuerit gratia proportionata & accommodata ad præſentes objecti circumſtantias? Niſi ut magis accendatur cupiditas, & certa ſit legis prævaricatio: *Lex enim iram operatur; & ubi non eſt lex, nec prævaricatio*, ait Apoſtolus Rom. 4. v. 15. Et cap. 5. v. 20. *Lex ſubintravit, ut abundaret delictum*. Capite denique 7. v. 7. *Peccatum non cognovi*, ait idem S. Paulus, *niſi per legem: nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret: Non concupiſces. Occaſione autem accepta, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam*. Ergo plus homini nocet lex ſine gratia, quàm faveat.

T. 2. p. 803. F.

Agnoſcamus, ait S. Auguſtinus Epiſt. 217. aliàs 107. *gratiam, quæ facit prodeſſe doctrinam: quæ gratia ſi deſit, videmus etiam obeſſe doctrinam*. Ergo cùm utiliſſima ſint Dei mandata, eam profectò gratiam exigunt, per quam non abſolutè tantùm & abſtractè, ſed hìc & nunc ac relativè obſervari poſſint, docet quippe fides Catholica, hominem non poſſe ſine gratia & libero arbitrio Divina obſervare mandata.

Tom. 10. p. 737. C. D.

Hæc præcepta charitatis, ait S. Auguſtinus L. de Gratia & lib. arb. cap. 18. *inaniter darentur hominibus non habentibus liberum voluntatis arbitrium, ſed quia per legem dantur .... lex autem ſine gratia eſt littera occidens .... unde eſt in hominibus charitas Dei & proximi, niſi ex ipſo Deo? Nam ſi non ex Deo, ſed ex hominibus, vicerunt Pelagiani: ſi autem ex Deo, vicimus Pelagianos ..... Cur ergo dictum eſt: Diligamus invicem, quia dilectio ex Deo eſt: niſi quia præcepto admonitum eſt liberum arbitrium, ut quæreret Dei donum? Quod quidem ſine ſuo fructu prorſus admoneretur, niſi priùs acciperet aliquid dilectionis, ut addi ſibi quæreret, unde quod jubebatur, impleret.*

Ibid. E.

Poſtrema hæc ſancti Doctoris verba ſedulò obſervanda; quibus duo iſta conſtant: 1. Quoties urget mandati obligatio, dari à Deo aliquid dilectionis, id eſt, gratiam ſufficientem: *Sine ſuo fructu prorſus admoneretur, niſi priùs acciperet aliquid dilectionis*. 2. Per gratiam illam ſufficientem, orationis ſcilicet, uberius à Deo auxilium impetrari, ut impleatur præceptum: *Ut addi ſibi quæreret, unde quod jubebatur, impleret*.

In illa verò gratia S. Auguſtinum agnoſcere vires pares, ſeu relativè proportionatas ad præceptum hìc & nunc obſervandum, facile eſt ex ipſo demonſtrare.

T. 4. p. 982. D.

In Pſalm. 91. *Perverſi homines*, inquit, *mala ſua Deo tribuunt .....ſi non eſt valde impius, ad manum habet ſatanam, quem accuſet: Satanas fecit, dicit, ipſe mihi perſuaſit: quaſi ſatanas haberet poteſtatem cogendi. Aſtutiam ſuadendi habet. Sed ſi ſatanas loqueretur, & taceret Deus, haberes unde te excuſares: modò*

aures

aures tuæ poſitæ ſunt inter ſuggerentem ſerpentem, & monentem Deum. Quare huc flectuntur, hinc avertuntur? Non ceſſat ſatanas ſuadere malum, ſed nec ceſſat Deus admonere bonum. Satanas autem non cogit invitum: in tua poteſtate eſt conſentire aut non conſentire.

Tractatu 2. in Joan. n. 8. *Noli cadere*, ait, *& non tibi occidet*: (lux Chriſti) *ſi tu feceris caſum, ille tibi faciet occaſum: ſi autem tu ſtas, præſens eſt tibi. Sed non ſtetiſti: recordare unde cecideris, unde te dejecit, qui prior te cecidit. Dejecit enim te, non vi, non impulſu, ſed voluntate tua: ſi enim malo non conſentires, ſtares, illuminatus maneres.* T. 3. p. 2. p. 390. F.

Cœcutiat oportet, qui non viderit, S. Auguſtinum his in locis adſcribere gratiæ vires, quæ pares ac ſufficientes ſint relativè ſuperandæ oppoſitæ concupiſcentiæ: niſi enim ita eſſet, præcepta Dei nec utilia, nec juſta forent, nec homini meritò imponi poſſent; nec, ſi ea violaverit, puniri: defectu ſcilicet auxilii, quo hic & nunc, ſeu, ut ſæpiùs dictum eſt, relativè ad præſentes circumſtantias tentationis & concupiſcentiæ, poſſit legi obtemperare. Rem hanc egregiè confirmat idem ſanctus Doctor Lib. 3. de libero arbitrio c. 16. n. 45. his verbis: *Ex eo quòd non accepit, nullus reus eſt: ex eo verò quòd non facit quod debet, juſtè reus eſt. Debet autem, ſi accepit & voluntatem liberam & ſufficientiſſimam facultatem.* T. 1 p. 629 B.

Audis reum non eſſe violati præcepti, niſi qui liberam accepit voluntatem, & ſufficientiſſimam facultatem. Potuit-ne ſanctus Doctor meliùs exprimere virtutem gratiæ parem & ſufficientem, imò ſufficientiſſimam, ad præceptum implendum? Et cap. 12. L. de duabus animabus n. 17. *Peccati reum tenere quemquam*, ait, *quia non fecit quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis eſt & inſaniæ.* T. 8. p. 86. F.

Hoc ipſum argumentum abundè verſat S. Auguſtinus Lib. de corrept. & gratia, ad quem vel ipſe Janſenius provocat. Cap. 6. n. 9. cuidam Monacho conquerenti ſe immeritò redargui ac corripi, quòd malè egerit, cùm non acceperit unde meliùs ageret, reponit ſanctus Doctor, reverà hominem juſtum immeritò corripiendum fore, ſi non accepiſſet gratiam, qua opus habebat, ut bonum operari poſſet: verùm injuſtam eſſe Monachi illius expoſtulationem, qui culpa ſua juſtitiam, quam acceperat, amiſit. *Si autem*, ait, *jam regeneratus & juſtificatus in malam vitam ſua voluntate relabitur, certè iſte non poteſt dicere, non accepiſſe, quia acceptam gratiam Dei ſuo in malum libero amiſit arbitrio ..... An adhuc iſte nolens corripi, poteſt dicere: Quid ego feci, qui non accepi: quem conſtat accepiſſe, & ſua culpa quod acceperat, amiſiſſe?* T. 10. p. 752. E. N. 10. F.

Gratiam porrò illam, quæ juſtis à Deo conceditur, pares & proportionatas in mente S. Auguſtini conferre vires relativè ad oppoſitam actualem concupiſcentiam ſuperandam, inde conficitur, quòd toto illo Libro de corrept. & grat. iiſdem ferè verbis exprimat Adami innocentis, & lapſi ſed reparati per Chriſtum, tum libertatem ad peccandum, tum facultatem ad bonum operandum & ad perſeverandum in bono. I. De Adamo peccatore dicit cap. 6. *Ex rectitudine ſua mala voluntate decidens pravus effectus eſt.* Hoc ipſum & de juſto peccante aſſerit ibidem: *In malam vitam ſua voluntate relabitur.* Et cap. 7. *Ex bona in malam vitam ſua voluntate juſti mutati ſunt.* II. Adamus cap. 10. dicitur *adjutorium Dei per liberum deſeruiſſe arbitrium.* Hoc ipſum & de juſto cap. 6. III. Cap. 11. de Adamo dicit: *In adjutorio Dei poſſet permanere, ſi vellet*, de juſto pariter cap. 7. *In eo quod audieras & tenueras, perſeverares, ſi velles.* IV. Cap. Ib C. D. Ibid. E. Pag. 756. C. P. 765. F. P. 767. F. P. 756. E.

Cap. 11. de Adamo dicitur: *Quia noluit permanere, profectò ejus culpa eſt*. Idem
Pag. & de juſto cap. 6. *Quem conſtat*, inquit, *accepiſſe, & ſua culpa quod acceperat,*
768.A. *amiſiſſe*. V. de Adamo cap. 10. dicit: *Non ſine vitio non permanſiſſe*. De juſto
Pag. verò cap. 3. *In correptione cognoſce tuo te vitio non habere*. VI. Sicut de Adamo
754.F. Pag. dixerat cap. 11. *Deſeruit & deſertus eſt*; ita de juſtis peccantibus ait cap. 13.
764.E. *Gratiam Dei ſuſcipiunt, ſed temporales ſunt, deſerunt & deſeruntur*. Denique cap.
Pag. 7. ait, juſtos ea tantùm de cauſa meritò corripi, quia liberè peccant, ac ju-
752.D. Pag. ſtitiam, quam habebant, deſerunt: *Quæ cùm ita ſint*, inquit, *corripimus eos,*
767.D. *juſtèque corripimus, qui cùm benè viverent, non in eo perſeverarunt. Ex bona*
Pag. *quippe in malam vitam ſua voluntate mutati ſunt, & ideo corripiuntur*. Et cap. 13.
773.G. Pag. & 14. *Gratiam Dei ſuſcipiunt, ſed temporales ſunt nec perſeverant ..... Dimiſſi enim*
755.C. *ſunt libero arbitrio, non accepto perſeverantiæ dono*. Inde concludit: *Patiantur*
Pag. *ergo homines ſe corripi, quando peccant*.
773.G. Pag. At, dicet aliquis, quæ mox dicta ſunt, eò tendere videntur, parem ſci-
774.A. licet eſſe, quoad gratiam, juſtorum hujus ſtatus, ac Adami innocentis conditionem: atqui tamen S. Auguſtinus citato L. de corrept. & grat. c. 11. & 12. probat longum diſcrimen eſſe inter gratiam, qua jam indigemus, & eam quam accepit Adamus innocens. Illa fortior ac vegetior; iſta lætior erat, cum qua ſumma facilitate benè agere & perſeverare primus homo poterat: illa dat agere & perſeverare inſuperabiliter & indeclinabiliter; iſta dabat poſſe dumtaxat perſeverare, unde iſtam vocat Auguſtinus auxilium *quo*, aliam, *auxilium ſine quo*.

℞. Nego ant. Licèt enim ex Auguſtino juſtus in præſenti ſtatu pares & proportionatas habeat per gratiam vires ad præceptum ſive mediatè, ſive immediatè obſervandum, attamen longè diſpar eſt ratio ſtatus naturæ lapſæ & infirmæ, ac ſtatus naturæ innocentis & ſanæ; ex parte nimirùm concupiſcentiæ, qua plurimum defatigamur, quę mentem à bono avocat, & ad malum
Pag. 766.D. perpetuò ſolicitat & inducit. Non ita erat Adamus innocens, *qui*, ait S.
Pag. Auguſtinus citato Lib. de corrept. & grat. c. 11. *nulla tali rixa de ſeipſo adverſùs*
769.F. *ſeipſum tentatus atque turbatus, in illo beatitudinis loco ſua ſecum pace fruebatur*. Et cap. 12. *Ille* (Adam) *& terrente nullo, & inſuper contra Dei terrentis imperium libero uſus arbitrio, non ſtetit in tanta felicitate, in tanta non peccandi facilitate*. Quapropter lætiore gratia indigebat Adamus, nos fortiore ac potentiore: noſtra non tantùm mentis illuſtrationem, qua ſola opus habebat Adamus innocens, ſed etiam prævenientem includit voluntatis excitationem, quæ Adamo innocenti & integro neceſſaria non erat.

II. Ratio ex poſſibilitate mandatorum Dei.

Secunda ratio petitur ex poſſibilitate mandatorum Dei; niſi enim ſupponas eſſe in gratia ſufficiente vires relativè pares tentationi ſuperandæ ac obſervando præcepto, vix intelligitur qua ratione juſtis poſſibilia ſint Dei mandata. Verùm de hoc argumento ſuus erit infrà proprius dicendi locus.

III. Ratio ex neceſſitate gratiæ ad vincendas graves tentationes.

Tertia ratio ex neceſſitate gratiæ ad vincendas graves tentationes. Scilicet infinitis propemodum undequaque pulſamur tentationibus, quibus fortes in fide reſiſtere tenemur: at niſi Deus nos adjuvet gratia, quæ pares vincendis relativè tentationibus vires conferat, iis reſiſtere non valemus, ſed neceſſariò cedimus. Talem autem concedi gratiam docet Apoſtolus, dicens 1. Cor. 10. v. 13. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere*. Ergo gratia ſufficiens ad

ad ſuperandas tentationes conceſſa, debet habere vires iis ſuperandis relativè pares; aliàs homini prorſus inutilis foret. Quid enim commodi homo actuali tentatione pulſatus referre ex illa gratia poteſt, quæ abſolutè quidem & in aliis circumſtantiis ſatis virium haberet, ſed in præſentibus ſatis non habet? An non Medicus ægroto illudere cenſeretur, qui pharmacum ipſi exhiberet abſolutè quidem aptum, ſed relativè inſufficiens, nec proportionatum præſenti graviori morbo ſanando? Profectò de gratia hujuſmodi Janſeniana longè meliori jure diceres, quod ipſe Janſenius de alia, quam refellit, affirmat Lib. 3. de Gratia Christi cap. 2. quòd *nempe cùm lapſis hominibus ſit inutilis, profectò & hoc ipſo perniciosa eſt ....ſolummodò, peccatis faciendis, maiorique damnationi accerſendæ ſerviens*; *ideoque lapſis hominibus citra Dei invidiam damnandis excogitata*, inquit ibidem cap. 3. *T. 3 p. 106. col. 1. C. Ib. col. 2. B.*

Ad hæc momenta placet & iſtud addere ex ipſamet Janſenianorum doctrina. Docent illi, gratiam ſuam parvam aliquem ſemper producere effectum, tametſi levem & imperfectum, non obſtante oppoſita, & quidem longè ſuperiori concupiſcentia. Si ita eſt, atque iſtud rectè intelligant Janſeniani, ut quid moleſtè ferunt noſque redarguunt, eò quòd in gratia ſufficiente vires agnoſcamus pares & æquales ſuperandæ ardentiori & actuali concupiſcentiæ?

Probatur ſecunda pars Concluſionis.

Secunda Concluſionis noſtræ pars hæc eſt: Eccleſia non aliter intelligit interiori gratiæ reſiſti, quàm quòd eo privetur effectu, quem relativè ad oppoſitam actualem concupiſcentiam, ex ordinatione ac voluntate Dei, hic & nunc habere poteſt.

Probatur 1. Quia ita connexa eſt iſta Concluſionis pars cum prima, ut divelli ab illa non poſſit. Namque ſi ea ſola gratia verè ſufficiens dicenda eſt, quæ non tantùm abſolutam & à præſentibus circumſtantiis abſtractam, ſed ad illas relativam confert ad opus bonum potentiam; ſequitur profectò non aliter huic gratiæ reſiſti, quàm quòd eo fruſtratur effectu, quem relativè ad oppoſitam actualem concupiſcentiam habere poteſt: unde rurſus ſequitur in ſyſtemate Janſeniano, gratiæ interiori nuſquam propriè loquendo reſiſti. Cui enim voluntas reſiſteret? Efficaci & victrici? Non certè. Ideo enim tribuitur, ait S. Auguſtinus Lib. de prædeſt. SS. ut cordis duritia primitùs auferatur. Sufficienti ſeu parvæ? Nullatenus. Quia iſtius duplicem effectum diſtinguunt Janſeniani: unum proximum, debilem & imperfectum, quem ſemper aſſequitur, & cujus reſpectu ab iis dicitur efficax, ac conſequenter nuſquam ipſi voluntas reſiſtit: alterum verò plenum ac perfectum, quem relativè ad oppoſitam concupiſcentiam ſuperiorem obtinere non poteſt; eſt enim iſtud ſyſtemati Janſeniano capitale, ſuperiorem delectationem ab inferiori ſuperari nunquam poſſe. Ergo neque etiam reſpectu hujus effectus, gratiæ ſufficienti propriè reſiſtitur: reſiſtere enim gratiæ quid aliud eſt, quàm illam eo effectu privare, quem habere poteſt; non quidem abſolutè tantùm, ut fingunt adverſarii, ſed relativè? Ita proponenda & urgenda eſt circa gratiam ſufficientem, cui reſiſtitur, Eccleſiæ doctrina contra defenſores Janſenii.

Neque verò ſatis eſt ad removendam erroris ſuſpicionem, quòd apertè conteſtentur, ſe veram agnoſcere gratiam ſufficientem, cui voluntas ſæpiſſimè

mè reſiſtit: ſufficientem etenim, ſolita fraude & æquivocatione, intelligunt abſolutè, ac præciſis circumſtantiis, non relativè. Pariter cùm ajunt voluntatem reſiſtere gratiæ; non intelligunt quoad effectum, quem habere poſſit relativè, ſed tantùm abſolutè, habita ratione virtutis gratiæ in ſe abſolutè ſpectatæ. Quia ſecundùm ipſos, in concurſu ferventioris concupiſcentiæ, remanet ſemper vis activa gratiæ debilioris tota, quanta eſt in ſe, quæ plenum ſuum effectum obtineret, ſi mutarentur circumſtantiæ; hoc eſt, ſi deferveſceret, ſeu minueretur concupiſcentia: tunc enim gratia eo ipſo fieret ſuperior & victrix.

Dixi in Concluſione, gratiam debere eſſe relativam ad actualem concupiſcentiam: ut ſolitam eorum fraudem anteverterem, nempe relativam eſſe gratiam ad concupiſcentiam in genere; ſeu, ut vocant, ad difficultatem præſentem, id eſt, hujus ſtatus, non verò ad actualem ſubjecti concupiſcentiam. Porrò non eo tantùm ſenſu relativa debet eſſe, quòd concurrat cum actuali concupiſcentia, nec ab ea extinguatur: remanet enim ſub qualibet concupiſcentia, inquiunt Colloquio 4. cum Patre Ferrerio, tota vis ac virtus activa in ſe gratiæ inferioris; ſed eo ſenſu dici debet relativa, quòd pares & æquales vires conferat ad ipſam, cum qua concurrit, actualem hominis concupiſcentiam debellandam. Id niſi fateantur, ab errore Janſenii non recedunt; & niſi iſtud directè probaveris, oleum & operam perdis, & à ſcopo diſputationis longiùs aberras. Tota igitur Janſenianorum in re præſenti fraus & æquivocatio in eo eſt, quòd, cùm fatentur, ſuam parvam ſeu ſufficientem gratiam relativam eſſe, intelligunt relativam ad præſentem hujus ſtatus concupiſcentiam; nos verò ad præſentem & actualem concupiſcentiam hominis, quem urget obligatio hic & nunc implendi præcepti. Sic illi ſub iiſdem verbis errorem implicant, ac indoctis & ſimplicioribus turpiter illudunt.

Hanc porrò eſſe circa ſufficientem gratiam doctrinam Janſenii, demonſtravimus prima hujus Tractatus parte, ubi de ſyſtemate Janſeniano, ad II. Propoſitionem. *Hæc gratia*, inquit Lib. 2. de Gratia Chriſti cap. 27. *quamvis nullo modo ſufficiat, ut homo Dei mandatum operetur, ut Deum ſuper omnia diligat, ut ſperet, ut oret, ut credat; ad hoc tamen facit aliquid, ut iſtarum, vel alterius cujuſdam cœleſtis rei liberas quaſdam non voluntates, ſed velleitates & complacentias excitet, quas, niſi divinitùs infundantur, obtinere humana poteſtate nemo poteſt.* (T. 3. p. 87. col. 1. A.) Ex Janſenio igitur gratia ſufficiens ſeu parva nullo modo (nempe relativè) ſufficit, ut homo credat, ſperet, diligat; aliquas tamen imperfectas voluntates, ſeu potiùs velleitates ſemper excitat. Magiſtri ſententiam nitidè paucis verbis expreſſit Arnaldus in Opere, cui titulus eſt: *Vera S. Thomæ de gratia ſufficiente doctrina*, cap. 23. *Etſi*, ait, *auxilium omne Dei moventis ſemper efficax ſit alicujus effectus, ejus nempe, ad quem efficiendum divina voluntate deſtinatur .... Et tamen interdùm reſiſtitur reſpectu alterius, ad quem ex natura ſua refertur*. (*Cauſa Arnaldina* p. 140. n. 5.) Vides ex Arnaldo gratiæ ſufficienti reſiſti reſpectu illius effectus, ad quem ex natura ſua, id eſt, abſolutè refertur; ergo ipſi non reſiſtitur relativè ad eumdem effectum. Quomodo enim, ut jam diximus, propriè & accuratè loquendo dici poteſt, voluntatem relativè gratiæ reſiſtere reſpectu illius effectus, quem relativè ad actualem concupiſcentiam habere non poteſt?

Probatur 2. Quia ut voluntas dicatur verè ac propriè gratiæ reſiſtere, liberum ipſi eſſe debet, ulteriorem ejus effectum aſſequi, vel impedire: atqui in ſyſte-

ſyſtemate Janſeniano liberum non eſt voluntati effectum illum relativè aſſequi, vel impedire. Quippe ſi cupiditas ardentior & ſuperior fuerit, gratia parva ſeu inferior opus bonum perficere non poteſt, *propter defectum virium*, ait Janſenius. Si è contra ſuperior fuerit gratia, voluntas relativè perfectum illum effectum impedire non poteſt. *Superior enim delectatio*, ait Iprenſis L. 7. de Gratia cap. 5. *vinculum eſt, quo liberum arbitrium ita firmiter ligatur & retinetur, ut quamdiu iſto ſtabiliter poſſidetur ac conſtringitur, actus oppoſitus ſit extra ejus poteſtatem.* T. 3. p. 315. col. 1. D.

Probatur 3. Quia voluntas eum gratiæ effectum aſſequi nunquam poteſt, quem Deus non vult, ut aſſequatur: atqui in ſyſtemate Janſeniano Deus non vult, ut voluntas, quæ gratia duntaxat parva inſtructa eſt relativè ad oppoſitam majorem concupiſcentiam, aſſequatur plenum ac perfectum effectum, quia iſtud impoſſibile prorſus eſt. Quòd ſi dicant, Deum hunc effectum velle voluntate ſaltem antecedente: ſtatim reponimus, voluntatem illam abſtrahere à præſentibus ſubjecti circumſtantiis, ac conſequenter relativam non eſſe ad concupiſcentiam actualem ſuperiorem: ergo integrum ſtat, quod contendimus, gratiam illam parvam ſatis virium non habere, ut cum illa ſola voluntas poſſit plenum, ſeu perfectum opus pietatis adimplere; nec Deum iſtud in his circumſtantiis velle. Si enim vellet, procul dubio fieret; voluntas enim Dei, ut centies repetunt Janſeniani, ſemper impletur. *Deus*, inquiebat Sambovius à Paulo Irenæo laudatus diſq. 4. art. 4. *non intendit ſua abſoluta voluntate* ultimum hunc effectum poni à ſubjecto ſic reſiſtente; ergo voluntas illum relativè aſſequi non poteſt: quomodo igitur illi reſiſtere dici meritò poteſt? Ad hæc reſpondent:

I. Hominem meritò dici reſiſtere gratiæ, quia ejus concupiſcentia ſemper gratiæ repugnat, quamquam ſine victoria. Refellũtur Janſenianorum evaſiones.

Verùm ridicula prorſus reſponſio. Ex recepto enim loquendi uſu, reſiſtere gratiæ, eſt illam effectu, quem habere relativè poteſt, fraudare; non verò ipſi ſimpliciter repugnare: alioquin gratiæ etiam efficaciſſimæ ſemper reſiſteretur, quia ſemper hac in vita contraria impugnatur concupiſcentia. *Habitat enim in nobis*, (lex membrorum) ait S. Auguſtinus Lib. 2. de nuptiis & concup. c. 2. *& mentem reſiſtentem repugnantemque ſollicitat, ut ipſe conflictus etiamſi non ſit damnabilis, quia non perficit iniquitatem; ſit tamen miſerabilis, quia non habet pacem.* Unde exclamabat Apoſtolus: *Infelix ego homo! quis me liberabit à corpore mortis hujus?* T. 10 p. 304. A. B.

II. Reſpondent: Quòd etſi gratia parva incapax ſit, propter inæqualitatem virium & ardentiorem cupiditatem oppoſitam, exprimendi à voluntate plenum ac perfectum conſenſum, attamen ipſi reſiſtere meritò voluntas dicitur. Quemadmodum, inquiunt, licèt tormentum bellicum contra rupem exploſum, eum omnem ſemper effectum habeat, quem habere poteſt, nec rupem illam poſſit evertere, nihilominùs rupes meritò dicitur illi tormento reſiſtere: pariter, licèt debile pharmacum non valeat gravem ſanare morbum; ac levis aliqua ratio non poſſit virum cordatum à propoſito dimovere; attamen tum morbus pharmaco, tum vir cordatus leviori illi rationi reſiſtere dicitur. *Epiſtola ad Epiſcopum p. 6.*

Verùm quis non videat hujuſmodi comparationes ex rebus phyſicis, quæ neceſſaria & naturali actione agunt & reagunt, ad actiones morales & liberas traduci non debere? In moralibus quippe ſeu liberis, ut quis dicatur propriè

reſi-

reſiſtere gratiæ, oportet, ut gratia in iis ipſis circumſtantiis, in quibus ipſi reſiſtitur, effectum abundatiorem conſequi poſſit. Porrò autem talis non eſt gratia parva ſeu inferior Janſeniana, comparatè ad ſuperiorem actualem oppoſitam cupiditatem. Quòd ſi inter globum illum tormentarium contra rupem exploſum, & gratiam parvam relativè ad majorem concupiſcentiam inſtituatur comparatio; in eo tantùm valere illa poteſt, quòd ſicut rupes propriè non diceretur reſiſtere globo tormentario, cujus impetus ac vis tota obtuſa foret ac ferè extincta, priuſquam rupem attingeret; ita pariter concupiſcentia non dicitur reſiſtere gratiæ, cujus vires ita langueſcunt ac tenues ſunt, ut voluntatem ad opus perfectum adducere non valeant. Idem quoque dicendum de pharmaco debiliori ad graviorem morbum ſanandum. Idem & de infirma ac leviori ratione, qua vir cordatus non commovetur: huic enim, exactè loquendo, vir ille non reſiſtit, qua non movetur, nec afficitur.

III. Reſpondent, hominem, quoties peccat mortaliter, reſiſtere gratiæ habituali, quam expellit.

Verùm habitualis gratia, urgente præcepto, comitem habet in juſtis gratiam actualem ſaltem ſufficientem, ſicut anteà ex S. Thoma probavimus: ergo cùm juſtus peccat, non modò habituali, ſed & actuali reluctatur. Aliunde verò nuſquam Janſenius negavit illam gratiæ habituali reſiſtentiam; & tamen II. Propoſitio in ejus ſenſu damnata eſt.

IV. Reſpondent, actuali etiam gratiæ hoc ſenſu reſiſti, tum quia cœleſtem illuſtrationem, raptis aliò cogitationibus, repellit, tum quia voluntatis excitatio tametſi parva, majoris tamen *gratiæ provocativa foret*, ut loquitur
T. 3. p. 87. col. 1. C. Janſenius Lib. de Grat. Ch. c. 27. niſi voluntas Deo excitanti ac moventi contumaciùs obſiſteret.

Verùm refellitur utraque illa evaſio: 1. Quia cùm gratia hujus ſtatus neceſſaria ad omnem pietatis actum, non ſolam includat illuſtrationem mentis, ſicut in ſtatu innocentiæ, ſed etiam voluntatis motionem & excitationem; non propriè ſecundùm reſponſionem allatam, gratiæ actuali præſentis ſtatus reſiſtitur, ſed tantùm ipſius parti, & quidem minimæ. Inſuper Janſenius non negavit unquam gratiæ reſiſti ſenſu in objectione expoſito. 2. Quia non ſatis intelligitur, quid ſibi velit Janſenius, cùm ait, *parva boni deſideria majoris gratiæ eſſe provocativa*. In ipſius quippe ſyſtemate, opus non eſt majori gratia, ſed tantùm imminutione cupiditatis ardentioris: quia ſcilicet pro majori vel minori oppoſita concupiſcentia, gratia aut victrix eſt, aut victa; ergo neceſſe non videtur eo in ſyſtemate, ut major à Deo impetretur & accedat gratia. Quamquam non video, qua ratione infirma illa & languida boni deſideria poſſent in ſyſtemate Janſenii majorem Dei gratiam provocare; ad hoc enim neceſſe foret, ut mediatè ſaltem, quantùm ad orandum, oppoſitæ majoris delectationis terrenæ reſiſtentiam relativè frangere ac ſuperare poſſent: atqui fieri iſtud nullatenus poteſt in doctrina Janſenii; in eodem enim capite, unde objectio petitur, ait, parvam illam gratiam, quæ producit deſideria majoris gratiæ provocativa, non ſufficere ut homo oret. Aliunde
T. 3. p. 183. col. 2. B. Lib. 4. de Grat. Ch. cap. 9. *Vigente delectatione carnali*, ait, *impoſſibile eſt, ut virtutis & honeſtatis conſideratio prævaleat*. Ergo parva illa deſideria boni, ad majorem gratiam in iis circumſtantiis à Deo impetrandam diſponere non poſſunt. Neque hic quæſtio eſt, ut ſæpè diximus, an diſponant abſolutè in ſe

Digitized by Google

ſe abſtractivè conſiderata, quod unum tamen intendiſſe Janſenium neceſſe eſt; ſed relativè ad præſentes ſubjecti circumſtantias.

Quàm vana ſint ac levia iſthæc Janſenianorum effugia, nemo non videt. Ad occupandas verò penituſque evertendas omnes eorum contra reſiſtentiam gratiæ ſenſu Catholico intellectam vitiligationes, ſufficiet adverſus ipſos retorſiſſe, quod ipſe Janſenius ſcribit Lib. de Grat. Ch. c. 27. *Multos eſſe, quos conſtat à gratiæ interna ſuaſione & inclinatione diſſentire.* *Ib. p. 86. col. 2. E.*

Quinimò ea ipſa momenta, quibus ille impugnat reſiſtentiam gratiæ ad ſenſum Catholicorum, impugnant pariter reſiſtentiam, quam ipſe fatetur, tum gratiæ exteriori, tum interiori intellectus, tum denique parvæ gratiæ voluntatis.

Momenta porrò illa & cauſæ duæ omnino ſunt ex Janſenio: 1. Quia voluntas Dei nunquam ſuo effectu fruſtratur: 2. Quia cùm gratia Chriſti hoc in ſtatu medicinalis ſit ac inſtrumentùm Dei, ejus dignitati ac præſtantiæ derogaretur, ſi voluntas ipſi reſiſteret. At quis non videat, his ipſis de cauſis voluntatem non debere reſiſtere tum exteriori gratiæ, tum interiori mentis illuſtrationi, tum ipſi parvæ, qua voluntas ad aliquos tametſi imperfectos excitatur pietatis motus? Namque hujuſmodi gratiæ ex voluntate Dei proculdubio defluunt ac nobis conceduntur. Ex ſeipſis ſeu natura ſua & Dei voluntate, gratiæ interiores, ipſa etiam interior mentis illuſtratio & debilior motio voluntatis, ad opus bonum perfectum ordinantur, & tamen ipſis reſiſtitur; ergo ſuo effectu hæc Dei voluntas defraudatur. Quare igitur negat Janſenius eam pariter fruſtrari ſuo effectu in gratia ſufficiente, qualem Catholici admittunt? Quænam hujuſce diſcriminis cauſæ & rationes eſſe poſſunt? An quòd voluntas illa Dei, ex qua, juxta Janſenii diſcipulos, defluunt illæ gratiæ parvæ ſeu debiliores, non plena ac perfecta eſt voluntas, ſed quaſi ſemivoluntas, & quædam velleitas? At 1. fatentur communiter Janſeniani, evidentia teſtimoniorum Scripturæ ſuperati, voluntatem illam eſſe beneplaciti, adeòque formaliter eſſe in Deo veram, propriam, & ſinceram voluntatem, quam vocant antecedentem. 2. Quamquam ſemivoluntas dicenda foret, non minùs repugnaret eam ſuo effectu fruſtrari, quàm voluntatem plenam; utraque enim Dei voluntas eſt. 3. Ea voluntas, per quam Deus Adamo & Angelis gratiam ſufficientem conceſſit, ut cum ea perſeverarent, ſi vellent, haud dubiè plena fuit & perfecta; & tamen ſuo effectu caruit in Adamo & Angelis malis. An quæſo, minùs potens fuit Dei voluntas in ſtatu naturæ innocentis, quàm in præſenti? An ipſi magis jam injurioſum ac indecens, quòd voluntas gratiæ reſiſtat, quàm fuit in ſtatu naturæ innocentis? Nonne utrobique eadem eſt Dei voluntas, virtus ac potentia? Ergo ex parte voluntatis Dei non repugnat, nec ejus virtuti ac potentiæ derogatur, quòd jam in præſenti ſtatu reſiſtatur gratiæ ſufficienti.

An quòd repugnet inſtrumentum Dei, qualis eſt gratia, ſuo fruſtrari effectu? Sed unde oritur illa repugnantia? An quòd gratia medicinalis ſit? Verùm docet S. Aug. in Pſal. 102. etiam legem Judæis datam fuiſſe *conſilio medicinæ*. Deberet ergo lex ſuum aſſequi effectum, propter quem data eſt: ſed è contra potiùs, non niſi prævaricatores fecit. An quòd ſit inſtrumentum Dei? Quaſi gratia illuſtrationis mentis Dei inſtrumentum non foret? Imò & ipſa Dei actio, qua depulſis tenebris mentem humanam illuſtrat; & tamen ipſi reſiſtitur. *T. 4. p. 1114. B.*

An quòd, ut fingunt in ſententia Catholicorum contingere, humana voluntas ſuperior foret, & ipſi gratiæ quaſi dominaretur? Verùm nonne in mente ac ſententia Janſenii, ſuperior cupiditas irritas & ſuo effectu caſſas reddit parvas & debiliores gratias? Pluſne, quæſo, gratiam Dei dedecet ſuperari à voluntate, quàm à cupiditate? An denique ex eo, quòd gratia voluntatis arbitrio ſubjiceretur, ut iterum fingunt, & ab illo penderet, ut ſuum aſſequeretur effectum? Verùm in ſyſtemate Janſenii, nonne gratia pendet à gradibus oppoſitæ concupiſcentiæ, ut effectum habeat vel non habeat? Deinde in ipſo innocentiæ ſtatu, an gratia, quæ, ex Janſenio, ſufficiens dumtaxat erat, accuratè loquendo, dici potuit à libero arbitrio dependiſſe, & ab ipſo determinatam fuiſſe? Procul hujuſmodi figmenta, quæ cum ſana ratione non minùs, quàm cum Theologia pugnant. Gratia ab uno Deo auctore ac largitore dependet: à voluntate non determinatur, ſed cum ejus impulſu voluntas agit; ejus determinationem non facit, ſed ſequitur; eſt enim ex propria ſua natura gratia, inclinatio, propenſio, pondus ad bonum pietatis opus. An verò determinari meritò id dici poteſt, quod ex ſe eſt determinatio? Qui aperit oculos, ut lumen Solis videat, an determinat lumen ad viſionem? An non potiùs ejus determinationem ſequitur? Qui ex habitu operatur, an habitum ad actum determinat? An non potiùs ejus propenſionem, inclinationem ac determinationem ſequitur?

Solvuntur Objectiones adversùs præcedentem Concluſionem.

Objicies 1. Quotquot hactenus Scholæ Magiſtri naturam gratiæ ſufficientis expoſuerunt, peregrinas iſtas voces potentiæ abſolutæ vel relativæ uſurpaſſe non leguntur. Apud ipſos gratia ſufficiens, prout ab efficaci diſtinguitur, ſimpliciter ea dicitur, quæ dat poſſe benè agere, non autem agere; ſeu quæ veram & propriè dictam confert ad opus veræ pietatis potentiam. Nonnulli quidem completam & proximam dicendam eſſe contendunt, alii verò negant; ſed mera eſt quæſtio de nomine. Nullus autem aſſeruit, potentiam illam relativam eſſe debere, ſenſu quem expoſuimus: porrò non licet novas & peregrinas voces in Scholas invehere.

℞. Mirum videri non debere, quòd veteres Scholæ Magiſtri, ubi de viribus gratiæ ſufficientis tractarunt, non diſtinxerint inter potentiam ejus abſolutam, & relativam: nulla tunc id exigebat neceſſitatis ratio. At poſt exortam Janſenianorum hæreſim, æquivocatio vocis potentiæ, & abuſus Janſenianorum in ea uſurpanda, Theologos ad illam diſtinctionem exponendam coegit, qua una fraus omnis, ambiguitas & cavillatio detegitur, ac prorſus concidit. Porrò licitum eſſe occaſione novi dogmatis, novas invehere voces ad illud reprimendum idoneas & opportunas, vel ipſemet agnoſcit ac fatetur Janſenius. *Cùm aliquid*, inquit Lib. 8. de Gratia Chriſti cap. 2. *propter novas opiniones emergentes efficaciter exprimendum & accuratè ab aliis diſtinguendum eſt, rem veterem novo vocabulo inſignire nihil vetat.* Adducta ſufficientis gratiæ communis definitio, optima quidem in ſe, nec culpanda in ore Theologorum, qui novitatis ſuſpicione non laborant. In aliis verò, quos conſtat ea definitione abuſos eſſe ad errorem involvendum, quique legitimè ſuſpecti ſunt, ſine expoſitione non eſt admittenda. Notum eſt, ambiguo

T. 3. p. 344. col. 1. E.

gra-

gratiæ vocabulo tam callidè & aſtutè abuſum olim Pelagium, ut Auguſtinum ipſum ferè deceperit: verùm ſublata vocis ambiguitate, ac detecta fraude, ſententiam damnationis homo verſipellis reportavit.

Objicies 2. Ex noſtra Concluſione res maximè abſurda & ridicula ſequitur; nimirum hominem per gratiam ſufficientem in quodam æquilibrio debere ita collocari, ut libratis hinc & inde ad æqualitatem, tum gratiæ, tum concupiſcentiæ viribus, nulloque graviori pondere in alterutram bilancis partem inclinatus, liber remaneat ac ſui juris. Unde & iſtud longè adhuc abſurdius rurſum ſequitur; nempe & gratiam, quæ facinoroſis hominibus, induratis & obcæcatis interdum conceditur, eò perfectiorem eſſe debere gratia juſtorum, quò in ardentiorem longè cupiditatem, ac multò graviores difficultates ſuperandas impingat; & peccatoris demerita, ſicut & merita juſti, ea proportione imminui ac decreſcere, quò magis augetur tum peccatoris malitia, tum juſti charitas. Ratio aperta eſt, quia quò magis creſcit pondus & inclinatio voluntatis, ſive ad malum, ſive ad bonum, eò plùs minuitur æquilibrium libertatis, & conſequenter meritum vel demeritum actionis. Porrò ad hæc abſurda & ridicula directè tendit, quod hìc docemus, gratiam ſufficientem vires pares, æquales, ac relativè proportionatas voluntati conferre debere ad oppoſitam actualem concupiſcentiam ſuperandam.

℞. Eos qui tam abſurda & ridicula contra Concluſionem noſtram, quaſi cum illa connexa forent, nobis hìc opponunt, ſeipſos, pace dixerim, ridiculos exhibere, qui vel non intelligunt, vel malignè & ad invidiam, ſententiam, quam tuemur, traducunt: *Volentes eſſe legis Doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* Nihil quippe fingi poteſt à mente noſtra magis alienum, & quod magis directè pugnet cum noſtra Concluſione, quàm prætenſa illa graduum æqualitas neceſſaria inter gratiam & concupiſcentiam. Imò, quod tibi mirum ac novum fortè videbitur, tota illa æquilibrii & æqualitatis virium ridicula abſurditas, in ipſummet ſyſtema Janſenii directè relabitur. Verùm, ut propoſita ex æquilibrio difficultas nitidè ac ſolidè diluatur,

1. ad Timoth. 1. v. 7.

Obſervandum eſt, multiplicem diſtingui debere ſpeciem æquilibrii.

De æquilibrio. Multiplex ejus ſpecies.

I. Eſt in homine æquilibrium naturale, id eſt liberum arbitrium, ſeu facultas ad oppoſita flexibilis, quæ in Scholis appellari ſolet activa indifferentia. Hæc ſpecies æquilibrii ad fidem pertinet: *Si quis*, ait Conc. Trid. ſeſſ. *6.* Can. 5. *liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum amiſſum & extinctum eſſe dixerit, aut rem eſſe de ſolo titulo, imò titulum ſine re, figmentum denique à Satana invectum; anathema ſit.*

Æquilibrium naturale.

Æquilibrium porrò illud ſeu liberum arbitrium, non tantùm in rebus naturalibus, ſed etiam in ſupernaturalibus remanere poſt lapſum hominis, tum eſt, tum ex Can. 5. mox citato; tum ex Can. 4. ejuſdem ſeſſ. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum, nihil cooperari aſſentiendò Deo excitanti atque vocanti; quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat ac præparet; neque poſſe diſſentire ſi velit; ſed velut inanime quoddam nihil omnino agere, merèque paſſivè ſe habere; anathema ſit.* Remanet igitur idem quoad naturam & eſſentiam in homine lapſo liberum arbitrium, quod fuerat in homine innocente: *Viribus licèt jam attenuatum & inclinatum*, ait Conc. Trid. ibidem cap. 1.

T. 14. Conc p. 764. E.

Ibid.

Ibid. p. 757. D.

II. Nullum eſt in homine lapſo æquilibrium, quo ad bonum & ad malum æqualiter per ſolam naturam inclinetur: ſoli Pelagiani gratiæ Chriſti conjurati hoſtes, æquilibrium hujuſmodi excogitarunt. Certum quippe eſt ex fide, hominem ſine gratia nihil poſſe cogitare, aut velle, aut operari in ordine ad vitam æternam. *Si quis dixerit*, ait Synodus Trid. citata ſeſſ. 6. Can. 3. *ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque eius adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.*

Nullum eſt in homine æquilibriũ ad bonum ſupernaturale per ſolã naturã.

III. Ad opus veræ pietatis per gratiam exercendum, triplex diſtingui poteſt ſpecies æquilibrii ad ſervandam actionis libertatem & meritum neceſſarii; nimirum inclinationis ſeu propenſionis, potentiæ ſeu facultatis, & actionis ſeu exercitii.

Ibid. p. 764. D.

Æquilibrium inclinationis ſeu propenſionis illud eſt, quo voluntas in unam magis quàm in aliam partem non propenderet nec inclinaretur, ſed æqualiter hinc & inde afficeretur. Hanc æquilibrii ſpeciem omnes Catholici communi conſenſu rejiciunt: nemo quippe non experitur inteſtinam illam ac domeſticam luctam, quæ in nobis eſt, carnem inter & ſpiritum: nemo non ſentit longè magis nos ad malum, quàm ad bonum eſſe propenſos. Hæc porrò major ac dominans inclinatio ſive ad bonum ex charitate, ſive ad malum ex concupiſcentia, actionis libertatem, meritum vel demeritum non tollit: voluntas enim quantumlibet ad aliquid inclinata & propenſa, ſemper remanet domina ſui actus; ac poteſt, quando voluerit, fortiori inclinationi reluctari. Quàm multi reverà ſunt, qui conſuetudini, qui habitibus reſiſtunt? An non vel ipſe Auguſtinus Lib. 8. Confeſſ. cap. 8. declarat, ſe id aliquando non feciſſe, *quod incomparabili affectu ampliùs ſibi placebat?*

Æquilibriũ inclinationis.

T. 1. p. 153. A.

Æquilibrium potentiæ ſeu facultatis illud eſt, quo facultas ſeu voluntas ſub motione gratiæ vel concupiſcentiæ ſuam retinet indifferentiam activam, per quam immunis ab omni neceſſitate, in quam voluerit partem, bonum vel malum, vitam & mortem, flectere ſe ac determinare poteſt. Hanc æquilibrii ſpeciem prorſus neceſſariam eſſe, & ad finem pertinere, iis omnibus momentis probant Orthodoxi, quibus demonſtrare ſolent, ad meritum vel demeritum actionis humanæ neceſſariam eſſe libertatem. Quantùm verò huic æquilibrio facultatis noxium ſit ſyſtema Janſenii, vel ex hoc uno manifeſtum eſt quòd in eo neceſſe ſit voluntatem majoris, ſeu ſuperioris delectationis impulſum ſequi, ſecundùm famoſum iſtud effatum: *Quod ampliùs nos delectat, ſecundùm id operemur neceſſe eſt.*

Æquilibriũ potentiæ.

Æquilibrium denique actionis, quæ fit ex gratia, non uno modo excogitari poteſt & exponi: nempè ut actio fiat vel ſine novo adjutorio gratiæ phyſicè aut moraliter præmoventis; vel ſine majori facilitate ad unum quàm ad aliud; vel cum æqualitate virium gratiæ & concupiſcentiæ; vel denique quo res aliqua fiat immediatè. Certum autem eſt, ad libertatem actionis neceſſe non eſſe: 1. Ut nulla major inſit voluntati ad unum, quàm ad aliud facilitas, vel difficultas: hæc enim, perinde ac major vel minor inclinatio voluntatis, libertatem actionis non tollit; ac conſequenter æquilibrium hujuſcemodi neceſſarium non eſt. 2. Nec minùs certum, neceſſe non eſſe, ut pares ſint & æquales ex utraque parte, gratiæ nimirùm & concupiſcentiæ vires. Neque enim hìc vires unius cum viribus alterius comparantur; ſed hoc unum exigit

Æquilibrium actionis non uno modo poteſt intelligi.

Eccle-

Eccleſia contra ſententiam Janſenii, ut vires gratiæ, tametſi gradibus inferiores viribus concupiſcentiæ, iſtas nihilominùs ſuperare poſſint, ſeu pares ſint illis vincendis ac ſuperandis: quod è diametro pugnat cum ſyſtemate Janſeniano, in quo impoſſibile eſt vim majorem à minori ſuperari. 3. Certum quoque eſt, ad eamdem actionis libertatem neceſſe non eſſe, ut res immediatè fiat, v.g. obſervetur mandatum; ſed ſatis eſt, ſi fiat ſaltem mediatè, impetrando ſcilicet gratiam uberiorem, per quam obſervetur. Utrumque iſtum modum apertè diſtinguit Conc. Trid. ſeſſ.6. de juſtificatione cap.11. *Deus*, inquit, *impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere, quod poſſis, & petere, quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſis*. Ergo ſupponit Concilium, aliquid eſſe, quod interdum homo immediatè non poſſit, ſed tantùm mediatè per gratiam orationis; *petere quod non poſſis*. Tota igitur præſens quæſtio in eo poſita eſt, utrùm tale actionis æquilibrium neceſſarium ſit ad ſervandam libertatem, ut actio fiat ex gratia excitante & operante, abſque ullo novo ex parte Dei auxilio gratiæ vel phyſicè, vel moraliter prædeterminantis. Affirmant aliqui Theologi; negant alii: Eccleſia verò circa quæſtionem hanc nihil pronuntiavit, ſed Scholæ libertati eam permiſit. *T. 14. Conc. p. 761. B.*

His ita diſcuſſis & expoſitis, quæ adverſarii de induſtria multùm perturbant ac confundunt, facilis & obvia eſt ad objectionem reſponſio.

I. Falsò prorsùs ſupponitur, tale nos æquilibrium exigere, in quo vires gratiæ & concupiſcentiæ ita pares ſint & æquales, ut voluntas in unam partem non magis inclinata ſit quàm in aliam: monſtra ſibi fingunt adverſarii, ut ea debellent. Nonniſi per contumeliam ac malam fidem nobis imponitur, quaſi æquilibrium illud inclinationis admitteremus, quod tamen proteſtamur neceſſarium non eſſe, imò pugnare contra fidem non minùs, quàm contra rationem & experientiam. Tota igitur objectio, quæ eſt de falſo ſupponente, ſeipſa ruit ac ſubvertitur.

II. Non minùs falsò ac ridiculè ſupponitur, juxta noſtram ſententiam, eò majorem eſſe debere in gradibus vim gratiæ, quò majorem & ardentiorem, cum qua concurrit, cupiditatem debellandam habet. Qua, quæſo, fronte in nobis objici poteſt, qui cum Angelico Doctore volumus, minimam gratiam poſſe reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, & vitare quodcumque peccatum mortale, quia minima gratia plùs diligit Deum, quàm cupiditas auri & argenti? Cùm igitur aſſerimus, per gratiam ſufficientem pares & æquales relativè vires homini juſto conferri ad oppoſitam concupiſcentiam ſuperandam & obſervandum præceptum, vires cum viribus, ut jam dictum eſt, non comparamus, nec æquales ex utraque parte quoad gradus eſſe debere contendimus, non ita eſt: ſed hoc unum contendimus contra Janſenium, vires gratiæ ſufficientis, tametſi inæquales & gradibus inferiores viribus oppoſitæ concupiſcentiæ, pares tamen eſſe ac ſufficientes iſti debellandæ ac ſuperandæ, & implendo præcepto, ſi homo juſtus, ea, qua par eſt, ſedulitate ac diligentia tali auxilio gratiæ uti voluerit.

III. Hinc patet, quàm abſurdè nobis imputetur, induratorum gratiam eò majorem eſſe debere, quò gravioribus implicati ſunt criminibus; imò & eò minùs reos ac pœnis obnoxios illos eſſe, quò major eſt eorum malitia, & in peccato magis obfirmata voluntas, quia nempe creſcente voluntatis ad unum quid inclinatione, decreſcit & minuitur ejus libertas. Impugnant iſta

quidem directè æquilibrium inclinationis, & eos, ſi qui forent, qui illud ad libertatem actionis neceſſarium exigerent; at contra nos, qui æquilibrium iſtud rejicimus, caſſa omninò eſt ac vana objectio.

IV. Denique, tota æquilibrii abſurditas, quæ nobis opponitur, directè in Janſenianum ſyſtema recidit ac relabitur. In eo quippe ſyſtemate, neceſſe eſt voluntate ſuperiori ac dominante delectatione trahi; atque majorem minori prævalere. *Eſt enim*, ait Pater Maſſoulié, *in omni ſtatu ea immobilis Divinæ providentiæ lex conſtituta, ut actio ex proportione majoris inæqualitatis oriatur, qua agens ſibi ſubjiciat paſſum, & major vis vincat minorem.* Vel igitur gratia ſuperior eſt cupiditate actuali oppoſita, vel inferior, vel æqualis. Si ſuperior, neceſſariò vincet; ſi inferior, neceſſariò vincetur; ſi æqualis, voluntas in æquilibrio quaſi ſuſpenſa & indeterminata remanebit: agere quippe illa non poteſt, niſi ſuperiori ac dominante delectatione determinetur. Audiatur ipſe Janſenius Lib. 4. de Grat. Ch. cap. 10. *Hinc claret*, inquit, *cur Auguſtinus omnem omninò gratiam purè ſufficientem auferat. Ratio perſpicua eſt, quia cùm ei nulla ſit gratia operandi præter iſtam ſuavitatem Dei: niſi iſta tanta fuerit, ut ei delectationes rerum creatarum ceſſerint, vel peccabitur, vel alternante delectationum fluctu, in medio remanebitur; ſin autem iſta ſuperaverit, jam ſine dubio benè voluntas operabitur: Quod enim ampliùs nos delectat, ſecundùm id operemur neceſſe eſt. Sed utrumlibet fiat, non erit ſufficiens gratia, ſed vel efficax, vel ita inefficax, ex qua operatio nequidem poſſit ſequi, niſi ejus inefficacia per aliam ſuppleatur.* Attende ad iſta Janſenii verba, *in medio remanebitur*: quæ idem planè ſignificant ac iſta, *in æquilibrio remanebitur*. En æquilibrium iſtud tam abſurdum & ridiculum, quod nobis objicitur, Janſeniano ſyſtemati proprium ac quaſi innatum. In eo maximè locum habet, quod opponitur, gratiam nempe, quæ induratis, ut convertantur, interdum conceditur, eò majorem eſſe debere, quò major eſt & ardentior illorum cupiditas, & magis inveterata malitia; adeòque illam longè perfectiorem eſſe debere gratia, qua donantur juſti, ut mandata Dei poſſint obſervare. In concurſu quippe duplicis delectationis, cœleſtis ac terrenæ, voluntas nuſquam operatur ſeu benè, ſeu malè, niſi alterutra vincat ac ſuperet; ergo qua proportione major eſt induratorum pervicacia, eò majori ac vegetiori opus habent gratia. Nonne hoc ipſum eſt æquilibrium, in quo confutando Janſeniani nobis inſultant? Vides ergo, qua ratione in Janſenianos ipſos tela ipſa recidant, quæ in nos contorquent; eorumque ſyſtema hac ipſa æquilibrii abſurditate oneretur, qua noſtram immeritò infamare conantur ſententiam.

S. Th. ſui interpres T. 2. diſſert. 3. q. 6. art. 8. p. 209.

T. 3. p. 184. col. 2. C.

Inſtabis: Vix intelligitur, qua ratione gratia ſufficiens homini indurato v. g. conceſſa, pares ipſi & æquales vires ad oppoſitam cupiditatem tam longo peccandi uſu obfirmatam, debellandam & ſuperandam conferre poſſit.

℞. 1. Nos hìc potiſſimùm loqui de juſtis, de quibus prima Janſenii Propoſitio: de illis quippe ſolis Eccleſia pronuntiavit, mandata Dei impoſſibilia non eſſe ſecundùm præſentes, quas habent, vires, id eſt, relativè ad præſentes eorum vires; nec deeſſe gratiam, qua ipſis poſſibilia fiant. Hæc porrò gratia procul dubio ea non eſt, quæ victrix & efficax ſolet appellari, alias mandata Dei certiſſimè juſti illi obſervarent; ergo eſt tantùm gratia ſufficiens, quæ juſtis mandata poſſibilia reddit ſecundùm præſentes, quas habent, vires: non quòd cæteris hominibus impoſſibilia dici poſſint Dei man-

data,

data, abſit: ſed quòd de ſolis juſtis definitum ſit, non deeſſe gratiam, per quam mandata relativè poſſibilia ipſis fiant.

℟. 2. Licèt gratia ſufficiens comparatè ad oppoſitam concupiſcentiam æquales vires non ſemper habeat, ſed ſæpiſſimè inferiores; attamen eam ſuperare verè ac relativè poteſt: quia charitas plùs diligit Deum, quàm cupiditas auri & argenti. Ita ſtrenuus Dux ac Imperator exercitus non raró cum paucis militum copiis, numero longè ſuperiorem exercitum vincit ac ſuperat, aut ſaltem impetum ejus ſiſtit ac moratur.

℟. Denique, quòd etſi gratia ſufficiens induratis conceſſa vires non conferat pares ad operandam immediatè converſionem, & præceptum implendum, ſaltem pares habet ad deſiderium converſionis concipiendum, & ad converſionem ipſam ſaltem mediatè, per orationem ſcilicet impetrando uberius auxilium Dei, cujus beneficio & convertatur, & præceptum adimpleat.

Objicies 3. Rom. 7. v. 19. Apoſtolus ait: *Non quod volo bonum, hoc facio: ſed quod nolo malum, hoc ago.* Et Chriſtus Joan. 13. v. 36. Petro dixit: *Non potes me modò ſequi.* Ergo gratia illa ſufficiens verè non ſufficiebat, ſeu pares & æquales non conferebat vires, tum S. Paulo, ut bonum operaretur, tum S. Petro, ut pro Chriſto mortem ſuſtineret.

℟. Ad 1. Apoſtolum loqui de motibus concupiſcentiæ indeliberatis, quos in ſe excitari dolebat; non verò de motibus deliberatis. *Hoc*, inquit S. Auguſtinus L. 1. Retractat. cap. 15. n. 2. *de concupiſcentia carnis dicitur, quod aperit* (Apoſtolus) *in conſequentibus, dicens: Scio, quia non habitat in me, hoc eſt, in carne mea, bonum: velle enim adiacet mihi, perficere autem bonum, non. Perfectio quippe boni eſt, ut nec ipſa concupiſcentia peccati ſit in homine, cui quidem quando benè vivitur, non conſentit voluntas: verumtamen non perficit bonum, quia ineſt adhuc concupiſcentia, cui repugnat voluntas, cujus concupiſcentiæ reatus in Baptiſmate ſolvitur, ſed infirmitas manet &c.* T. 1. p. 24. B. C.

Ad 2. plena inferiùs patebit reſponſio, cùm de lapſu S. Petri verba faciemus. In anteceſſum ſatis ſit monere, hîc non agi de præcepto, quod urgeret; neque enim præceptum acceperat S. Petrus tunc moriendi pro Chriſto. Cùm verò aſſerimus dari ſufficientem gratiam, intelligimus, quando urget Dei præceptum.

Objicies 4. Auctoritatem S. Auguſtini pluribus in locis.

Lib. de ſpiritu & littera cap. 35. n. 63. *Ecce*, inquit, *quemadmodum ſine exemplo eſt in hominibus perfecta juſtitia, & tamen impoſſibilis non eſt. Fieret enim, ſi tanta voluntas adhiberetur, quanta ſufficit tantæ rei. Eſſet autem tanta, ſi & nihil eorum, quæ pertinent ad juſtitiam, nos lateret, & ea ſic delectarent animum, ut quidquid aliud voluptatis doloriſve impedit, delectatio illa ſuperaret: quod ut non ſit, non ad impoſſibilitatem, ſed ad judicium Dei pertinet. Quis enim neſciat non eſſe in hominis poteſtate quid ſciat, nec eſſe conſequens, ut quod appetendum cognitum fuerit, appetatur, niſi tantum delectet, quantum diligendum eſt?* T. 10. p. 122. C.

Cap. 17. Libri de grat. & lib. arb. *Qui vult facere Dei mandatum, & non poteſt, jam quidem habet voluntatem bonam, ſed adhuc parvam & invalidam: poterit autem, cùm magnam habuerit & robuſtam. Quando enim Martyres magna illa mandata fecerunt, magna utique voluntate, hoc eſt, magna charitate fecerunt..... Ipſam charitatem Apoſtolus Petrus nondum habuit, quando timore Dominum ter negavit..... Et tamen quamvis parva & imperfecta, non deerat, quando dicebat* Ibid. p. 735. C.

Domino: Animam meam pro te ponam; putabat enim ſe poſſe, quod ſe velle ſentiebat. Et quis iſtam etſi parvam dare cœperat charitatem, niſi ille qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit? Supponit hìc manifeſtè S. Doctor, ajunt Janſeniani, hominem cum parva & imperfecta gratia non poſſe obſervare mandata. Denique idem ſanctus Doctor Lib. 8. Confeſſ. cap. 8. n. 19. graphicè depingens, quam patiebatur interiorem animi luctam,
T. 1. p. non obſcurè innuit ſibi tunc impares & inæquales fuiſſe ex gratia vires ad ple-
152. E. nam & perfectam converſionem. *Non ſolùm*, inquit, *ire, verùm etiam pervenire illuc, nihil erat aliud quàm velle ire, ſed velle fortiter & integrè; non ſe-*
Ib p. 149. *miſauciam hanc atque hanc verſare & jactare voluntatem, parte aſſurgente cum alia*
A. *parte cadente luctantem.* Et cap. 5. dixerat: *Voluntas autem nova, quæ mihi eſſe cœperat, ut te gratis colerem, fruique te vellem, Deus ſola certa jucunditas, nondum erat idonea ad ſuperandam priorem vetuſtate roboratam. Ita duæ voluntates meæ, una vetus, alia nova; illa carnalis, illa ſpiritualis, confligebant inter ſe, atque diſcordando diſſipabant animam meam .... Cogitationes, quibus meditabar in te, ſimiles erant conatibus expergiſci volentium, qui tamen ſoporati ſoporis altitudine re-*
Ib. n. 12. *merguntur.* En profectò gratia parva ſeu ſufficiens viribus relativè impar ſu-
C. perandæ priori voluntati vetuſtate roboratæ.

℞. Ex illis & aliis id generis S. Auguſtini teſtimoniis hoc unum inferri meritò poſſe, non ſemper adeſſe per gratiam ſufficientem potentiam immediatam & proximam benè operandi, ſed remotam dumtaxat & mediatam, per orationem ſcilicet, qua (ſaltem juſti) poſſunt ſemper uberius Dei præſidium impetrare. Hanc conſtantem eſſe ſancti Doctoris ſententiam demonſtrant benè multa, quæ articulo proximè ſequente referemus. Vel in hoc ipſo Libro
T. 10. p. de Gratia & libero arbitrio, unde hìc arguunt adverſarii, docet, *Deum ideo*
734. D. *jubere aliqua, quæ non poſſumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus. Ip-*
Ibid. B. *ſa enim eſt fides, quæ orando impetrat, quod lex imperat.* Et cap. 15. nu. 31. *Ad hoc valet*, inquit, *quod ſcriptum eſt: Si volueris, conſervabis mandata: ut homo, qui voluerit, & non potuerit, nondum ſe plenè velle cognoſcat, & oret, ut habeat tantam voluntatem, quanta ſufficit ad implenda præcepta.* Supponit hìc manifeſtè ſanctus Doctor paratam ac præſentem orandi gratiam: neque enim ſine gratia poteſt quis orare ut oportet.

Quod ex cap. 35. Libri de ſpiritu & littera hìc opponitur, non eſt ad rem præſentem. Agit quippe eò loci S. Auguſtinus de vitandis omnibus collectivè peccatis venialibus, de quibus ita vitandis nullum extat præceptum; gratia verò, per quam illa vitari poſſunt, poſita eſt in quibuſdam extraordinariis auxiliis, quæ nemini, præter Chriſtum ac B. Virginem, conceſſa fuere. Ait enim S. Auguſtinus cap. 36. ejuſdem Libri: *In ea quæ perficienda eſt juſtitia,*
Ibid. p. 115. C. *multùm in hac vita ille proficit, qui quàm longè ſit à perfectione juſtitiæ, proficiendo cognovit.*

Non magis ad rem pertinet teſtimonium S. Auguſtini ex Lib. 8. Confeſſ. cap. 5. Cùm enim ibi dicit, *Voluntas nova nondum erat idonea ad ſuperandam priorem vetuſtate roboratam*; ſignificat ſibi defuiſſe tunc temporis gratiam efficacem, non verò ſufficientem.

Quantùm verò doctrinæ à nobis de gratia orationis ex Auguſtino relatæ adverſetur Janſenius, vel ex uno patet cap. 5. Libri 3. de Gratia Chriſti, ubi ait: *Nec aliquis opponat iſti veritati, orari ſaltem poſſe, ut iſta delectatio, quæ*

ſuffi-

ſufficiat implendæ legi, tribuatur. Nam etiam ad orandum quàm maximè delectatio neceſſaria eſt, quæ non magis quàm cateræ, noſtræ poteſtatis eſt, ſed à Deo per gratiam donari debet. Idem repetit cap. 7. ejuſdem Libri.

T. 3 pag. 113 col. 2. A.

Gratiam porrò illam orationis, quam juſtis, urgente præcepto, adeſſe Auguſtinus affirmat, non eſſe ſemper efficacem, per ſe manifeſtum eſt: aliàs juſti ut oportet, ſemper orarent, ac certiſſimè uberius à Deo impetrarent auxilium: ergo gratia illa tunc tantùm ſufficiens eſt.

Talem proximè ſufficientem orationis gratiam hominis juſti arbitrio relictam, ut ea, ſi velit, utatur, velut novum figmentum ſuperbè deſpiciunt, qui nobis hìc adverſantur. Si ipſis fides, ſententiæ hujus parens ac propagator Alphonſus le Moyne, hujus Scholæ Regius quondam Profeſſor, *ſub eorum, quæ contra illam edita ſunt, voluminum mole oppreſſus jacuit. Eamque ita diſturbavit Apologia Patrum,* (Arnaldi) *ut illius ruinas nemo erigere ſit auſus.*

Cauſa Arnald. pag 385. col 1.

Attamen, ut alios omittam, doctiſſimus & eminentiſſimus Cardinalis Noriſius, vir Auguſtini doctrinæ addictiſſimus ſententiam hanc, non cum ſuo, ut ajunt, auctore conſepultam, ſed in Scholis ſpirantem ac pervulgatam propugnavit. Imò nec aliter potuit Eminentiſſimus auctor impactam ſibi Janſeniani erroris calumniam propulſare, quàm doctrinæ hujus defenſione. Legatur Opuſculum ipſius, cui titulus, *Janſeniani erroris calumnia ſublata.* Cujus caput 2. ſic inſcribitur: *Antitheſes Janſenii & Noriſii de potentia proxima ad orandum urgente præcepto.* Paragraphus verò primus hunc præſefert titulum: *Noriſius admittit etiam in ſtatu naturæ lapſæ, adjutorium ſine quo non, ſecùs Janſenio ſentiente. Eo adiutorio fiunt actus boni minùs perfecti: actus intellectus ac voluntatis conſtituentes potentiam proximam orandi ex S. Auguſtino demonſtrantur.* Quod titulus promittit, cumulatè implet & exequitur Noriſius. Aſſerit *eſſe in præſenti ſtatu adiutorium ſine quo non, quod in nobis efficit voluntates parvas & infirmas, quodque eandem notionem retinet, quam in natura integra habebat, id eſt, quod motum voluntatis, cui cooperatur, expectat:* ſeu, quod ejus arbitrio relinquitur, ſicut arbitrio primi parentis relicta fuerat gratia ſufficiens.

Et pag. 389. col. 1.

Hiſt. Pelag Edit. Lovan. p. 119.

Inſtabis 1. Gratia per ſe efficax neceſſaria eſt ad actu orandum, ſicut & ad quemlibet alium pietatis actum; ergo illa orationis gratia non eſt proximè ſufficiens.

Reſp. Eſtò antecedens, de quo jam non diſputamus, neg. conſeq. In quacumque enim Catholicorum ſententia, gratia ſufficiens, ſive orationis, ſive operationis, debet eſſe ad circumſtantias ſubjecti relativè proportionata ſeu ſufficiens: hìc hæret fides Catholica. Quæ porrò varia à variis ad hanc fidem explicandam excogitata ſint opinamenta, planè libera ſunt, quæ ut ſalva fide defendi, ita & poſſunt impugnari.

Inſtabis 2. Explicari ſatis non poteſt modus, quo gratia orationis in homine juſto dicitur relativè ac proximè ſufficiens. Vel enim juſtus cum ea ſola, ſine acceſſione gratiæ efficacis, orat aliquando & operatur, vel non. Si prius, ruit omnino neceſſitas gratiæ efficacis ad ſingulos pietatis actus, quæ tamen doctrina ſana & Catholica eſt; atque circa orationis ſaltem gratiam, purus invehitur ac reviviſcit Moliniſmus. Si poſterius, in eos ipſos incidimus ſcopulos, quos declinare intendimus; recurret enim iſta quæſtio, quare juſto denegetur gratia efficax orationis ad evitandum primum, quod committit,

pec-

peccatum, ſeu ad primam orandi negligentiam fugiendam. Quapropter non immeritò Arnaldus diſſert. de Gratia efficaci part. 4. art. 14. monebat, *unam in hac tota materia ſolidam eſſe controverſiam de gratiæ efficacis neceſſitate. De hac qui conveniunt*, inquit, *vix aliter quàm de verbis diſſentire poſſunt: Cæteræ de actu primo & ſecundo, de potentia propinqua & remota, de nomine ac natura gratiæ ſufficientis, & leves per ſe, & maximam partem non de re, ſed de nomine ſunt, quas vel omittere conſultiſſimum ſit, aut ſi non omittantur, intra Scholarum anguſtias placidè diſceptare.*

Cauſa Arnald. p. 405. col. 2.

Reſp. I. In myſteriis fidei duo eſſe: 1. Myſterium ipſum ſeu objectum fidei: 2. Modum, quo myſterium exponi ſeu explicari poteſt. De objecto fidei unanimes inter ſe conſentire tenentur omnes Orthodoxi, ſepoſitis omnibus explicandi modis; nec ulli licet quidquam ſtatuere, quod huic fidei repugnet. Circa modum verò explicandi fidem, varias in partes abire liberè poſſunt, quia modus ille ad fidem non pertinet. Quamvis autem liquidò exponere non poſſemus modum, quo gratia ſufficiens operatur; quamvis ab omni prorſus abſtineremus explicandi modo, non minùs tamen fixum ac ratum ſtaret Catholicum gratiæ ſufficientis dogma, à quo recedere nulli Catholico licitum eſt. Hactenus nemo (quod ſciam) nitidè expoſuit, qua ratione Dei libertas cum ejus immutabilitate cohæreat; an propterea utriuſq; neganda concordia? Vel ipſi Janſeniani fatentur, intelligi vix poſſe, qui fieri poſſit, ut peccatum originale, quod in baptizatis non electis omninò remiſſum fuit, ſit tamen cauſa, cur ipſis denegetur gratia verè ſufficiens ad primum, quod committunt, peccatum declinandum. Si enim perfectè condonatum illud fuit, quomodo punitur ſubſtractione gratiæ? Si non fuit perfectè condonatum, quomodo inefficax in ipſis fuit virtus Baptiſmi? Nec tamen hujus rei obſcuritas Janſenianos à ſua dimovit ſententia.

II. Quæ Thomiſtæ hìc proferunt, ut ſuam aſtruant gratiam verè ac relativè ſufficientem, atque cum neceſſitate efficacis concilient, nobis ad rem Catholicam contra Janſenianos hìc propugnandam ſufficiunt; maximè cùm prædicent Janſeniani, paratos ſe eſſe agnoſcere gratiam ſenſu Thomiſtico ſufficientem. Qua tamen in re, fallunt illi ac incautos decipiunt; fingunt ſe ad Thomiſtas accedere, quos tamen irrident ac refellunt: patebit ex dicendis poſtea, longiùs diſtare gratiam parvam ſeu inferiorem Janſenii, à gratia ſufficiente Thomiſtica. Hoc unum hìc pro certo ex fide Catholica tenendum, juſtis, urgente præcepto, adeſſe gratiam verè ac relativè ſufficientem ſuperandæ actuali cuilibet eorum cupiditati, ac præcepto ſeu mediatè ſeu immediatè obſervando; cui Catholicæ doctrinæ planè repugnat gratia parva, ſeu inferior Janſenii: cùm enim ſit relativè inferior actuali concupiſcentiæ, vires pares & æquales huic ſuperandæ conferre non poteſt, ac conſequenter mandata fiunt relativè impoſſibilia juſtis ſecundùm præſentes, quas habent, vires.

III. Inter varios modos explicandi vires gratiæ ſufficientis, ratio & æquitas poſtulat, ut ille cæteris præferatur, qui ſalva fidei dignitate, minùs obſcurus & implicatus videtur, atque ad intelligendum facilior: qualis profectò videtur eſſe ſententia Noriſii, & aliorum, qui exiſtimant, eſſe quidem aliquam orationis gratiam maximè efficacem, ſed quæ juſtis, ut orent, ſemper neceſſaria non ſit, cùm habeant proximè ſufficientem, qua, ſi velint, uti poſſunt.

Ar-

Arnaldus hìc laudatus, & falſum ſupponit, & ſtatum quæſtionis callidè diſſimulat. I. Falſum ſupponit; nempe in eorum ſententia, qui gratiam à ſe efficacem neceſſariam admittunt ad ſingulos actus pietatis, conciliari ac componi non poſſe gratiam ſufficientem: quaſi omnes Thomiſtæ, qui utrumque gratiæ genus admittunt, ignoraverint hactenus aut diſſimulaverint poſſe ſimul utramque gratiam conciliari? Gonetus ipſe inter alios diſput. de voluntate Dei parag. 2. & 3. editionis Lugdunenſis anni 1681. omnia Arnaldi contra gratiam ſufficientem argumenta diſſolvit: atque, (quod obſervandum) cùm in prima ſui Clipei Thomiſtici editione Tractatu 4. de voluntate Dei diſput. 4. art. 3. n. 32. incautè ſcripſiſſet, Arnaldum non recuſare admittere auxilium ſufficiens, quale à Thomiſtis docet, in poſteriori editione Lugdunenſi an. 1681. hæc delevit ac ſuppreſſit.

II. Quæſtionis ſtatum Arnaldus diſſimulat. Neque enim hìc controvertitur, utrùm gratia per ſe efficax neceſſaria ſit ad ſingulos pietatis actus, ſed utrùm gratia efficax ſenſu Janſenii, compati poſſit cum gratia ſufficiente, qualem Eccleſia intelligit. Compati autem non poſſe contendimus: quia nempe in ſyſtemate delectationis relativè ſuperioris ac victricis, gratia efficax eſt ſemper ſuperior, gratia verò ſufficiens, ſemper inferior oppoſita actuali concupiſcentia; adeoq; gratia illa ſufficiens ſemper eſt relativè inſufficiens ad ſuperandam actualem illam concupiſcentiam, *propter defectum virium*, ait ipſe Janſenius.

Inſtabis 3. ex S. Auguſtino Lib. 1. ad Simplic. q. 2. *Nonne aliquando ipſa oratio noſtra ſic tepida eſt, vel potiùs frigida, & penè nulla, imò omnino interdum ita nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus? Quia ſi hoc vel dolemus, jam oramus*. Ergo tunc gratia orationis languida & infirma, vires non habet pares ad orandum. *T.6 pag. 101. F.*

Reſp. Nego conſequentiam. Ex eo enim quòd homo actu non oret, malè infertur, quòd orare non poſſit. Agnoſcit quidem S. Auguſtinus aliquando tepidam ac ferè nullam in nobis orationem; at non ait eam ex præſenti gratia non poſſe ardentiorem fieri: quod unum tamen hìc probandum foret.

Inſtabis 4. Ut gratia dicatur & ſit relativè ſufficiens, ſatis eſt, quòd ex ſe ſufficiat ad debellandam generatim præſentem hujus ſtatus concupiſcentiam; nec requiritur, ut ſit relativè proportionata gradibus concupiſcentiæ hic & nunc ſuperandæ: atqui gratia ſemper ex ſeſe ſufficit ad debellandam generatim præſentem hujus ſtatus concupiſcentiam, eſt quippe natura ſua remedium adversùs ipſam deſtinatum, licèt per accidens, & relativè ad fortiores cupiditatis, in quam impingit, gradus, non poſſit eam vincere ac ſuperare; ergo &c.

Reſp. Nego antecedens,

I. Quia eo ipſo modo gratia debet eſſe ſufficiens ad debellandam concupiſcentiam, quo neceſſe eſt concupiſcentiam à nobis debellari ac ſuperari: atqui debellandam habemus concupiſcentiam, non tantùm in genere, prout eſt hujus ſtatus propria, ſed etiam prout hic & nunc pulſat ac premit; ergo gratia debet eſſe ſufficiens, non tantùm relativè ad concupiſcentiam generalem hujuſce præſentis ſtatus naturæ lapſæ, ſed etiam actualem impugnandam, quæ continuò nos ad malum ſollicitat.

II. Nec Janſenius, nec ullus ex ſuis, negavit unquam ſuæ gratiæ parvę ſufficientiam illam relativam ad præſentem generatim hujuſce ſtatus concupiſcentiam.

tiam. Fatetur Janſenius L.8. de Gratia Chriſti c. 20. non alia de cauſa gratiam illam hærere in deſideriis quibuſdam inefficacibus, quàm quòd in fortiorem impingat delectationem concupiſcentiæ. *Tunc enim eſt victrix*, inquit, *quando alteram ſuperat. Quòd ſi contingat alteram ardentiorem eſſe, in ſolis inefficacibus deſideriis hærebit animus.* Quo ſenſu Arnaldus diſſert. de Gratia efficaci cap. 12. ait: *Niſi validior ei concupiſcentia reſiſteret, non modò boni operis deſiderium fructu vacuum, ſed ipſum bonum opus reipſa produceret.* Illudunt ergo Catholicis ac fucum facere conantur Janſeniani, hac ſua gratię ſufficientia relativa dumtaxat generatim ad concupiſcentiam hujus ſtatus: ſed neceſſe eſt admittant ſufficientiam relativam ad concupiſcentiam ſubjecti præſentem & actualem.

T. 1. pag. 344. C.

Cauſa Arnald. p. 357. col. 1.

Inſtabis 5. Nonne dici poteſt, in ſyſtemate Janſeniano per gratiam inferiorem conferri voluntati potentiam relativam etiam ad præſentem & actualem hominis concupiſcentiam debellandam, licèt potentia illa completa non ſit, nec unquam juncta cum actu, niſi accedente auxilio DEI efficaci? Solam enim hujus efficacis gratiæ ad ſingulos pietatis actus neceſſitatem oſtendere, ac ſtabilire volunt Janſeniani; de potentia verò illa ab actu ſejuncta parùm ſolliciti ſunt: eam perfectiſſimam & relativam eſſe ad præſentes ſubjecti circumſtantias fateri non gravabuntur.

Reſp. Potentiam illam gratiæ parvæ ſeu inferioris relativam ad oppoſitam actualem concupiſcentiam ſuperiorem, quam nonnulli recentiores ad declinandam Janſeniani erroris ſuſpicionem excogitarunt, merum eſſe figmentum, quod ſtare ac conciliari nunquam poteſt cum ſyſtemate Janſeniano, in quo gratia parva abſolutam dumtaxat, eamque ligatam juſto confert potentiam ad obſervanda mandata; nec niſi fallaciter ac doloſè relativa illa dici poteſt; imò nec ſine aliqua permixtione erroris Pelagiani. Sicut enim dici non poteſt, niſi errando cum Pelagio, hominem poſſe per ſolas naturæ vires gravem aliquam ſuperare tentationem; ita in ſyſtemate Janſenii, nonniſi pariter errando cum Pelagio, dici poteſt, ſuperiorem concupiſcentiam ab inferiori gratiæ delectatione ſuperari poſſe: quia nempe vires illæ voluntatis tunc non aliunde, quàm à natura ipſa profluerent. Vel enim profluerent à natura, vel à gratia. Non à gratia: ſupponamus enim in homine ſex gradus concupiſcentiæ, tres verò gratiæ; tres illi gratiæ gradus, nonniſi tres oppoſitos concupiſcentiæ gradus, cum quibus commenſurantur, vincere poſſunt: ergo ſi tres alii vinci poſſunt, non à gratia, ſed à natura id voluntas habebit. Neque dicas ex tribus illis, qui ſuperſunt, cupiditatis gradibus, levem dumtaxat effici tentationem, quæ ſine errore Pelagii dicitur per ſolas naturæ vires poſſe ſuperari; adeo ut ex ſex illis gradibus, tres per gratiam, & tres per naturam ſuperari poſſint. Namque præterquam quòd abſurdum planè ſit, imò in fide maximè periculoſum, ſic gradus cupiditatis vincendæ partiri ac dividere, ut potentia vincendi tres gradus concupiſcentiæ tribuatur gratiæ, & alios tres ſuperandi tribuatur viribus naturæ; recentiores illi, contra quos hìc diſputamus, contendunt leves tentationes non tantùm poſſe ſine gratia ſuperari, ſed etiam aliquando reipſa ſuperari. At iidem tamen contendunt, nuſquam contingere, ut gratia parva ſeu inferior ſuperiorem vincat cupiditatem: unde conſequens iſtud eſt, non levem, ut volunt, ſed gravem reverà oriri tentationem ex iſtis tribus ſuperſtitibus concupiſcentiæ gradibus.

Inſtabis 6. Cum nonnullis recentioribus in quibuſdam Libellis Gallicè inſcri-

inſcriptis: *Lettres Theologiques ſur le Mandement de Monſieur l' Evèque de Meaux*. Et, *Plainte ſur l' injuſte accuſation du Janſeniſme &c.* Pelagiani non errarunt circa *poſſe* ſeu *poſſibilitatem*, ſed tantùm circa *velle*, ſeu voluntatem & actionem: ita certè ut quantamcumque ex ſolis naturæ viribus ineſſe homini ad præcepta implenda, aut vincendas tentationes veram ac realem potentiam agnoverint, non tamen ea de cauſa ipſos erroris redarguit S. Auguſtinus, ſed tantùm quòd hujuſmodi potentiam ad actum, ſeu ad effectum ſine gratia reduci pertinaciùs contenderent. Ex quo manifeſtum eſt, ajunt recentiores, de quibus hìc agitur, nihil commune habere cum Pelagianis, qui aſſerunt, aut per ſolas liberi arbitrii vires, aut per vires gratiæ inæquales & debiliores, ferventiorem concupiſcentiam ſuperari, ac mandata obſervari poſſe; modò, (quod ultrò fatentur) potentia illa nunquam reducatur ad actum ſine gratia efficaci. *1. Lettre pag. 19. Pag. 87. & 97.*

Reſ. Nova & inaudita eſſe apud Catholicos, quæ hìc audimus. Quis unquam ex Catholicis aſſeruit, Pelagianos circa poſſibilitatem naturæ non erraſſe; Ergo incaſſum in omnibus ferè Conciliorum Dioſpolitani, Milevitani, Carthaginenſium, Arauſicani II. Tridentini Canonibus, vox illa *poſſe* fidem Eccleſiæ veluti obſignans: uſurpata fuit, ut omnes ſcirent hanc eſſe fidem Eccleſiæ, nihil prorſus poſſe hominem, quod ad veram pietatem & vitam æternam pertineat, ſine gratia Chriſti? Ergo Auguſtinus *poſſibilitatem* purè naturalem Pelagianorum nunquam oppugnavit ac damnavit? Attamen ubique ſemper iſtud inculcat ac repetit, hominem nihil boni ſupernaturalis aut cogitare, aut velle, aut perficere poſſe, niſi fuerit divinæ gratiæ auxilio excitatus & roboratus. Ergo fruſtra dixit Chriſtus: *Sine me nihil poteſtis facere.*

Falsò prorſus ſupponunt, qui nobis hìc adverſantur, S. Auguſtinum L. de Gratia Chriſti cap. 47. nihil in *poſſibilitate* Pelagii arguere; ab eo dumtaxat poſtulare, ut fateatur neceſſariam gratiam ad bonam voluntatem & actionem. Non ita eſt: ab illo exigit, ut agnoſcat poſſibilitatem ipſam, ut oportet adjuvari. Audiatur ſanctus Doctor citato cap. 47. n. 52. Lib. de Gratia Chr. *Tria illa*, inquit, *quæ apertiſſimè diſtinxit*, (Pelagius) *attendite*, *poſſe*, *velle*, *eſſe*; *id eſt*, *poſſibilitatem*, *voluntatem*, *actionem*. *Si ergo conſenſerit nobis*, *non ſolam poſſibilitatem in homine*, *etiam ſi nec velit*, *nec agat benè*, *ſed ipſam quoque voluntatem & actionem*, *id eſt*, *ut benè velimus & benè agamus*, *quæ non ſunt in homine*, *niſi quando benè vult & benè agit*: *ſi*, *ut dixi*, *conſenſerit*, *etiam ipſam voluntatem & actionem divinitùs adjuvari .... nihil de adjutorio gratiæ Dei*, *quantum arbitror*, *inter nos controverſiæ relinquetur*. Porrò qui à Pelagio exigit, ut fateatur, *non ſolam poſſibilitatem adjuvari*, *ſed etiam voluntatem & actionem*, an ille, quæſo, negat *poſsibilitatem adjuvari*? Quis tam abſurdus & fatuus, qui hoc excogitet? Imò præter *poſſibilitatem*, quam vult adjuvari, (& quam Pelagius non negabat, quamquam ſenſu doloſo & erroneo) contendit ipſam quoque voluntatem & actionem juvari debere, quod Pelagius negabat. *Tom. 10. Pag. 251. B.C.*

Prætermittere hìc non debemus, Janſenianos parùm ſecum ipſis cohærere, dum, prout res ipſorum ferunt, potentiam illam, quæ nunquam reducitur in actum, aliquando Pelagianam, ſubinde omnino Catholicam prædicant. Quando Janſenius ipſiuſque diſcipuli gratiam ſufficientem Suareſianam, quæ nunquam habet effectum, impugnant, eam iſto potiſſimùm titulo explodunt, quòd poſſibilitatem Pelagianam renovet ac referat; quia ſcilicet, inquiunt, nulla

eſt in

eſt in ſtatu præſenti gratia verè ſufficiens; nulla vera potentia, quantumvis ab actu ſejuncta, ſine gratia efficaci; ac contrarium aſſerere, Pelagianum eſt: ſubinde verò cùm ipſimet quaſi Pelagianiſantes arguuntur, quòd aſſerant eſſe in homine aut ſine gratia, aut per gratiam dumtaxat debiliorem, potentiam ſuperandi concupiſcentiam quantumvis aſperam, tunc immemores aſſertionum ſuarum contra gratiam Suareſianam, ſecluſa (ſi ipſis fides) omni Pelagianiſmi ſuſpicione, ultrò amplectuntur illud poſſe ab actu ſejunctum, quod in gratia Suareſiana velut Pelagianum exhorruerant. Idque eò magis mirandum, quòd potentia Suareſiana nonniſi per gratiam, & quidem virtute non inferiorem homini ineſſe dicatur: potentia autem, quam ad bonum voluntati liberaliter nunc recentiores illi concedunt, per ſolas naturæ vires habeatur.

Præterea verò hac nova reſponſione evertuntur penitùs ac refelluntur, quæcumq; pro adſtruenda propoſitione Arnaldina tanto apparatu collegerunt ex Scripturæ, Patrum & Conciliorum teſtimoniis, quibus probare nituntur; ſine gratia efficaci non ſolùm nihil boni fieri, ſed nec fieri poſſe. Jam enim fatentur, per ſolas naturæ vires, aut per debiliorem gratiam ſine efficaci, voluntatem poſſe benè agere & obſervare mandata. Præiverat ipſe Janſenius, qui varios inter modos, quibus etiam ſine gratia ſufficiente mandata Dei poſſibilia dici poſſunt, ipſam ſolam liberi arbitrii naturalē flexibilitatem annumerat, per quā, ſaltem remotiſſimè, mandata poſſibilia eſſe contendit Lib. 3. de Gr. Ch. c. 15.

T. 3. p. 143. col. 2. A. Inſtabis denique: Gratia, quæ pares relativè confert voluntati vires ad oppoſitam ſuperiorem debellandam concupiſcentiam, ſola ſufficit; neque indiget novo ex parte Dei auxilio; ergo concluſio noſtra eo ipſo excludit neceſſitatem gratiæ efficacis, quo aſſerit Eccleſiam per gratiam ſufficientem eam intelligere, quæ expeditam & relativè proportionatam confert voluntati ad opus bonum potentiam.

Reſp. Diſtinguo ant. Non indiget novo ex parte Dei auxilio gratiæ, ut verè ac relativè poſſit oppoſitam & ſuperiorem vincere concupiſcentiam, concedo: ut eam actu vincat ac ſuperet, iterum diſtinguo: non indiget novo ex parte Dei auxilio gratiæ adjuvantis, operantis & cooperantis, nego: hæc enim gratia ſemper neceſſaria eſt, ut actu vincatur concupiſcentia, & opus bonum perficiatur. Non indiget auxilio gratiæ per ſe efficacis, phyſicè vel moraliter prædeterminantis voluntatem ad bonum, adhuc diſtinguo: non indiget ex fide Eccleſiæ, quaſi fides Eccleſiæ gratiam hanc admittendam eſſe tanquam neceſſariam pronuntiet & exigat, concedo: non indiget in multorum ſententia, quam Eccleſia permittit quidem, ſed nunquam definivit, nego. Itaque fides Catholica duo tantùm hìc præſcribit: primum contra Janſenium, gratiam ſufficientem conferre voluntati vires relativè pares & ſufficientes, ut poſſit oppoſitam cupiditatem ſuperare; alterum, præter gratiam excitantem ſeu ſufficientem, neceſſariam eſſe adjuvantem, operantem ſeu cooperantem, ut voluntas bonum actu operetur. An verò neceſſe ſit gratiam illam phyſicè vel moraliter præmovere & prædeterminare voluntatem ad agendum, Eccleſia nuſquam judicio ſuo determinavit, ſed Scholę libertati ad diſputandum permiſit.

Objicies denique: Si gratia ſufficiens pares & æquales vires conferret ſuperandæ cuilibet actuali concupiſcentiæ, nulla fingi poſſet eſſe in homine peccandi neceſſitas: atqui tamen hanc agnoſcit S. Auguſtinus Lib. de natura &
T. 10. p. 161. E. Grat. c. 66. n. 79. *Quòd ex vitiis naturæ*, inquit, *non ex conditione naturæ*, *ſit*

quæ-

quædam peccandi neceſſitas, audiat homo; atque ut eadem neceſſitas non ſit, diſcat Deo dicere: De neceſſitatibus meis educ me. Et Lib. 1. Operis imperfecti contra Julian. c. 105. *Multùm erras*, ait ſanctus Doctor Julianum alloquens, *qui vel neceſſitatem nullam putas eſſe peccandi, vel eam non intelligis illius peccati eſſe pœnam, quod nulla neceſſitate commiſſum eſt.* Ib. pag. 934. G.

Reſp. Diſtinguo min. S. Auguſtinus agnoſcit peccandi neceſſitatem, ante gratiam, concedo; cum gratia, iterum diſtinguo: neceſſitatem quamdam vagam, generalem & indeterminatam, concedo: quia habita ratione infirmitatis ac corruptionis naturæ, fieri non poteſt, quin homo peccet: qua ratione Chriſtus ait: *Neceſſe eſt ut veniant ſcandala.* Et S. Joan. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* S. Auguſt. agnoſcit neceſſitatem peccandi hic & nunc etiam præſente gratia, determinatam & actualem, nego. Citato enim in objectione c. 66. Lib. de nat. & grat. dicit: *In hujuſmodi oratione certamen eſt adversùs tentatorem de ipſa contra nos neceſſitate pugnantem; ac per hoc opitulante gratia per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, & mala neceſſitas removebitur, & libertas plena tribuetur.* Verùm de hoc ipſo argumento & de mente Auguſtini alibi pleniùs. Ibid. p. 161. F.

Reſp. 2. Diſtinguo conſeq. Ergo gratia ſufficiens pares non confert vires hominibus juſtis ad ſuperandam quamlibet concupiſcentiam, immediatè ſemper ac proximè, concedo: mediatè nego. Juſtus enim ſemper poteſt ac debet Deo dicere: *De neceſſitatibus meis educ me*; id eſt, habet paratam orationis gratiam, qua poteſt impetrare gratiam ſanctæ operationis: potentia verò illa, quam confert gratia orationis, proxima eſt, ait Norifius loco anteà citato. *Namque*, inquit, *ſi juſtus ſit in potentia remota ad ſimpliciter orandum, non habet aliam potentiam proximam pro impetranda oratione, aliàs procederetur in infinitum.* Norifius.

ARTICULUS II.

De neceſſitate ſeu exiſtentia gratiæ ſufficientis.

CONCLUSIO.

Admittenda eſt in præſenti ſtatu gratia verè ac propriè ſufficiens.

Gratia ſufficiens ex dictis ea eſt, quæ expeditam, proportionatam & relativam ad præſentes ſubjecti circumſtantias confert voluntati ad opus bonum potentiam; cui tamen voluntas reluctatur ac reſiſtit; atqui admittenda eſt in præſenti ſtatu gratia hujuſmodi.

Probatur minor Propoſitio:

I. Ex Scripturis. Proverb. 1. v. 24. *Vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis.*

Iſaiæ 65. v. 2. *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem.*

Et cap. 5. ſub figura vineæ Judæorum incredulitatem & contumaciam increpat his verbis, v. 3. & ſeq. *Judicate inter me & vineam meam. Quid eſt quod debui*

Digitized by Google

debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci? Expectavi ut faceret uvas, & fecit labruſcas. Tria hìc obſerva: 1. Deum larga manu Judæis ſufficientes ad ſalutem gratias contuliſſe: *Quid debui facere, & non feci?* 2. Potuiſse Judæos cum illis beneficiis gratiæ ad Deum converti: *Expectavi, ut faceret uvas.* Fruſtrà porrò Deus bonos illos fructus expectaſset, niſi vires ad illos producendos pares gratia ipſis ſuppeditaſset. 3. Judæos gratias hujuſmodi effectu caſsas & irritas ſua contumacia reddidiſse: *Fecit labruſcas.* Ita textum hunc interpretantur SS. Baſilius, Chryſoſtomus, Hieronymus, Cyrillus Alexandrinus: ſufficiat poſtremi verba deſcripſiſse ex Commentario ipſius in caput 5. Iſaiæ. Tom. 2. p 80. B. C. *Demonſtrare*, inquit, *conatur inexcuſabilem omninò Judæorum ignaviam, & adversùs legem impudentiam. Cùm enim præclaram & laudatam legitimæ vitæ & Chriſtianæ inſtitutionis viam inire potuiſſent, ipſi obliquam & deviam coluerunt .... Prodeant igitur, inquit, qui inter vos ſunt ſapientes, judicent inter me vineæ Dominum, & ipſas vites. Quid illis boni defuit, ut inutiles fierent? Si enim rerum ad uſum neceſſariarum quidpiam à me, qui plantaveram, fortè prætermiſſum fuerit, cauſæ nihil dicam, nec pœnas exigam. Quid enim facerem, inquit, quod non ei fecerim? Cùm verò rebus eam utilibus plenam, nulliuſque rei indignam fecerim, ſpinas tamen peperit, licèt expectarem, ut eam pulchris fructibus ornatam viderem: quæ tandem à judice feretur ſententia? Num inertem, num deſidioſum agricolam dicet? An potiùs illos accuſabit, qui tanta ſolicitudine curati à me, adeò fertilitatem ſuam neglexerunt, ut inanem ſylvam ac turbam ſpinarum pro racemis pepererint?*

Matth. 11. v. 21. & Lucæ 10. v. 13. *Væ tibi Corozaim*, ait Chriſtus, *væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro & Sydone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent.* Gratia porrò illa, quam Corozaitæ & Bethſaiditæ rejecerunt, efficax non erat, aliàs eam non rejeciſsent; ergo ſufficiens dumtaxat, cum qua, ſi data fuiſset, Tyrii & Sidonii dignos pœnitentiæ fructus edidiſsent.

Et Matth. cap. 23. v. 37. *Jeruſalem, Jeruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Suum his verbis pro Judæorum ſalute conſtantem affectum Chriſtus teſtatur; *Quoties volui congregare?* Hic porrò affectus otioſus ac ſterilis in Chriſto non fuit; ex quo gratiæ dimanarunt, quibus Judæi poterant ſub alas congregari; hoc eſt, ad Chriſtum Mediatorem accedere, ſed illi noluerunt. Hujuſmodi igitur gratiæ ſufficientes erant; non efficaces, non victrices. Ita textum hunc de gratia ſufficiente interpretantur S. Gregorius Nyſsenus hom. 15. Concilium Senonenſe in decreto fidei & S. Hi-
p.728.B. larius c. 24. in Matth. cujus hæc verba ſunt: *Tanquam gallina*, inquit, *congregans pullos ſuos, continere eos* (Judæos) *ſub alis ſuis voluit; terrena videlicet nunc & domeſtica avis factus, quodam corporis ſui tanquam alarum operimento, calorem ut pullis ſuis vitæ immortalis indulgens, & in volatum velut nova generatione producens.* De gratia interiori loqui ſanctum Doctorem, hæc verba, *calor vitæ immortalis*, apertè declarant. Gratiam porrò illam efficacem non fuiſse,
Ibid. vel ipſa renuentium Judæorum contumacia, *noluiſtis*; & pœna, quam ibidem Chriſtus interminatur, demonſtrat: *Ecce*, inquit citato c. v. 38. *relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Et ipſemet S. Hilarius eodem in loco ait, Chriſtum *fruſtrà & incaſſum affectum hunc ſuum impendiſſe.*

Acto-

Actorum 7. v. 51. Stephanus Judæorum duritiem ac contra tot interna & externa gratiæ Divinæ præſidia & beneficia rebellem voluntatem ſic exagitat: *Dura cervice, & incircumciſis cordibus & auribus! vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis*, non tantùm exteriùs ſtupenda operanti, ſed intùs etiam moventi & excitanti? Sic interpretatur S. Cyrillus Alexandrinus Lib. 1. Commentariorum in Iſaiam, Oratione 1. ubi de Judæorum gente ad illa verba Iſaiæ: *Quomodo facta eſt meretrix Sion?* Hæc ſcribit: *Perinde eſt*, inquit, *ac ſi diceret: Quæ tot ad intelligendum occaſiones accepit, imò verò quæ ſpiritualibus adjumentis abundavit: in defectionem & apoſtaſiam defluxit*. Tum adducit citata Stephani verba. T.2.pag. 24.C.

Apoſtolus 1. ad Theſſalonic. c. 5. v. 19. *Nolite*, inquit, *Spiritum extinguere*. Et in 2. ad Corinth. c. 6. v. 1. *hortatur eos, ne in vanum gratiam Dei recipiant*. Spiritum verò extinguere, interprete Divo Thoma Commentario in 1. Epiſtolam ad Theſſal. ad c. 5. lectione 2. eſt repellere ſeu impedire bonum pietatis motum, quem Spiritus ſanctus in cordibus hominum excitat. *Spiritus Sanctus*, inquit, *eſt perſona Divina, incorruptibilis & æterna, unde in ſua ſubſtantia extingui non poteſt: ſed tamen dicitur quis extinguere Spiritum, uno modo fervorem ejus extinguendo, vel in ſe vel in alio: Cùm enim aliquis aliquid boni ex fervore Spiritus ſancti vult facere; vel etiam cùm aliquis bonus motus ſurgit, & ipſe impedit, extinguit Spiritum ſanctum*. Pariter eodem interprete in c. 6. 2. ad Corinth. gratiam in vacuum recipere, eſt eam effectu, quem habere poteſt, fruſtrare. *Hortatur Apoſtolus*, inquit, *ne receptio gratiæ ſit inutilis & vacua. Quod tunc contingit, quando ex perceptione gratiæ, quis non ſentit fructum, qui duplex eſt, ſcilicet remiſſio peccatorum, & ut homo juſtè vivendo perveniat ad gloriam cæleſtem.* Tom. 18. pag. 502. col. 2. C. Ib. pag. 299 col. 1. B.

Denique Apocalypſeos c. 3. v. 20. Deus ait: *Ecce ſto ad oſtium & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.*

Catholici textum hunc exponunt de gratia interiori, per quam Chriſtus ad oſtium cordis pulſat; atque tria inde colligunt: I. Frequenter Deum ad oſtium cordis pulſare per internas gratiæ ſufficientis illuſtrationes ac pias excitationes voluntatis. II. Poſſe hominem his adjutum gratiæ ſubſidiis, Deo pulſanti aperire; non ea quidem abſoluta dumtaxat & abſtracta, quam Janſeniani fingunt, poteſtate, ſed relativa ad eas ipſas circumſtantias, in quibus Chriſtus ſtat ad oſtium & pulſat. III. Hujuſmodi gratiæ motionibus hominem ſæpè reluctari ac reſiſtere. Ita textum hunc exponit S. Ambroſius in Pſalm. 118. ſermone 19. jam citato: *Si quis*, inquit, *peccatorum ſuorum repagulis obſerandam mentem propriam judicaverit, & Verbi à ſe ſplendorem ſtultus avertat, ac ſibi inferat inſipientiæ cæcitatem; cauſari poterit, quòd Sol juſtitiæ noluerit intrare, aut infirmitatem luminis cæleſtis arguere? Pulſat januam tuam Dei Verbum: Si quis mihi aperuerit, inquit, intrabo. Si quis ergo non aperuerit, numquid non ingredientis, & non magis non aperientis eſt culpa?* T.2.pag. 1220.D.

Ab illa S. Ambroſii trita & vulgata apud Catholicos omnes interpretatione primus omnium receſſit Eſtius, poſtpoſita Concilii Tridentini regula, de Scripturis ex communi SS. Patrum ſententia intelligendis & exponendis. Intelligebat ſcilicet, hoc teſtimonio penitùs convelli Baji doctrinam circa gratiam ſufficientem; unde ſatius duxit nova ſua & aliena interpretatione eripere Catholicis commune, quod inde colligebant pro gratia ſufficiente argumen-

tum, quàm doctrinam Baji, cui plurimum addictus erat, deſerere. Non ergo citatum textum de gratia, ut alii omnes, exponit, ſed de adventu Chriſti in fine vitæ.

Interpretationem Eſtii avidè arripuerunt, ac totis viribus defendere conati ſunt Janſeniani, ea ipſa, qua Eſtius, ducti cauſa & ratione: atque contra fidem & vulgatæ verſionis, & textus Græci, verbum iſtud, *ſto*, reddunt per futurum, *ſtabo*. In Vulgata quippe legitur, *ſto*; & in textu Græco, *ἕστηκα*. Vide quæ eam in rem ab erudito Theologo ſcripta fuerunt in eo Libro, cui titulus: *Obſervations ſur la nouvelle defenſe de la Verſion Francoiſe du nouveau Teſtament imprimè à Mons, à Rouen an.* 1684. Momentorum, quæ ille protulit, gravitate & evidentia ſuperati Verſionis Montenſis Auctores, nihil reponere hactenus potuerunt.

Ad hæc omnia, quæ hactenus laudata ſunt ex Scripturis teſtimonia, Janſeniani

Reſpondent 1. his in locis ſermonem eſſe de gratia dumtaxat vocationis externæ, non verò de gratia interiori. Ita Janſenius Lib. 2. de Gratia Chriſti c. 32. & ante ipſum Calvinus.

Refellitur reſponſio:

I. Quia mirum profectò videri debet, quòd Janſenius ad hanc evaſionem confugerit, cùm ipſemet agnoſcat interiores aliquas gratias, tametſi parvas & invalidas, quæ inefficacia dumtaxat & infirma excitant boni deſideria.

II. Ita Pelagio manifeſtè favet eumque ſequitur. Namque teſtimonia Scripturæ, quibus gratiæ neceſſitas adſtruitur, detorquebat ille ad gratiam exteriorem legis & doctrinæ.

III. Concilium Senonenſe, cujus verba paulò poſt referemus, & SS. Patres, quos jam appellavimus, gratiam interiorem, non exteriorem dumtaxat intelligunt.

IV. Quæ relata ſunt S. Stephani verba de Judæis Spiritui ſancto reſiſtentibus, non de ſola exteriori, ſed etiam de gratia interna exponi debere optimè demonſtrat Stapletonus Calvinum redarguens: *Opus Spiritus ſancti*, inquit, *proprium eſt intus movere: ſanè in ſolo externo miniſterio, niſi Spiritus ſanctus cor tangat, Spiritus ſanctus in ipſo audiente nihil operatur: ubi autem nihil operatur, ei nec reſiſtitur, nec obeditur. Deinde hæc reſiſtentia, de qua hic Stephanus loquitur, ex cordis duritie oriebatur. Dura, inquit, cervice & incircumciſis cordibus & auribus: atqui cordis durities circa ea propriè verſatur, quibus cor movetur, tangitur, afficitur. Tales ſunt inſpirationes internæ, quæ in materia ſalutis & cultus Divini nonniſi à Divino Spiritu promanant. Qui ſine ullo motu Divino interno Prophetam contemnit, non reſiſtit propriè & directè Spiritui ſancto, utpote qui nihil eum movebat; ſed perſonæ quam audit.* Hæc Stapleton; ex quibus ita concludit: *Reſiſtit igitur Spiritui ſancto, qui ejus internis motibus reſiſtit.* (T. 3. pag. 375. B.)

Et verò exponi aliter quàm de interiori gratia non poſſunt citata Chriſti verba: *Væ tibi Corozain &c.* perinde ac iſta S. Pauli: *Nolite Spiritum ſanctum extinguere*. Eadem enim gratia, cui reſtitere Corozaitæ, Tyrios & Sidonios convertiſſet, ſi data fuiſſet. An verò per ſolum externæ gratiæ auxilium converti illi potuiſſent? Quis niſi Pelagianus id affirmaverit? Pariter Spiritum ſanctum extinguere, interprete divo Thoma citato, eſt non tantùm reſiſtere donis exterioribus, ſed internas etiã motiones & excitationes impedire ac repellere.

V. Cita-

V. Citatis in locis Chriſtus peccatores ad converſionem cordis & pœnitentiam hortatur, eoſque increpat, ſeverioribus etiam intentatis ſuppliciis, quòd datis gratiæ auxiliis uti noluerint. Porrò ſi gratiæ illæ exteriores dumtaxat fuiſſent, ſi planè inſufficientes & impares ad opus, quod imperabatur; nec converti illi potuiſſent, cùm ex fide Catholica certiſſimum ſit, neminem ſine ope interioris gratiæ poſſe credere, ſperare, diligere ſicut oportet ad ſalutem; nec meritò reprehendi ac puniri, quòd converſi non fuiſſent, cùm vires non accepiſſent ad converſionem pares & æquales. Quamquam etſi adverſariis id daremus, citatis in locis de gratia externa mentionem fieri, an idcircò excludenda interior? Minimè verò. Hæc enim illam comitatur, ſine qua prorſus inſufficiens foret, ſicut ex Auguſtino mox audiemus.

Reſpondent 2. Gratiam, cui reſiſtitur, ſimplicem ac nudam includere mentis illuſtrationem, non piam excitationem voluntatis.

Refellitur reſponſio, quia doctrinæ S. Auguſtini apertè adverſatur. Ubique enim aſſerit S. Doctor, gratiam legis ſeu mentis illuminationem comitem ſemper habere gratiam voluntatis, ſaltem ad orandum; idque ex ſcopo ac fine legis gratiæ colligit, L. de Gratia Chr. c. 9. n. 10. *Ad hoc lex adjuvat, ut gratia requiratur.* Et Lib. 2. contra Maximinum c. 14. n. 9. versùs finem: *Præceptum*, inquit, *id nobiſcum agit, ut quod jam eſt in poteſtate, faciamus: ſi autem nondum eſt in poteſtate, oremus nobis poteſtatem dari, ut quod præceptum eſt, impleamus.* Denique ut alia infinita hujuſmodi ſileamus, Lib. de Gratia & libero arbitrio c. 4. n. 9. *Homo gratia juvatur, ne ſine cauſa voluntati ejus jubeatur.* Et cap. 18. n. 37. *Ergo præcepto admonitum eſt liberum arbitrium, ut quæreret Dei donum: quod quidem ſine ſuo fructu prorſus admoneretur, niſi priùs acciperet aliquid dilectionis, ut addi ſibi quæreret, unde quod jubebatur, impleret.*

T. 10. p. 234. F. Tom. 8. p. 708. F. Tom. 10. p. 723. C. Ib. pag. 735. E.

Secunda Probatio ex Conciliis.

Concilium Arauſicanum II. an. 529. Can. 25. *Hoc*, inquit, *ſecundùm fidem Catholicam credimus, quòd accepta per Baptiſmum gratia omnes baptizati, Chriſto auxiliante & cooperante, quæ ad ſalutem animæ pertinent, poſſint & debent, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere.* Quomodo verò poſſent ea adimplere, quomodo fideliter laborare, ſi gratiam vel non habeant, vel imparem ac viribus inſufficientem, tum ad ea præcepta implenda, tùm etiam ad implorandum auxilium, quo impleantur?

T. 4. Con. p. 1672. A.

Senonenſe, quod Pariſiis celebratum eſt contra Lutheranos anno Chriſti 1528. tempore Clementis VII. ſub Eminentiſſimo Cardinale ac Senonenſi Archiepiſcopo & Franciæ Cancellario Antonio à Prato, parte 1. in Decretis fidei cap. 15. ſic loquitur: *Neque liberum arbitrium aſſerentes, Divinam excludimus propterea gratiam, quod illi* (Lutherani) *falsò toties imponere non verentur, atque hoc fumo credulorum oculos perſtringere. Sed juxta ſacram Scripturam eò extendimus, ut voluntas humana miſericordiæ prævenientis auxilio ſuffulta, & interiori quodam & occulto ſecretioris inſpirationis afflatu contacta ſeſe convertat in Deum, Deo appropinquet, & ad veram illam gratiam ſe præparet, quæ tandem accepta ſit ad vitam æternam. Neque tamen tanta gratiæ neceſſitas libero præjudicat arbitrio, cùm illa ſemper ſit in promptu, nec momentum quidem prætereat, in quo Deus non ſtet ad oſtium & pulſet.... Neque denique tale ſit hujuſmodi trahentis Dei auxi-*

Tom. 14. Conc. p. 458. C.

tium, cui reſiſti non poſſit. Quoties enim Dominus voluit congregare filios Jeruſalem, ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluerunt? Fruſtrà certè Stephanus Judæos duræ cervicis & incircumciſi cordis argueret, qui ſemper Spiritui ſancto reſiſterent. Fruſtrà Paulus Theſſalonicenſes admoneret, Spiritum ne extinguerent, ſi Divinis inſpirationibus homines inevitabiliter raperentur. Nihil hìc effugii Janſenianis relinquitur; undequaque occluditur elabendi via. Loquitur enim Synodus de *occulto ſecretioris inſpirationis afflatu*: loquitur de gratia interiori, cui voluntas reſiſtit; eaque ipſa ad id probandum laudat Scripturæ teſtimonia, quæ nos hìc laudavimus.

Paulò poſt anno 1536. tempore Pauli III. & Caroli V. Imperatoris celebratum eſt Concilium Colonienſe, in quo, p. 7. c. 32. ſic legimus: *Quamquam nemo convertatur ad Dominum, niſi tractus per Patrem, attamen nemo hic excu-*
T. 14. Conc p. 519. C. *ſationem prætexat, quòd non trahatur: quòd ille ſemper ſtet ante oſtium pulſans, nimirùm per internum & externum verbum commonens, ut convertamur à via noſtra peſſima.* Ergo peccatores reſiſtunt gratiæ non tantùm externæ, ſed etiam internæ.

Concilium denique Trid. multis in locis ſufficientem gratiam adſtruit, quę inferiùs referemus. Unicum hic profero teſtimonium ex cap. 11. ſeſs. 6. de juſtificatione, ubi ait: *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod*
Ibid. pag. 761. B. *poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis.* Atqui multi ſunt juſti, qui non implent Divina mandata: ergo non faciunt, quod poſſunt, aut non petunt, quod non poſſunt; adeoque divinæ gratiæ reſiſtunt, quæ datur ipſis poſt acceptam juſtificationem, vel ad operandum, vel ſaltem ad orandum.

Tertia probatio ex SS. Patribus.

Græcorum ſuffragia non exſcribemus: tum quòd fatetur ingenuè Janſenius eos ſibi adverſari; ſed audaci temeritate illos Semipelagianiſmi accuſare non pertimeſcit: tum quòd citati eorum Commentarii in loca Scripturæ, quæ probatione prima in medium adduximus, eorum doctrinam circa gratiam ſufficientem manifeſtè demonſtrant.

Ex Latinis igitur teſtes Catholicæ doctrinæ appellamus

Tom. 2. App. pag. 484. I. S. Hieronymum in Pſalm. 140. *O infeliciſſimum*, exclamat, *humanum genus, qui peccata excuſamus, dicentes: Victus ſum à natura! cùm in poteſtate noſtra ſit, & peccare, & Domino adjuvante non peccare.* Et Commentario in Iſaiam, ad illa capitis 5. verba: *Nunc oſtendam vobis, quid ego faciam vineæ meæ*, obſervat hæc ad animam pertinere, quam Deus gratia ſua excolit primùm, tum fructus, quos ſperabat, non ferentem, deſerit. *Cuncta*, in-
T. 3. p. 46 quit, *quæ dicuntur de vinea, poſſunt & ad animæ humanæ referri ſtatum, quæ à Deo plantata in bonum, non uvas attulerit, ſed labruſcas.*

II. S. Auguſtinum pluribus in locis.

T. 6. pag. 54 E. Primum teſtimonium petitur ex Libro 83. quæſtionum q. 68. ubi ſic loquitur: *Ad illam cœnam, quam Dominus dicit in Evangelio præparatam, nec omnes qui vocati ſunt, venire non voluerunt; neque illi, qui venerunt, venire poſſent, niſi vocarentur. Itaque nec illi debent ſibi tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt: nec illi qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, ſed tantùm ſibi; quoniam ut venirent, vocati erant in libera voluntate.... Propterea etſi quiſquam*

ſibi

Digitized by Google

ſibi tribuit, quòd vocatus venit, non poteſt ſibi tribuere, quòd vocatus eſt. Qui autem vocatus non venit, ſicut non habuit meritum præmii, ut vocaretur, ſic inchoat meritum ſupplicii, cùm vocatus venire neglexerit.

Non poterat ſanctus Doctor ſignificantiùs exprimere gratiam vocationis, quæ ſufficit, ut vocatus veniat, quæ tamen reſpuitur.

Secundum teſtimonium ducitur ex Lib. 1. ad Simplicianum q. 2. Expendens iſtam Sententiam: *Nemo credit non vocatus, ſed non omnis credit vocatus*, de Eſau ſic loquitur: *Noluit ergo Eſau, & non cucurrit: ſed & ſi voluiſſet, & cucurriſſet, Dei adjutorio perveniſſet, qui etiam velle & currere vocando præſtaret, niſi vocatione contempta reprobus fieret. Aliter enim Deus præſtat ut velimus, aliter præſtat quòd voluerimus. Ut velimus enim, & ſuum eſſe voluit & noſtrum; ſuum vocando, noſtrum ſequendo. Quòd autem voluerimus, ſolus præſtat, id eſt, poſſe benè agere, & ſemper beatè vivere.* Potuit igitur Eſau, judice Auguſtino, vocatus venire; ſed vocationem ille contempſit, nec venire voluit: id eſt gratiæ obſtitit, non quidem efficaci ac victrici, quæ à nullo duro corde reſpuitur; ergo ſufficienti. *T. 6. pag. p. 94. B.*

Tertium teſtimonium colligimus ex Lib. de Spir. & litt. c. 33. cujus hæc verba ſunt: *Vult autem Deus omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire; non ſic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel benè vel malè utentes juſtiſſimè judicentur. Quod cùm ſit, infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt, cùm ejus Evangelio non credunt: nec ideo tamen eam vincunt, verùm ſe ipſos fraudant magno & ſummo bono, maliſque pœnalibus implicant, experturi in ſuppliciis poteſtatem ejus, cujus in donis miſericordiam contempſerunt. Ita voluntas Dei ſemper invicta eſt, &c.* Audis homines benè vel malè uti libero arbitrio; & eos qui non credunt, cùm credere per gratiam poſſint, *experturos in ſuppliciis poteſtatem ejus, cujus in donis miſericordiam contempſerunt.* *T. 10. p. 118. E.*

Capite 34. rurſus exponit ſanctus Doctor, quomodo Deus per gratiam operetur in homine velle credere, & quomodo conſentire vel diſſentire ſit voluntatis hominis. *Viſorum ſuaſionibus*, inquit, *agit Deus, ut velimus, & ut credamus; ſive extrinſecùs per Evangelicas exhortationes .... ſive intrinſecùs, ubi nemo habet in poteſtate, quid ei veniat in mentem, ſed conſentire vel diſſentire propriæ voluntatis eſt. His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali, ut ei credat .... profectò & ipſum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia ejus prævenit nos: conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt.* Nihil profectò clarius à ſancto Doctore proferri potuit. *Ib. pag. 120. D.*

His verbis reponunt adverſarii: Nihil aliud ſignificare voluit Auguſtinus, quàm credere & non credere, conſentire & non conſentire, propria eſſe voluntatis officia, ſicut affirmare & negare ſunt officia mentis. *Reſponſio adverſariorum.*

Egregia verò reſponſio! Quaſi aliquis eſſet, qui hoc ignoraret aut revocaret in dubium. Quaſi in eo demonſtrando immorari debuiſſet Auguſtinus, de quo nulla erat inter ipſum & Pelagianos controverſia. Totus è contra diſputationis cardo in eo verſabatur, ut oſtenderet & neceſſitatem abſolutam gratiæ ad credendum, & homini liberum eſſe credere vel non credere, gratiæ conſentire vel diſſentire, hæc quippe duo conciliare ſimul Pelagiani non poterant. Quòd ſi S. Auguſtinus idcirco tantùm dixit, conſentire vocationi Dei vel ab ea diſſentire propriæ voluntatis eſſe, quia conſenſus & diſſenſus

ſunt actiones voluntatis; dicere pariter debuiſſet, quòd velle credere propriæ voluntatis eſt; nam volitio eſt voluntatis actio: atqui tamen iſtud conſequens negat ſanctus Doctor. Hæc quippe duo opponit, velle credere, & conſentire vocationi Dei: primum vult eſſe Dei, ſecundum, voluntatis humanæ divina gratia præventæ. *Profectò*, inquit, *velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia ejus prævenit nos: conſentire autem vocationi Dei vel ab ea diſſentire, propriæ voluntatis eſt*. Ergo S. Auguſtinus ideo ait conſenſum eſſe propriæ voluntatis, quia gratia præveniens eſt quidem voluntatis actus, ſed indeliberatus, adeòque minimè liber; ipſe verò conſenſus liber eſt, quia poſſumus gratiam illam prævenientem diſſentiendo fruſtrare ſuo effectu: & conſequenter rectè dicitur conſenſus propriè ad voluntatem pertinere.

T. 5. p. 767. E. Quartum teſtimonium ſuppeditat ſermo 159. aliàs 17. de verbis Apoſtoli: *Decertant*, inquit S. Auguſtinus, *in te duæ delectationes*. Sed quis inteſtinæ illius pugnæ in juſto peccante exitus? *Habet*, inquit Lib. 1. de peccat. mer. & Tom. 10. p. 39. D. rem. cap. 39. *concupiſcentiam, cum qua pugnet, eamque adjuvante Deo, ſuperet, ſi non in vacuum gratiam ejus ſuſceperit, ſi reprobatus eſſe noluerit*. Quotquot igitur (ſaltem juſti) concupiſcentiam non ſuperant, gratiam Dei, quæ ad eam frænandam conceſſa fuerat, in vacuum ac ſine fructu ſuſcipiunt. Nam cùm hæc gratia eorum animos pulſat ac velut cœleſti rore perfundit, *Cor eorum congelaſcit adverſùs Deum, & fit durum adverſùs imbrem gratiæ ipſius, ne fructum ferat*, ait idem ſanctus Doctor initio præfationis in Pſalm. 124. Quis non videat hic clariſſimè exprimi gratiæ interiori reſiſtentiam. (Tom. 24. p. 1411. A.)

T. 1. pag. 153. A. Idem ſanctus Doctor Lib. 8. Confeſſionum c. 8. ait: *Non faciebam, quod incomparabili affectu amplius mihi placebat*, ſcilicet per gratiam.

Quintum teſtimonium repetitur ex Lib. de natura & gratia cap. 67. ubi eos, qui peccatis excuſationem obtendunt, ſic refellit: *Rectè fortaſſe quererentur,* T. 10 p. 163. A. *ſi erroris & libidinis nullus hominum victor exiſteret: cùm verò (Deus) ubique ſit præſens, qui multis modis per creaturam ſibi Domino ſervientem averſum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem, diligenter adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem; non tibi deputatur ad culpam, quòd invitus ignoras, ſed quòd negligis quærere, quod ignoras; neque illud quòd vulnerata membra non colligis, ſed quòd volentem ſanare contemnis*.

Et Lib. de corrept. & Grat. cap. 7. *Si ab hac damnatione*, inquit, *non ſe liberabunt, qui poterunt dicere, non ſe audiviſſe Evangelium Chriſti, cùm fides ex auditu ſit: quantò minùs ſe liberabunt, qui dicturi ſunt: Perſeverantiam non accepimus? Juſtior enim videtur eſſe excuſatio dicentium: Non accepimus audientiam, quàm dicentium: Non accepimus perſeverantiam; quoniam dici poteſt: Homo, in eo quod audieras & tenueras, in eo perſeverares, ſi velles; nullo modo autem dici poteſt: Id quod non audieras, crederes, ſi velles*. Habes ex hoc duplici loco gratiam ſufficientem, cum qua, ſaltem mediatè, poteſt homo, ſi velit, bonum ſupernaturale operari, nec tamen facit. (Ib. pag. 756. D.)

Denique revocanda hìc ea ſancti Doctoris loca, in quibus declarat hominem, cùm rectè agere non poteſt, habere ſaltem gratiam orationis, per quam impetrare poſſit auxilium uberius ad benè agendum; adeòque ſemper ipſius S. 6. pag. 86. C. vitium ac culpam eſſe perſonalem liberamque, quòd non benè operetur. *Hoc reſtat*, inquit L. 1. ad Simplic. q. 1. *in iſta mortali vita libero arbitrio, non ut impleat*

pleat homo juſtitiam, cùm voluerit, ſed ut ſe ſupplici pietate convertat ad eum, cujus dono eam poſſit implere.

Lib. de corrept. & Grat. refellens Monachum quemdam Adrumetinum contendentem inutilem ac injuſtam eſſe correptionem, quia non eſt in poteſtate hominis habere gratiam, per quam impleri poſſit mandatum, cujus transgreſſio punitur, reſpondet S. Auguſtinus, utilem ſemper ac juſtam eſſe correptionem, quia homo & gratiam habuit, qua, ſi voluiſſet, mandatum obſervaſſet; & præterea correptus habet gratiam; unde ex correptione proficere poſſit. *Intelligant*, inquit cap. 2. *Spiritu Dei ſe agi, ut quod agendum eſt, agant .... T. 10 p. 752. A.*
& ad hoc eis oſtenditur, quid agere homines debeant, ut quando id agunt .... accepiſſe ſe gaudeant: quando autem non agunt .... orent, ut quod nondum habent, accipiant. Et c. 3. *præcipit* (Apoſtolus) *ut habeatur charitas: corripit, quia non habetur charitas: Orat, ut abundet charitas. O homo! in præceptione cognoſce, quid debeas ha-* Ibid. D.
bere; in correptione cognoſce tuo te vitio non habere; in oratione cognoſce, unde accipias, quod vis habere. Et cap. 5. *Quicumque Dei præcepta jam tibi nota non fa-* Ibid p. 753. A.
cis, & corripi non vis, etiam propterea corripiendus es, quia corripi non vis. Non vis enim tua tibi vitia demonſtrari: non vis, ut feriantur, fiatque tibi utilis dolor, quo medicum quæras: non vis tibi tu ipſe oſtendi, ut cùm deformem te vides, reformatorem deſideres, eique ſupplices, ne in illa remaneas fœditate.

Lib. 3. de lib. arbit. c. 9. *Nulli*, ait, *homini ablatum eſt ſcire, utiliter quærere,* T. 1 pag. 632. A.
quod inutiliter ignoratur, & humiliter confitendam eſſe imbecillitatem, ut quærenti & confitenti ille ſubveniat, qui nec errat, dum ſubvenit, nec laborat.

Auguſtino jungimus fideliſſimos ejus diſcipulos Proſperum, ſeu auctorem Libri de vocatione Gentilium, & Fulgentium.

Auctor Libri de vocatione Gentilium Lib. 2. c. 26. poſtquam dixit hominem p. 913. E.
habere de ſua mutabilitate, ſi deficit; de gratiæ opitulatione, ſi proficit; addit: *Hanc opitulationem per innumeros modos, ſive occultos, ſive manifeſtos, omnibus adhiberi; & quod à multis refutatur*, inquit, *ipſorum eſt nequitiæ: quod verò à multis ſuſcipitur, & gratiæ eſt divinæ, & voluntatis humanæ.*

S. Fulgentius Lib. de incarnatione & grat. c. 17. *Homo*, inquit, *tanti medicami-* pag. 305.
nis (pœnitentię) *beneficio caret, cujus gratiam contumax atque ingratus oppugnat.*

Hic non prætermittenda cenſura ſecundæ inter 5. famoſas Janſenii Propoſitiones, quæ talis eſt: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nuſquam reſiſtitur*; quam ut hæreticam ſuis Conſtitutionibus damnarunt SS. Pontifices Innocentius X. & Alexander VII. quibus tota conſenſit Eccleſia. Gratia porrò, cui reſiſtitur, non eſt efficax & victrix, ſed ſufficiens; datur ergo in præſenti ſtatu gratia verè ſufficiens, quæ non tantùm abſolutam & abſtractam à gradibus actualis concupiſcentiæ potentiam conferat ad eam ſuperandam, & ad præceptum ſeu mediatè ſeu immediatè obſervandum, ſed etiam relativam ad circumſtantias ſubjecti, & oppoſitam quamlibet actualem cupiditatem.

Vide ſuperiùs varia ſubterfugia, quibus Janſeniani aſſerunt gratiæ reſiſti, ac cenſuram ſecundæ hujùs Propoſitionis eludere conantur. Vide pariter, quæ circa eandem Propoſitionem diximus in ſyſtemate doctrinæ Janſenii.

Concluſionem vulgò confirmant Theologi, ex eo quòd impoſſibilia homini forent ad obſervandum Dei mandata, ſi nulla ipſi concederetur à Deo gratia ſufficiens, qua obſervare illa poſſit. Ita communiter ſentiunt vel ipſi Thomiſtæ.

Cumel in 1.2.q.109.art.8. *Deus*, inquit, *non denegat auxilium neceſſarium ac ſufficiens, quod requiritur ad implenda præcepta & cavenda peccata ..... aliàs ſi non præſtaret vires neque auxilia ſufficientia, nullo pacto poſſent ab hominibus impleri ejus præcepta; & ſic rediret Lutheri hæreſis, quòd Deus per ſuam legem obligaret hominem ad impoſſibile.*

Cabrera in 3. p. q. 18. art. 4. dubio 3. *Calvinus*, inquit, *negat auxilium ſufficiens ...... Pro reſolutione veritatis ſit 1. Concluſio: Divinum auxilium actuale convenienter dividitur in auxilium ſufficiens tantùm, quo ſcilicet poſſit operari homo; & in auxilium efficax, quo de facto operetur.* Ibidem dubio 5. *Homo recipit pro tempore, quo obligatur credere, aut convertere ſe ad Deum finem ſupernaturalem: recipit pro tunc auxilium intrinſecum & phyſicum ſufficiens .... & idem dicendum eſt de auxiliis neceſſariis ad vitanda peccata pro tempore, quo tenetur homo vitare.*

Bannes in 1. p. q. 23. art. 3. *Nemo*, inquit, *peccat propterea, quòd non facit, quod facere non poteſt. Homo, cui nihil aliud datum eſt, quàm quod ad naturam humanam pertinet, non habet, unde poſſit cognoſcere vel operari ſupra naturam; ergo non peccat non operando aliquid ſupernaturale .... Neceſſe eſt, ut de facto recipiat aliquam divinam inſpirationem illuminantis Dei, aut vocantis.*

Ledeſma in Tractatu de auxiliis q. unic. art. 15 & 16. *Non eſt peccatum*, inquit, *neque tribuitur culpæ illud, quod non eſt in hominis libera poteſtate, cùm auxilium ſufficiens tribuat virtutem & poteſtatem: at verò ſi Deus non conferret auxilium ſufficiens homini, non eſſet in ejus poteſtate, cùm auxilium ſufficiens tribuat virtutem & poteſtatem; ergo certiſſimum eſt, quòd Deus confert auxilium ſufficiens homini.*

Medina in 1. 2. qu. 109. art. 10. in quæſtione incidenti Concluſione 1. *Homo viator poteſt ad Deum converti; ex quo evidenter ſequitur, quòd in hac vita habet auxilium gratiæ neceſſarium & ſufficiens ad ſalutem conſequendam.*

Cabeſudo in 3. p. ad q. 86. in expoſitione articuli: *Omnis homo*, inquit, *dum eſt in via, poteſt ſimpliciter loquendo pænitentiam agere de peccatis; atque adeò omnibus dantur auxilia ſufficientia, ut poſſint pænitere.*

pag.606. Alvares L. 8. de auxiliis diſput. 71. n. 12. *Si non daretur*, inquit, *gratia verè ſufficiens, ſequeretur, quòd illi omnes, qui non convertuntur aut ſalvantur, reverà converti non poſſent aut ſalvari .... & ita non imputaretur eis ad culpam, quòd non converterentur, nec adimplerent divina mandata.* Et diſput. 76. n. 5.
pag.628. *Qui prædicto modo excitatur à Deo ad credendum, tempore quo currit præceptum fidei, peccat, ſi non credat: ergo talis excitatio erat ſufficiens ad credendum. Quia ſi ille non haberet ſufficiens auxilium ad credendum, non peccaret contra fidem, non credendo; ſed eſſet dumtaxat infidelis negativè: ergo hujuſmodi gratia excitans ad credendum, eſt gratia ſufficiens, qua reverà poteſt homo credere, ſi velit.*

Multi alii in rem eamdem laudari poſſent è Schola Thomiſtica Theologi; nec id diffitetur Arnaldus, ſaltem de recentioribus Thomiſtis, quos in Libro, cui titulus eſt: *Defenſe de la Conſtitution d' Innocent X.* pag. 288. Alvariſtas appellat, quòd nempè Alvares omnium primus opinionem hanc in Scholam divi Thomæ invexerit; non ſatis attendens, inquit, ad ea, quæ inde conſequuntur. Fatentur ibidem pag. 56. 98. 99. 102. & 184. Dominicanos à tempore Congregationum de Auxiliis, huic Alvaris ſententiæ conſtanter adhæſiſſe; unde profectò ſequitur eam pro doctrina totius Scholæ Thomiſticæ in Eccleſia receptæ, magis habendam eſſe, quàm quidquid nonnulli antea circa iſtud argumentum docuerant.

Quam-

Digitized by Google

Quamquam vel ipſe Arnaldus ex veteribus Thomiſtis non alios ferè appellat quàm Thomam Bradvvardinum, & Gregorium Ariminenſem, qui inter cæteros omnes Thomiſtas duriùs ac minùs caſtigatè locuti ſunt. Prioris Opera typis edita ſunt hæreticorum cura; ac multa ex illis Vviclefum excerpſiſſe certum eſt: de altero verò dicere ſolitus erat Lutherus: *Da Magiſtrum*, cùm ejus libros poſtulabat. Et verò ab erroribus Lutheri circa libertatem Bradvvardinum vindicare, res eſt plena laboris ac difficultatis. Tales Theologos Arnaldo non invidemus.

Solvuntur objectiones ex Scripturis.

Objicies 1. ea Scripturæ teſtimonia, quæ non aliam videntur adſtruere gratiam quàm efficacem ac victricem.

Iſaiæ 55. v. 11. *Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, ſed faciet, quæcumque volui, & proſperabitur in his, ad quæ miſi illud.*

Ezechielis 36. v. 27. *Spiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis, & operemini.* Porro gratia operationis eſt gratia efficax, cui nemo reſiſtit.

Joan. 6. v. 45. *Omnis, qui audivit à Patre*, ait Chriſtus, *& didicit, venit ad me.* Ergo nullus veræ ac internæ vocationi reſiſtit. Unde cap. 10. v. 27. Chriſtus de ſuis ovibus ait: *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea.*

Philipp. 1. v. 6. *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem Jeſu Chriſti.* Et cap. 2. v. 13. *Deus eſt, qui operatur in vobis velle & perficere, pro bona voluntate.*

Rom. 9. v. 19. *Voluntati ejus quis reſiſtit?* Pſalmo 113. v. 3. *Deus noſter in Cœlo omnia quæcumque voluit, fecit.* Ergo gratiæ, quam Deus concedit, nemo reſiſtit, adeòque ſemper eſt efficax; ac conſequenter nulla datur gratia purè ſufficiens.

℞. His teſtimoniis adſtrui quidem gratiam efficacem, cui nulla reluctatur voluntas; at ſufficientem excludi, qua tandem machina efficient Janſeniani?

Iſaias intelligendus eſt de illa gratia & voluntate Dei omninò efficaci: niſi Janſeniani voluerint inde excludi debiliores illas gratias, quas illi tamen cum Magiſtro ſuo admittunt, quæ certè gratiæ non operantur, quæcumque Deus voluit. Intelligi etiam poteſt Iſaias de Chriſto, qui miſſus à Patre in mundum, in Cœlum reverſus non eſt, niſi poſtquam fecit, quæcumque voluit Pater, & proſperatus eſt in his, ad quæ miſſus fuerat.

Ezechiel manifeſtè loquitur de illa gratia, quæ cor novum in nobis creat, quæ facit, ut mandata obſervemus, &c. hanc verò efficacem eſſe concedimus, verùm aliam excludi negamus.

Chriſtus Joan 6. & 10. loquitur de illis, qui audientes diſcunt, ſeu vocem ejus ſequuntur, & obediunt verbo Dei per efficax fidei donum à Deo liberaliter conceſſum. *Aures audiendi*, ait S. Auguſtinus Lib. de dono perſeverantiæ cap. 14. *ipſum eſt donum obediendi, ut qui id haberent, venirent ad eum, ad quem nemo venit, niſi fuerit ei datum à Patre ipſius.* T. 10 p. 841. G.

Apo-

Apoſtolus citatis locis gratiam efficacem deſignat quidem, ſed non per excluſionem gratiæ, cui reſiſtatur. Hæc enim intelligenda ſunt ad ſenſum Concilii Tridentini dicentis ſeſſ. 6. cap. 13. *Niſi ipſi gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet operans velle & perficere.*

T. 14. Conc. p. 752. B.

Denique Dei voluntati abſolutæ ac conſequenti, ut loquuntur Theologi, nemo quidem reſiſtit, ſed reſiſtitur ejus voluntati antecedenti & conditionatæ, qua voluntate vult Deus omnes homines ſalvos fieri, nec tamen omnes ſalvi fiunt; quia non omnes ex parte ſui eas adimplent conditiones, quibus vult Deus omnes ſalvos fieri. Et verò vel in ipſa Janſenii doctrina fateri neceſſe eſt Dei voluntati reſiſti. Namque gratia parva, quam ille admittit, tum natura ſua, tum voluntate Dei antecedente tendit & ordinatur ad opus plenum & perfectum, quod tamen in concurſu ſuperioris cupiditatis nuſquam aſſequitur; ergo Dei voluntati antecedenti reſiſtitur. An non reſtitere Angeli mali? An non reſtitit Adamus? An idcircò minùs potens dicenda Dei voluntas? Quid abſurdius? Quamquam qui Dei voluntati reſiſtunt, non eam vincunt, ſed ſe ipſos magno bono defraudant; voluntas enim Dei aliquo modo ſemper impletur. *De his enim, qui faciunt, quæ non vult, facit ipſe, quod vult.* Ait S. Auguſtinus Lib. de corrept. & gratia cap. 14. Et S. Thomas 1. p. q. 19. art. 6. *Cùm Dei voluntas*, inquit, *ſit univerſalis cauſa rerum omnium, impoſſibile eſt, quòd divina voluntas ſuum effectum non conſequatur. Unde quod recedere videtur à divina voluntate ſecundùm unum ordinem, relabitur in ipſam ſecundùm alium. Sicut peccator, qui quantùm eſt in ſe, recedit à divina voluntate peccando, incidit in ordinem divinæ voluntatis, dum per ejus juſtitiam punitur.*

T. 10. p. 774. C.

Objicies 2. Ex Apoſtolo Rom. 9. v. 15. *Miſerebor, cujus miſereor: & miſericordiam præſtabo, cujus miſerebor. Igitur non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Porrò ſi daretur gratia ſufficiens, cui homo conſentiens uberiorem ac efficacem impetraret, volentis eſſet atque currentis; ergo, &c.

Pag. 111. col. 2. n. 16.

Reſpondet Eſtius Commentario in hunc locum: *Apoſtolum diſputare de electione divina, quam citato Scripturæ teſtimonio rejicit in ſolam Dei miſerentis voluntatem. Unde concludit: Igitur neque volentis, neque currentis, &c. Quare non de cauſa boni operis*, inquit, *intelligenda eſt hæc concluſio, ſed de ipſa electione hominum ad ſalutem, ut ſenſus ſit: Quòd quis ſit electus à Deo, non eſt ex merito bonæ voluntatis, neque ex merito boni operis ſeu converſationis præcedentis aut prævisæ, ſed ex ſolo ac libero beneplacito Dei miſerentis.* Hac admiſſa Eſtii interpretatione, textus Apoſtoli citatus non eſt ad propoſitum noſtrum.

℞. 2. Diſtinguo maj. Non eſt volentis neque currentis per ſolas naturæ vires, concedo: per gratiam liberaliter & gratis à Deo conceſſam, iterum diſtinguo: non eſt volentis primariò, quaſi præcipuæ boni operis partes homini adſcribendæ ſint, non Deo miſerenti, concedo: non eſt volentis ſecundariò, quaſi homo gratiæ Dei nihil cooperetur, nego. Diſtinguo min. Si daretur gratia ſufficiens, cui homo conſentiens uberiorem impetraret, volentis eſſet, per gratiam prævenientem, ſine qua non poteſt velle, concedo: abſque gratia præveniente, nego. Igitur ſenſus Apoſtoli eſt: bonum opus magis à Deo eſſe per gratiam, quàm à voluntate per conatum ac conſenſum; quia ſine gratia voluntas nec conari poteſt nec conſentire.

Obie-

Objectiones ex S. Auguſtino.

Objicies 1. ea ſancti Doctoris teſtimonia, quibus gratiam efficacem exigit, ut homo poſſit & velle & operari bonum.

Libro de gratia & libero arbitrio cap. 16. n. 32. *Certum eſt*, inquit, *nos vel-* T. 10. p.
le, cùm volumus: ſed ille facit, ut velimus bonum ..... Certum eſt nos facere, cùm 734. G.
facimus: ſed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati. Et Ibid. p.
cap. 17. *Ipſe ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens .....* 735. A. Ibid. E.
Ut ergo velimus, ſine nobis operatur; cùm autem volumus, & ſic volumus, ut
faciamus, nobiſcum cooperatur: tamen ſine illo vel operante ut velimus, vel coo-
perante cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.

Libro de prædeſt. SS. c. 8. n. 13. expendens iſta Chriſti verba: Omnis qui
audivit à Patre & didicit, venit ad me. *Quid eſt*, inquit, *niſi nullus eſt, qui* Ibid. p.
audiat à Patre & diſcat, & non veniat ad me? Si enim omnis, qui audivit à Pa- 799. D.
tre & didicit, venit: profectò omnis qui non venit, non audivit à Patre, nec di-
dicit: nam ſi audiſſet & didiciſſet, veniret. Neque enim ullus audivit & didicit,
& non venit ..... Paulò poſt ait: *Eum, qui venit, venire per gratiam, quæ oc-* Ibid. F.
cultè humanis cordibus divina largitate tribuitur, & à nullo duro corde reſpuitur.
Ideò quippe tribuitur, ut cordis duritia primitùs auferatur.

Accedit & S. Proſper fideliſſimus Auguſtini diſcipulus Carmine de ingra-
tis, ubi ſic canit cap. 16. n. 383. Pag. 145.

At verò omnipotens hominem cum gratia ſalvat,
Ipſa ſuum conſummat opus; cui tempus agendi
Semper adeſt, quæ geſta velit: non moribus illi
Fit mora, non cauſis anceps ſuſpenditur ullis.

℞. Ea teſtimonia intelligenda eſſe vel de neceſſitate gratiæ voluntatis in
genere, quo ſenſu dicit citato cap. 17. Lib. de gratia & libero arbitrio: *Sine* T. 10. p.
Deo operante ut velimus, & cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil 735. F.
valemus. Vel de energia & virtute gratiæ efficacis: quo ſenſu intelligenda
ſunt laudata & alia hujus generis benè multa S. Auguſtini teſtimonia, quibus
cùm gratiam efficacem adſtruit, ſufficientem procul dubio, de qua hic jam
diſputamus, non excludit, ſicut demonſtrant, quæ laudata ſunt ejuſdem
ſancti Doctoris teſtimonia.

Cùm itaque ait, eum qui non venit, non audiviſſe à Patre nec didiciſſe;
ſenſus eſt, eum non audiviſſe nec didiciſſe efficaciter, tametſi per gratiam
ſufficientem audire & diſcere, ac conſequenter venire potuerit, ſicut Eſau, T. 6. p.
de quo ſanctus Doctor q. 2. Libri 1. ad Simplic. ait: *Noluit Eſau, & non cu-* 94. B.
currit: ſed & ſi voluiſſet & cucurriſſet, Dei adjutorio perveniſſet ...... niſi vocatione
contempta reprobus fieret.

Eadem eſt ad S. Proſperum reſponſio. Hæc itaque & alia hujuſce generis
Auguſtini teſtimonia incaſſum & inconſultò prorſus nobis opponunt Janſe-
niani: namque vel ea intelligunt de aliqua dumtaxat gratia, ſcilicet efficaci,
vel de omni & qualibet gratia. Si primum; fruſtra ea nobis opponunt, cùm
fateamur eſſe aliquam gratiam efficacem, quæ invictiſſimè voluntatem ad T. 3. p.
bonum ſupernaturale inclinat: ſi poſtremum; ut quid Janſenius ipſe Lib. 2. 86. col. 2.
de Gratia Chriſti cap. 27. fatetur multos eſſe, *qui ab interna gratiæ ſuaſione &* E.
in-

inclinatione diſſentiunt? Ut quid toties parvæ cujuſdam & infirmioris gratiæ mentionem facit? Hæc quippe vel eadem eſt cum illa, quam citatis locis deſcribit Auguſtinus, vel diverſa ..... Eandem non eſſe, ſaltem quoad effectum, per ſe manifeſtum eſt, nec Janſeniani negare poſſunt. Ergo eſt diverſa: ergo non de omni & qualibet, ſed de aliqua dumtaxat gratia, nimirùm efficaci, loquitur Auguſtinus in iis locis, quæ nobis hìc opponuntur.

Dixi eandem non eſſe ſaltem quoad effectum: quantùm enim ad ſubſtantiam & entitatem, in ſyſtemate Janſenii eadem prorſus eſt gratia, cujus virtus cùm tota relativa ſit, pro majori vel minori oppoſitæ cupiditatis reſiſtentia victrix eſt, vel non victrix; unde in eo ſyſtemate planè per accidens eſt & ab extrinſeco, quòd actu & reipſa gratiæ reſiſtatur vel non reſiſtatur. Quamvis enim gratia ex ſeipſa & abſolutè conſiderata, atque ex voluntate Dei antecedente contineat omne operis boni faciendi principium ſeu virtutem activam, hanc tamen actu non exerit, nec opus illud facit, aut non facit, niſi prout ipſi permittit major vel minor actualis oppoſita cupiditas. Unde planè iſtud conſequens eſt, vim gratiæ, quantùm ad uſum & exercitium, pendere à majori vel minori concupiſcentiæ reſiſtentia. Quòd ſi juxta Janſenium, poteſt cupiditas fortior impedire perfectum gratiæ effectum, ad quem natura ſua illa tendit & ordinatur; quidni, juxta Catholicos, poterit libera hominis voluntas eam omni effectu deliberato privare? An majus in gratiam dedecus redundat ex voluntate, quòd omni, quàm ex cupiditate, quòd ſuo privetur effectu pleno ac perfecto? Eſtne magis ipſi honorificum vinci à cupiditate, quàm à voluntate?

At, inquies, juxta Janſenium gratia quælibet ſemper eſt efficax alicujus effectus ſaltem imperfecti, non ita juxta nos: meritò igitur opponuntur nobis, quæ citata ſunt Auguſtini teſtimonia.

Reſp. I. Ergo ex his teſtimoniis inferri dumtaxat poteſt, gratiam ſcilicet aliquem imperfectum dumtaxat effectum ex voluntate elicere, non plenum ac perfectum: attamen vel ipſe contextus repugnat, qui perfectum videtur deſignare.

II. Unde habent adverſarii, de imperfecto Gratiæ effectu agere Auguſtinum citatis in locis? Gratis profectò id confingunt, qui quacumque tandem ratione Magiſtri ſui doctrinam tueantur, quam tueri aliter non poſſunt, quàm abſurda & vana confingendo.

III. Gratiæ illæ parvæ, quæ debiliores dumtaxat excitant ad pietatem affectus, ex ſeipſis ac voluntate Dei antecedente ad perfectiores tendunt & ordinantur, quos reipſa efficerent, ſi minor eſſet oppoſitæ cupiditatis reſiſtentia: porrò, ut jam dictum eſt, majus non eſt incommodum, quòd gratia perfectiori effectu privetur ex cupiditate, quàm omni, ex libera voluntate.

IV. Non facilè concipitur, nec benè conciliatur in ſyſtemate Janſenii, quomodo gratia illa parva nunquam omni ſuo etiam imperfecto effectu privetur, quando ſcilicet ardentiſſima oppugnatur actuali concupiſcentia. Cùm enim gratiæ virtus ſit relativa, atque eò magis decreſcat & imminuatur, quò accenditur & augetur oppoſita cupiditas, cum qua concurrit; non ſatis intelligitur, cur eò intentionis ac vehementiæ cupiditas venire non poſſit, ut omnem penitùs gratiæ deliberatum effectum extinguat ac præfocet. Quemadmodum enim (quod exemplum hìc obvium ac familiare eſt) ſi duo fuerint

in

Digitized by Google

in bilance pondera non multùm inæqualia, quorum nempe unum alio tantillum gravis ſit, trutina incerto ac dubio motu hinc & inde aliquamdiu inclinatur: ſi verò unum pondus alteri plurimum prægravet, ſtatim fixa & immota remanet trutina in ea bilancis parte, in qua majus aggravat pondus. Ita certè de gratia ſentiendum in ſyſtemate Janſenii. Si cupiditas non multò fortior gratia & ſuperior fuerit, poterit quidem utcumque gratia reſpirare, ac tenues quoſdam ad pietatem motus expromere; at ſi in ardentiſſimæ cupiditatis voraginem inciderit, penitus eam abſorberi neceſſe eſt.

Inſtabis 1. Citato cap. 8. Lib. de prædeſt. SS. S. Auguſtinus ait: *Eos, qui non credunt, foris tantùm audire, non intus.* Et Lib. de gratia Chriſti cap. 13. *Qui novit*, inquit, *quod fieri debeat, & non facit, nondum à Deo didicit ſecundum gratiam, ſed ſecundùm legem; non ſecundùm ſpiritum, ſed ſecundùm litteram.* Ergo in mente ſancti Doctoris, abſente gratia efficaci, quæ dat credere, ſola ſupereſt legis littera, non alia gratia interior. Quapropter cap. 14. ejuſdem Libri de Gratia Chriſti ſic pergit S. Auguſtinus: *Quando Deus docet, non per legis litteram, ſed per Spiritus gratiam; ita docet, ut quod quiſque didicerit, non tantùm cognoſcendo videat, ſed etiam volendo appetat, agendoque perficiat.* T. 10. p. 801. B. Ibid. p. 236. F. Ibid. p. 237. D.

℞. Mentem ſancti Doctoris eſſe, præter gratiam legis ac doctrinæ, qua mens illuſtratur, adhuc neceſſariam eſſe gratiam voluntatis & actionis, qua id fiat, quod faciendum eſſe cognoſcitur; quam voluntatis gratiam negabant Pelagiani, quos citatis in locis impugnat S. Auguſtinus, qua quidem rejecta, homo foris tantùm audit, non intus: quia ſcilicet gratia cognitionis, quam iidem hæretici admittebant, judice Auguſtino revocatur ad meram externam gratiam legis & doctrinæ; qui autem foris dumtaxat audit, intus non excitante nec movente Spiritu, ille credere non poteſt. Iſta porrò Dei motio & excitatio, aliquando efficax eſt, aliquando verò inefficax: de priori hìc loquitur S. Auguſtinus, alia non rejecta nec excluſa. Facilis inde eſt ad citata teſtimonia reſponſio.

Ad 1. ex cap. 8. Lib. de prædeſt. SS. *Qui non credunt, foris tantùm audiunt*, diſtinguo: in hypotheſi ſeu doctrina Pelagianorum, qui gratiam voluntatis & operationis rejiciebant, concedo: in mente S. Auguſtini ſubdiſtinguo: foris tantùm audiunt, quantùm ad effectum, quia non magis credunt, quàm ſi foris dumtaxat audirent, concedo: quantùm ad ſufficientiam gratiæ, quaſi nulla penitus gratia interiori ad credendum juvarentur, nego.

Ad 2. ex cap. 13. Lib. de Gratia Chriſti, pariter diſtinguo: *Qui novit, quod fieri debeat, & non facit, nondum à Deo didicit ſecundùm gratiam*, ſuppoſita Pelagianorum ſententia, concedo: in mente S. Auguſtini, ſubdiſtinguo: nondum à Deo didicit, ſecundùm gratiam efficacem, concedo: ſecundùm nullam omninò gratiam, nego. Habuit enim ille gratiam, per quam & cognovit, quid eſſet faciendum, & vires accepit ſaltem mediatè ſufficientes ad id faciendum, quod tamen non fecit, quia liberè noluit.

Adde, quòd hæc & alia hujuſmodi teſtimonia nimis probarent: ſiquidem efficerent etiam nullas dari gratias parvas ſeu debiles internas, quas tamen Janſenius admittit.

Inſtabis 2. L. 1. ad Simplicianum q. 2. ſic loquitur S. Auguſtinus: *Manifeſtum eſt fruſtra nos velle, niſi Deus miſereatur. Illud autem neſcio, quomodo dicatur fruſtra Deum miſereri, niſi nos velimus. Si enim Deus miſereatur, ergo jam* T. 6 p. 94. F.

volu-

volumus: ad eandem quippe miſericordiam pertinet, ut velimus. Deus enim operatur in nobis velle & operari. Audis, ſi Deus miſereatur, nos velle, id eſt, effectum cum gratia ſemper conjunctum.

℞. Eò loci ſanctum Doctorem impugnare ſententiam, quæ fuit poſteà Semipelagianorum, & quorumdam Pelagianorum, Deum nempe velle fruſtra juvare hominem à miſeriis ipſius, niſi homo præmitteret affectum bonum volendi: unde prima boni voluntas, non à Deo ſeu gratia præveniente, ſed ab homine homini ineſſet, quem errorem S. Proſper Carmine de ingratis cap. 13. exponit, dicens n. 321.

Pag. 141. *Quem fruſtra juviſſe velit, niſi præferat ille*
Affectum, cujus comitetur gratia curſum.

Et ipſe S. Auguſtinus L. 4. contra Julian. c. 8. n. 41. eundem errorem deno-
T. 10. p. 605. D. tat his verbis: *Vos, ut video, ponere jam cœpiſtis merita gratiam præcedentia, quod eſt petere, quærere, pulſare; ut his meritis debita illa reddatur, ac ſic gratia inaniter nuncupetur.... Docentibus vobis, ideo non omnes ſalvos fieri, & in agnitio-*
Ibid. E. *nem veritatis venire, quia ipſi nolunt petere, cùm Deus velit dare; nolunt quærere, cùm Deus velit oſtendere; nolunt pulſare, cùm Deus velit aperire.* In qua quidem erronea ſententia, omnipotentia voluntatis divinę in diſtributione gratiarum pendebat à præviis diſpoſitionibus humanis. Contra verò Auguſtinus contendit, loco qui nobis opponitur, voluntatem ſeu velle noſtrum
T. 6. p. 91. F. non præcedere ſeu prævenire Dei miſericordiam, imò ipſam ſequi. *Neſcio,* inquit, *quomodo dicatur fruſtra Deum miſereri, niſi nos velimus. Si enim Deus miſeretur, ergo jam volumus.* Quaſi diceret, cùm Deum miſereri, ſit gratiam indigno conferre; ſi miſereatur, ergo jam non volumus niſi præventi. Adde quòd volitio illa, de qua ibi loquitur S. Auguſtinus, poteſt etiam appoſitè ad ejus intentum intelligi de volitione indeliberata præveniente. Quòd ſi tamen ea volitio dicatur deliberata, reſponderi poteſt, Auguſtinum agere de miſericordia efficaci, non excludendo gratiam ſufficientem, quam Deus concedit etiam cùm non ita efficaciter miſeretur.

Inſtabis 3. Hanc dumtaxat gratiam agnovit S. Auguſtinus, quam ex Eccleſiæ fide adversùs ipſius hoſtes Pelagianos tam ſtrenuè propugnavit: atqui non aliam propugnavit quàm efficacem, quæ à Pelagianis negabatur.

Minor probatur ex ipſo S. Auguſtino Libro de Gratia Chriſti, cap. 10. nu. 11. ubi præter gratiam, quam Pelagius admittebat, aliam ab ipſo exigit his verbis: *Nos eam gratiam volumus, iſte aliquando fateatur, qua futuræ gloriæ ma-*
T. 10. p. 235. D. *gnitudo non ſolùm promittitur, verùm etiam creditur & ſperatur; nec ſolùm revelatur ſapientia, verùm & amatur; nec ſolùm ſuadetur omne, quod bonum eſt, verùm etiam perſuadetur.... Hanc debet Pelagius gratiam confiteri, ſi vult non ſolùm*
Ibid. F. *vocari, verùm etiam eſſe Chriſtianus.* Et cap. 47. *Confiteatur gratiam, qua voluntas & actio divinitus adjuvatur, ut ſine illo adjutorio nihil benè velimus & aga-*
Ibid. p. 251. *mus, eamque eſſe gratiam Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.*

℞. Diſtinguo min. Si nomine gratiæ efficacis intelligas gratiam voluntatis & actionis, concedo: ſi intelligas gratiam, quæ ex ſeſe certò ac infallibiliter ſemper victrix ſit & efficax, nego. Vel ex ipſis citatis hic Auguſtini verbis manifeſtum eſt, inter ipſum ac Pelagium de ſola gratia voluntatis & actionis controverſiam fuiſſe, quam Pelagius negabat eſſe neceſſariam, ratus gratiam legis ac doctrinæ ſufficere ad opus bonum.

Econ-

Econtra verò S. Auguſtinus ex Eccleſiæ fide contendebat neceſſariam prorſus eſſe gratiam ſanctæ inſpirationis ac excitationis, per quam voluntas ad benè agendum excitaretur ac juvaretur. Libro de Gratia Chriſti cap. 4. poſtquam retulit Pelagium tria diſtinxiſſe, nempe poſſibilitatem, voluntatem & actionem, addit cap. 5. *Scire debemus, quòd nec voluntatem noſtram, nec actionem divino adjuvari credit auxilio, ſed ſolam poſſibilitatem voluntatis atque operis .... Et ideo non adjuvet, ut velimus, non adjuvet, ut agamus, ſed tantummodo adjuvet, ut velle & agere valeamus.* Ergo hoc unum Auguſtinus contra Pelagium contendebat, in quo verſabatur cardo diſputationis, neceſſariam ſcilicet eſſe gratiam voluntatis & operis. Qualis verò ſit agendi modus illius gratiæ, an per motionem à ſe efficacem, phyſicam, vel moralem, vel congruam, Auguſtinus ex Eccleſiæ fide non decernit, quia nec ipſa Eccleſia quidquam ea de re credendum ſtatuit, ſed variis permiſit Scholæ opinionibus diſputandum. *Ibid. p. 232. E.* *Ibid. F.*

Inſtabis 4. Gratia ſufficiens eſt gratia poſſibilitatis, id eſt, quæ dat poſſe agere: atqui Pelagius hanc ipſam admittebat gratiam poſſibilitatis; ergo admittebat gratiam ſufficientem; ergo Auguſtinus illum impugnans, cenſet eam gratiam planè rejiciendam, atque unam efficacem admittendam eſſe.

℞. Diſtinguo min. Pelagius admittebat gratiam poſſibilitatis indiſtinctam à natura, libero arbitrio, lege ac doctrina, concedo: diſtinctam, nego. Errant profectò, ac calumniæ rei ſunt, qui gratiam ſufficientem Catholicorum confundunt cum gratia poſſibilitatis Pelagianorum. Prior eſt Dei donum naturæ ſuperadditum: poſterior, ipſa eſt natura liberi arbitrii, vel lex ac doctrina. Audiatur ipſemet Pelagius ſic loquens apud Auguſtinum L. de gratia Chriſti c. 4. n. 5. *Nos, inquit, tria diſtinguimus, & certum velut in ordinem digeſta partimur. Primo loco poſſe ſtatuimus, ſecundo velle, tertio eſſe. Poſſe in natura, velle in arbitrio, eſſe in effectu locamus. Primum illud, id eſt poſſe, ad Deum propriè pertinet, qui illud creaturæ ſuæ contulit: duo verò reliqua, hoc eſt, velle & eſſe, ad hominem referenda ſunt.* Ita perfidus ille ac verſipellis hæreticus per poſſibilitatem, ſolam naturam, quæ à Deo eſt, intelligebat; per gratiam verò, quæ poſſibilitatem illam adjuvat, legem, doctrinam, exempla Chriſti, & alia hujus generis externa adjumenta. Porrò S. Auguſtinus à Pelagio volebat obtinere, internam Chriſti gratiam voluntatis prorſus requiri, ut poſſibilitas illa adjuvetur ad bonum volendum & faciendum, quoties homo bonum illud vult & facit. *Si ergo*, inquit ſanctus Doctor Lib. de Gratia Chriſti cap. 47. *conſenſerit nobis* (Pelagius) *non ſolum poſſibilitatem in homine, etiamſi nec velit, nec agat benè, ſed ipſam quoque voluntatem & actionem, &c. divinitus adjuvari, ut ſine illo adjutorio nihil benè velimus & agamus, eamque eſſe gratiam Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, in qua nos ſua, non noſtra juſtitia juſtos facit, ut ea ſit noſtra vera juſtitia. quæ nobis ab illo eſt, nihil de adjutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, controverſiæ relinquetur.* *Ibid. p. 231. G.* *Ibid. p. 251. B. C.*

Inſtabis 5. Semipelagiani admiſerunt gratiam ſufficientem, cui voluntas conſentire poteſt vel diſſentire: atqui Semipelagiani fuerunt hæretici; ergo, &c.

℞. Diſtinguo maj. Semipelagiani admiſerunt gratiam ſufficientem ſubſequentem naturalia quædam ſalutis deſideria & initium fidei ex ſolis liberi arbitrii viribus, concedo: prævia m ſeu prævenientem illa ſalutis deſideria & ini-

Digitized by Google

initium fidei, nego. Porrò gratia ſufficiens, pro qua certant Orthodoxi, non ſequitur, ſed prævenit voluntatem.

Diſtinguo etiam minorem. Semipelagiani fuerunt hæretici in eo, quòd gratiam negarent neceſſariam ad fidei initium & prima ſalutis deſideria, concedo: in eo quòd dicerent voluntatem poſſe conſentire vel diſſentire gratiæ, nego. In hoc enim maximè Catholici erant, ut fusè ſuo loco demonſtravimus.

Objicies 2. Ex eodem S. Auguſtino amplum diſcrimen ſtatui debet inter gratiam utriuſque ſtatus: naturæ ſcilicet innocentis ac lapſæ: atqui in eo dumtaxat verſatur diſcrimen illud, quòd gratia ſanitatis ſeu naturæ ſanæ & integræ ſufficiens dumtaxat fuerit, libero voluntatis arbitrio quantùm ad uſum vel non uſum relicta; gratia verò medicinalis ſeu naturæ lapſæ ſit efficax, quæ voluntatem invincibiliter & indeclinabiliter ad benè agendum determinat.

Probatur utraque Propoſitio major & minor, verbis S. Auguſtini Lib. de
Ibid. p. 766. B. corrept. & grat. c. 11. n. 29. *Quid ergo*, inquit, *Adam non habuit Dei gratiam? Imò habuit magnam, ſed diſparem ..... Iſtam gratiam non habuit homo primus, qua*
Ibid. p. 767. C. *nunquam vellet eſſe malus, ſed ſanè habuit, in qua ſi permanere vellet, nunquam*
Ibid. D. *malus eſſet, & ſine qua etiam cum libero arbitrio bonus eſſe non poſſet, ſed eam tamen per liberum arbitrium deſerere poſſet ..... Hæc prima eſt gratia, quæ data eſt primo Adam: ſed hæc potentior eſt in ſecundo Adam. Prima eſt enim, qua fit, ut habeat homo juſtitiam, ſi velit: ſecunda ergo plus poteſt, qua etiam fit, ut velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiſcentem voluntate ſpiritus vincat.*

Ibid. p. 769. A. Et cap. 12. *Ipſa adjutoria*, inquit, *diſtinguenda ſunt. Aliud eſt adjutorium, ſine quo aliquid non fit, & aliud eſt adjutorium, quo aliquid fit. Nam ſine alimentis non poſſumus vivere, nec tamen cùm adfuerint alimenta, eis fit, ut vivat, qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimentorum eſt, ſine quo non fit, non quo fit, ut vivamus. At verò beatitudo, quam non habet homo, cùm data fuerit, continuò fit beatus. Adjutorium eſt enim non ſolum, ſine quo non fit, verùm etiam quo fit propter quod datur. Quapropter hoc adjutorium & quo fit eſt, & ſine quo non fit ..... Primo itaque homini .... datum eſt adjutorium perſeverantiæ, non quo fieret, ut perſeveraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet. Nunc verò Sanctis in regnum Dei per gratiam prædeſtinatis, non tale adjutorium perſeveran-*
Ibid. p. 730. F. *tiæ datur, ſed tale ut eis perſeverantia ipſa donetur ..... Ut ergo non acciperet hoc donum Dei, id eſt, in bono perſeverantiam primus homo, ſed perſeverare vel non perſeverare in ejus relinqueretur arbitrio, tales vires habebat ejus voluntas, quæ ſi-*
Ibid. p. 771. A. *ne ullo fuerat inſtituta peccato, & nihil ex ſeipſo concupiſcentialiter reſiſtebat ... nunc verò poſteaquam eſt illa magna peccati merito amiſſa libertas, etiam majoribus donis adjuvanda remanſit infirmitas .... Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis huma-*
Ibid. F. *næ, ut divina gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur.*

℞. Nego min. Diſcrimen quippe utriuſque ſtatus in eo reponit S. Auguſtinus, quòd natura innocens ſola opus habuit gratia ſufficiente; natura verò lapſa indigeat præter ſufficientem, etiam efficaci.

Fatemur itaque cum S. Auguſtino, amplum diſcrimen eſſe inter gratiam naturæ innocentis ac corruptæ, tum quoad gratiam efficacem, tum etiam quoad gratiam ipſam ſufficientem.

I. Quantùm ad gratiam efficacem ſeu victricem, quæ naturæ noſtræ lapſæ

ac

ac infirmæ jam neceſſaria eſt pro arduis ac difficilibus pietatis actionibus, qua quidem homo innocens in tanta, ut loquitur Auguſtinus, non peccandi facilitate, non indigebat.

II. Quantùm ad gratiam ipſam ſufficientem, quia in ſtatu naturæ innocentis, hæc ſolam includebat mentis illuſtrationem, non verò præviam, ut modò, voluntatis excitationem & motionem. Unde ab Auguſtino nunquam appellatur delectatio, voluptas, ſuavitas præveniens, aut motio excitans; ſed Libro de Natura & Gratia cap.48.n.56.illam comparat lumini. *Si*, inquit, *de integra & ſana hominis natura loqueretur*, (Pelagius) *quam modò non habemus ... nec ſic rectè diceret, quòd non peccare noſtrum tantummodò ſit, quamvis peccare noſtrum eſſet: nam & tunc eſſet adjutorium Dei, & tanquam lumen ſanis oculis, quo adjuti videant, ſe præberet volentibus*. Et cap. 51. Pelagio contendenti poſſibilitatem non peccandi inſitam eſſe naturæ, ſanctus Doctor reponit: *Si iſte de illa hominis natura loqueretur, quæ primò inculpata condita eſt, utcunque acceptaretur hoc dictum*. Porrò in illa non peccandi poſſibilitate agnoſcebat Pelagius, ut aliàs probatum eſt, gratiam illuſtrationis mentis: ergo cùm aſſerat S. Auguſtinus, Pelagii ſententiam utcunque veram eſſe, ſi ſermo foret de natura integra & innocente; procul dubio exiſtimat gratiam naturæ innocentis in una mentis illuſtratione poſitam fuiſſe, non autem in prævia excitatione ac motione voluntatis: quia cùm ſana & integra eſſet viribus, tali non indigebat excitatione, quæ jam torpenti ac languidæ naturæ noſtræ omninò neceſſaria eſt.

Ibid. p. 150. F. G.

Ibid. p. 152.C.

Inſtabis I. Gratia ſufficiens quantùm ad uſum vel non uſum, libero permittitur voluntatis arbitrio: atqui in eo, juxta S. Auguſtinum, ſtat maximè diſcrimen gratiæ utriuſque ſtatus, quòd in præſenti ſtatu, quemadmodum in priori, gratia non jam permittitur libero voluntatis arbitrio, quantùm ad uſum vel non uſum, ſed indeclinabiliter & inſuperabiliter voluntatem ad benè agendum jam applicat ac determinat; ergo nulla datur in præſenti ſtatu gratia ſufficiens.

℞. Nego min. In utroque enim naturæ tum lapſæ, tum innocentis ſtatu, ſemper in poteſtate liberi arbitrii poſitum fuit gratiæ conſentire, vel non conſentire. Inde eſt, quòd una ferè ſepoſita gratiæ alicujus uberioris ac potentioris pro ſtatu præſenti neceſſitate, S. Auguſtinus L. de corrept. & grat. eadem planè affirmet de Adamo lapſo, quæ dixerat de innocente, circa libertatem illam bonum operandi & in eo perſeverandi. Vide articulo ſuperiori verba, quæ ex S. Doctore laudavimus.

Inſtabis 2. Ex eodem S. Auguſtino citato c. 12. Lib. de correptione & gratia, adjutorium *quo*, eſt gratia efficax; adjutorium verò *ſine quo non*, eſt gratia ſufficiens; atqui gratia efficax ſeu adjutorium *quo*, ad præſentem duntaxat ſtatum pertinet, ſicut gratia ſufficiens ſeu adjutorium *ſine quo non*, ad ſolum pertinuit ſtatum innocentis naturæ; ergo nulla jam datur gratia ſufficiens ſeu adjutorium *ſine quo non*; & quælibet gratia jam eſt efficax ſeu adjutorium *quo*.

℞. 1. Nego maj. Adjutorium enim illud *quo*, in mente S. Auguſtini non eſt gratia efficax, ſeu cauſa efficiens perſeverantiæ, aut cujuſcumque actus boni; ſed eſt cauſa formalis perſeverantiæ, ſeu ipſamet perſeverantia. Id manifeſtè probat exemplum beatitudinis, quo utitur Auguſtinus, ut exponat, quid appellet adjutorium *quo*. *Beatitudo*, inquit, *quam non habet homo, cùm data* *Ibid. p. 769.A.*

fuerit, continuò fit beatus. Adjutorium eſt enim non ſolùm, ſine quo non fit, verùm etiam quo fit, propter quod datur. Quapropter hoc adjutorium & quo fit eſt, & ſine quo non fit: quia & ſi data fuerit homini beatitudo, continuò fit beatus, & ſi data nunquam fuerit, nunquam erit. Sicut ergo adjutorium *quo* beatitudinis, eſt ipſa formalis beatitudo; ita pariter adjutorium *quo* perſeverantiæ, eſt ipſamet formalis & actualis perſeverantia. Ergo illud adjutorium *quo* apud Auguſtinum, non eſt gratia efficax ſeu cauſa efficiens perſeverantiæ, aut cujuſcumque actus boni.

Et verò gratia efficax datur homini viatori ad benè operandum; ergo diſtinguitur ab adjutorio *quo*: quia iſtud nihil operatur, ſed eſt tantùm formalis perſeverantia, ſeu ipſa mortis conjunctio cum gratia ſanctificante.

Ibid. F. Antecedens demonſtratur ipſiſmet Auguſtini verbis eodem cap. 12. *Martyres*, inquit, *miſericordiam conſecuti ſunt, ut fideles eſſent, à quo acceperunt ſpiritum, non timoris, quo perſequentibus cederent, ſed virtutis & charitatis & continentiæ, quo cuncta minantia, cuncta invitantia, cuncta crucantia ſuperarent.... Et accipiunt tantam per iſtam gratiam libertatem, ut quamvis, quamdiu hic vivunt, pugnent contra concupiſcentias peccatorum, eiſque nonnulla ſubrepant... non tamen ultrà ſerviant peccato, quod eſt ad mortem.* (Ibid. p. 770 A.) Audis gratiam illam dari, *quamdiu vivunt*: ergo gratia illa non eſt auxilium *quo*, quod in mente S. Auguſtini eſt ipſa formalis perſeverantia.

Quapropter verba iſta ejuſdem cap. 12. *Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur*, intelligenda non ſunt de auxilio *quo* perſeverantiæ formalis, ſed de gratia actuali efficaci. Quò porrò referenda ſint iſthæc adverbia, *indeclinabiliter & inſuperabiliter*, an ad gratiæ vim, an ad voluntatem ipſam, ſuo loco exponemus.

Verùm ne ſcrupulus aliquis ſuperſit ex eo, quod diximus, apud S. Auguſtinum, per adjutorium *quo*, perſeverantiam formalem intelligi, audiatur rurſus ipſemet ſanctus Doctor ſui optimus interpres, Lib. de dono perſeverantiæ cap. 6. ubi apertè tradit, adjutorium, de quo locutus fuerat in Lib. de corrept. & grat. non eſſe auxilium efficax ad agendum, ſed formalem perſeverantiam. *Nolunt*, inquit, *ut ſcribitis, iſti fratres, ita hanc perſeverantiam prædicari, ut vel non ſuppliciter emereri, vel amitti contumaciter poſſit. Ubi quid dicant, parum diligenter attendunt. De illa enim perſeverantia loquimur, qua perſeveratur uſque in finem: quæ ſi data eſt, perſeveratum eſt uſque in finem; ſi autem non eſt perſeveratum uſque in finem, non eſt data.... Non itaque dicant homines, perſeverantiam cuiquam datam uſque in finem, niſi cùm ipſe venerit finis, & perſeveraſſe cui data eſt, repertus fuerit uſque in finem..... Perſeverantiam verò uſque in finem, quoniam non habet quiſquam, niſi qui perſeverat uſque in finem, multi eam poſſunt habere, nullus amittere. Neque enim metuendum eſt, ne fortè cùm perſeveraverit homo uſque in finem, aliqua in eo mala voluntas oriatur, ne perſeveret uſque in finem. Hoc ergo Dei donum ſupplicer emereri poteſt, ſed cùm datum fuerit, amitti contumaciter non poteſt. Cùm enim perſeveraverit quiſque uſque in finem, neque hoc donum poteſt amittere, nec alia quæ poterat ante finem. Quomodo igitur poteſt amitti, per quod fit, ut non amittatur, etiam quod poſſet amitti?* (Ibid. p. 826. D. E. — Ibid. F.) Nihil clarius hoc Auguſtini teſtimonio. Nullum hìc ferè verbum, quod disertè non oſtendat, adjutorium, de quo loquitur Auguſtinus Lib. de corrept. & grat. eſſe ipſam mortis cum gratia conjunctionem.

Reſp.

Reſp. 2. nego min. Non enim ſola gratia efficax propria eſt hujus ſtatus, ſed etiam ſufficiens; nec Auguſtinus efficacem adſtruens, ſufficientem excludit.

Inſtabis 3. citato cap. 11. fatetur Auguſtinus, gratiam ſufficientem, quæ Adamo innocenti conceſſa fuerat, jam amplius non dari. *Si hoc adjutorium,* inquit, *Angelo vel homini, cùm primùm facti ſunt, defuiſſet; quoniam non talis natura facta erat, ut ſine divino adjutorio poſſet manere, ſi vellet, non utique ſua culpa cecidiſſent: adjutorium quippe defuiſſet, ſine quo manere non poſſent. Nunc autem, quibus deeſt tale adjutorium, jam pœna peccati eſt: quibus autem datur, ſecundùm gratiam datur, non ſecundùm debitum.* T. 10. p. 763. A B.

℞. Nego ant. Non hic quærimus, an generatim omnibus, vel tantùm quibuſdam hominibus jam detur gratia ſufficiens, ſed utrùm ſimpliciter detur in præſenti ſtatu. Porrò eam dari ſignificat apertè S. Auguſtinus his verbis: *Quibus autem datur, ſecundùm gratiam datur, non ſecundùm debitum:* ergo ſupponit dari jam in præſenti ſtatu gratiam ſufficientem. Innuit quidem eam aliquibus in pœnam peccati jam deeſſe, ſi non remotam, ſaltem proximam, ad finalem nempè perſeverantiam.

Inſtabis 4. Si daretur in præſenti ſtatu gratia ſufficiens, poſſet jam homo juſtus, ſicut potuit Adamus, cum illa perſeverantiam promereri: atque id expreſsè negat S. Auguſtinus citato cap. 11. Lib. de corrept. & gratia. *Quia,* inquit, *noluit Adamus permanere, profectò ejus culpa eſt; cujus meritum fuiſſet, ſi permanere voluiſſet .... Nunc autem per peccatum perdito bono merito, in his qui liberantur, factum eſt donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.* Ibid. A. Ibid. D.

℞. Nego ſequelam maj. *Qui enim,* ait S. Auguſtinus Lib. de dono perſeverantiæ cap. 7. *non infertur in tentationem, non diſcedit à Deo. Non eſt hoc omninò in viribus liberi arbitrii, quales nunc ſunt: fuerat in homine, antequam caderet.* Poterat igitur Adamus innocens in tanta benè agendi facilitate perſeverare per ſolam gratiam intellectus, abſque ulla præveniente gratia voluntatis; ac ſi perſeveraſſet, meritum ejus fuiſſet: nunc verò propter depreſſæ naturæ noſtræ infirmitatem, tentationum frequentiam ac vehementiam, multiplicesque noſtras prolapſiones, ſpeciali opus habemus gratia voluntatis, ut perſeverare diu in bono poſſimus; ac ſingulari Dei protectioni ac benevolentiæ deputandum, quando in ſtatu gratiæ ſanctificantis ex hac vita rapimur. Ibid. p. 828. B.

Cùm verò S. Auguſt. ait, quòd ſi Adamus perſeveraſſet, meritum ipſius fuiſſet, nunc autem ſit gratiæ donum; cave putes mentem illius eſſe, aut aliquod in Adamo eſſe potuiſſe meritum ſine gratia, aut nullum in nobis jam eſſe etiam cum gratia. Namque in quocumque ſtatu, vita æterna meritorium præmium eſt, merces & corona: in quocumque ſtatu, gratia nobilior eſt ac præcipua meritorum cauſa. Idcirco autem meritum libero arbitrio innocentis naturæ, potiùs quàm gratiæ; nunc verò potiſſimùm gratiæ tribuit Auguſtinus, quia jam ſauciata natura ſpeciali gratia voluntatis indiget, non ſolùm ut perſeveret, ſed etiam ut poſſit perſeverare; qua quidem gratia opus non habebat ſana & integra primi hominis voluntas, cujus arbitrio relictum fuerat, ut cum gratia ſufficiente intellectus perſeveraret, ſi vellet. Quapropter cùm gratia hujus ſtatus non tantùm mentem illuſtret, ſicut gratia innocentis naturæ, ſed etiam moveat & excitet voluntatem, longè plùs ad merendum cum auxilio gratiæ ſufficientis ſtatus innocentiæ poterat homo ſanus, quàm jam poſſit homo infirmus ac per peccatum graviter vulneratus.

Inſtabis 5. Gratia ſufficiens eſt gratia communis: atqui ex S. Auguſtino Lib. de Gratia & libero arbitrio c. 13. & Lib. de prædeſt. SS. c. 5. non datur gratia communis; ergo, &c.

℞. Diſtinguo maj. Gratia ſufficiens actualis eſt communis, id eſt adultis hominibus, cùm urget præceptum, communiter datur, eſtò: gratia habitualis eſt communis, nego. Diſtinguo min. Non datur gratia communis habitualis, concedo: actualis, iterum diſtinguo: ad ſenſum Pelagianorum, qui per gratiam omnibus communem intelligebant naturam & liberum arbitrium, concedo: ad ſenſum Catholicorum, qui nomine gratiæ intelligunt cœleſte auxilium naturæ ſuperadditum, ac gratuitò conceſſum ad opera pietatis cognoſcenda & perficienda, nego.

Inſtabis denique: Gratia ſufficiens talis eſt, ut voluntatis conſenſum expectet, non verò efficiat: atqui ex Concilio Arauſicano Can. 4. Deus non expectat noſtram voluntatem, ut à peccato purgemur.

℞. Diſtinguo maj. Gratia ſufficiens talis eſt, ut voluntatis conſenſum non efficiat, certò & infallibiliter, concedo: nuſquam efficiat in rebus ſaltem facilibus, nego. Solutio ex dicendis patebit. Diſt. min. Deus non expectat voluntatem noſtram præviam gratiæ ad ſenſum Semipelagianorum, concedo: pediſſequam gratiæ, nego. Scilicet Arauſicanum Concilium citato Canone damnat Semipelagianos, qui obedientiæ humanæ ſubjungebant adjutorium gratiæ, ut dicitur Canone 6. id eſt, contendebant hominis obedientiam præcedere, deinde ſubſequi divinam miſericordiam.

Objectiones ex variis rationum momentis.

Objicies 1. Gratia ſufficiens adverſatur publicis Eccleſiæ precibus. Tum quia nulla eſt, quæ poſtulet à Deo nudum poſſe, ad quod tamen unum terminatur gratia ſufficiens, ſed omnes bonam voluntatem & actionem efflagitant. Tum quia ſtultum eſt à Deo petere, quod ſemper omnibus, ſaltem juſtis, præſto adeſt. *Cùm autem legem credendi ſtatuat lex ſupplicandi*, ait Cœleſtinus S. Pont. in Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ, ſupplicatio autem fiat per univerſam Eccleſiam pro impetranda gratia, quæ det velle & operari, non verò poſſe velle & operari; conſequenter gratia ſufficiens, quæ dat tantùm poſſe velle & poſſe operari, Eccleſiæ precibus omninò adverſatur.

T. 2. Cō. p. 1616. E.

Reſp. Hæc & alia hujuſcemodi, quæ adversùs gratiam ſufficientem opponuntur, apud imperitum vulgus ad illudendum ventitari poſſe, non apud cordatos Theologos. Quis enim tam inſulſum conſilium Eccleſiæ tribuat, ut gratiam à Deo poſtulet, per quam tantùm poſſit homo velle & agere, non eam per quam reipſa velit & operetur? Eam omnem à Deo gratiam efflagitat pia mater Eccleſia, quæ nobis ad ſalutem prodeſſe poteſt: multiplex autem occurrit in œconomia ſalutis noſtræ gratiarum ſeries, quas divina providentia ſapienter ad fines ſuos gradatim diſponit ac dirigit. Deus quippe humano plerumque more gerit ſe in operanda cordis humani converſione; non ſtatim opus ad perfectionem adducendo, ſed paulatim & per gradus à facilioribus ad difficiliora progrediens, occulta Spiritus ſubminiſtratione duritiem cordis emollit, ac tandem penitus frangit & domat. Habet ergo in ea ſalutis noſtræ œconomia ſuum uſum ac utilitatem ſuam gratia ſufficiens; non eum quem objectio fingit, ut in nuda & ſimplici potentia benè agen-

agendi hæreat homo; ſed ut bono illius uſu, abundantiorem à Deo gratiam impetret, per quam efficaciter velit & operetur.

Cùm ſcripſit Auguſtinus Lib. de nat. & grat. cap. 18. *Stultum eſſe orare ut facias, quod habes in poteſtate*; orationibus Eccleſiæ neceſſitatem gratiæ contra Pelagianos invictè demonſtrabat: non enim petimus, quod in noſtra habemus poteſtate. Ergo cùm Eccleſia gratiam bonæ voluntatis & bonæ operationis à Deo poſtulet, conſequens eſt hominem nihil poſſe, aut velle, aut operari in ordine ad ſalutem ſine gratia. Ridiculum igitur eſt fingere, per gratiam ſufficientem tolli orationis neceſſitatem; quaſi Angeli & Adamus in ſtatu innocentiæ, ubi ſola erat gratia ſufficiens, à lege orationis immunes ac liberi fuerint; quaſi ignoraverint non poſſe conſervari acceptam à Deo juſtitiam, ſine jugi ac continuo divini auxilii influxu? *T. 10. p. 134. B.*

Nec minùs illud abſurdum, gratiam ſufficientem injurioſam eſſe divinæ virtuti & omnipotentiæ, cui nempè illa reſiſtit. Injurioſa ergo fuit divinæ virtuti gratia ſufficiens naturæ innocentis? Nonne gratia hæc tunc erat inſtrumentum divinæ potentiæ, ſicut eſt in præſenti ſtatu? Ut quid ergo magis jam divinam lædit potentiam ac virtutem, quàm in ſtatu priori? Numquid diverſa eſt in utroque naturæ ſtatu Dei virtus ac potentia? Ergo non magis jam gratia ſufficiens injurioſa eſt divinæ virtuti & omnipotentiæ, quàm fuerit in ſtatu naturæ innocentis.

Objicies 2. Doctrina, quæ gratiam ſufficientem admittit. 1. innatam nutrit hominis ſuperbiam: quia uſus vel non uſus illius gratiæ à libero pendet hominis arbitrio, qui inde ſuperbiendi occaſionem ſumere poteſt. 2. Socordiam ac negligentiam fovet, hac falſa injecta homini confidentia, futurum ut ſemper præſens adſit gratia, qua poterit ad libitum uti, cùm redire ad Deum voluerit. 3. Spem Chriſtianam penitùs labefactat: quia homo ſpem ſuam non collocat, ſicut debet, in novo Dei auxilio, ſed in ſemetipſo, hoc eſt in proprio voluntatis conſenſu.

℟. Abſurditatem hujus objectionis, ſicut & præcedentis, vel ex hoc uno manifeſtè patere, quòd non diffitente ipſomet Janſenio, una fuerit in ſtatu naturæ innocentis gratia ſufficiens. An verò talis illa erat, ut natura ſua ſuperbiam inſpiraret, foveret negligentiam, & ſpem in Deum labefactaret? Quis ſanæ mentis auſit affirmare? Vana hæc profectò ſunt ac putida figmenta, quæ ſeriò refelli non deberent. An verò innatam hominis ſuperbiam nutrit ea gratia, quæ ſuam homini infirmitatem demonſtrat, & omnimodam à Dei auxilio dependentiam; ita ut illi ipſi gratiæ ſufficienti ſeu excitanti nequidem conſentire actu homo poſſit, ſine novo gratiæ adjuvantis vel operantis auxilio? An ſocordiam & negligentiam hominis fovet ea gratia, quæ hominem inceſſanter admonet, ut erecto ſemper ac vigili animo ſit, ne quid ſibi obrepat mali, quo gratia privari mereatur; ut novum ſemper à Deo imploret auxilium, tum ut accepta gratia benè utatur, tum ut in ea firmus perſeveret, triſti exemplo Angelorum & Adami edoctus, qui in tanta non peccandi facilitate, nullis turbati concupiſcentiæ motibus, à juſtitia nihilominus exciderunt? An denique ſpem Chriſtianam labefactat ea gratia, quæ ſi ſola fuerit, nullo Dei novo accedente auxilio, opus bonum difficile ſive ex ſeſe, ſive ex adjunctis tentationibus nuſquam perficit; ſicque manifeſtè inſpirat ſpem omnem Chriſtianam in auxilio Dei abundantiori ad benè agendum neceſ-

ceſſario unicè collocandam eſſe? Norunt, qui gratiam illam ſufficientem admittunt, quod docet Conc. Trid. ſeſſ. 6. de juſtif. cap. 13. *Qui ſe exiſtimant ſtare*, ait Synod. Trid. *videant, ne cadant, & cum timore ac tremore ſalutem ſuam operentur in laboribus, in vigiliis, in eleemoſynis, in orationibus .... Formidare enim debent, ſcientes quòd in ſpem gloriæ & nondum in gloriam renati ſunt, de pugna, quæ ſupereſt cum carne, cum mundo, cum diabolo, in qua victores eſſe non poſſunt, niſi cum DEI gratia. Apoſtolo obtemperent dicenti: Debitores ſumus non carni, ut ſecundùm carnem vivamus; ſi enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.*

T. 14. Conc. p. 762. B. C.

Verùm ea ipſa incommoda & abſurda, quæ in gratiam noſtram ſufficientem objiciunt diſcipuli Janſenii, in eorum caput retorquentur ac recidunt: ſi quod enim eſt gratiæ ſyſtema, quod ſocordiam vel deſperationem inducat, aut ſpem Chriſtianam peſſumdet, maximè Janſenianum.

I. Hoc ſemel conſtituto ac ſuppoſito, nullam jam eſſe gratiam ſufficientem, cum qua homo aliquid boni poſſit, ſed ad benè agendum opus eſſe delectatione cœleſti ſuperiori ac victrice, quæ ſuum effectum certò & invincibiliter ex ſe ſe aſſequatur ſemper; an non hanc ſuis peccatis excuſationis cauſam obtendere homo poterit, ſibi defuiſſe gratiam illam victricem, ſine qua nihil boni fieri poteſt, & quam in ſua non habet poteſtate?

Fruſtra repones illum liberè peccare, & à peccato abſtinere poſſe. Quomodo, inquiet ille, abſtinere me poſſum à peccato ſine gratia? Dominatur in me ardentior cupiditas, premit occaſio, tentatio gravis ſollicitat, longo peccandi uſu abripior; deeſt verò mihi gratia, ſine qua nec concupiſcentiam cohibere, nec tentationibus reſiſtere valeo: quid ergo faciam? Ora, inquies; divinam opem ſupplex implora. At reponet ille: Quomodo orabo ſine gratia efficaci prorſus ad orandum mihi neceſſaria, quæ tamen mihi deeſt; quam Deus pro beneplacito ſuo largitur, vel denegat? Hoc unum ergo mihi ſupereſt, ut cupiditatibus indulgeam; ac placidè expectem, donec aſpiret mihi aura cœleſtis, ac efficax victrixque gratia cœlitùs ad me delabatur: Addet, quòd fruſtra velle id, quod Deus non vult, cujus voluntati reſiſtere nemo poteſt; Deum porrò non velle, ut à peccatis jam convertatur: ſi enim hoc vellet, certò & infallibiliter fieret. Sic ille imbutus placitis adverſæ ſententiæ, argueret.

II. Spem Chriſtianam per ſyſtema Janſenianorum convelli ac labefactari, ratiocinio non abſimili ille ſic conficiet. Non poſſum ſalutem aſſequi & illi conſequendæ ſedulò allaborare, niſi certus ſim Deum velle me ſalvum fieri: fruſtrà enim laborarem, ſi reipſa Deus non vult meam ſalutem. Atqui certò ſcire non poſſum in ſyſtemate Janſeniano, Deum velle me ſalvum fieri: eſt enim hujus ſyſtematis dogma, voluntatem Dei pro ſalute omnium hominum veram ac ſinceram non eſſe, nec beneplaciti; ſed figuratam dumtaxat, metaphoricam ac meri ſigni. Egregium verò ſpei Chriſtianæ fundamentum, voluntas figurata & metaphorica! Deinde, addet ille, vel Deus mihi gratiam concedet ad ſalutem obtinendam parem, vel non: ſi primum, non eſt, cur ſollicitus ſim: quælibet enim gratia efficax eſt, adeòque certiſſimè cum illa, ubi data fuerit, ſalutem meum operabor. Si ſecundum, fruſtra vires ac nervos omnes contendam; nihil enim poſſumus contra Dei voluntatem. En anguſtiæ, in quas conjicit durum Janſenii ſyſtema. Sunt hæc, inquiunt, popularia rudio-

dioris vulgi argumenta, quæ pariter contra ſcientiam Dei, gratuitam prædeſtinationem & gratiam, Pelagiani olim ac Semipelagiani objecerunt, nihilque momenti ac ponderis habent apud viros in rebus Theologicis eruditos. Eſtò, popularia ſint iſthæc argumenta; eò cautiùs præcavenda ac ſolvenda diligentiùs, quò ſimpliciores magis afficiunt ac perturbant, atque peccantium ſocordiæ & excuſationi favere impenſiùs videntur. Ea porrò in ſyſtemate Janſeniano nunquam ita diſſolvi poſſunt, ut omnis à conſcientia ſcrupulus & anxietas abigatur. Quæcumque verò Pelagiani ac Semipelagiani adversùs doctrinam S. Auguſtini circa gratuitam prædeſtinationem & gratiam opponebant unam ſpectabant gratiæ prævenientis neceſſitatem, quam, ut ſæpiùs dictum eſt, conciliare illi non poterant cum libero voluntatis arbitrio.

Objicies 3. Gratia ſufficiens vel pertinet ad legem, vel ad gratiam: atqui neutrum dici poteſt. Non ad legem: erat enim hic error Pelagii, quòd vellet legem ad bonum ſufficere. Non ad gratiam: Quia, ex S. Auguſtino Lib. de Gratia Chriſti cap. 12. *Gratia agitur, non ſolùm ut facienda noverimus, verùm etiam ut cognita faciamus .... Qui autem novit*, pergit cap. 13. *quod fieri debeat, & non facit, nondum didicit à Deo ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm legem*. T. 10. p. 256. D.

℟. Argumentum iſtud contra gratiam parvam Janſenii meritò retorqueri. Hæc enim ex propria ſua & innata virtute tendit ad bonum perfectum, quod tamen in iiſdem circumſtantiis nunquam aſſequitur: quia nempè abſolutam dumtaxat & abſtractam confert ad opus bonum poteſtatem, non verò relativam & ſubjecto actu proportionatam. Dicant ergo nobis Janſeniani, utrùm ejuſmodi gratia pertineat ad legem, vel ad gratiam? Difficilis profectò ad ſolvendum ipſis non videbitur, perinde ac nobis, iſta quæſtio: Quis enim dubitat eam ad gratiam Evangelii pertinere, quæ generatim eam omnem gratiæ ſpeciem includit, quæ noſtræ ſaluti promovendæ utilis & neceſſaria eſſe poteſt? S. Auguſtinus loco citato directè impugnat Pelagianos, qui contendebant gratiam legis ac doctrinæ, qua cognoſcimus, quid faciendum ſit, ſufficere: aliam verò præterea exigit ſanctus Doctor, gratiam ſcilicet voluntatis prævenientem, qua faciamus, quod faciendum eſſe cognoſcimus.

Objicies 4. Gratia, quæ nunquam effectum ſuum obtinuit, nec obtinebit unquam, quædam eſt monſtri ſpecies, *ſolummodò peccatis faciendis, majorique damnationi accerſendæ ſerviens*. Ita Janſenius L. 3. de Grat. cap. 3. T. 3. p. 106. col. 2. B.

℟. Monſtrum illud non tantùm Thomiſtis, ac Congruiſtis debellandum eſſe, ſed etiam ipſis Janſenianis. Parva enim eorum gratia, ut mox dictum eſt, tendit ex ſe ſe ad bonum perfectum, quod nuſquam in iiſdem circumſtantiis obtinuit & nuſquam obtinebit. Ergo gratia hæc parva Janſeniana quædam eſt monſtri ſpecies.

℟. 2. Ob eam ipſam cauſam, qua ductus eſt Janſenius, ut rejiceret gratiam ſufficientem, quæ ſuum nunquam habuit aut habitura eſt effectum, inductum è contra fuiſſe Thomaſſinum, ut doceret gratiam ſufficientem ſuum aliquando in rebus ſaltem facilibus effectum obtinere: quod ridiculum & abſonum planè ipſi viſum fuerit, agnoſcere in gratia veram & propriè dictam ad opus bonum potentiam, quæ in tanta hominum, qui vivunt, aut vixere, aut victuri ſunt deinceps, multitudine ſuum nuſquam effectum affecuta illa fuerit. Cui ſententiæ nos adhæremus; adeòque ad nos minimè pertinet propoſita objectio.

Objicies 5. Aſſignari non poteſt, ad quam gratiæ ſufficientis ſpeciem revocari debeat ea, quam ex Eccleſiæ fide admittendam eſſe contendimus. Vel enim revocatur ad Thomiſticam, vel ad Suareſianam, vel ad Molinianam, vel ad aliam quamdam ab illis diſtinctam & abſtractam gratiam, ut loquitur Paulus Irenæus diſt. 4. art. 12. & 14. Atqui iſtud poſtremum planè abſurdum ac ridiculum eſt. Non revocatur autem ad Molinianam; aliàs ea ſola ſufficiens gratia ex Eccleſiæ fide admittenda foret, quod nemo auſit aſſerere. Ea ipſa de cauſa revocari non poteſt aut ad Thomiſticam, aut ad Suareſianam.

℟. Argumentum iſtud merum eſſe ſophiſma, quod Dialectici vocant, à dicto ſecundùm quid, ad dictum ſimpliciter. Ex diſcordia ſcilicet Catholicorum circa varios modos explicandi, ſalva fide, gratiæ ſufficientiam, ad negandam in ſe ſimpliciter gratiam ſufficientem, quam fides adſtruit, progreditur. Nullum ſanè fidei caput eſt, quod pari ſophiſmate hæreticus quilibet non impugnet. Sit Neſtorianus, v. g. qui contra unionem perſonalem Verbi cum humanitate ſic arguat: Vel illa unio ſit per entitatem modalem ſuperadditam, vel non. Sit Calvinianus, qui Arnaldo fidem præſentiæ realis vindicanti ſic objiciat: Vel illa præſentia realis ſit per adductionem, vel per reproductionem.

Si Neſtoriano reſpondeas, unionem fieri per entitatem modalem, ſtatim opponet ex Catholicis benè multos, qui negant: ſi è contra negaveris, opponet alios, qui affirmant. Si pariter Calviniſtæ reſpondeas, præſentiam realem fieri per reproductionem, repugnabunt Scotiſtæ, qui talem reproductionem impoſſibilem judicant: ſi dixeris fieri per adductionem, contradicent Thomiſtæ. In quam ergo partem te vertes? An cum Paulo Irenæo citato, jocando dicere licebit, unionem quamdam eſſe in Chriſto abſtractivam, ſicut & præſentiam abſtractivam Chriſti in Euchariſtia? Apage in re tam ſeria nugas. Scilicet, ut jam non ſemel monuimus, in omni fidei myſterio, eſt ipſa myſterii veritas atque ſubſtantia diſtinguenda & ſecernenda à variis modis, quibus explicatur; quibus omnibus ſepoſitis, ſtat certa & inconcuſſa fides myſterii.

Seu neges, ſeu affirmes unionem Verbi cum humanitate eſſe vel non eſſe modalem entitatem, perinde eſt ad fidem Catholicam, modò fatearis eſſe phyſicam & perſonalem unionem. Hìc hæret fides. Pariter ſeu neges, ſeu affirmes Chriſtum præſentem fieri in Euchariſtia aut per veram reproductionem, aut per ſimplicem adductionem, nihil dogmati Catholico nocet, modò agnoſcas Chriſtum verè, realiter ac ſubſtantialiter præſentem eſſe in Euchariſtia. Eſt igitur ſubſtantia dogmatis fidei ſegreganda à modis variis, quos Theologi excogitarunt, ut hanc exponerent, ac incredulis ſuaderent. Facile eſt iſtud ad præſens argumentum transferre. Agnoſcit Eccleſia præter gratiam efficacem aliam ſufficientem; & per ſufficientem intelligit eam, quæ vires ſaltem mediatè pares & æquales confert relativè actuali cuilibet oppoſitæ concupiſcentiæ ſuperandæ: en ſubſtantia dogmatis Catholici. Quo verò ſenſu explicanda ſit illa ſufficientia gratiæ, an Thomiſtico, an Suareſiano, &c. Eccleſia non definit, ſed Theologorum diſputationibus permittit. Hoc unum certiſſimum, nulli licere Theologo quidquam ſtatuere, quod huic dogmati fidei adverſetur, ſicut adverſatur gratia parva Janſeniana; quæ cùm ſemper inferior ſit concupiſcentia, nunquam pares & æquales relativè vires huic debellandæ ſubminiſtrat.

Objicies 6. Ea dumtaxat gratia ſufficiens dicenda eſt, ſi accuratè loqui veli-

velimus, præter quam nulla alia requiritur ad benè agendum neceſſaria: atqui talis non eſt ea, quæ vulgò in Scholis ſufficiens appellatur novum enim requirit ex parte Dei auxilium, ut in actum erumpat; ergo accuratè ac propriè loquendo, ſufficiens non eſt nec admittenda. Unde Zumel tom. 3. p. 156. ait: *Gratiam ſufficientem non eſſe grammaticaliter ſufficientem*. Et Cardinalis Laurea Opuſculo 3. c. 18. ait: *Id nomen à centum circiter annis inditum contra etymologiam grammaticalem & ordinariam ſignificationem*. Ibidem c. 4. *Sæpè cum aliis miratus ſum*, ait, *cur Theologi moderni gratiam illam, qua homo excitatur ad bonum faciendum, & effectum non obtinet, vocare cæperint ſufficientem*.

T. 3. hiſt. caſus conſcientia p. 635.

Reſp. I. Non ad grammaticalem, ſed ad Theologicam ſignificationem, de qua una hìc agitur, vocis hujus *ſufficientis*, attendi debere; quam diuturnus Scholarum uſus probavit, & excitatæ contra Novatores controverſiæ neceſſariam fecerunt. Ipſe mox laudatus Zumel agnoſcit, ſenſu Theologico gratiam ſufficientem eam eſſe, præter quam alia requiritur, ut homo bonum ſupernaturalis ordinis perficiat. Senſum hunc adoptavit univerſa Thomiſtarum Schola. *Uſus obtinuit*, ait Antonius Maſſoulié tom. 2. Operis, cui titulus eſt: *S. Thomas ſui interpres*, diſſert. 3. q. 1. art. 3. in fine, *ob exortas hæreſes & varias in Scholis ſententias, ut ſufficientis auxilii nomine illud intelligatur, quod confert equidem voluntati vires ſupernaturales, etſi aliud auxilium requiratur*. Et art. 4. ſequenti, initio, docet: *Tantam eſſe gratiæ hujus neceſſitatem, ut niſi ſufficiens gratia præceſſerit, nunquam citra miraculum gratia efficax homini tribuatur*. Ipſimet Janſeniani eo nomine gratiæ ſufficientis (quamquam ſenſu à Thomiſtis longè diverſo) uti non recuſant, quod reipſa paſſim in ſuis Operibus uſurpant, ſeu latinè, ſeu vernaculè ſcriptis. Vide Paulum Irenæum diſq. 4. art. 4. Arnaldum diſſert. de Gratia efficaci, parte 3. art. 10. & ante illos, vel in ipſo controverſiarum exordio, in Libro qui dicitur: *In nomine Domini*, an. 1649. ante Innocentii X. Conſtitutionem, Abbas de Bourzeis pag. 5. declaravit *ſe lubenter admittere gratiam ſufficientem Thomiſtarum*. Ad hæc procul dubio non ſatis attenderat Cardinalis Laurea, cùm ſcripſit, quæ mox relata ſunt.

Adde, quod ex Janſenio ipſo ſuperiùs obſervatum eſt: *Cùm aliquid propter novas opiniones emergentes efficaciter exprimendum & accuratè ab aliis diſtinguendum eſt, rem veterem novo vocabulo inſignire nihil vetat*.

L. 8. de Gratia cap. 2.

II. Non tantùm Thomiſtæ, ſed alii etiam Theologi ſuam gratiam ſenſu Theologico ſufficientem appellant, tametſi fateantur nova opus eſſe ad actu operandum gratia, nimirùm adjuvante & operante, quæ concurſus ſupernaturalis vices gerit.

T. 3. pag. 344. col. 1. B.

ARTICULUS III.

An & in quo gratia parva Janſenii differat à ſufficiente Thomiſtica. Et utrùm ad declinandum omnem Janſeniani erroris circa ſufficientem gratiam ſuſpicionem, ſatis ſit affirmare, quòd ſi gratiæ ſufficienti homo non reſiſteret, efficacem certiſſimè haberet.

Duo præfefert articulus.

Primum, an & in quo differat gratia parva Janſenii à Thomiſtica ſufficiente, contra Janſenianos, qui ſe Thomiſtas ea in re fingunt ac ſimulant.

Alterum contra nonnullos Catholicos, qui nihil fraudis ſuſpicati, exiſtimant ad omnem hic eluendam erroris Janſeniani maculam, ſatis eſſe affirmare, futurum ut, ſi homo gratiæ ſufficienti non reſiſteret, certiſſimè haberet efficacem; quam loquendi rationem Janſenianos nunquam uſurpaſſe affirmant.

Dico igitur 1. Amplum diſcrimen eſſe inter gratiam ſufficientem ſenſu Thomiſtico; & parvam ſeu inferiorem ſenſu Janſenii.

I. Quantùm ad nomen: Thomiſtæ nomen ſufficientis gratiæ ſenſu Theologico proprium, ac propter novas Lutheri & Calvini hæreſes neceſſarium ab ipſo Concilii Tridentini tempore conſtanter retinendum eſſe cenſuerunt: Janſeniani ſaltem rigidi, nonniſi inviti, & ut à communi Catholicorum loquendi uſu recedere non videantur, quod optarent inductum nunquam fuiſſe, ob illud malum, inquiunt, quod in Scholas Chriſtianas invexit. Inde procax illa dicacitas, qua & nomen & rem nomine ſignificatam irriſerunt; ſeipſos viciſſim ridendos exhibentes, cùm poſtmodum ſub umbra ejuſdem gratiæ Thomiſticæ deliteſcere, ac Catholici audiri voluerunt.

II. Thomiſtæ cenſendi ſunt agnoſcere per gratiam ſuam ſufficientem hujuſce ſtatus, veram ac propriam adimplendi præcepti potentiam conferri voluntati, licèt aliunde requirant efficacem gratiam ſeu præmotionem phyſicam, ad hoc ut ſufficiens gratia exeat in actum: in ſtatu enim innocentiæ, ubi procul dubio expedita & omninò completa erat virtus & potentia voluntatis per gratiam ſufficientem, requirebatur pariter in Thomiſtarum ſententia, præmotio phyſica. Diſcipuli verò Janſenii, ſuppoſita gratiæ per ſe efficacis ad ſingulos actus pietatis neceſſitate, irriſerunt potentiam illam, quam Thomiſtæ tribuunt gratiæ ſufficienti utriuſque ſtatus, & eò uſque dicacitatem ſtylumque mordacem exacuerunt in eam potentiam, quæ per gratiam ſufficientem Thomiſticam homini innocenti, admiſſa ſemel gratiæ efficacis ad actum neceſſitate, conferri diceretur, ut eorum unus aſſerat, hominem innocentem miſerum fuiſſe futurum, ſi gratia efficaci indiguiſſet jam ſufficienti inſtructus; *Quia*, inquit, *eum excruciaſſet metus, ne ſibi gratia efficax deeſſet*. Et auctor expoſitionis fidei Catholicæ, p. 40. & 41. dicit. *Thomiſtarum opinionem, quæ neceſſitatem gratiæ efficacis admittit pro ſtatu innocentiæ, Manichæiſmum inducere, Deum peccati auctorem facere; hominem verò neceſſariò impotentem ad bonum, & neceſſitate etiam involuntaria exhibere peccantem*. De hac Thomiſtarum opinione jam dixerat Janſenius L. 8. de gratia Chriſti c. 2. *Quòd univerſam S. Auguſtini de gratia doctrinam inexplicabili confuſione perturbat*. Sic illi honorificè de ſententia Thomiſtica & ſentiunt & loquuntur.

Auctor Inſtitutionum 1. & 2. edit.

T. 3. pag. 345. col. 1. C.

III. In ſyſtemate Thomiſtarum cùm prædeterminatio phyſica, quæ præter gratiam ſufficientem requiritur, ſe teneat ex parte actus ſecundi, ſitque, vel ipſo fatente Janſenio, veluti concurſus ſupernaturalis, qui meritò dici poteſt ad exigentiam creaturæ concedi; in illo, inquam, ſyſtemate, voluntas à potentia in actum tranſit ſine aliqua mutatione facta ex parte potentiæ, ſive per augmentum gratiæ ſufficientis, ſive per diminutionem impedimentorum. In ſyſtemate verò Janſenii, voluntas gratia parva inſtructa ad actum tranſire non poteſt ſine facta mutatione in ipſa potentia, ſive per augmentum gratiæ illius inferioris, quæ ſic evadat ſuperior, ſive per concupiſcentiæ oppoſitæ graduum imminutionem.

IV. Thomiſtæ docent, gratiam ſufficientem à Deo per voluntatem antecedenden-

dentem omnibus dari aut ſaltem præparari & offerri, & quidem relativè ad præſentes actualis concupiſcentiæ circumſtantias; quod dici non poteſt in ſententia defenſorum Janſenii, quorum plurimi affirmant voluntatem illam non formaliter ſed metaphoricè, nec beneplaciti, ſed ſigni dumtaxat eſſe, ac meram & otioſam in bono complacentiam. Omnes verò talem voluntatem (etiam illi, qui eam beneplaciti eſſe fatentur) negant eſſe relativam ad circumſtantiam graduum concupiſcentiæ.

V. Thomiſtæ gratiam ſufficientem in hunc finem admittunt, ut explicent, ſicut antea oſtendimus, qua ratione juſtis poſſibilia ſint Dei mandata, quomodo rei ſint ac juſtè puniantur, ſi ea violaverint: Janſeniani verò, ut aſſignent aliquod internum principium infirmorum illorum ad bonum conatuum, qui in juſtis & aliis nonnullis hominibus aliquando excitantur, quique ſemper impares ſunt adimplendo mandato. Quòd ſi per hujuſmodi gratiam præcepta poſſibilia fieri aſſeruerint, poſſibilitatem intelligunt abſolutam dumtaxat & abſtractam, non verò relativam ad præſentes diſpoſitiones ſubjecti: ſecùs verò Thomiſtæ.

VI. Gratia ſufficiens ſeu excitans Thomiſtarum non eo ſenſu dicitur efficax reſpectu actuum imperfectorum, quòd illi ſint ſemper deliberati: ita Alvares diſput. 76. n. 6. *Gratia excitans*, inquit, *reſpectu actuum imperfectorum ſupernaturalium, quos in intellectu & voluntate producit, eſt efficax, ſive actus illi ſint deliberati, ſive indeliberati*. Parva verò gratia Janſenii, in ſententia ipſius ac plurimorum ipſius diſcipulorum, eo ſenſu ſemper eſt efficax, quòd ſemper actus imperfectos deliberatos producat. pag. 619.

VII. Gratia ſufficiens Thomiſtica expeditam confert ad opus bonum poteſtatem: non ita parva Janſeniana, quæ ſupponit voluntatem majoris oppoſitæ delectationis vinculo ligatam & irretitam. Unde qui Janſenianum dogma emollire magis ac temperare voluerunt, compulſi ſunt fateri gratiam illam parvam ſemper conjunctam habere impotentiam moralem ad benè agendum; quæ profectò impotentia involvit, ut clarum eſt, carentiam potentiæ liberæ & expeditæ moraliter. Inde eſt, quòd gratia ſufficiens Thomiſtica ita liberam & expeditam conferat agendi virtutem, ut in validiorem obſiſtentem cupiditatem non refundatur, ſed in ſolam liberam hominis voluntatem, quòd careat affectu. E contra, defectus operationis gratiæ parvæ Janſenianæ in reniſum præpollentioris concupiſcentiæ reſolvitur.

VIII. Capitale diſcrimen utriuſque gratiæ ex eo maximè ducitur, quòd gratia ſufficiens Thomiſtarum nunquam eſt inferior relativè oppoſitæ cuicumque actuali concupiſcentiæ ſuperandæ. *Minima enim gratia poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, ac vitare omne peccatum mortale*, ait S. Thomas 3. p. q. 70. art. 4. in corpore. Unde virtus gratiæ, juxta Thomiſtas, non repetitur ex delectatione relativè ſuperiori, hoc eſt, non pendet ex gradibus oppoſitæ cupiditatis, quibus ſuperandis pares ſemper & æquales ſaltem mediatè vires ſupeditat. E contra, vis gratiæ tota, juxta Janſenium relativa eſt. Audiatur ipſe Lib. 8. de Gratia Chriſti cap. 2. ubi exponit fuſiùs cauſas omnes diſcriminis inter prædeterminationem phyſicam & gratiam, quam tuetur, medicinalem. *Prædeterminatio phyſica*, inquit, *talis eſſe dicitur, ut in quibuſcumque circumſtantiis voluntas collocetur, ſemper faciat facere, & operetur effectum ſuum, omnemque ſuperet reſiſtentiam: Chriſti adjutorium nullo modo. Nam delectatio victrix*, T. 1. pag. 344. col. 2. B.C.

ctrix, quæ Auguſtino eſt efficax adjutorium, relativa eſt. Tunc enim eſt victrix quando alteram ſuperat. Quòd ſi contingat alteram ardentiorem eſſe, in ſolis inefficacibus deſideriis hærebit animus, nec efficaciter unquam volet, quod volendum eſt. Unde planè conſequens eſt, gratiam illam parvam Janſenii ſemper eſſe inferiorem ac viribus inſufficientem debellandæ oppoſitæ actuali cupiditati. Quapropter gratia parva Janſeniana ex proprio virium defectu habet, quòd effectum perfectum in iiſdem circumſtantiis nuſquam aſſequatur aut aſſequi poſſit; gratia verò ſufficiens Thomiſtica hoc habeat ex ſolo voluntatis creatæ vitio. Relativam illam gratiæ ſufficientis imbecillitatem agnoſcit Arnaldus citata diſſert. de gratia efficaci, p. 3. c. 12. ubi conditiones proponit, quibus defendi poteſt gratia ſufficiens. *Quam volent igitur*, ait, *excitantem gratiam ſufficientem appellent recentiores Thomiſtæ, nos omninò repugnantes non habebunt, dummodo, ut faciunt, eo tantùm ſenſu ſufficientem dicant, quòd in nobis initia bonæ voluntatis producat; atque adeò quamdam benè agendi potentiam & virtutem largiatur: quòd talis ſit, ut niſi validior ei concupiſcentia reſiſteret, non modò boni operis deſiderium fructu vacuum, ſed ipſum bonum opus reipſa* (& quidem ſola ut ait ibidem) *produceret*. Quæ profectò verba eundem ſenſum reddunt ac iſta mox relata Janſenii: *Si contingat alteram ardentiorem eſſe, in ſolis inefficacibus deſideriis hærebit animus*. Non poſſum: quin obſervem hac una vocula, *ſola*, ſignificare Arnaldum, ſe ſpurium ac larvatum eſſe Thomiſtam: inauditum quippe eſt in Schola Thomiſtica, quòd gratia ſufficiens *ſola* aliquando producat bonum opus.

Cauſa Arnald. pag. 357. col. 1.

Scio equidem Gonetum citata D. Thomæ verba interpretatum aliquando fuiſſe de virtute gratiæ abſoluta, non relativa. Verùm præterquam quòd apertè pugnat iſta reſponſio cum ipſo Doctoris Angelici textu, (ſi enim minima gratia poteſt cuilibet reſiſtere concupiſcentiæ, poteſt actuali & ardentiori, adeòq; vim ad illam ſuperandam confert relativam) Gonetus in aliis nonnullis deceptus aliquando fuit: ut cùm ſcripſit, quinque Articulos ab Alexandro VII. approbatos fuiſſe; item Arnaldum gratiam ſufficientem, qualem docet Schola Thomiſtica, profeſſum fuiſſe, quod ipſe tamen in poſteriori Editione Lugdunenſi an. 1681. revocavit; ſicut & id quod ſcripſerat de errore Semipelagianorum, ut retulimus, ubi de ſyſtemate doctrinæ Janſenii ad quartam ejus Propoſitionem. Unde mirum profectò videri debet, Janſenianos, nulla hujuſce retractationis facta mentione, priùs Goneti teſtimonium in gratiam Arnaldi jactantiùs obtrudere. Vide defenſionem cauſæ Arnaldinæ pag. 538. & tomum 3. hiſtoriæ Caſus conſcientiæ pag. 633.

Tom. 4. diſp. 1. de neceſſitate gratia ar. 6. parag. 2.

Prætermitti certè hìc non debet, quo fictitio & planè abſurdo ſenſu nonnulli diſcipuli Janſenii gratiam ſufficientem recentiorum Thomiſtarum intelligant. Legatur auctor Libri cui gallicè titulus: *Expoſition de la Foi Catholique touchant la Grace & la prèdeſtination*, pag. 172. Si, inquit, gratia ſufficiens tertio ſenſu, id eſt recentiorum Thomiſtarum, ſumatur, difficilè omninò intelligitur. Nihilominùs cùm ea nihil aliud eſſe videatur, quàm mera capacitas naturæ ad bonum, quam retinet etiam ſub dominio peccati; ne ſit rixandi locus, hanc eo ſenſu libenter admittimus.

Hæc porrò omnia clariſſimè demonſtrant, Janſenianos oretenus dumtaxat gratiam ſenſu Thomiſtico ſufficientem agnoſcere: unde Arnaldus loco jam citato non ait, ſe penitùs cum Thomiſtis conſentire, ſed tantùm, ſe *omninò non repugnare*: ergo aliqua ex parte repugnat. Et paulò poſt, explicatis condi-

conditionibus,quibus non recuſat admittere gratiam ſufficientem: ait: *His omnibus ſenſibus rectè excitantem gratiam ſufficientem tacitè concedi poteſt*. Tacitè, per quamdam ſcilicet liberalem conceſſionem; in rei enim veritate nec nomen, nec rem ipſam vellet admitti, ut ſola nempe parva Janſeniana Schola s omnes occuparet. Et verò ſi expendantur probationes omnes, quibus Janſeniani utuntur, ut gratiam, quam ſufficientem Thomiſticam dicunt, adſtruant, non aliæ videbuntur ab iis, quas Janſenius ipſe ex Auguſtino protulit, ut ſuam parvam & invalidam ſtabiliret: quale imprimis eſt iſtud ſancti Doctoris ex Lib. 8. Confeſſ. c. 5. *Voluntas nova, quæ mihi eſſe cœperat .... nondum erat idonea ad ſuperandam priorem vetuſtate roboratam*. Nec profectò ſentire aliter poteſt, qui ſyſtema delectationis ſuperioris admittit; atque abſurdus iſle foret, qui hoc admiſſo principio, conſecutionem negaret, quæ ab illo divelli ac diſſociari non poteſt: quemadmodum abſurdus ac ridiculus foret ille, qui diceret gratiam eſſe ab intrinſeco, ſeu natura ſua efficacem, & negaret actionem certò & infallibiliter cum illa connexam eſſe. T. 1. pag. 149. A.

Dico 2. Sententiam iſtam: *Si homo gratiæ ſufficienti non reſiſteret, certiſſimè haberet efficacem*, veriſſimam quidem eſſe apud viros Catholicos & non ſuſpectos, qui docent voluntatem ita gratiæ liberè reſiſtere, ut poſſit tamen ei, ſi voluerit, relativè non reſiſtere. Propter oppoſitam verò rationem & cauſam hæc ipſa loquendi ratio à Janſenianis uſurpari ſolita, inſidioſa eſt ac meritò ſuſpecta; quia in eorum ſententia, voluntas ſuperiori terrena delectatione ligata ſic gratiæ parvæ & invalidæ reſiſtit, ut ei non poſſit non reſiſtere. *Vigente enim delectatione carnali*, ait Janſenius Lib. 4. de Gratia Chriſti c. 9. *impoſſibile eſt, ut virtutis & honeſtatis conſideratio prævaleat. Major enim delectatio*, inquit ibid. cap. 6. *nunquam ſanè delectatione minore ſuperabitur*. Hæc itaque loquendi ratio in ſuſpectis eò ſuſpecta magis videri debet, quòd ex ipſo Janſenii ſyſtemate quaſi ex re nata ſponte ſua fluat, & omnibus Janſenianis ſcriptoribus domeſtica ſit & familiaris. T. 3. p. 183. col. 2. B. Ibid. p. 175. col. 1. B.

I. Fluit & naſcitur ex ſyſtemate delectationis relativè ſuperioris ac victricis. Quippe ſi minor ſit voluntatis reſiſtentia, eò ipſo major evadit virtus & efficacia gratiæ, & quidem ſine ullo novo ſuperaddito Dei auxilio prævenienti: Sola quippe, ait Arnaldus, entitas gratiæ, pro majori vel minori oppoſita actuali cupiditate, victrix fit, vel non victrix. In eo igitur ſyſtemate proclive omninò eſt, imò & planè neceſſarium affirmare, quòd ſi homo gratiæ parvæ ſeu ſufficienti non reſiſteret, certiſſimè haberet efficacem: quin potiùs gratia illa parva, eo ipſo parva non eſſet, ſed major. Parva enim aut major non dicitur niſi ex comparatione ad oppoſitam terrenam delectationem, cum qua concurrit: ſi hęc gradibus ſuperior fuerit, gratia dicetur parva & inferior; ſi verò fuerit inferior, gratia ſuperior ac victrix erit & appellabitur.

II. Janſenianis ſcriptoribus domeſtica eſt ac familiaris illa loquendi ratio. Janſenius ipſe videtur hoc ſenſu Lib. 2. de Gratia Chriſti c. 27. dixiſſe: *Vota eorum, qui ab immunditiis carnis ſe continere non poſſunt, & tamen continentiam vehementer exoptant, divinæ gratiæ eſſe munera, & majoris gratiæ provocativa*. T. 3. pag. 87. col. 1. C.

Quamquam non ſatis intelligitur, quomodo vota hæc in ſyſtemate Janſenii poſſint eſſe majoris gratiæ provocativa: tum quia majori gratia opus non eſt, ſed una dumtaxat concupiſcentiæ imminutione: qua poſita, gratia quæ parva erat, ſuperior ac victrix evadet: tum quia hujuſmodi vota, cùm majori oppoſita

poſita cupiditate actu impugnetur, ſemper ſunt ſterilia & inefficacia, quibus voluntas contumaciùs reſiſtit, nec poteſt non reſiſtere. An verò ſic major Dei gratia provocatur, & non potiùs avertitur? Doloſè igitur vota illa majoris gratiæ provocativa dixit Janſenius, quia nempe ex ſe & abſolutè præciſis ſubjecti circumſtantiis poſſent illam provocare; iis autem ſpectatis, ſeu relativè, non poſſunt. En conſueta & domeſtica fraus & æquivocatio. Paulus Irenęus diſq. 4. art. 4. *Fidelibus*, inquit, *eam* (gratiam ſufficientem) *prorſus negare quoad rem ipſam, nemo poteſt, qui intelligat, quid eo nomine Thomiſtæ ſignificant. Intelligunt enim motionem Spiritus ſancti, cujus inſtinctu voluntas imperfectas quaſdam voluntates ſeu velleitates eliciat, quibus ita ad perfectiores actus diſponatur, ut niſi ipſa reſiſteret, plenum illæ gratiæ effectum obtinerent. Reſiſtit autem ſemper, inquiunt Thomiſtæ, niſi voluntas ad perfectè conſentiendum efficaciter applicetur. Talem gratiam, qui prorſus reſpuat, omninò non dicam Catholicus, ſed ſanus non ſit, cùm eam experiri quiſque ſæpè potuerit. Certum igitur talem gratiam admiſiſſe Auguſtinianos, quam tamen libentiùs inefficacem appellabant, quàm ſufficientem.... Profeſſor Sorbonicus D. de Sainte-Beuve, tametſi ut qui maximè Auguſtinianus, non dubitavit tamen hanc gratiam in juſtis, ſecluſa nominis ambiguitate, admittere. Ejus verba deſcribam.... Legitima eſt diviſio gratiæ voluntatis propriæ ſtatus naturæ lapſæ per Chriſtum Dominum reparatæ in gratiam ſufficientem & efficacem, ſi per gratiam ſufficientem intelligatur gratia parva, ea ſcilicet, quæ cùm ſit efficax ejus effectus, ad quem proximè ordinatur ... eſt tamen ſufficiens reſpectu ulterioris effectus; quia quòd eum non ponat, non eſt defectu virtutis, quæ de ſe habet omnia, quæ requiruntur ad effectum illum ponendum, ſed ratione reſiſtentiæ ſubjecti: quia ſcilicet gratia victrix eſt, non abſolutè, ſed comparatè dumtaxat ad minorem concupiſcentiam. Deus verò non intendit ſua abſoluta voluntate ultimum hunc effectum poni in ſubjecto ſic reſiſtente.* Implicata hæc non ſunt ſed clara & nitida.

Ad calcem Diſſer. pag. 215. col. 1.

Arnaldus differt. jam citata de Gratia efficaci, parte 3. c. 12. hanc non recuſat admittere gratiam ſufficientem, quæ *talis ſit, ut niſi validior ei concupiſcentia reſiſteret, non modò boni operis deſiderium fructu vacuum, ſed ipſum bonum opus reipſa produceret..... quæ talis ſit, ut niſi prava voluntas in nobis ineſſet, ad benè vivendum ſola ſufficeret.*

Cauſa Arnald. col. 1.

Abbas de Bourzeis in Scripto dicto: *In nomine Domini. Antiſtes Ipreńſis*, ait, *non docuit divinæ gratiæ ſimpliciter & abſolutè nunquam reſiſti, ſed reſpectu ſolummodo cupiditatis, prout hæc gratiæ, cum qua dimicat, prægravat aut ſuccumbit.*

Auctor Epiſtolæ ad Epiſcopum, qui intererat Comitiis generalibus Cleri Gallicani an. 1661. ſic loquitur: *Hujuſmodi gratiæ .... vim habent ſufficientem ad producendum effectum, ad quem tendunt; eumque reipſa producerent, niſi major eſſet concupiſcentiæ reſiſtentia.*

Pag. 68. & 69. Dionyſius Raymundus parte 4. art. 4. c. 2. conceptis verbis aſſerit, eſſe in illis gratiis parvis ſeu ſufficientibus principium omne, ſeu virtutem activam operis boni faciendi: quòd ſi illud non faciant, vitium eſſe reluctantis voluntatis, non defectum virtutis activæ in gratia.... Niſi enim voluntas fortiori cupiditati conſentire potiùs vellet, gratiæ reipſa conſentiret.

Idem planè legere eſt in Libro, cui titulus gallicè: *Conformite de Janſenius avec les Thomiſtes*, pag. 41. & 2. parte, pag. 28. & in alio cui titulus: *Expoſition de la Foi Catholique touchanc la Grace & la Predeſtination*, pag. 167. In ſyſtemate gratiæ D. Nicolae, pag. 39. 40. & 59. In defenſione Arnaldina, pag. 510. 511. & ſeq.

& ſeq. In Opere, quod inſcribitur gallicè: *Explication de la queſtion de fait en 1666.* pagin. 25. In Hiſtoria Caſus conſcientiæ, tom. 3. pagin. 543. & 556. &c.

Non exiſtimo, quemquam eſſe, qui neget Scriptores mox citatos apertos eſſe doctrinæ Janſenianæ defenſores: ii tamen omnes communi ſuffragio pronuntiant, quòd ſi homo gratiæ ſufficienti non reſiſteret, certiſſimè haberet efficacem. Latet igitur in ea loquendi ratione nonnihil apud ipſos fraudis & æquivocationis. Interrogandi ergo ſunt, quid intelligant nomine gratiæ ſufficientis: an illam, cui homo relativè poſſit non reſiſtere; & quæ ad non reſiſtendum vires illi pares & æquales ſuppeditet? Si negaverint, ut negare debent, quotquot ſyſtema duplicis delectationis ſuperioris defendunt; ſeu dixerint, gratiam eſſe inferiorem; Janſenio conſentiunt, qui abſolutam dumtaxat in ea gratia vim ad opus bonum agnoſcit, non relativam, nec proportionatam vincendæ actuali majori concupiſcentiæ.

Alia duplici loquendi ratione huic priori ſatis affini, nec minùs inſidioſa utuntur Janſeniani.

Ajunt 1. Deum ex ſe ſe paratum eſſe conferre hominibus gratiam, qua ſalvi eſſe poſſint, ſi illi ſalvi eſſe voluerint. Optima quidem, & ab omni ſuſpicione remota in ore Catholicorum loquendi ratio; qui contendunt Deum non tantùm ex ſeſe paratum eſſe conferre homini lapſo gratiam relativè ſufficientem, ſeu actuali concupiſcentiæ debellandæ viribus non imparem, imò & efficacem, quando ſufficienti non reſiſtit; cui etiam ſine efficaci poteſt non reſiſtere. Verùm in Janſeniano ſyſtemate planè illuſoria eſt ac doloſa. Ultrò nempè fatetur Janſenius Lib. 3. de Gratia Chriſti c. 17. *Deum etiam num paratum eſſe dare homini gratiam innocentis naturæ, ſi ejus uſui ſufficientem reperiret hominis voluntatem*: At certiſſimè Deus novit ſufficientem jam non eſſe hominis voluntatem uſui illius gratiæ; tum propter defectum virium ipſius gratiæ, tum propter exceſſum ardentioris concupiſcentiæ: novit gratiam illam viribus inferiorem ſemper futuram eſſe concupiſcentiæ oppoſitæ, nec unquam perfectum ex voluntate conſenſum exprimere poſſe, cui non poteſt non reſiſtere, quamdiu voluntas majori terrena delectatione occupata & præventa fuerit; unde fortiori ſeu efficaci opus habet auxilio gratiæ, ut non reſiſtat ſufficienti. Ergo ſenſu planè illuſorio aſſerunt, Deum paratum eſſe dare homini lapſo gratiam ſufficientem ſtatus innocentiæ, vel etiam efficacem hujuſce præſentis ſtatus, ſi parvæ ſeu ſufficienti non reſiſtatur: quippe non aliter intelligunt paratum, quàm abſolutè ac præciſis circumſtantiis, ex voluntate antecedente, ad dandam ſcilicet gratiam, ſtatus innocentiæ, ſi homo non peccaſſet; & efficacem hujus ſtatus, ſi ardentior non obſtaret cupiditas. At reverà peccavit, & ardentior jam dominatur cupiditas: ergo iis ſuppoſitis ac prævisis, Deus abſolutè dumtaxat & abſtractis circumſtantiis, non verò relativè ad illas, vult, ſeu paratus eſt gratiam ſtatus innocentiæ & efficacem hujuſce ſtatus homini conferre. Quaſi diceret: Si lapſus non fuiſſes, nec major in te obſiſteret concupiſcentia, darem tibi & gratiam, quæ data eſt homini innocenti; & efficacem, quæ laſo præparata eſt. Egregium verò pro lapſo ac infirmo homine ſolatium ac præſidium! Perinde eſt, ac ſi medicus ægroto diceret: Paratus ſum ad te ſanandum, ſi tam gravi morbo non laborares; vel: bono animo ſis, habeo pharmacum, quod de ſe ac in aliis circumſtantiis aptiſſimum quidem foret tuo morbo ſanando; at

Iuenin. T. 5. pag. 657.

Meditation Chretiennes de Preſſigni ſur la providence & la miſericorde de Dieu.

Arnald. in Opuſculo S. Thomæ doctrina de Grat. ſuffic. & effic. art. 22. & q. 4. T. 2. pag. 153. col. 2. E.

do; at in præſentibus omninò inſufficiens eſt, nec ſatis accommodatum ſeu proportionatum morbi naturæ ſeu conditioni.

Ut igitur Janſenianus error penitùs excludatur per iſtam loquendi rationem, Deus paratus eſt dare homini gratiam; imò & efficacem, ſi non reſiſtat ſufficienti, neceſſe eſt cum Thomiſtis agnoſcere in gratia ſufficiente vires relativè pares & æquales ad hoc, ut homo poſſit oppoſitam tametſi ſuperiorem vincere concupiſcentiam, & præceptum ſeu immediatè, ſeu mediatè adimplere.

Ajunt 2. Deum gratiam ſuam nunquam denegare iis, qui eam, ut oportet, ſuppliciter poſtulant, Ita quidem: at carent verè ſufficienti gratia, qua poſſint poſtulare, quotquot efficacem ad orandum non habent. Gratia quippe ad orandum, ut & ad quodlibet pietatis opus neceſſaria, ex Janſenio, eſt gratia de ſe efficax, ſeu delectatio cœleſtis ſuperior: qua gratia juſtos aliquando deſtitui docet idem Janſenius; imò & gratiam illam orationis ipſis inutilem fore, *niſi Deus exaudiat*. Verùm non omnes ſemper exaudit, ſed quos vult, & quando vult. Vide cap. 13. L. 3. de Gratia Chriſti. *Tom. 2. p. 80. B.*

ARTICULUS IV.

An Gratia ſufficiens ſine novo Dei auxilio præveniente ſuum aliquando effectum aſſequatur.

QUæ hactenus de natura & exiſtentia ſeu neceſſitate gratiæ ſufficientis dicta ſunt, fidem Eccleſiæ ſpectant, à qua nulli Catholico licet recedere. De fide eſt, eſſe in præſenti ſtatu gratias interiores, quibus homo verè ac propriè reſiſtit: gratiæ autem illæ non ſunt efficaces ſenſu, quo in Scholis gratia ſolet efficax appellari, aliàs illis voluntas non reſiſteret; ergo ſunt gratiæ ſufficientes.

De fide quoque eſt ex cenſura primæ Propoſitionis Janſenii, juſtis volentibus atque conantibus ſecundùm præſentes quas habent vires, poſſibilia eſſe Dei mandata: poſſibilia verò definivit Eccleſia ſenſu contrario Janſenii, qui impoſſibilia eſſe ſcripſerat, non quidem impoſſibilitate abſoluta & in quibuslibet circumſtantiis, quæ per ſe maximè abſurda eſt, ſed impoſſibilitate tantùm reſpectiva ſeu relativa ad præſentes juſtorum vires. Ergo Eccleſia ſenſu contrario judicat, juſtis, ſecundùm præſentes quas habent vires, poſſibilia eſſe mandata Dei poſſibilitate nimirùm relativa ad præſentes, in quibus conſtituuntur, circumſtantias, ſeu ad præſentes eorum vires. Porrò, quid eſt mandata Dei poſſibilia eſſe juſtis, ſecundùm præſentes eorum ex gratia ſufficientes vires? Niſi gratiam ſufficientem pares & æquales illis vires conferre, ut relativè poſſint obſervare Dei mandata, tentationes ſuperare, ac præſentem vincere concupiſcentiam.

His duobus in tuto poſitis, quæ ſine præjudicio fidei in quæſtionem vocari non poſſunt, mera hìc proponitur Scholæ controverſia, an ſcilicet gratia ſufficiens, prout ab efficaci diſtinguitur, aliquando ſuum effectum aſſequatur, nullo ipſi accedente Dei efficaci auxilio præveniente.

Sta-

Status quæſtionis.

Quæſtio hic non eſt de effectu indeliberato gratiæ ſufficientis, qui formalis appellari ſolet, & fit in nobis ſine nobis liberè cooperantibus; ſed de effectu deliberato, ſeu de ipſo libero voluntatis conſenſu.

Neque etiam quæſtionis noſtræ ſenſus eſt, utrùm gratia ſufficiens ſine ullo gratiæ adjuvantis & operantis auxilio effectum ſuum aliquando aſſequatur: omnes quippe fatentur præter gratiam excitantem ſeu ſufficientem, opus eſſe ad actum quemlibet veræ pietatis exercendum, gratia adjuvante & operante. Senſus igitur quæſtionis eſt, utrùm ſine nova gratia præveniente ac determinante, ſeu phyſicè, ſeu moraliter, gratia ſufficiens ſuum aliquando ſortiatur effectum.

Denique quæſtio hic non eſt, utrùm quælibet gratia ſufficiens proximè ac immediatè ſufficiat ad quodcumque opus bonum perficiendum: fatetur enim maxima Theologorum pars, eam proximè & immediatè non ſufficere. *Deus*, ait Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 11. *impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis*, (en immediata faciendi poteſtas) *& petere quod non poſſis*, (en mediata.) Eò igitur devolvitur præſens controverſia, utrùm ſine novo Dei auxilio præveniente, gratia ſufficiens ſeu excitans ad aliqua pietatis officia, quæ nullam aut ſaltem levem adjunctam habent difficultatem, & ad orandum novumque Dei auxilium impetrandum, ſufficiat. *Tom. 14. Con. pag. 761. B.*

Varias circa vim & naturam gratiæ ſufficientis Theologorum ſententias expoſuimus ad ſeptimam hujus Tractatus quæſtionem art. 1. quas conſule, ne rem actam iterum agamus.

Quod verò de illis noſtrum ſit judicium, aperient, quæ ſequuntur, Concluſiones.

PRIMA CONCLUSIO.

Sententia Janſenii circa gratiam ſufficientem ſeu parvam, quæ plenum ac perfectum ſuum effectum non aſſequitur, propter virium defectum & potentiæ relativæ ad præſentes ſubjecti circumſtantias, erronea eſt, ac rejicienda.

Probatur: Quia error eſt dicere, juſtis ſecundùm præſentes, quas habent, vires, mandata Dei eſſe relativè impoſſibilia: error eſt dicere, gratiæ interiori non reſiſti: error eſt dicere, gratiam ſufficientem, abſolutam dumtaxat & à circumſtantiis ſubjecti abſtractam, non autem relativam conferre ad obſervandum Dei mandatum potentiam. Atqui errores illos involvit ſententia Janſenii circa gratiam ſufficientem, ut ſæpiùs in decurſu hujuſce Tractatus demonſtratum eſt.

Idem prorſus judicium ferri debet de ſententia illorum, qui pariter cum Janſenio vim & efficaciam gratiæ repetunt ex delectatione ſuperiori; ac gratiam ſufficientem dicunt eam, quæ viribus inferior eſt oppoſitæ majori concupiſcentiæ: qui tamen ut dogma Janſenii utcumque emollire ac temperare videantur, aſſerunt gratiam illam ſufficientem ſemper conjunctam eſſe cum impotentia morali ad opus bonum exercendum.

Verùm non idcircò illi cenſendi ſunt ab errore Janſenii recedere: multi quippe inter cæteros notiſſimi Janſenii defenſores, hanc ipſam impotentiam,

retento errore, moralem appellaverunt, ut aliàs obſervavimus; at non ſine manifeſto abuſu ac dolo. Ex communi quippe ac recepto uſu, impotentia moralis eſt difficultas agendi, ſumma quidem, at non tanta, quin aliquando homo id agat, ad quod agendum magna laborat difficultate. At non ita evenit reſpectu gratiæ parvæ ſeu inferioris: nuſquam enim continget, imò impoſſibile prorſus eſt, ut cum ſola illa gratia homo bonum operetur, cùm adverſa cupiditas ſuperior eſt ac dominatur. Ergo in rei veritate impotentia illa non tantùm moralis eſt, ſed verè phyſica, orta, ut Janſenius loquitur, *ex defectu virium*: qualis eſt in cœco, ut videat, in ſurdo, ut audiat; quibus exemplis utitur aliquando ipſe Janſenius. Et verò vel unus auctor *Theologiæ dogmaticæ & moralis*, qui inter recentiores moralem illam impotentiam invexit, arma ſubminiſtrat, quibus impugnetur. Si enim ab illo quæratur, quæ ſit potentia phyſica? Reſpondebit eam eſſe, cujus virtus activa proportionata eſt operi faciendo; ergo à contrario, impotentia phyſica ea dicenda eſt, cujus virtus activa non eſt proportionata operi faciendo. Atqui virtus activa gratiæ parvæ ſeu inferioris non eſt proportionata relativè ſuperiori debellandæ, ac vincendæ concupiſcentiæ; nulla etenim eſt proportio v.g. inter tres gradus delectationis cœleſtis, & ſex delectationis terrenæ, & iſti ab aliis ſuperari nunquam poſſunt; ergo impotentia illa non tantùm moralis, ſed phyſica eſt ac dici debet.

SECUNDA CONCLUSIO.

Rejicienda gratia ſufficiens ad ſenſum Molinæ, quæ nempè ſufficit ad ſingulos pietatis actus immediatè exercendos.

Probatur: quia ſententia Molinæ excludere videtur neceſſitatem efficacis gratiæ ad perfectam cordis converſionem, ad opera pietatis ardua, difficilia, extraordinaria. Atqui admittendam eſſe gratiam efficacem, ſuo loco inferiùs
Tom.10. oſtendemus. *Certum eſt*, ait S. Auguſtinus Lib. de Gratia & lib. arbit. cap. 16.
735. A. *nos facere cùm facimus, ſed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas*
Ibid. pag. *voluntati*. Et cap. 5. jam dixerat: *Ut autem de Cœlo vocaretur*, (Saulus) *& tam*
724. E. *magna & efficaciſſima vocatione converteretur, gratia Dei erat ſola, quia merita ejus*
Ibid. p. *erant magna, ſed mala*. Denique Lib. 4. ad Bonif. cap. 9. *Oramus*, ait ſanctus
485. C. Doctor, *non ſolùm pro nolentibus, verùm etiam pro repugnantibus & oppugnantibus. Quid ergo petimus, niſi ut fiant ex nolentibus volentes, & ex repugnantibus conſentientes, & ex oppugnantibus amantes?*

Gratiam ſufficientem Molinæ, ne à ſuis doceretur, prohibuit Decreto ſpeciali dato ann. 1613. poſt habitas Congregationes de Auxiliis Claudius Aquaviva Præpoſitus generalis Societatis Jeſu. Decretum illud confirmavit ac renovavit Mutius Picolomini, alter ejuſdem Societatis Præpoſitus generalis.

TERTIA CONCLUSIO.

Non placet gratia ſufficiens, quæ nunquam immediatè ſuum effectum ſortitur defectu gratiæ efficacis phyſicè prædeterminantis.

Probatur 1. Quia gratia hujuſmodi reipſa nec ſatis ſufficiens ac utilis videtur homini ad obſervandum præceptum. Siquidem ea gratia reipſa inſufficiens & parum utilis videtur, quæ non complectitur id omne, quod requiritur ex

tur ex parte principii, ut actus ponatur, vel ſaltem impetretur uberius auxilium, quo accedente actus ipſe ponatur; atqui talis eſt gratia ſufficiens ſenſu Thomiſtico. Deeſt enim illi aliquid ex parte principii; ipſa ſcilicet phyſica præmotio: deeſt quoque auxilium, quo certò uberiorem gratiam homo impetrare poſſit, nempè gratia orationis, quæ non minùs indiget auxilio phyſicè præmovente, quàm quilibet alius actus pietatis; ergo gratia illa verè ſufficiens nec eſt, nec dici poteſt.

Reſpondent Thomiſtæ 1. cum Alvares diſput. 79. n. 5. gratiam ſufficientem ex parte potentiæ ſeu principii habere, quidquid neceſſarium eſt, ut homo poſſit agere, tametſi indigeat præmovente gratia, ut actu agat. Præmotio enim non afficit potentiam ſeu actum primum, ut vocant, ſed actum ſecundum: quod explicat Alvares exemplo potentiæ viſivæ & luminis. *Sicut enim potentia viſiva eſt ſufficiens principium ad videndum, etiamſi actualis viſio nunquam fiat niſi accedente lumine, & cauſa univerſali eam movente; ita ſimiliter auxilium ſufficiens ad credendum v. g. eſt verè ſufficiens in ſuo genere, quamvis ultra illud ſit ſimpliciter neceſſarium aliud auxilium efficax, quo Deus efficit, ut homo credat.* pag. 639.

Refellitur hæc reſponſio.

I. Quia gratia ſufficiens datur non tantùm, ut homo poſſit obſervare Dei mandata, ſed etiam ut illa reipſa obſervet; datur quippe, ut homo id faciat, quod Deus præcipit: ſed Deus non præcipit homini, ut poſſit obſervare, ſed ut reipſa illa obſervet. Mandatum quippe, ut & ipſius tranſgreſſio, non cadit ſupra potentiam, ſed ſupra ipſum actum vel defectum illius: homo quippe ideo plectitur, quòd mandatum non obſervat, cùm tamen illud poſſit obſervare.

II. Exemplum luminis, quo frequenter utuntur Thomiſtæ poſt Alvarem, datam reſponſionem evertit. Siquidem ex S. Auguſtino Lib. de geſtis Pelagii c. 3. n. 7. *Sufficit ſibi oculus ad non videndum, hoc eſt ad tenebras: ad videndum verò lumine ſuo ſibi non ſufficit, niſi illi extrinſecùs adjutorium clari luminis præbeatur.* T. 10. p. 195. C. Et Lib. de natura & Gratia cap. 26. n. 29. *Sicut*, inquit, *oculus corporis etiam pleniſſimè ſanus, niſi candore lucis adjutus, non poteſt cernere: ſic homo etiam perfectiſſimè juſtificatus, niſi æterna luce juſtitiæ divinitùs adjuvetur, rectè non poteſt vivere.* Ibid. p. 140. A. B. Si ergo valeat adducta comparatio: Sicut oculus corporis, quamvis perfectè ſanus, non poteſt videre ſine lumine, ita pariter homo non poteſt agere ſine gratia efficaci; Ergo abſente gratia efficaci, nulla eſt in homine ad opus bonum ſupernaturale expedita facultas; ergo impoſſibilia ipſi ſunt Dei mandata; ergo planè inutilis & otioſa eſt gratia ſufficiens. An verò hæc fatebuntur Thomiſtæ? Non puto. Neceſſe igitur eſt, agnoſcant comparationem illam claudicare. Et verò diſparitas in eo eſt, quòd præter lumen nullum eſt aliud medium, quo facultas viſiva, tametſi ſana & integra, & videat, & videre poſſit. E contra, præter efficacem gratiam phyſicè prædeterminantem, alia eſt verè ſufficiens, per quam adjuta voluntas bonum ſemper operari poteſt, & interdum reipſa operatur.

III. Gratia illa phyſicè prædeterminans neceſſaria non videtur, ut actus ponatur. Ut enim neceſſaria dicatur, & homo violando præceptum juſtè puniatur, neceſſe eſt, ut ſit in poteſtate hominis tale auxilium prædeterminans habere aut immediatè, aut mediatè: ſi enim abſque ſua culpa tali auxilio privetur, nec ullatenus penes ipſum ſit illud obtinere, quomodo reus erit & culpæ & pœnæ? Atqui non eſt in poteſtate hominis aut immediatè aut

mediatè habere auxilium illud prædeterminans: non quidem immediatè; quia à ſolo Deo fit in nobis ſine nobis liberè cooperantibus, ut ſolent eſſe omnes actus indeliberati. Non etiam mediatè; aſſignari quippe non poteſt, quid ſit illud, quo mediante obtineretur auxilium phyſicè prædeterminans. An aliqua diſpoſitio? Sed quænam illa foret? An naturalis? An ſupernaturalis? Naturalis dici non poteſt; quia natura diſponere non poteſt ad id, quod eſt ſupra naturam: diſpoſitio quippe ejuſdem ordinis eſſe debet ac forma, ad quam diſponit; qui aliter ſentiret, cum Pelagio erraret. Non poteſt etiam dici ſupernaturalis, quia ad iſtam diſpoſitionem ſupernaturalem habendam, vel neceſſarium foret auxilium prædeterminans, vel non: ſi neceſſarium non foret; ergo ad quemlibet actum pietatis neceſſaria non eſt phyſica præmotio. Illa quippe diſpoſitio conſiſtit in aliquo libero voluntatis actu, vel orationis, vel doloris & contritionis, vel in quocumque alio hujuſcemodi: porrò conſtans Thomiſtarum doctrina eſt, ad omnem & quemlibet actum realem & poſitivum phyſicam præmotionem eſſe neceſſariam. Si verò neceſſarium dicatur ad illam diſpoſitionem obtinendam auxilium præmovens, rurſus alia diſpoſitio neceſſaria erit ad illud auxilium prædeterminans obtinendum, & ita in infinitum, donec perveniatur ad aliquod auxilium prædeterminans, quod non ſit in poteſtate hominis: quo ſuppoſito, ut jam diximus, imputari homini ad culpam non poſſet, ſi præceptum violaret, quod ipſi impoſſibile fuiſſet obſervare.

At: inquies, ſemper eſt in poteſtate hominis auxilium illud prædeterminans à Deo impetrare, ſi gratiæ ſufficienti non reſiſtat. Nego ita eſſe in ſententia phyſicæ præmotionis: ad illam enim non reſiſtentiam, ut mox dicturi ſumus, etiam requiritur auxilium phyſicè prædeterminans.

Reſpondent 2. Thomiſtæ, falsò prorſus à nobis ſupponi gratiam ſufficientem nunquam eum aſſequi effectum, ad quem à Deo conceditur: quia cùm illi non reſiſtitur, & efficax accedit, effectus utrique gratiæ tribuitur, quamquam diverſo modo; ſufficienti, moraliter; efficaci verò, phyſicè.

Verùm reſponſio hæc mera eſt cavillatio: influxus enim ille moralis gratiæ ſufficientis in actionem, fructu vacuus eſt, niſi acceſſerit gratia efficax phyſicè prædeterminans.

Probatur 2. Quia hominis culpa & vitium eſt, quòd privetur gratia efficaci ad agendum neceſſaria: atqui ſi gratia efficax ac phyſicè prædeterminans neceſſaria ſemper foret, ut ſufficiens in actum erumpat, culpa & vitium hominis non eſſet, quòd privaretur gratia efficaci; ergo &c.

Major propoſitio expreſſam continet SS. Auguſtini & Thomæ ſententiam.

T.10.p. 54. E. S. Auguſtinus Lib. 2. de peccat. mer. & rem. cap. 17. n. 26. *Nolunt*, inquit, *homines facere, quod juſtum eſt, ſive quia latet an juſtum ſit, ſive quia non delectat.... Ut autem innoteſcat, quod latebat, & ſuave fiat, quod non delectabat, gratiæ Dei eſt, quæ hominum adjuvat voluntates: qua ut non adjuventur, in ipſis itidem cauſa eſt, non in Deo, ſive damnandi prædeſtinati ſint propter iniquitatem ſuperbiæ; ſive contra ipſam ſuam ſuperbiam judicandi & erudiendi, ſi filii ſunt miſericordiæ.*

Tom.14. p.508. D. E. Eadem eſt Angelici Doctoris ſententia L.3. contra gentes c.159. *Licèt*, inquit, *aliquis per motum liberi arbitrii divinam gratiam nec promereri neque acquirere poſſit: poteſt tamen ſeipſum impedire, ne eam recipiat. Dicitur enim de quibuſdam Job 24. Ipſi fuerunt rebelles lumini. Et cùm hoc ſit in poteſtate liberi arbitrii*

impe-

Digitized by Google

impedire divinæ gratiæ receptionem vel non impedire; non immeritò in culpam imputatur ei, qui impedimentum præſtat gratiæ receptioni; Deus enim, quantùm in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare: Vult enim omnes ſalvos fieri, ad Timoth. 1. ſed illi ſoli gratia privantur, qui in ſeipſis gratiæ impedimentum præſtant: ſicut Sole illuminante mundum, in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, ſi ex hoc aliquod malum ſequatur; licèt videre non poſſit, niſi lumine Solis præveniatur.

Accedit & auctoritas Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 13. *In Dei auxilio*, ait, *firmiſſimam ſpem collocare & reponere omnes debent. Deus enim (niſi ipſius illi gratiæ defuerint) ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere.* T. 14. Conc. p. 762. B.

Itaque præcedit ſemper ex parte voluntatis creatæ aliquid mali, quod efficacem Dei gratiam avertit & impedit.

Minor propoſitio probatur exemplo hominis juſti, qui gravi aliqua tentatione pulſatus, præceptum Dei, quod urget, tranſgreditur: habet ille, fatentibus Thomiſtis, gratiam verè ſufficientem, per quam tentationi reſiſtere ac præceptum implere poteſt, nec tamen abſente gratia efficaci reipſa illud implet. Porrò videtur ille juſtus abſque ſua culpa privari auxilio illius gratiæ efficacis phyſicè præmoventis, quia nempe non eſt in ejus poteſtate, ut mox diximus, eam ſibi comparare; nec ea privari poteſt, niſi propter aliquod præcedens peccatum: at nullum eſt. Non originale, quod per Baptiſmum perfectè condonatum fuit ac remiſſum. *In renatis enim*, ait Conc. Trid. in decreto de peccato originali Can. 5. ſeſſ. 5. *nihil odit Deus: quia nihil damnationis eſt in iis, qui verè conſepulti ſunt cum Chriſto per Baptiſma in mortem.* Igitur homini juſto non denegatur gratia efficax in pœnam peccati originalis. Nullum etiam eſt actuale peccatum; ſupponimus enim eſſe primum, in quod regeneratus poſt Baptiſmum incidit, ipſi non conceſſa gratia efficaci prorſus neceſſaria ad ſuperandam gravem tentationem & declinandum peccatum; ac cauſam requirimus ex parte illius, quæ Deum moveat ad illam efficacem gratiam illi juſto denegandam. Ib. pag. 751. A.

Reponunt Thomiſtæ, illum juſtum propria ſua culpa privari gratia efficaci, quia nempè non benè utitur ſufficiente, ſed ipſi reſiſtit; ſeu ſeipſum impedit, nec ſinit ſe à Deo moveri. *Licèt enim*, ait Alvares Lib. 3. de Auxiliis diſput. 18. n. 20. *motio Dei prævia non ſit in poteſtate creatæ voluntatis, tanquam in cauſa efficiente..... eſt tamen in facultate noſtræ voluntatis ſeipſam impedire, ne habeat illam motionem. Unde ſi non operetur actum, qui eſt in præcepto, imputabitur illi ad culpam, eò quòd ſua culpa ſe impedivit, ne daretur auxilium efficax, quod neceſſarium erat, ut actualiter operaretur actum virtutis, qui eſt in præcepto. Sicut ſi Deus imponeret homini præceptum volandi, & quantùm eſt ex parte ſua offerret illi alas & adjutorium neceſſarium, ut volaret, ipſe autem ſua libertate reſponderet: Domine nec volo alas recipere, nec volare; meritò reputaretur reus & tranſgreſſor præcepti, etiamſi non poſſet abſque alis volare, quia ſua culpa ſe impedivit, ne illi donarentur à Deo.* Hæc Alvares. Pag. 149

Verùm iſta reſponſio ita obſcura & implicata videtur, ut vix intelligi & nitidè poſſit explicari, quid ſit in ſententia Thomiſtarum bonus ille gratiæ ſufficientis uſus; quid diſpoſitio illa prævia, ad quam gratia illa efficax certiſſimè ſequitur; quid denique illa non reſiſtentia, an quid poſitivum? An quid negativum?

Non fatebuntur procul dubio Thomiſtæ, eſſe aliquid poſitivum: ſiquidem

Digitized by Google

juxta illos, ad omnem actum poſitivum exigitur phyſica præmotio, de qua recurreret tota quæſtio, quare denegatur juſto illa phyſica præmotio, ut non reſiſtat gratiæ ſufficienti ad primum peccatum declinandum; neque ulla alia ratio & cauſa reddi poſſet, præter Dei voluntatem. Attamen certum iſtud eſt, Deum non deſerere juſtum, niſi priùs ab illo deſertus fuerit. *Manifeſtum autem eſt*, ait Arnaldus diſſert. de vera S. Thomæ circa gratiam ſufficientem doctrina arr. 22. q. 4. *non minùs ridiculum fore, qui reſpondeat. idcircò juſto gratiam illam efficacem ad aſſenſum illum neceſſariam Deum non dediſſe, quia juſtus gratiæ ſufficienti non aſſenſit, quàm qui tempore Eclypſis interrogatus, cur Sol non illuminet, hujuſce rei hanc cauſam eſſe dicat, quòd terra tenebris cooperta ſit.* Sic Arnaldus tacitè ſugillat & explodit eos Theologos, qui cauſam, propter quam Deus homini juſto gratiam efficacem denegat, hanc eſſe dicunt, quia juſtus gratię ſufficienti non conſenſit: non conſentire enim gratiæ ſufficienti, id ipſum eſt, ac privari gratia efficaci; ſicut idem eſt, terram tenebris coopertam eſſe, ac Solem non illuminare.

Cauſa Arnald. pag 136

Igitur recurrendum ad aliquid negativum, quo explicetur illa voluntatis non reſiſtentia gratiæ ſufficienti. Ita reipſa exponit Cabrera diſput. 2. paragr. 11. n. 464. & ſeq. *Auxilium efficax*, inquit, *ſupponit diſpoſitionem negativam voluntatis, quam diſpoſitionem ex ſe inchoat voluntas. Neq; enim eſt inconveniens concedere ex naturali uſu libertatis negativæ pendere, quòd homini detur efficax auxilium.* Et diſput. 17. paragr. 2. n. 81. *Poteſt dici quidam virtualis conſenſus, quatenùs voluntas non reſiſtit, cùm reſiſtere poſſit: ſed talis conſẽſus non eſt poſitivus & efficax actus, nec dicit poſitivum conatum, quem Deus expectet, cùm ſit negatio reſiſtentiæ.*

Verùm negativum illud non minùs abſurdum videtur, & ad intelligendum implicatum ac difficile; imò in rei veritate in aliquid poſitivum recidit ac reſolvitur.

Refellitur itaque iſta reſponſio.

I. Quia intelligi non poteſt, in quo conſiſtat illa non reſiſtentia: an quòd voluntas omnem actum conſenſus vel diſſenſus ſuſpendat? An quòd merè paſſivè ſe habeat, aut non ponat actum reſiſtendi, ſeu diſſentiendi gratię excitanti? Sed hæc prorſus abſurda videntur. Tum quia omninò dici non poteſt, imò & in fide periculoſum eſt aſſerere voluntatem merè paſſivè ſe habendo, gratiam efficacem à Deo impetrare: pari etenim ratione dici poſſet, per actus indeliberatos, qui à ſolo Deo fiunt in nobis ſine nobis, eam mereri poſſe. Tum quia ponere actum non reſiſtendi, ſeu non diſſentiendi gratiæ ſufficienti, eſt aliquid poſitivum; eſt quippe actus liber, quo quis vult non reſiſtere: ſed talis actus neceſſariò in principiis Thomiſtarum exigit phyſicam præmotionem; unde recurrit difficultas, quare uni detur illa præmotio, ut actu velit non reſiſtere, alteri verò non detur. Tum quia ſuſpenſio actus diſſenſus vel conſenſus libera eſt; ergo includit actum poſitivum voluntatis, quo vult actum omnem ſuſpendere. Sed ad illum ipſum actum voluntatis, nonne requiritur pręmotio phyſica? Ergo viget ac recurrit ſemper propoſita difficultas.

Neque eſt, quòd dicas, hìc voluntatem ſpectari in priori naturæ inſtanti, antequam gratiæ moventi conſentiat: ſi enim in illo priori inſtanti ſtatim reſiſtit ac reluctatur, obicem ponit gratiæ efficaci, nec eam recipit; ſi verò non reſiſtit, ſed negativè ſe habeat, ſeu ſe moveri permittat, eam recipit. Non eſt, inquam, quòd hoc dicas: tum quia eadem in integro ſubſiſtit difficultas

cultas circa illam non reſiſtentiam voluntatis in priori ad conſenſum ejus inſtanti: tum quia tutum non eſt in fide aſſerere, gratiam efficacem dari propter negativum liberi arbitrii uſum, ſeu propter negationem reſiſtentiæ: ſic enim initium ſalutis & prædeſtinationis refunderetur in negativum libertatis uſum, quem homo ex ſe ac ſine Dei concurſu ſeu actione habere, & ita ab aliis ſe diſcernere poſſet; quod certè ad Pelagianiſmum declinare videtur.

Neque dicas, diſcretionem illam negativam eſſe, eo ipſo modo, quo qui non peccat, ſe diſcernit ab eo, qui peccat. Namque 1. qui non peccat, non tantùm negativè, ſed etiam poſitivè diſcernitur à peccante: diſcernitur autem per gratiam, qua ad non peccandum adjuvatur. 2. Negativa illa diſcretio vel eſt libera, vel non. Si non eſt libera, quomodo efficacem gratiam impetrare à Deo poteſt? Si libera, ergo includit, vel ſupponit actum poſitivum libertatis, ad quem neceſſaria eſt phyſica prœmotio; adeòque recurrit iterùm propoſita quœſtio. Deinde poſitivus ille libertatis actus, quo cœleſtis gratia efficax advocatur, vel eſt à ſolo libero arbitrio, vel à gratia efficaci, vel à ſufficiente. Non à ſolo libero arbitrio, Pelagianus error eſt: non à gratia efficaci, ut ſupponitur; ergo à ſufficiente, quod hìc contendimus.

Refellitur 2. negativa illa non reſiſtentia, quia in rei veritate poſitivum aliquid includit. Quid enim aliud concipitur per non reſiſtentiam gratiæ, quàm conſenſum, qui datur gratiæ? Non reſiſtere enim, eſt conſentire, facilem ſe præbere divinæ gratiæ motioni & excitationi. Sicut enim qui vocantem Deum audit, & non ſequitur, eum contemnit; ita qui vocanti non reſiſtit ipſi conſentire & obſequi cenſetur. Ut quis reſiſtat gratiæ, non indiget quidem influxu gratiæ; ſibi enim homo ad malum ſufficit: at ut non reſiſtat, ſed ipſi obſequatur, indiget auxilio gratiæ. *Sine me enim nihil poteſtis facere*, ait Chriſtus. Sicut ergo in eo, qui Soli illuminanti non reſiſtit, ſed oculos aperit, aliquid eſt non merè negativum, ſed poſitivum; ita & in eo qui gratiæ ſufficienti non reſiſtit. Atq; ut in eo ipſo exemplo hæreamus, quo utitur Alvares, ſi Deus alicui imponeret præceptum volandi, & offerret illi & alas & adjutorium neceſſarium, ut volaret; ille verò reponeret: Domine non repugno, faciam, quod jubes: iſtud, *non repugno*, an mera negatio eſſet reſiſtentiæ? An non potiùs conſenſus, quo Dei mandato acquieſceret? Non tantùm virtualis, ut ait Cabrera, ſed poſitivus & actualis.

Dices: Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 13. negativam illam diſpoſitionem, de qua Cabrera, manifeſtè admittit his verbis: *Si ipſi juſti gratiæ Dei non defuerint, Deus ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet.* *Tom. 14. Conc. p. 762. B.*

Reſp. Concilium more ſuo ita verba ſua cautè ac ſapienter temperaſſe, ut nulli opinioni in Scholis receptæ præjudicium inferri voluerit: quapropter verbum iſtud, *defuerint*, appoſitè uſurpavit, quod quiſque ad ſe trahere poſſet.

Dices iterùm: Difficultatem propoſitam nobis non minùs, quàm aliis ſolvendam eſſe. Dicimus enim, gratiam adjuvantem neceſſariam ad agendum, illis concedi, qui ſufficienti non reſiſtunt, ſeu poſitivè conſentiunt: ad iſtum quippe conſenſum eliciendum requiritur adjuvans gratia, de qua pariter quœri poteſt, cur uni detur, ut ſufficienti non reſiſtat, alteri verò non detur.

Reſp. Diſparem eſſe rationem: quia nempe in opinione, quam refellimus, præter gratiam excitantem alia requiritur præveniens ac phyſicè præmovens ad agendum, ſine qua voluntas ſemper reſiſtit priori gratiæ excitanti; unde meritò

Digitized by Google

ritò quæritur, cur uni detur, non alteri. Non ita porrò eſt in ea quam tuemur ſententia: namque præter gratiam excitantem præviam, non aliam poſtulamus prævenientem, ſed adjuvantem dumtaxat, quæ per modum concurſus ſupernaturalis ſemper adeſt iis, qui cum gratia ſufficiente agere volunt, & cum iis phyſicè ad actum cooperatur. Unde ratio cur uni detur, alteri non detur, hæc eſt, quia unus vult agere, alter verò non vult; quemadmodum, ſervata proportione, fit in concurſu naturali ad actiones naturales; cum illis enim Deus paratus eſt concurrere, ac concurrit, qui ad agendum ſeſe pro libertate determinant.

Refellitur 3. illa non reſiſtentia, ſeu negatio reſiſtentiæ: Quia dici non poteſt, quo in medio, juxta Thomiſtas, Deus futuram illam voluntatis non reſiſtentiam videat; an in decreto ſuo abſoluto, an extra decretum. Si extra decretum; ergo aliqua eſt in homine diſpoſitio ad gratiam, quæ non eſt abſoluto Dei decreto definita, quod certè alienum à principiis doctrinæ Thomiſticæ. Si in decreto, recurrit propoſita toties difficultas, quid cauſæ ſit, cur Deus abſoluto ſuo decreto velit unum non reſiſtere, non alium.

Refellitur 4. Quia in illo juſto, de quo loquitur, non reſiſtere gratiæ excitanti, eſt reſiſtere gravi tentationi, qua illum pulſari & ad diſſenſum ſolicitari ſupponimus: an verò ita quis abſurdus erit, ut dicat, juſtum illum negativè tantùm reſiſtere tentationi? Quid, quæſo, eſt reſiſtere tentationi? Niſi ei non cedere, ſed ſuperiorem eſſe. Quomodo verò hanc ſuperaret? An per gratiam ſolam ſufficientem? Negant Thomiſtæ. An per efficacem? Nullam in eo juſto ſupponunt. An per vires ſolius voluntatis? Error eſt Pelagianus: quocumque ſe vertant: premunt anguſtiæ.

Refellitur denique, eò quòd contra illam diſpoſitionem negativam facilè retorquentur objectiones, quas in adverſam ſententiam deſumunt adverſarii ex diſcretione & prædeſtinatione.

Probatur 3. noſtra Concluſio ex iſto celebri teſtimonio Chriſti apud S. Matth. c. 11. v. 21. *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida: quia ſi in Tyro & Sydone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent.* Quo in loco tria obſervanda eſſe monuimus, ubi de voluntate ac decretis Dei agebamus: 1. Veram his verbis contineri revelationem futuræ ſub conditione Tyriorum converſionis. Ita S. Auguſtinus Lib. de dono perſeverantiæ c. 6. 2. Virtutes illas ac miracula, ſi apud Tyrios facta fuiſſent, non omni interiori gratiæ auxilio deſtituenda fuiſſe: ſiquidem cum illis Tyrii converſi fuiſsent, converſio autem fieri non poteſt ſine auxilio interiori. 3. Comparationem hìc inſtitui inter Corozaitas & Bethſaiditas ex una parte, & Sydonios ac Tyrios ex altera: atque priores comparatè objurgari, quòd viſis Chriſti virtutibus ac miraculis converſi non fuerint, quaſi vidiſſent Tyrii ac Sydonii, pœnitentiam egiſsent. His obſervatis ſic arguimus: Gratia, quę conceſsa fuit Corozaitis ac Bethſaiditis, cum qua non ſunt ad Chriſtum converſi, quæ tamen, ſi Tyriis ac Sydoniis fuiſset data, eos ad pœnitentiam certiſſimè adduxiſset; gratia, inquam, illa verè ſufficiens dicenda eſt, quæ in iſtis effectum habuiſset, quem in aliis non habuit: atqui quòd gratia illa effectum non habuerit in Corozaitis, non fuit ex eo, quòd non conceſsum fuerit primum auxilium efficax ac phyſicè præmovens. Pariter quòd hæc gratia effectum habitura fuiſset in Tyriis, non habuiſset ex eodem auxilio primo efficaci ac phyſicè prædeterminante.

Pro-

Digitized by Google

Probo ſic: Objurgantur ac reprehenduntur Corozaitę, comparatione facta ad Tyrios, quòd cum accepta gratia non ſint ad Chriſtum converſi, quæ (ſi data fuiſſet) Tyrios convertiſſet. Porrò æqua & juſta non videretur hæc objurgatio comparativa, ſi idcircò non credidere Corozaitæ, quòd viſis Chriſti miraculis non acceperint auxilium efficax ac phyſicè prædeterminans, quod Tyriis concedendum fuiſſet: meritò quippe reponere poſſent Corozaitæ, idcircò ſe non crediſſe, quòd non habuerint auxilium illud efficax ad credendum neceſſarium, quod ut haberent, in ſua poteſtate non erat; è contra verò Tyriis concedendum illud fuiſſet, quo conceſſo crediſſent: quapropter obtendere potuiſſent Corozaitæ ſe immeritò reprehendi, comparatione facta ad Tyrios: in objurgatione quippe comparativa, neceſſe eſt ex utraque parte omnia æqualia eſſe.

Scio reſpondere ſolitos, qui nobis hic adverſantur, Corozaitas meritò redargui comparatè ad Tyrios, quia iſti obicem non appoſuiſſent gratiæ, quem Corozaitæ appoſuerunt; unde iſtorum culpæ ac vitio imputandum, quòd efficacem non receperint gratiam, quam Tyrii, ſi Deus voluiſſet, accepiſſent, quia nullum, aut ſaltem minus impedimentum objeciſſent gratiæ excitanti ſeu ſufficienti. Verùm reviviſcit de integro propoſita difficultas, Corozaitas ſcilicet majus gratiæ excitanti impedimentum objeciſſe, quia efficaci gratia deſtituti fuerant, ſine qua impedimentum illud tollere non poterant. Impedimentum enim illud quid eſt? Niſi reſiſtentia gratiæ ſufficienti: reſiſtentia verò illa non tollitur niſi per gratiam efficacem. Namque non reſiſtere, ex mox dictis, non eſt quid merè negativum, ſed eſt in rei veritate conſenſus poſitivus, qui datur gratiæ moventi & excitanti. Priùs igitur eſt Deum non dare auxilium efficax, quàm hominem ipſi per novum aliquod peccatum impedimentum apponere; Si enim Deus auxilium illud efficax dediſſet, omni obice remoto homo non peccaſſet.

Fruſtra reponit Alvares Lib. 7. diſput. 58. nu. 7. *Quòd ſi carentia auxilii efficacis conſideretur, ut eſt ſimplex negatio, priùs intelligimus Deum non dare auxilium efficax, quàm hominem peccare: ſi autem conſideretur ut privatio ſeu pœna peccati, priùs intelligimus hominem peccare, quàm Deum non dare auxilium efficax ad vitandum peccatum.* Pag. 504.

Verùm hęc evaſio videtur hominis eſſe, qui pondere difficultatis oppreſſus, quærit qua via elabi tandem poſſit. Privatio quippe illa ſupponit peccatum; at de hoc ipſo peccato quæritur, cur ad illud vitandum data non fuerit gratia, cujus defectu homo illud non vitavit? Pariter, cur ad removendam reſiſtentiam gratiæ ſufficienti & ad omne tollendum impedimentum, data non fuerit gratia efficax? Scio equidem gratis ac liberaliter eam à Deo concedi; attamen aliqua ex parte hominis ratio & cauſa eſt, cur denegetur. *Deus enim de ſuo bonus eſt, de noſtro juſtus*, ait Tertull. In opinione autem, quam refellimus, nulla poteſt aſſignari, ſed ultima cauſa in ſolam Dei voluntatem reſolvitur.

Quæ hactenus propoſita ſunt adversùs gratiam ſufficientem ſenſu Thomiſtico momenta, ea ipſa pariter oppugnant gratiam ſufficientem, quæ nunquam effectum obtinet, abſente gratia efficaci moraliter prædeterminante: ſola quippe mutata phyſica prædeterminatione in moralem, eædem omninò contra gratiam ſufficientem, ſive phyſicè, ſive moraliter præmoventem, contorquentur difficultates.

QUAR-

Digitized by Google

QUARTA CONCLUSIO.

Nec admittenda quoque videtur nobis gratia ſufficiens Congruiſtarum.

Probatur. Quia congruitas illa ſeu attemperatio, quæ requiritur, ut gratia ſufficiens effectum ſuum aſſequatur, duplici tantùm ſenſu poteſt intelligi: 1. Ut congruitas illa ſit eſſentialis & interna gratiæ; adeò ut licèt gratia ſufficiens in actu primo conſiderata vim habeat aliquam, qua, loquendo moraliter, movere poſſit voluntatem, nunquam tamen, quando congrua non eſt, eam moveat. 2. Ut hæc congruitas ab ipſo præſertim pendeat voluntatis arbitrio & conſenſu: ita ut dicatur gratia congrua & efficax, quando voluntas conſentit; incongrua verò & inefficax, quando non conſentit. Atqui neutro modo explicata gratia ſufficiens nobis probatur.

Non primo: Quia modus ille explicandi gratiam ſufficientem, quæ ſuum nunquam effectum aſſequatur, quando intrinſecè non eſt congrua, iiſdem planè difficultatibus ſubjacet ac premitur, quibus gratia ſufficiens Thomiſtica; atque in rei veritate ejus ſufficientia minùs benè exponi videtur, ut expendenti facilè conſtabit.

Non ſecundo: Quia ſic omninò recidit ac relabitur in gratiam ſufficientem Molinæ, quam ſecunda Concluſione hìc rejecimus.

QUINTA CONCLUSIO.

Admittenda eſt gratia ſufficiens, quæ ita immediatè ſufficiat, ſeu ad facilia quædam implenda, ſeu ad impetrandum per orationem uberius Dei auxilium, quo difficiliora impleantur, ut aliquando ſuum de facto producat effectum.

Prima Probatio ex Scripturis.

Probatur 1. Concluſio ex Scripturis.

Iſaiæ 5. v. 3. *Judicate inter me & vineam meam. Quid eſt, quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci ei?* Sub metaphora vineæ Judæorum infidelitatem ac pervicaciam Deus hic redarguit, quòd nempe eum fructum non fecerint, quem cum accepta gratia facere potuerant. Porrò ſi præter gratiam ſufficientem alia præveniens & efficax abſolutè neceſſaria fuiſſet ad quemlibet bonum fructum faciendum; nec diceret Deus: *Quid debui ultrà facere?* Nec meritò Judæi reprehendi debuiſſent, qui gratiam illam efficacem non acceperant, ſine qua fructum illum bonum facere non poterant.

Matth. 11. v. 21. *Væ tibi Corozaim; væ tibi Bethſaida: quia ſi in Tyro & Sydone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & in cinere pœnitentiam egiſſent.* Conſtat ex iſto teſtimonio, Corozaitas & Bethſaiditas cum illa gratiæ menſura pœnitentiam non egiſſe, quæ ſi Tyriis ac Sydoniis data fuiſſet, eos ad veram adduxiſſet pœnitentiam. Porrò gratiam illam efficacem non fuiſſe, manifeſtè oſtendit reſiſtentia ac pervicacia Corozaitarum; ergo gratia ſufficiens eum in Tyriis aſſecutura erat effectum, quem in Corozaitis non obtinuit.

Matth. 7. v. 7. *Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulſate, &* ape-

aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit: & qui quærit, invenit: & pulſanti aperietur. Quæ verba poſtquam repetiit S. Lucas c. 11. v. 9. addit v. 13. *Pater veſter de Cœlo dabit Spiritum bonum petentibus ſe.*

Joan. 14. v. 12. *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.*

Tria hic certa & explorata videntur: primum, nos, ut oportet, orare Deum non poſſe ſine gratia. Rom. 8. v. 6. *Quid oremus, ſicut oportet, neſcimus: ſed Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Alterum, gratiam illam orationis omnibus paratam dari vel ſaltem offerri, ſine qua impoſitum nobis orandi præceptum implere non poſſemus. *Petite. Pulſate. Quærite.* Denique gratiam illam orationis, ſi ea, ut oportet, quis utatur, effectum ſuum obtinere. *Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulſate, & aperietur vobis.* Hanc porrò gratiam efficacem nonnullis ſtatim à Deo concedi, fatemur; at nonniſi ſufficientem in multis eſſe, quæ proximam ac immediatam illis conferat ſine novo Dei auxilio ad orandum potentiam, etiam contendimus cum Eminentiſſimo Cardinali Noriſio. *Manifeſtum eſt*, ait Opuſculo, cui titulus. *Janſeniani erroris calumnia ſublata; potentiam ad orandum, debere eſſe proximam in juſto ſive fideli. Nam ſi fidelis ſit in potentia remota ad ſimpliciter orandum, (non enim hic loquor de fervida & diuturniore oratione) non habet is aliam potentiam proximam pro impetranda oratione, aliàs procederetur in infinitum.* Tum exponit Eminentiſſimus auctor, quomodo ex Auguſtini doctrina homo fidelis habeat ſemper potentiam proximam ad orandum. Pag. 112.

Secunda probatio ex S. Auguſtino.

Multa in Concluſionis noſtræ confirmationem teſtimonia vel unus ſuppeditat S. Auguſtinus.

I. Ea quibus aſſerit hominem cum gratia aliquid poſſe, & aliquid non poſſe: poſſe, quæ facilia; non poſſe, quæ ardua & difficilia ſunt: facilia immediatè, per gratiam ſufficientem; difficilia mediatè, impetrando ſcilicet gratiam efficacem, per quam illa fiant.

Lib. de natura & Gratia, c. 44. n. 50. *Non igitur Deus impoſſibilia jubet: ſed jubendo admonet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.* T. 10. p. 148. F.

Cap. verò 69. n. 83. explicat, quænam ſint, quæ facere poſſumus, & quæ petere debeamus. *Eo ipſo*, inquit, *quo firmiſſimè creditur, Deum juſtum & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere; hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.* En ferè ipſiſſima noſtra Concluſio. Ibid. p. 163. F.

Lib. de Grat. & lib. arb. c. 16. n. 32. *Magnum aliquid Pelagiani ſe ſcire putant, quando dicunt: Non juberet Deus, quod ſciret non poſſe ab homine fieri. Quis hoc neſciat? Sed ideo jubet aliqua, quæ non poſſumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus. Ipſa eſt enim fides, quæ orando impetrat, quod lex imperat.* Et paulò poſt: *Certum eſt nos mandata ſervare, ſi volumus: ſed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum eſt, ut tantum velimus, quantum ſufficit, ut volendo faciamus.* Ibid. p. 724. C. Ibid. G.

Libro de corrept. & Grat. c. 2. n. 4. *Intelligant*, inquit, *ſi filii Dei ſunt, Spiritu Dei ſe agi, ut quod agendum eſt, agant; & cùm egerint, illi, à quo aguntur, gratias agant .... Quando autem non agunt, ſive omnino non faciendo, ſive non ex charitate faciendo; orent, ut quod nondum habent, accipiant.* Ibid. p. 752. A. B.

Supponit manifeſtè his in locis S. Auguſtinus, gratiam orationis juſtis ſal-

tem

Digitized by Google

tem ac fidelibus ſemper eſſe præſentem, qua poſſint ad opus bonum faciendum uberius auxilium à Deo impetrare. Diſtinguit laudato cap. 69. Lib. de nat. & Grat. inter opera facilia & difficilia: diſtinguit ea, quæ poſſumus, (nempe immediatè) ab iis, quæ non poſſumus, (niſi mediatè per orationem.) Hæc porrò diſtinctio vana foret & illuſoria, ſi ſupponeret gratiam efficacem ad omne opus bonum ſive facile, ſive difficile, pariter eſſe neceſſariam. Certum quippe eſt, per gratiam ſufficientem conferri aliquam ad opus bonum perfectum etiam difficile potentiam: nullus id in dubium revocat. At non minùs ex Auguſtino certum iſtud videtur, potentiam illam gratiæ ſufficientis perfectiorem eſſe ac magis immediatam erga facilia, quàm erga difficilia. Porrò in hoc uno reponi dumtaxat poteſt major illa perfectio & immediatio, quòd gratia ſufficiens facilia operetur ſola; difficilia verò, nonniſi accedente gratia efficaci: ergo mens ſancti Doctoris hæc eſt, gratiam ſufficientem in rebus facilibus ſufficere; quamquam in difficilioribus majoribus auxiliis juvanda ſit infirmitas. T. 6. p. 86. C. *Hoc reſtat*, ait idem ſanctus Doctor L. de diverſis quæſtionibus ad Simplicianum q. 1. n. 14. *in iſta mortali vita libero arbitrio, ut non impleat homo juſtitiam, cùm voluerit, ſed ut ſe ſupplici pietate convertat ad eum, cujus dono eam poſſit implere.*

T. 10. p. 737. E. Et Libro jam citato de Gratia & libero arbitrio c. 18. n. 37. *Præcepto*, inquit, *admonitum eſt liberum arbitrium, ut quæreret Dei donum. Quod quidem ſine ſuo fructu prorſus admoneretur, niſi priùs acciperet aliquid dilectionis, ut addi ſibi quæreret, unde, quod jubebatur, impleret.* En gratia ſufficiens orationis, (*aliquid dilectionis*) per quam homo poteſt impetrare gratiam actionis ſeu operis, *ut addi ſibi quæreret, unde, quod jubebatur, impleret.*

Rurſus Lib. de corrept. & Grat. cap. 5. n. 7. gratiam illam orationis commendat: Ibid. p. 753. A. *Non vis*, inquit, *tua tibi vitia demonſtrari; non vis, ut feriantur, fiatque tibi utilis dolor, quo medicum quæras: non vis tibi tu ipſe oſtendi, ut cùm deformem te vides, reformatorem deſideres, eique ſupplices, ne in illa remaneas* Ibid. C. *fœditate ... Dolor quippe, quo quiſque ſibi diſplicet, quando ſentit correctionis aculeum, excitat eum in majoris orationis affectum, ut, Deo miſerante, incremento charitatis adjutus deſinat agere pudenda & dolenda, & agat laudanda, atque probanda.* Supponit iterùm hìc ſanctus Doctor gratiam orationis ſufficientem, quæ ſuum aliquando effectum obtineat: *Dolor, quo quiſque ſibi diſplicet, excitat eum ad majoris orationis affectum.*

II. Sententiam, quam tuemur, ea demonſtrant S. Auguſtini teſtimonia, quibus duplicem diſtinguit in homine bonam voluntatem, unam parvam & invalidam, alteram magnam & robuſtam. Ibid. p. 735. B. C. Lib. de Gratia & libero arbitrio c. 17. *Qui ergo vult*, ait, *facere Dei mandatum, & non poteſt, jam quidem habet voluntatem bonam, ſed adhuc parvam & invalidam: poterit autem, cùm magnam habuerit & robuſtam.* Gratia igitur ſufficiens parvam ſaltem & invalidam ex Auguſtino voluntatem efficit: Hæc enim ab efficaci non oritur, aliàs non parva foret nec invalida, ſed magna & robuſta. Neque dixeris, gratiam ſufficientem reſpectu parvæ illius ac invalidæ voluntatis efficacem eſſe; ſic enim in verbis luderetur. Quæſtio enim hìc movetur de gratia ſufficiente, quatenùs ab efficaci diſtinguitur: ſi ergo quatenus ab efficaci diſtinguitur, aliquem ſaltem imperfectum effectum obtinet, ergo novo efficaci auxilio non indiget, ſed ipſa ſola operatur, quod volumus.

Con-

Digitized by Google

Confirmat ſanctus Doctor hanc ſuam duplicis voluntatis parvæ & magnæ,
invalidæ ac robuſtæ diſtinctionem, cùm ait Lib. 2. de pecc. mer. & rem. c. 3. *Ib. p. 4'.*
n. 3. ad nonnulla ſuperanda magnis & totis aliquando voluntatis viribus opus *B.*
eſſe. *Hoc non vident*, (Pelagiani) inquit, *quòd ad nonnulla ſuperanda, vel quæ
malè cupiuntur, vel quæ malè metuuntur, magnis aliquando & totis viribus opus eſt
voluntatis, quas nos non perfectè in omnibus adhibemus*. Supponit igitur ſanctus
Doctor, penes nos eſſe cum auxilio gratiæ ſufficientis, magnas & totas vires
voluntatis adhibere, quæ ſi adhiberentur, *& quæ malè cupiuntur, & quæ ma-
lè metuuntur*, ſuperaremus; confert enim hujuſmodi gratia *ſufficientiſſimam* *T. 1. p.*
facultatem, ut loquitur ipſe Auguſtinus Lib. 3. de libero arbitrio c. 16. n. 45. *629. B.*

III. Denique Lib. 12. de Civitate Dei c. 6. hypotheſim proponit ſanctus
Doctor duorum hominum, qui æqualiter affecti animo & corpore, unius
corporis pulchritudinem videant, quorum unus ad illicita deſideria movetur,
alter verò non movetur: cujus quidem diſcriminis cauſam non aliam aſſi- *T. 7. p.*
gnat, quàm illorum hominum voluntatem. Sic loquitur: *Si duo æqualiter* *305. D.*
affecti animo & corpore videant unius corporis pulchritudinem, qua viſa unus eo- *E.*
*rum ad illicitè perfruendum moveatur, alter in voluntate pudica ſtabilis perſeveret,
quid putabimus eſſe cauſæ, ut in illo fiat, in illo non fiat voluntas mala?* .... Tum
enumeratis ac repudiatis pluribus cauſis, quæ adduci poſſent, cur unus illi-
citis deſideriis conſentiat, alter verò non conſentiat, ad unam eorum volun- *Ib. F. G.*
tatem recurrit. *Quid aliud apparet*, inquit, *niſi unum voluiſſe, alterum noluiſ-
ſe à caſtitate deficere? Unde, niſi propria voluntate, ubi eadem fuerat in utroque
corporis & animi affectio? Amborum oculis pariter viſa eſt eadem pulchritudo,
ambobus pariter inſtitit occulta tentatio: propriam igitur in uno eorum voluntatem
malam, quæ res fecerit ſcire volentibus, ſi benè intueantur, nihil occurrit.*

Manifeſtum eſt, ſanctum Doctorem eò loci ſupponere, parem ſaltem ad
orandum gratiam duobus illis hominibus datam fuiſſe, qua unus benè utens
uberius impetravit auxilium, ut illi tentationi reſiſteret; alter è contra huic
gratiæ reluctans, ſua culpa uberiori auxilio privatus in peccatum incidit.

Reſpondet Alvares Lib. 8. diſp. 71. n. 14. & cum illo recentiores Thomiſtę,
ſupponere quidem S. Auguſtinum duos illos homines corpore & animo æqua-
liter affectos, ſed non æquali donatos gratia: idque prudenter ab eo fieri,
quòd quæſtio foret de cauſa cadendi, non verò de cauſa ſtandi. *Stantibus* *Pag.*
enim, ait Alvares, *in duobus hominibus omnibus auxiliis prævenientis gratiæ tam* *697.*
*externis, quàm internis omninò æqualibus, nunquam contingit, quòd unus conver-
tatur, alter non convertatur; ſed ſemper ille, qui convertitur, recipit aliquod for-
tius auxilium prævenientis gratiæ, quod non recipit, qui non convertitur.*

Janſenio non placet iſta ſolutio Lib. 2. de Gratia Chriſti cap. 33. *Ut verum* *T. 3. p.*
fatear, inquit, *non videtur hæc reſponſio genuinum iſtius loci ſenſum attingere.* *98. col. 2.*

Reſpondet itaque Janſenius ibidem S. Auguſtinum loqui de duobus homi- *C.*
nibus in ſtatu innocentiæ conſtitutis.

Verùm certiſſimè fallitur Janſenius: tum quia ſanctus Doctor de illo ſtatu
loquitur, in quo pulchritudo corporis hominem ad illicita deſideria movere
potuit, quod certè in naturam innocentem cadere non poſſe oſtendit ſanctus
Doctor, cùm L. 1. Operis imperfecti nequidem ferre poſſit Julianum affir-
mantem oculos Adami pomi pulchritudine incitatos, ſpem etiam jucundi *T. 2. p.*
ſaporis irritaſſe: Imò docet ipſemet Janſenius Lib. de Gratia primi hominis *35. col. 2.* *E.*
c. 3.

c. 3. primos parentes, tametſi nudi eſſent, ex mutuo tamen aſpectu ne ad licitam quidem voluptatem fuiſſe concitatos. Tum quia S. Auguſtinus loquitur de ſtatu illo, in quo eſſet concupiſcentia: an *caro intuentis*, ait, *incauſa eſt*? (illiciti ſcilicet deſiderii) Nemo autem ignorat, carnis nomine ſanctum Doctorem intelligere concupiſcentiam; & iſtam à ſtatu innocentiæ procul fuiſſe. Tum denique quia loquitur de illo ſtatu, in quo homo non tantùm exteriùs, ſed etiam interiùs à dæmone tentaretur. *An dicendum*, pergit, *alterum eorum occulta maligni ſpiritus ſuggeſtione fuiſſe tentatum?* Porrò ejuſcemodi occulta dæmonis ſuggeſtio locum non habuit in natura innocente. Ita docet S. Thomas 2. 2. q. 165. art. 2. ad 2.

Tertia Probatio ex Scholæ Doctoribus.

Nonnulli paulò certè liberiùs ac minùs conſultè doctrinæ, quam hic defendimus, invidiam ex novitate creare moliuntur, quaſi hactenus in Scholis Sorbonicis inaudita fuiſſet. Ex illis ſunt, de quibus Thomaſſinus Theologic. Dogmatum Tract. 3. cap. 10. ait: *Incidere illi in eam calamitatem, quam rarò vitant, qui res tenuiter & in cortice tantùm intuentur.*

T. 3. p. 425. col. 1.

Non recuſabunt, opinor, in re facti teſtem oculatum Illuſtriſſimum Habertum Doctorem Sorbonicum & Epiſcopum Vabreſem. Is in opere, cui titulus: *Theologia Græcorum Patrum*, Lib. 2. cap. 6. n. 1. ſic loquitur: *Catholici Doctores omnes, quorum Scripta ab Eccleſiæ Conciliis damnata prohibitave non ſunt, aut à ſummis Pontificibus, non omnem gratiam excitantem neceſſariò efficacem eſſe, darique gratiam aliquam vocantem, verè ſupernaturalem ac intrinſecam, quæ poſſit conſenſum voluntatis ad bonum ſalutis elicere, nec tamen propter liberam voluntatis electionem ac reſiſtentiam eumdem aliquando eliciat, omnibus in Scholis ac Sorbonica præſertim, ſemper profeſſi ſunt, hodieque profitentur. Illam adversùs hæreticos ſe tueri tanquam Eccleſiæ ſententiam, palam docent, clamant, & ſcribunt: ita ut contrariam nemo in Sorbonica Palæſtra publicis Theſibus propugnare meritò permittatur; Orthodoxam verò, ſingulis quæ de gratia proponuntur aſſertionibus quotidie ipſa ſubſellia, parietes ipſi perſonent. Doctorum ego ſingulorum, qui ad unum omnes, id in Pariſienſis Scholæ Auditoriis publicis Theorematis propoſuerunt, conſcripta teſtimonia, cùm in manibus plurimorum extent, proferre poſſem.* Tum laudat teſtimonia nonnullorum utriuſque Scholæ Sorbonicæ ac Navarricæ Profeſſorum, Gamachæi, Duvallii, Yſamberti, Hennequini, Dautruvii, Pereretii, Lemonii: deinde exſufflat ac irridet frigidam neſcio cujus reſponſionem, nempè Doctores iſtos recentiores à Jeſuitis doctrinam illam didiciſſe: *Imò*, pergit Habertus, *PP. Jeſuitæ à Doctoribus Scholæ Pariſienſis, in cujus fœcundiſſimo gremio ortum doctrinæ ſuæ, incunabula ac incrementa debere ſe non inviti agnoſcunt ac gloriantur. Unde & multis ante PP. Jeſuitas natos ſæculis, B. Thomas Doctor Pariſienſis & doctorum ſydus, auxilium ſufficiens, disertè expreſſit.* Addit & Joannem Scotum Doctorem quoque Pariſienſem Subtilem cognominatum.

Pag. 194

Pag. 195

Ne quis verò hic excipiat, loqui dumtaxat Habertum de neceſſitate ſeu exiſtentia gratiæ ſufficientis, non verò de illius viribus ſeu virtute, quaſi ſola ſine novo Dei auxilio quidquam reipſa interdum efficeret; audiatur idem Illuſtriſſimus Auctor, cùm de natura, virtute & efficacia gratiæ ſufficientis dif-

diſſerit eodem Libro 2. cap. 15. n. 2. *Quando verò*, ait, *ad gratiæ ſufficientis notionem apertiùs explicandum, verumque ab efficiente diſcrimen aperiendum huc diſceptationis uſque provecti ſumus: cenſemus primò cum aliis Theologis, non eſſe diſcrimen illud naturæ vel entitatis diverſæ: utraque enim eſt actio Dei ſupernaturalis, intellectum & voluntatem afficiens, & moraliter tantùm differens, propter habitudinem & modum conjunctionis certæ & immediatæ cum effectu, quam vel ipſo nomine efficax ſonat; quam quidem relationem certò ac infallibiliter, ut inquiunt, ac etiam immediatè cum ipſo effectu ſupernaturalis & liberi conſenſus completi ſufficiens non habet, ſed, vel contingenter vel mediatè. Arbitramur proinde & dicimus ſecundò, gratiam ſufficientem eſſe gratiam diſpoſitionis ſupernaturalis ad gratiam efficacem, utpote ex cujus bono uſu & effectu incompleto, Deus poſtea gratiam completi effectus certò productivam ſeu effectivam, creatæ voluntatis concedat.* Pag. 289.

Ibidem n. 3. ſic pergit: *Gratiam itaque ſufficientem optimè deſcribit Schola Sorbonica apud Philippum Gamachæum, Regium Theologiæ Profeſſorem: Auxilium gratiæ, ex cujus ope & bono uſu homo à Deo excitatus gratiam efficacem conſequi poteſt .... Auxilia igitur gratiæ ſufficientis ſunt diſpoſitiva ad efficacem; & ipſa quoque ſecundùm ſe ſpectata poſſunt dici efficacia, non ſimpliciter effectus completi ad juſtificationem vel ad meritum, ſed efficacia ſecundùm quid, effectus videlicet incompleti, inchoati, diſpoſitivi & præparantis, impetrantis primò remotè, propiùs ac tandem proximè; qualis eſt actus fidei, actus ſpei, actus timoris, ſervilis primùm, deinde filialis; imperfecti primùm, dein paulatim perfectioris, atque inter hæc omnia, orationis. Unde Theologiæ celeberrimus Profeſſor Alphonſus Lemoinus, Doctor Sorbonicus, gratiam illam ſufficientem docuit eſſe gratiam petendi, ſeu gratiam orationis, de qua toties beatus Auguſtinus; & verum id quidem, ſententiæque noſtræ prorſus conſentaneum.* Hactenus Habertus. Unde habes: 1. Gratiam ſufficientem ab efficaci non diſtingui natura & entitate. 2. In hoc utriuſque diſcrimen ſtare, quòd gratia efficax certò & infallibiliter conjungatur cum effectu perfecto ſeu completo; non ita gratia ſufficiens, quæ vel contingenter, vel mediatè tantùm effectum ſuum obtinet. Si porrò *contingenter*, ergo interdum illum aſſequitur. 3. Gratiam ſufficientem eſſe gratiam diſpoſitionis ſupernaturalis ad gratiam efficacem certò conſequendam, pro bono uſu gratiæ ſufficientis; ergo interdum homo benè utitur gratia ſufficiente, non tantùm negativè, ipſi non reſiſtendo; ſed etiam poſitivè, operando id, ad quod gratia illa vires pares ac ſufficientes ſuppeditat. 4. Gratiam ſufficientem dici poſſe *efficacem ſecundùm quid, effectus videlicet incompleti, inchoati, diſpoſitivi & præparantis*. 5. Denique, gratiam illam ſufficientem eſſe gratiam petendi ſeu orationis, quam in noſtra poteſtate eſſe, ut illa utamur, toties affirmat S. Auguſtinus: unde prorſus excuſari à culpa homo non poteſt, ſi non fecerit id, ad quod mediatè ſaltem faciendum, per orationem ſcilicet uberius impetrando Dei auxilium, gratiam accepit ſufficientem. Pag. 290. & 291.

Hanc ætate ſua publicam & communem fuiſſe Scholæ Sorbonicæ doctrinam, non tantùm ſuo, ſed & aliorum, quos appellat, teſtimonio demonſtrat Habertus. In fumos igitur abit illa novitatis contra doctrinam noſtram accuſatio. Si Habertum non legerunt Cenſores noſtri, ſaltem latere illos non potuit, qui eam in rem prolixè ſcripſit, in Opere Clero Gallicano dicato, Ludovicus Thomaſſinus Oratorianus Presbyter, vir eruditus & amans veritatis, cui poſt definitionem Eccleſiæ conſtanter adhæſit. Fatetur ille candidè,

dè, Theologic. Dogmat. Tract. 4. Conſenſus Scholæ de gratia: *Quamdiu Theologicis Scholis præfuit, imò & Philoſophicis, ſe alienum ſemper fuiſſe & à prædeterminatione phyſica, & à ſcientia media. Nec ſuffragatum eſſe Janſenii Iprenſis Epiſcopi doctrinæ, niſi antequam Apoſtolicæ Sedis Decreto percelleretur.* Ille porrò in prolixo Tractatu Conſenſus Scholæ de gratia, adductis in medium quàmpluribus per longam annorum ſeriem Scriptorum teſtimoniis, oſtendit gratiam habitualem cum ſola ſufficiente actuali ſatis eſſe ad opera nonnulla pietatis facilia exercenda. Tractatum ſuum ordine Chronologico in quatuor partes diſtribuit: prima continet Theologos ab anno 1100. uſque ad annum 1300. Secunda ab anno 1300. ad annum 1500. Tertia ab anno 1500. ad finem uſque Concilii Tridentini. Quarta denique ab exitu Concilii Tridentini ad noſtra uſque tempora. Si ſeriem illam teſtimoniorum expendere voluiſſent, qui nobis hìc adverſantur, procul dubio novam non dixiſſent Concluſionis noſtræ doctrinam: imò potiùs novam habitam fuiſſe inſinuat eam, quam nonnulli invexerant. *Si qui*, ait loquens de Theologis ſecundæ ætatis, *horum Theologorum inuſitatam neſcio quam auſteritatem affectarunt, ut Thomas Braduardinus & Gregorius Ariminenſis, illos cæteri abiecerunt, vel etiam damnarunt. Sicubi diſcrepaſſe viſi ſunt Thomas, Bonaventura & Scotus, non magni fuit momenti illa diſſenſio .... Nemo eorum vel uno ſaltem verbo attigit ſufficientia illa auxilia, quorum effectus nunquam eſt ullus .... Omnibus ea placuere ſufficientia auxilia, verè ſufficientia, quibus aſſentitur quandoque voluntas, quandoque non aſſentitur.*

T. 3. p. 435. col. 1.

Ibid. p. 531. col. 1.

Braduardinus Dominicanus Archiepiſcopus Cãtuar. Gregorius Ariminẽſis Auguſtinianus Doctur Pariſienſis.

Pag. 422 col. 2.

Miratur idem eruditus Scriptor cap. 8. Tractatus 3. eſſe aliquos, quibus mira & inuſitata videatur doctrina, quam exponit. *Si mireris*, inquit, *vitari reipſa à nobis peccatum aliquod, vel fieri opus aliquod bonum per hæc auxilia generalia vel ſufficientia, dicam fidenter, nihil tua hac admiratione mirabilius eſſe poſſe. Si enim hæc auxilia verè auxilia ſunt, qui fieri poteſt, ut nihil inde utilitatis redeat ad innumerabiles homines, qui his donantur innumerabilium annorum ſpatio? Si bona fide ſufficientia dicuntur auxilia; ſi proximam verè dant poteſtatem, qui fit, ut ex innumerabili tamdiu hominum, qui ita juvantur, multitudine, vel peccatum declinat, vel præceptum obſervat omninò nemo? At quo tandem modo verè ſufficientia ſunt illa adjutoria, ſi præterea gratia efficax modis omnibus eſt neceſſaria? Non is poteſtatem habet proximam, ſufficientem & completam, cui deeſt aliud auxilium neceſſarium, quod in ejus poteſtate non eſt. Fruſtra ſunt autem, ubi reſpondent, aliud illud auxilium efficax datum iri, ſi benè utantur ſufficienti; cùm ita cenſeant ipſi, ut benè utatur quis ſufficienti, efficaci auxilio opus eſſe. Veriſſima ergo concordia, qua & illud verè ſufficiens auxilium defendatur, & hoc tamen efficax neceſſarium prorſus ſit, illa ipſa eſt, quæ à nobis jam explanata, nempè gratiam ſufficientem ſufficere ad actus quoslibet faciles ſejunctim; efficacem neceſſariam eſſe ad omnes actus conjunctim, quibus ad juſtificationem præparamur; aut quibus datur perſeverantia in bono uſque in finem; denique quibus graves ſuperantur tentationes, vel heroicæ arduæque virtutes exercentur. Non aliud capere me potuiſſe profiteor.* Ita Thomaſſinus ſuam & noſtram adſtruit ac confirmat ſententiam.

Eruditus Carolus du Pleſſis d'Argentre, Theologus Pariſienſis è Societate Sorbonica, deſignatus Epiſcopus Tullenſis, ampliſſima Diſſertatione de multiplici genere divinæ gratiæ variaque ejus partitione, plus quàm mille laudat è Schola Theologos, inter quos centum & amplius numerantur, qui ad

per-

perfectam cordis converſionem efficacem quidem exigunt gratiam; ad alia verò pietatis opera facilia, quibus via paratur ad juſtificationem, ſufficientem gratiam, prout ab efficaci diſtinguitur, ſatis eſſe contendunt, cui ſi voluntas contumaciùs non reluctetur, uberius & efficax auxilium ad perfectam cordis converſionem impetrabit: quo ſenſu intelligi debet tritum iſtud ac pervulgatum axioma: *Facientibus quod in ſe eſt*, (per gratiam ſufficientem) *Deus non denegat gratiam*, (nempè uberiorem & efficacem.) Non patiuntur præfixi hujus Tractatus limites, ut eorum Scholæ Theologorum teſtimonia hìc deſcribamus, quæ legere quiſque poterit apud auctores mox citatos. Unum hìc inter recentiores laudaſſe ſufficiet Eminentiſſimum Cardinalem Noriſium in Opere jam citato, cui titulus: *Janſeniani erroris calumnia ſublata*. Ubi poſtquam retulit iſta S. Auguſtini verba ex cap. 69. Lib. de natura & gratia: *Hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus*, ſic concludit: *Igitur opera facilia ſeu actus bonos minùs perfectos facere poſſumus abſque eo, quòd majus & ulterius auxilium à Deo poſtulemus: quod tamen in actibus perfectioribus ac difficilioribus ſuppliciter petendum eſt.*

Quarta Probatio ex rationum momentis.

Momenta hæc proſequitur Thomaſſinus Tract. 3. Conſenſus Scholæ de Gratia c. 13. Iſta verò ſunt propriis ejus verbis reddita:

I. *An reparatus homo dici poteſt, ſi nihil prorſus poteſt cum eo auxilio, quocum antè omnia poterat?* Tom. 3. p. 428. col. 1.

II. *Quomodo per juſtificationem reddita eſt illi vita & ſanitas, ſi nihil eorum poteſt, quæ poterat? An vivit, qui ne movere ſe quidem poteſt? Eſtne vera ſanitas illa, eſtne initiata ſaltem ſanitas, quæ ne gradum quidem unum promovere poteſt, ne rem quidem facillimam facere vel incipere?*

III. *Reſtituta nobis eſt ex Auguſtino per juſtificationem libertas boni, hoc eſt facilitas benè operandi, quam in Adamo amiſeramus. Si hæc reſtituta nobis eſt facilitas, aliquid ergo boni moliri poterimus, eodem muniti adjutorio, quo Adamus innocens.*

IV. *Ex eodem Auguſtino, quinimò ex Scripturis, Conciliis & Patribus, Baptiſmo non aboletur tantùm peccatum, ſed nova inditur vita, reſculpitur imago Dei primæva, in novam excitamur creaturam. An is verè innovatus & redintegratus eſt, qui de priſtino ſuo ad bonum operandum robore, ne tantillum quidem recuperavit?*

V. *Ex Paulo & Auguſtino per Baptiſmum non tantùm commorimur Chriſto, ſed & unà reſuſcitamur, inſerta nobis vita, vi, fortitudine, quæ reſpondeat membro Chriſti à mortuis ſuſcitati. Non ergo charitas hominis cum Chriſto ſuſcitati & redivivi, tam elanguida erit, vel tam mortua, ut nihil omninò agere poſſit boni cum eodem auxilio, quo Adamus ante lapſum omnia poterat.*

VI. *Non deſunt forſan nunc juſti, qui fide ſint vegetiore & charitate flagrantiore, quàm eſſet Adamus. An ergo ne ſemel quidem operari quidquam poterunt, etiam ubi nihil ingruit difficultatis: cùm poſſet Adamus & innumera exercere opera bona & difficilia?*

VII. *Erat quidem præcellens Adami ſapientia, nec ulla eum ſtimulabat concupiſcentia. Sed complura ſunt opera bona, ad quæ plùs ſatis eſt nobis luminis, & ubi*

aliquamdiu ſaltem quieſcit & ſilet concupiſcentia. Tum ergo poterunt juſti aliquid boni agere, eodem freti, quo Adamus auxilio.

VIII. Juſtis nunc ſpeciali auxilio opus ſit ad omnia, nihil abnuo: ſed cùm ea neceſſitas non oriatur niſi ex ignorantia & rebellante identidem concupiſcentia carnis noſtræ; ſatis erit, ut Deus idoneum lumen ingerat, & aliquamdiu concupiſcentiam ſiſtat. Novo hoc auxilio non prædeterminatur voluntas noſtra, ſed eo loco nos ſtatuit, eidemque poteſtati reſtituit ad hoc opus peculiare, qua pollebat Adamus, quamdiu ab innocentia primigenita non deſcivit.

IX. Cùm gratia habitualis & charitas, qua præditus erat Adamus, ingentes ſuperare poſſet difficultates; quin nunc eadem charitas iiſdem ſuccincta actualibus auxiliis, leviſſimas ſaltem vincat carnis tentationes?

1. 2. qu. 109 art. 9. X. Inde eſt, quòd ubi de ſpeciali auxilio diſputat S. Thomas, eo quo nunc juſti adversùs ignorantiam & concupiſcentiam egent, non aliis quàm his illud exprimit verbis, dirigit, protegit, & tentationum amolitione. Ex quo liquet, & non ſemper deſiderari hoc auxilium ad quodlibet opus bonum; & eo voluntatem non determinari ſemper, ſed dirigi protegique.

XI. Auguſtino curæ potiſſimum fuit, ut conſentirent auxilia divinæ gratiæ, noſtræ ad bonum facilitati, vel difficultati. Inde eſt, quòd latum voluit eſſe diſcrimen perſeverantiæ in utroque ſtatu hominis ſtantis & lapſi. An ſenſiſſet autem Auguſtinus, Paulo in flagrantiſſima illa charitate ſua difficilius fuiſſe opus bonum quodlibet etiam ex ſeſe facillimum, quàm Adamo difficillimum quodlibet opus, & ipſam uſque in finem perſeverantiam?

XII. An ſenſiſſet Auguſtinus perinde arduum eſſe quantulumcunque opus bonum, ideòque ad id eodem adjutorio opus eſſe homini juſtificato: atque ut vincula abrumpantur quælibet, quæ nos peccato aſtringunt, ut voluptatibus molliſſimis nuncius remittatur, & ſuperentur tentationes atrociſſimæ ante juſtificationem?

XIII. An exiſtimaſſet Auguſtinus æquè valida opus eſſe gratia, atque adeò tantumdem nos experiri difficultatis ad implendum unum præceptum, atque ad implenda omnia? Ad vitandam ſingula peccata, atque ad effugienda omnia? Ad vincendas tentationes ſingulas, atque ad omnes? Contra militat experientia. Sed ubi docuit ſanctus Pater poſſe à juſtis vitari culpas ſingulas veniales, ſed non univerſas; eo ſatis prodidit diſtinguenda eſſe auxilia, quæ ad res tam diverſas eſſent neceſſaria: ideoque nec deſiderari indiſcriminatim debere auxilium efficaciſſimum ad res etiam facillimas.

XIV. Si nulla ſunt nimirùm actualia auxilia, niſi quæ invictiſſimæ ſunt efficaciæ; cui ejuſmodi dabitur auxilium, is tam univerſa conjunctim præcepta implebit, vitabit peccata, quàm ſingula ſeparatim: contra, qui eo fraudabitur, tam ſingula omittet præcepta, & peccata committet, quàm univerſa. Quo ergo evadet conſtantiſſima illa Auguſtini doctrina, Hieronymi, Thomæ & omnium Scholæ Theologorum, qui tantùm operæ poſuerunt in conſtituenda facilitate ſingulorum bonorum operum, difficultate univerſorum?

XV. In quo autem collocabitur ſpeciale perſeverantiæ donum, ſi nihilò plùs difficultatis ſit in implendis ſemper præceptis, quàm in uno eorum aliquo obſervando? Si ad quodlibet opus bonum ſigillatim requiritur efficaſſima gratia, nihil ampliùs deſiderari poteſt ad perſeverantiam uſque in finem. Contrariam tamen doctrinam & docuit Auguſtinus & Concilium Tridentinum definiit.

XVI. Addi poſſet delectationem illam & dilectionem juſtitiæ victricem, in qua vis

Digitized by Google

vis gratiæ efficaſſima à Janſenio conſtituitur, in dubitatiſſimè Angelis & primo parenti conceſſam fuiſſe; cùm ne ipſe quidem neget eam eſſe ipſiſſimam charitatem. Atqui charitate donati fuerant. Aut ergo gratia efficax indulta illi fuerat, aut aliud eſt ea gratia, aliud charitas. Hactenus Thomaſſinus.

Quibus & hæc addi poſſunt ex ipſiſmet adverſariorum principiis deducta:

I. Si in ſententia patronorum ſyſtematis delectationis ſuperioris, eadem gratia victrix eſt & non victrix pro varia diſpoſitione ſubjecti, ſeu pro majori vel minori cupiditate, in quam incurrit, cur non licebit aſſerere, ſaltem in facilibus gratiam ſufficientem habere aliquando effectum, cùm ita feliciter cadit in liberum arbitrium, ut ipſi de facto conſenſum præbeat?

II. Gratia ſufficiens ſenſu Thomiſtico, imò & ſenſu Janſenii, prout ab efficaci ſeu victrici diſtinguitur, effectum aliquem deliberatum ſaltem imperfectum ac debilem producit. Quidni pariter & gratia ſufficiens, qualem defendimus? Si dixeris, gratiam illam ſufficientem fieri & eſſe efficacem reſpectu illius effectus imperfecti ac debilis; idem & nos pariter dicemus de noſtra gratia ſufficiente: & quidem ſenſu ad intelligendum magis aperto & facili, quàm in aliena Thomiſtarum & Janſenii ſententia.

Non facilè enim intelligitur in opinione Thomiſtarum, quomodo gratia illa ſufficiens effectum ſuum producat; an ſine, vel cum præmotione phyſica: ſi abſque præmotione phyſica, ergo hæc neceſſaria non eſt ad omnes & ſingulos actus bonos, quod Thomiſtæ non concedunt. Si cum illa præmotione, ut quid gratia illa hæret in actu debili & imperfecto, quandoquidem adjunctam habet phyſicam præmotionem tam efficacem ac potentem?

Difficiliùs adhuc id exponi poteſt in ſyſtemate Janſenii, in quo neceſſe eſt, hominem agere ſecundùm id, quod magis eum delectat; qua enim ratione fieri poteſt, ut gratia inferior in concurſu ardentioris cupiditatis effectum aliquem bonum deliberatum obtineat? Ergo tunc voluntas majori delectatione non trahitur, quod capitaliter adverſatur ſyſtemati Janſeniano.

Solvuntur Objectiones.

Objicies I. Ea omnia Scripturæ loca, quibus Theologi communiter adversùs Molinam demonſtrant, admittendam eſſe gratiam à ſe ſeu ab intrinſeco efficacem, qualia iſta ſunt præcipua. Ezechiel. 36. *Faciam, ut in præceptis meis ambuletis.* Joan. 15. *Sine me nihil poteſtis facere.* Rom. 9. *Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei.* Philipp. 2. *Deus eſt, qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate.* Hæc porrò teſtimonia vel infirma ſunt ad probandum dari gratiam à ſe efficacem, vel probant eam ad omnes & ſingulos pietatis actus omninò neceſſariam eſſe.

Reſp. I. Simili argumento probare quis poſſet, vel ad nullas, vel ad omnes etiam leviſſimas tentationes ſuperandas, gratiam neceſſariam eſſe; quia Scriptura omnium indiſtinctè tentationum victoriam divinæ gratiæ tribuit: atqui tamen trita eſt ac permiſſa in Scholis opinio, poſſe hominem leviores aliquas tentationes vincere ex motivo aliquo naturali honeſto ſine gratia ſupernaturali.

II. Laudata Scripturæ teſtimonia opponere nobis meritò non poſſunt Jan-

Digitized by Google

ſeniani: tum quia ſi ad rigorem litteræ intelligatur, evincunt gratiam non tantùm efficacem, ſed victricem ſemper eſſe; hoc eſt, operis boni pleni ac perfecti effectivam. *Operatur velle & perficere. Faciam, ut in præceptis ambuletis.* Quid ergo fiet de gratia illa parva Janſeniana, quæ debiles dumtaxat & imperfectos ad pietatem motus excitat? Tum quia in ſyſtemate Janſeniano gratia non eſt à ſe ſeu natura & entitate efficax, ſed ab extrinſeco dumtaxat, à minori nempè concupiſcentiæ reſiſtentia: alioquin eadem gratiæ per ſe efficacis entitas quamcunque oppoſitam reſiſtentiam ſuperaret, ſicut in ſententia Thomiſtica eam ſuperari agnoſcit ipſe Janſenius. Porrò in ſyſtemate delectationis relativè ſuperioris ac victricis, iſtud admitti non poteſt: eadem quippe entitas gratiæ pro majori vel minori reſiſtentia ſubjecti, in uno erit inefficax, in altero verò efficax: inefficax, ſi ſuperior fuerit cupiditas; efficax verò, ſi fuerit inferior.

III. Vel citata Scripturæ teſtimonia intelliguntur de aliqua dumtaxat gratia ad agendum requiſita, vel de omni: ſi prius, ultrò fatemur eſſe aliquam gratiam efficacem, quæ certiſſimè voluntatis conſenſum in bonum exprimit: ſi poſterius, fatemur pariter ad omne opus bonum, præter excitantem, adhuc neceſſariam eſſe gratiam adjuvantem; unde jure ac meritò generatim aſſeritur, nullum planè pietatis opus ab homine fieri ſine gratia Dei efficaci: quamquam diverſa ſit ratio ipſius efficaciæ. Alia quippe eſt certò ac ſemper efficax ſeu determinans: alia quæ nec certò, nec ſemper voluntatem determinat. Priorem ad opera pietatis ardua & difficilia requiſitam eſſe; poſteriorem verò ad faciliora ita ſufficere aſſerimus, ut cum ea aliquando agamus.

Inſtabis 1. ex Apoſtolo 1. Cor. 4. v. 7. *Quis te diſcernit? Quid habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Atqui ſi detur gratia ſufficiens, cui unus ſine efficaci conſentiat, alter verò non conſentiat, nonne primus ab altero ſe diſcernet, ac de ſuo conſenſu gloriari poterit?

℞. 1. Mirum eſſe adverſarios perpetuò iſtum Apoſtoli textum nobis opponere, quem ipſimet in ſua ſententia ſolvendum pariter habent. Nonne in ſententia Thomiſtarum verum iſtud eſt, eum qui gratiæ ſufficienti non reſiſtit, efficacem à Deo impetrare; qui verò reſiſtit, non impetrare? Ergo unus ab alio ſe diſcernit, contra effatum Apoſtoli; qui enim non reſiſtit, non habet ex gratia efficaci, ut non reſiſtat, ſicut antea oſtendimus. Pariter in ſententia Janſeniana, gratia vel eſt victrix, vel non victrix pro majori vel minori reſiſtentia ſubjecti: ergo qui minùs reſiſtit gratiæ, ſicque victricem eam reddit & efficacem, ille profectò dici poteſt ſeipſum diſcernere ab alio, qui reſiſtit.

Pag. 62. col. 1. A. ℞. 2. Iſtud Apoſtoli effatum: *Quis te diſcernit?* etiam ad Angelos transferri à S. Anſelmo, Lib. 1. de caſu diaboli cap. 1. cujus rei cauſam profert S. Auguſtinus Lib. 12. de Civitate Dei c. 9. Quia ſeipſos meliores non fecerunt, quàm
T. 7. p. 307. à Deo facti ſunt, ſed in eadem bona voluntate permanſerunt, in qua primùm conditi fuerunt. Et Lib. 11. de Geneſi ad litteram cap. 8. generatim de omni creatura dicit: *Sic enim qui gloriatur, nonniſi in Domino gloriatur, cùm cognoſcit*
T. 3. p. 1. p. 297. D. *non ſuum, ſed illius eſſe, non ſolùm ut ſit, verùm etiam ut nonniſi ab illo benè ſibi ſit, à quo habet, ut ſit.* Atqui tamen, fatentibus Janſenianis, ſufficiens dumtaxat conceſſum eſt Adamo innocenti & Angelis gratiæ auxilium, cum quo alii ſteterunt, alii verò lapſi ſunt: neque tamen qui ſteterunt, à cadentibus ſeipſos diſcre-

diſcreviſſe dicendi ſunt. Quid ita? Quia non à ſeipſis, ſed à Deo habuerunt id, per quod diſcreti ſunt, gratiam ſcilicet ſine qua ſtare nunquam aut potuiſſent aut voluiſſent. Ita S. Anſelmus loco mox citato, & S. Aug. Lib. 2. ad Bonifacium c. 7. Unde L. 5. Operis imperfecti contra Julianum, c. 57. ad ipſum Adamum innocentem ait pertinere, quod Scriptura dicit: *Præparatur voluntas à Domino; &, Deus in vobis operatur & velle*. T. 10. p. 1275. A. Ergo licèt è duobus hominibus, quibus æqualis data fuit gratia ſufficiens, v. g. orationis, unus conſentiat, alter verò non conſentiat, nihilominus qui conſentit & uberius impetrat Dei auxilium, non propterea ſeipſum ſimpliciter diſcernit à non conſentiente; quia nonniſi per gratiam gratis acceptam conſenſum præbuit: quapropter non in ſeipſo, ſed in Domino gloriari debet. *Non ego, ſed gratia Dei mecum*. 1. Cor. 5. v. 10.

℞. 3. Diſtinguo min. Qui conſentit, ſe diſcernit à non conſentiente, ſecundùm quid, motus ſcilicet ac præventus auxilio divinæ gratiæ, concedo: ſe diſcernit ſimpliciter ſine auxilio gratiæ, nego. Itaque non negat Apoſtolus, quin homo beneficio gratiæ prævenientis & adjuvantis ſeipſum ſecundùm quid, per uſum divinæ gratiæ diſcernat; ſed negat dumtaxat iſtud fieri poſſe per nudum liberum arbitrium ſine gratia. De ſeipſo enim Apoſtolus dixit 1. Cor. 5. v. 10. *Gratia Dei ſum id quod ſum, & gratia ejus in me vacua non fuit, ſed abundantiùs illis omnibus laboravi: non ego autem, ſed gratia Dei mecum*. In quod Apoſtoli teſtimonium Auguſtinus ait: *Ac proinde nec ego ſolus, nec gratia Dei ſola, ſed gratia Dei mecum*. Reſponſionem noſtram idem ſanctus Doctor eximiè confirmat L. de Gratia & libero arbitrio c. 6. his verbis. T. 10. p. 725. G. *Quoniam verò merita humana ſic prædicant* (Pelagiani) *ut ea ex ſemetipſo habere hominem dicant, prorſus rectiſſimè reſpondet Apoſtolus: Quis te diſcernit?* Audis per hæc verba: *Quis te diſcernit?* eos tantùm argui, qui meritum ex ſeipſis, non Deo donante, habere ſe prædicant; qui error nonniſi per ſummam calumniam, affingi nobis poſſet, qui credimus ac declaramus, nihil prorſus, quod ad veram pietatem attineat, hominem poſſe ſine gratia voluntatis præveniente; nihil eum boni agere, ſine adjuvante eaque efficaci, quæ dat ipſum velle & agere.

Quòd ſi juxta S. Petrum ſecundæ Epiſtolæ c. 1. v. 10. poſſumus & tenemur *per bona opera certam noſtram vocationem & electionem facere*, quidni & gratiæ conſentiendo, ſecundùm quid nos ipſos diſcernere? *Neque tamen*, ait S. Auguſtinus Lib. de ſpiritu & littera c. 34. n. 60. *hoc infirmat quod dictum eſt: Quid habes quod non accepiſti? Imò confirmat. Accipere quippe & habere anima non poteſt dona, de quibus hoc audit, niſi conſentiendo: ac per hoc, quid habeat & quid accipiat, Dei eſt: accipere autem & habere utique accipientis & habentis eſt*. Ibid. p. 120. F. Uno verbo, non magis ſaniori doctrinæ repugnat affirmare hominem divinæ gratiæ cooperando ſeipſum ab alio quodam ſenſu diſcernere, quàm vitam æternam mereri. Atqui certum eſt ac de fide hominem per gratiam, cui cooperatur, mereri vitam æternam, ergo &c.

Inſtabis 1. Qui ab alio diſcernitur, eò amplius aliquid accepit à Deo, *qui uni donavit, non alteri*, ait S. Auguſtinus Lib. de prædeſt. SS. cap. 5. Ibid. p. 777. C. Atqui in hypotheſi noſtra duorum hominum, quibus æqualis gratia ſufficiens data eſt, qui conſentit, nihil amplius accepit ab eo, qui non conſentit; ergo vel non diſcernitur, vel diſcretio illa tota in liberum arbitrium referenda eſt.

℞. 1. Retorquendo argumentum. Qui in ſententia Thomiſtarum gratiæ ſufficienti non reſiſtit, altero reluctante, ille nihil iſto amplius aliquid ad

non reſiſtendum percipit;ergo ab illo ſe diſcernit.In ſententia pariter Janſenii, qui parem habet cum alio quantum ad entitatem gratiam, diſparem tantùm ratione minoris concupiſcentiæ, qua fit ut gratia in ipſo victrix fiat & efficax, ille præ alio amplius non percipit Dei auxilium. An propterea ſe ab illo diſcernere dicendus erit? Quidquid repoſuerint adverſarii, nos meliori jure propoſitæ difficultati accommodabimus.

℞. 2. Retorquendo adhuc hoc ipſum argumentum contra ſtatum innocentiæ, in quo boni Angeli à malis diſcreti fuerunt, licèt ex ipſiſmet Janſenianis omnes eandem omnino gratiam acceperint.

℞. 3. Diſtinguo maj. Qui ab alio diſcernitur, eò amplius aliquid accepit à Deo, ratione gratiæ adjuvantis, concedo: ratione gratiæ prævenientis, nego. Diſtinguo pariter minorem; in noſtra hypotheſi, qui conſentit, nihil amplius accepit, ratione gratiæ prævenientis, concedo: ratione gratiæ adjuvantis, nego. Sanctum autem Auguſtinum exiſtimare eum, qui ab alio diſcernitur, ſaltem in facilibus amplius aliquod auxilium præveniens accepiſſe, gratis in objectione aſſeritur, nec probatur.

Reſp. 4. Non deeſſe Theologos, qui dicunt, eum qui ab alio diſcernitur, amplius aliquid accepiſſe ratione doni, non autem ratione auxilii; quia ſcilicet ex ſpeciali dilectione ac majori benevolentia, talis gratia, licèt omninò eadem cum ea, quæ conceſſa fuit illi, à quo diſcernitur, tamen data fuit à Deo ex voluntate efficaci futuri effectus, quem per ſcientiam viſionis novit eſſe futurum.

Inſtabis 2. In adducta hypotheſi gratiæ æqualis duobus hominibus conceſſæ, diſcretio repeti aliunde non poteſt, quàm à libero arbitrio, cùm hinc & inde ſupponatur æqualis gratia.

Reſp. Nego ant. Diſcretio enim, ut jam diximus, tribui ſemper debet divinæ gratiæ, ſine qua nihil poſſumus, & quæ, cùm volumus & agimus, ipſa facit, ut velimus & agamus; quantumvis æqualis ſupponatur in duobus hominibus, quorum unus gratiæ conſentit, alter verò reluctatur. Diſcretio quippe in eum refundi debet, cujus præcipuæ ſunt ac nobiliores in opere bono partes: atqui præcipuæ ſunt ac nobiliores partes gratiæ in opere bono, quia Dei inſtrumentum eſt, ergo &c.

Inſtabis 3. Ex S. Auguſtino Lib. de Prædeſt. SS. cap. 5. Gratia, quæ diſcernit bonos à malis, non eſt communis bonis & malis: atqui gratia ſufficiens, de qua hic loquimur, communis eſt bonis & malis, prædeſtinatis & reprobis, ergo &c.

Reſp. Sanctum Doctorem per gratiam communem, quam rejicit, intelligere naturam, quam Pelagiani & Semipelagiani, quos impugnat, gratiæ nomine fraudulenter appellabant. Senſus igitur ipſius eſt, gratiam, quæ diſcernit bonos à malis, non eſſe naturam omnibus communem, ſed gratuitum ac ſpeciale Dei donum, quod quibus vult, ex miſericordia concedit, aliis verò ex juſtitia non concedit.

Inſtabis 4. Qui conſentit gratiæ, cui alter reluctatur, profectò cauſa eſt principalis ſuæ diſcretionis, quandoquidem applicat & determinat gratiam Dei ad hìc & nunc agendum; adeòque cauſa eſt determinans ac princeps.

℞. Nego ant. ejuſque probationem. Angeli enim boni, qui, cadentibus aliis in veritate ſteterunt, non fuere cauſa principalis ſuæ diſcretionis ac perſeve-

ſeverantiæ. Nec id diffiteri poteſt ipſemet Janſenius, qui Libro de Gratia primi hominis & Angelorum cap. 14. aſſerit: *Gratiam ſimul cum eorum voluntate in actum influxiſſe*. Et Lib. 8. de hæreſi Pelagiana c. 8. addit: *Nec primos homines, nec Angelos bonam voluntatem, niſi operante adjutorio Creatoris, vel habere vel ſervare potuiſſe*. Ergo non voluntas, ſed ipſa gratia dici debet cauſa principalis diſcretionis. Neque pariter dici poteſt voluntas determinare gratiam ad agendum; gratia enim ex ſeſe determinatio eſt, impulſio & inclinatio ad bonum: abſurdum autem eſt dicere, determinationem determinari, & impulſionem inclinari & impelli; quemadmodum ridiculum & ineptum foret dicere, calorem calefieri, lucem illuminari, &c. Qui ergo gratiæ conſentit altero reſiſtente, ille gratiam non determinat ad conſentiendum, ſed potiùs ejus determinationem & inclinationem ſequitur, cui alter reſiſtit. *T. 1. p. 61. col. 2.* *T. 1. p. 193. col. 2. A.*

Inſtabis 5. In hac noſtra opinione neceſſe non eſt recurrere ad inſcrutabilia Dei judicia, cur uni detur gratia efficax, alteri verò non detur: plana enim & aperta eſt ratio, quia nempe unus ſine novo Dei auxilio gratiæ ſufficienti non reſiſtit, alter verò reſiſtit.

Reſp. 1. Retorquendo argumentum contra Thomiſtas, & ipſos etiam Janſenianos. Juxta priores certum eſt, gratiam efficacem phyſicè prædeterminantem iis concedi, qui ſufficienti non reſiſtunt, ſeu qui ſeipſos non impediunt, iis verò non concedi, qui reſiſtunt ac ſeipſos impediunt: ergo ea in quæſtione neceſſe non eſt recurrere ad inſcrutabilia Dei judicia. Pariter juxta Janſenianos, cauſa, propter quam Deus non concedit gratiam efficacem & finalem perſeverantiam, eſt peccatum originale: an non aperta & obvia eſt iſta cauſa & ratio? Neceſſe ergo non erit cum Apoſtolo exclamare: O altitudo!

Reſp. 2. Tametſi generalis iſta ratio abſolutè reddi poſſit, cur unus gratiam efficacem recipiat, alter verò non recipiat, quia nempe unus ſufficienti contumaciùs reluctatur, alter verò non reluctatur; nihilominùs ad inſcrutabilia Dei Judicia confugiendum eſt, quando quæritur, cur è duobus hominibus, qui æqualiter gratiæ ſufficienti reluctantur, uni tamen concedatur à Deo gratia efficax & donum perſeverantiæ, alteri verò non concedatur. Pariter cur è duobus juſtis, qui pariter orare negligunt, uni detur gratia efficax ad orandum, cum qua orat, alteri verò detur tantùm ſufficiens, cum qua non orat. Denique cur è duobus illis juſtis Deus unum ex hac vita rapiat, cùm juſtus eſt, alterum verò incertis & innumeris hujus vitæ periculis obnoxium relinquat, quibus tandem demerſus triſte naufragium facit, ac perit? Nulla his in caſibus reddi cauſa & ratio poteſt, ſed cum Apoſtolo exclamandum: O altitudo! Deinde verò cùm Deus potuerit eam homini gratiam conferre, cui certiſſimè noverat eum conſenſurum, quare illam non dat, ſed aliam, cui reſiſtit? O altitudo!

Inſtabis 6. Se habet gratia in voluntate ſicut penicillus in manu pictoris: atqui penicillus non determinat pictorem, ſed ab ipſo determinatur & applicatur.

℞. Hujuſmodi exempla, quibus tam frequenter utitur Janſenius, diſparata omninò eſſe: penicillus quippe inſtrumentum eſt extrinſecum pictori, à quo moveri ac determinari debet, ne dum ipſum determinat. E contra, gratia præveniens eſt quidem inſtrumentum Dei, ſed internum, quod voluntatem ipſam immediatè afficit, movet & applicat, licèt non ſemper infallibiliter.

Objicies 2. S. Auguſtinus Lib. de corrept. & Grat. cap. 10. 11. & 12. probat amplum eſſe diſcrimen inter gratiam naturæ innocentis & lapſæ, in eo præſertim poſitum, quòd homo innocens bonum operari, & in eo permanere poſſet cum ſolo auxilio gratiæ ſufficientis; non ita homo lapſus. *Subventum* T. 10. p. 771. F. *eſt igitur*, ait S. Auguſtinus c. 12. *infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur.*

Reſp. Nos huic objectioni abundè jam ſatisfeciſſe articulo 2. hujus quæſtionis.

Inſtabis 1. Gratia ſufficiens & efficax natura & entitate ſua diſtinguuntur: atqui ruit funditùs illa diſtinctio, ſi gratia ſufficiens ſaltem in facilibus ſuum aliquando effectum aſſequatur ſine auxilio efficaci; tunc quippe gratia redditur efficax per ſolum voluntatis conſenſum.

℟. Nego min. Gratia enim efficax vim confert invictiſſimam ad benè agendum, unde nuſquam ipſi reſiſtitur: non ita gratia ſufficiens, quæ vitio humanæ voluntatis effectu ſuo ſæpiſſimè privatur. Ad id quod additur, gratiam ſufficientem reddi efficacem per ſolum voluntatis conſenſum, diſtinguo: redditur efficax in actu ſecundo, concedo: in actu primo, nego. Virtus enim & energia gratiæ, qua voluntas ad bonum flectitur, non eſt ab ipſa voluntate, ſed à Deo gratiæ auctore.

At, inquies, de gratia efficaci ad actus difficiliores requiſita, ſimiliter dici poterit, eam in actu primo eſſe efficacem, non in actu ſecundo. Diſtinguo, eam in actu primo eſſe efficacem invictiſſimè, concedo: non invictiſſimè, nego. Porrò gratia efficax eſt ſemper in actu primo efficax invictiſſimè, non ita gratia ſufficiens, licèt aliquando effectum habeat.

Inſtabis 2. Cùm S. Auguſtinus paſſim in ſuis contra Pelagianos Operibus requirit efficacem gratiam ad agendum, non diſtinguit inter opera facilia vel difficilia.

Ibid. p. 184. A. Reſp. Nego ant. Quid enim aliud deſignant iſta ſancti Doctoris verba Lib. de natura & gratia cap. 69. *Admonemur & in facilibus quid agamus, & in dif-* T. 6. p. 86. C. *ficilibus quid petamus.* Quid hæc Lib. 1. ad Simplicianum q. 1. *Reſtat libero arbitrio, non ut juſtitiam impleat homo, cùm voluerit, ſed ut ſe ſupplici pietate convertat ad Deum, cujus dono eam poſſit implere.* Hoc teſtimonium cùm objiceret Hallerius, Janſeniani diffiteri non potuerunt, quòd *ſi quid probaret, gratiam ſufficientem ad orandum libero arbitrio ſubjectam eſſe probaret.* Vide apud Diarium de Saint-Amour inter Collectanea pag. 134. Quid hæc ejuſdem ſancti Doctoris: *Non traheris, ora, ut traharis*, niſi diſtinctionem aliquam eſſe inter opera pietatis difficilia & facilia, & gratiam, quæ ad utraque requiritur? Si enim ad orandum, v.g. ſicut ad operandum, requiri ſemper exiſtimaſſet gratiam à ſe efficacem, incaſſum diſtinxiſſet inter ea, quæ poſſumus, & ea, quæ non poſſumus: difficilia enim perinde ac facilia operamur cum gratia efficaci.

Inſtabis 3. Si S. Auguſtinus agnoviſſet aliquam gratiam ſufficientem, quæ in facilibus haberet effectum ſine efficaci, uno verbo compeſcere ac ſedare potuiſſet omnes Pelagianorum & Semipelagianorum querimonias contra ſuam de neceſſitate gratiæ ſententiam.

℟. Nego ſequelam anteced. Fundamentum enim illarum querimoniarum erat neceſſitas gratiæ prævenientis quemcunque voluntatis actum ad pietatem, etiam

etiam ad initium fidei: cum illa etenim gratię prævenientis neceſſitate integram & illæſam ſtare hominis libertatem concipere illi non poterant. Neq; ut aliàs diximus, Auguſtinum inter & Pelagianos controverſia erat de efficacia, ſeu modo agendi gratiæ, ſed de neceſſitate ipſius ad omnes veræ pietatis actus, quam hæretici illi negabant. Porrò non tollitur ea difficultas conciliandi libertatem cum neceſſitate gratiæ prævenientis, poſita gratia ſufficiente, qualem hìc defendimus; ſemper enim prævenit & antecedit omnem voluntatis ad pietatem motum & affectum.

At, inquies, cùm uſus vel non uſus illius gratiæ ſufficientis pendeat à libero arbitrio, ſi talem ab Auguſtino admitti Pelagiani vel Semipelagiani agnoviſſent, facile ipſis fuiſſet intelligere, quomodo illæſa & integra remaneat voluntatis ſub gratia libertas & indifferentia.

Reſp. Nego aſſumptum. In ſtatu enim naturæ innocentis, fatentibus ipſiſmet Janſenianis, uſus vel non uſus gratiæ ſufficientis pendebat à libero voluntatis arbitrio: neque tamen clariùs intelligere potuerunt Pelagiani, quomodo ſtare potuerit illæſa libertas cum neceſſitate hujus gratiæ. Ratio eſt, quia concipere non poterant, qua ratione homo liber remaneret ad id agendum, quod non poteſt agere ſine auxilio præveniente, eoque gratuito; hoc eſt, quod non eſt in ejus poteſtate, ut habeat, ſeu ſibi acquirat. Cæterùm hæc objectio non minùs ſolvenda eſt in ſententia adverſariorum, qui libertatem in immunitate à coactione conſtituunt; nihil enim conceptu facilius, quàm per gratiam non tolli libertatem, ſi ad libertatem ſufficiat immunitas à coactione.

Objicies 3. Si gratia ſufficiens ſuum abſque efficaci effectum aliquando haberet, non eſſet, cur diceret Apoſtolus, debere hominem *cum timore ac tremore ſuam operari ſalutem. Deus enim eſt, qui operatur velle & perficere pro bona voluntate*, Philipp. 2. v. 12. & 13. Ipſum etenim & velle & perficere ab ipſo homine penderet, qui cum gratia ſufficiente bonum ſaltem facilè, cùm vellet, operaretur. Tantum momenti ac ponderis habere hæc objectio nonnullis viſa eſt, ut ea ferè ſola fateantur ſe à noſtra probanda ſententia revocatos fuiſſe.

Reſp. Nihil plus momenti ac ponderis eſſe in ea objectione, quàm in præcedentibus.

I. Retorqueri pariter poteſt in ipſos adverſarios. Fatentur enim illi, Deum per gratiam efficacem in illis operari velle & perficere, qui ſufficienti non reſiſtunt, ſeu qui ſeipſos non impediunt: quid ergo neceſſe eſt hominem cum tanto timore ac tremore ſuam ſalutem operari? Hoc quippe unum ab ipſo exigitur, ut non reſiſtat gratiæ ſufficienti, ut ſeipſum non impediat; quod ſi fecerit, Deus cætera exequetur, atque in eo & velle & perficere certò certiùs operabitur.

II. Longè videbitur difficilius in adverſa ſententia exponere, quomodo cum timore ac tremore homo ſalutem ſuam operatur: quippe vel exiſtimat ſe habere gratiam efficacem, vel tantùm ſufficientem: ſi prius, non eſt, quòd timeat, imò certus eſſe debet ſe ſalutem infallibiliter operaturum: ſi poſterius, pro certo etiam habere debet ſe non eſſe operaturum ſalutem ſuam, aut ſaltem, ut aliqui aſſerunt, certus ille eſt ſe in morali impotentia eſſe ad operandam ſuam ſalutē; ſiquidem nemo cum ſola gratia ſufficiente illam operatus vel operaturus unquam eſt. Ergo hæc objectio adverſarios noſtros æqualiter premit & urget.

III. Neganda prorſus ſequela antecedentis. Quamquam enim gratia ſufficiens

ciens ſuum aliquando effectum habeat, ita tamen homo fragilis ac infirmus eſt, ut nequidem de ſuo proprio conſenſu certus ac ſecurus eſſe poſſit. Et verò quis animi ita præfidentis ſit, ut majores ſibi ex gratia ſufficiente hujuſce ſtatus vires fore præſumat, quàm vel ipſe habuerit Adamus innocens? Attamen Adamus innocens cum gratia illa ſufficiente, & in tanta non peccandi facilitate, lapſus eſt, nec in bono perſeveravit: quomodo igitur homo lapſus, ac tot infirmitatibus circumdatus jam cum eadem gratia ita ſibi blandiri, ac certò ſibi polliceri poterit, futurum, ut cùm voluerit, benè ſit operaturus? Non ita profectò eſt; ſed cum timore ac tremore ſalutem ſuam operari debet, ac ſuppliciter ad Deum dicere: *Adjuva, Domine, infirmitatem meam*. Inde

T.3.par. pag.235. D. eſt, quòd S. Auguſtinus Lib. 8. de Gen. ad litt. c. 12. n. 27. laudata verba Apoſtoli: *Cum timore ac tremore operamini veſtram ſalutem*, ad primum hominem etiam innocentem pertinuiſſe contendat.

Inſtabis: Verbis citatis Apoſtolus innuit, unicam timoris noſtri cauſam ex parte Dei eſſe, qui *operatur velle & perficere pro bona voluntate*: id eſt, qui efficacem gratiam, prout vult, & quibus vult, concedit, vel denegat.

Reſp. Inconſultè omninò hæc à Janſenianis nobis opponi: tum quia docent illi, aut ſaltem fingunt docere ſe, gratiam efficacem à Deo iis non denegari, qui ſufficienti non reſiſtunt; ergo unica timoris cauſa non eſt à Deo. Tum quia S. Auguſtinus nuſquam aſseruit ſolam Dei voluntatem in cauſa eſse, quòd

T.10.p. 54.F. homo gratia privetur; imò potiùs, privationem illam in vitium & culpam hominis refundit: *Qua ut non adjuventur*, inquit L. 2. de pecc. mer. & rem. c. 17. n. 26. *in ipſis cauſa eſt, non in Deo*. Et Lib. 83. quæſtionum q. 68. expendens

T.6.pag. 54.B.C. iſta verba Rom. 9. v. 18. *Cujus vult miſeretur, & quem vult indurat. Prorſus*, inquit n. 4. *cujus vult miſeretur, & quem vult indurat: ſed hæc voluntas Dei injuſta eſſe non poteſt. Venit enim de occultiſſimis meritis: quia & ipſi peccatores, cùm generale peccatum unam maſſam fecerint, non tamen nulla eſt inter illos diverſitas. Præcedit ergo aliquid in peccatoribus, quo quamvis nondum ſint juſtificati, digni efficiantur juſtificatione; & item præcedit in aliis peccatoribus, quo digni ſint obtuſione*. Igitur judice ipſomet S. Auguſtino præcedit ex parte hominis aliquid demeriti, quod cauſa ſit denegatæ ipſi gratiæ uberioris. Quamquam & Dei voluntas ſola aliquo ſenſu rectè dici poſſit hujuſce denegatæ gratiæ cauſa, comparatè ſcilicet, cur è duobus hominibus peccato æqualiter obſtrictis ac divinæ motioni renitentibus, uni ex miſericordia gratia concedatur, alteri verò ex juſtitia denegetur, ſola Dei voluntas in cauſa eſt, & cum Apoſtolo exclamandum; *O altitudo!* Quo ſenſu dixit idem ſanctus Doctor Lib. 2. de pec.

T.10.p. 43.C. mer. & rem. c. 5. n. 5. *Cur illum adjuvet, illum non adjuvet; illum tantùm, illum autem non tantùm; iſtum illo, illum iſto modo; penes ipſum eſt & æquitatis tam ſecretæ ratio, & excellentia poteſtatis*.

Accedit & auctoritas Conc. Trid. ſeſſ. 6. de juſtific. cap. 13. ubi ait: *Firmiſſimam in Deo ſpem collocare & reponere omnes debere. Deus enim, niſi ipſi illius*

T. 14. Conc.p. 762.B. *gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere*. Cum timore igitur ac tremore ſalutem noſtram operari, ac humili & demiſſo animo divinum implorare præſidium neceſſe eſt, ne fortè infirmitate noſtra & tentationibus ſuperati, divinæ gratiæ defuerimus, ac in peccata graviora prolapſi æternùm pereamus.

Objicies 4. Si quis ſit pietatis actus facilis, maximè initium fidei, ſalutis deſi-

deſiderium, & oratio per quam homo ſua propria infirmitate cognita confugiat ad liberatorem Deum: atque ad iſta gratiam per ſe efficacem requirit S. Auguſtinus; ergo, &c.

De initio quidem fidei L. de prædeſtinatione SS. c. 9. n. 16. *Fides inchoata & perfecta donum Dei eſt: & hoc donum quibuſdam dari, quibuſdam non dari,* T.10 p. 801. F.
omninò non dubitet, qui non vult manifeſtiſſimis ſacris Litteris repugnare. Qualis verò ſit ea gratia, exponit c. 8. n. 13. *Hæc itaque gratia,* inquit, *quæ occultè humanis cordibus divina largitate tribuitur, à nullo duro corde reſpuitur. Ideò* Ibid. p. 799. F.
quippe tribuitur, ut cordis duritia primitùs auferatur. G.

De Oratione in Epiſtola ad Sixtum 194. aliàs 105. ſic loquitur: *Etiam ipſa oratio inter gratiæ munera reperitur. Quid enim oremus, ait Doctor gentium Rom.* T.2. pag.
8. ſicut oportet neſcimus, ſed ipſe Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Quid eſt interpellat, niſi interpellare nos facit. Et lib. de dono perſev. c. 23. 720. A. B.
n. 64. *Intelligimus, & hoc ipſum eſſe donum Dei, ut veraci corde & ſpiritualiter clamemus ad Deum.* Et cap. 8. jam citato Lib. de prædeſt. SS. n. 15. *Orat pro non credentibus, quid, niſi ut credant?* Et paulò antè: *Quid ergo oramus pro nolentibus* Tom.10. pag.856. F.
credere, niſi ut Deus in illis operetur & velle? Quibus verbis ſignificat ſanctus Ib. pag.
Doctor, gratiam illam efficacem eſſe debere. 801. A.

Reſp. Fidem perfectam eſſe quidem opus arduum; aliquod verò fidei initium, quale eſt ſubnaſcens deſiderium ſalutis, qualis & oratio, non immeritò inter minùs ardua recenſeri poſſunt, pro quibus gratia ſufficiens ita ſufficit, ut voluntas illius beneficio ea interdum perficiat. Locis verò mox citatis, S. Auguſtinus non aliud intendit, niſi quod Pelagiani & Semipelagiani negabant, gratiam ſcilicet voluntatis prævenientem neceſſariam eſſe; ſeu ad quodlibet opus bonum & fidem perfectam, ſeu ad initium etiam fidei & primum credulitatis affectum: neque enim his in locis modum agendi gratiæ, ſed ejus dumtaxat neceſſitatem urget ſanctus Doctor adversùs hæreticos. Gratiam quidem à Deo poſtulat efficacem ad credendum, ſeu ad fidem perfectam, & opus perfectum. *Orat, ut credant. Orat pro nolentibus credere, ut Deus in illis operetur & velle.* Sed non poſtulat vel ad orandum, vel ad initium fidei, vel ad ſalutis deſiderium ſemper efficacem gratiam. Ibid. p. 800. C.

Inſtabis 1. Ad orandum etiam efficax gratia neceſſaria eſt; quia, ut obſervat S. Aug. Lib. 1. ad Simplicianum q. 2. n. 21. *Aliquando ipſa oratio noſtra ſic tepida eſt, vel potiùs frigida & penè nulla, imò omninò interdum ita nulla, ut neque* Tom. 8. p.102. F.
hoc in nobis cum dolore advertamus: quia ſi vel hoc dolemus, jam oramus.

R. Diſt. ant. Ad orandum neceſſaria etiam eſt gratia efficax, aliquando, conc. ſemper, neg. Duplex igitur agnoſcenda orationis gratia; una efficax, qua movente certò & infallibiliter oratio ad Deum funditur: altera ſufficiens, cum qua homo poteſt orare, & aliquando ſine novo auxilio reipſa orat.

Utramque hanc ad orandum gratiam agnoſcit Noriſius in Opere jam citato pag. 129. poſtquam verba S. Aug. ex quæſtione mox citata ad Simplicianum retulit: *Colligo, ait, dolorem, quo adeò tepidè orare dolemus, uti & ipſammet tepidam orationem fieri à nobis cum adjutorio ſine quo non, ac ordinario concurſu Dei, cùm ſint actus boni, remiſſi, debiles, & minùs perfecti: & tamen tepida oratione impetramus ſpiritum ferventioris orationis, qui nobis adjutorio quo donatur, dicente Auguſtino in Pſalm. 17. Ego libera & valida intentione preces ad te direxi, quoniam ut hanc habere poſſem, exaudiſti me infirmiùs orantem.*

Inſta-

Inſt. 2. Ex S. Aug. Lib. de correp. & grat. non poteſt homo per ſolam gratiam ſufficientem ſtatus innocentiæ ſine auxilio Dei efficaci præcepta legis implere, ob varias ac multiplices, quibus undequaque pulſatur, tentationes; ergo eam ipſam ob cauſam orare, ut oportet, non poteſt per ſolam gratiam ſufficientem.

Ant. probatur verbis ſancti Doctoris excerptis ex c. 12. n. 38. Lib. de corrept. & grat. *Si in tanta infirmitate vitæ hujus*, ait, *ipſi relinqueretur voluntas ſua, ut in adjutorio Dei, ſine quo perſeverare non poſſent, manerent, ſi vellent, nec Deus in eis operaretur, ut vellent; inter tot & tantas tentationes infirmitate ſua voluntas ipſa ſuccumberet, & ideo perſeverare non poſſent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut poſſent. Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur; & ideo, quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adverſitate aliqua vinceretur.* T. 10. p. 771. E.

Reſp. Nego conſeq. vel diſtinguo. Ergo non poteſt homo in præſenti ſtatu orare, ut oportet, ſine gratia efficaci, cùm graves ingruunt ex tentatione difficultates, eſtò: nuſquam poteſt, nego. Solutio patet ex mox dictis.

Ad S. Auguſtinum dico, ex verbis ipſius citatis colligi dumtaxat meritò poſſe, vel præter gratiam ſufficientem, qualis Adamo innocenti data eſt, jam neceſſariam eſſe efficacem propter varias tentationes, quibus undequaque pulſamur, & infirmitatem naturæ, qua premimur, quod certè lubenter concedimus; vel neceſſariam jam eſſe gratiam actualem voluntatis, qua nempe torpens ac quaſi emortua noſtra voluntas ad bonum excitetur & adjuvetur, ad diſcrimen ſcilicet gratiæ innocentis naturæ, quæ in ſola mentis illuſtratione poſita erat, non in excitatione prævia voluntatis, quæ cùm ſana foret ac robuſta, ſola ipſi ſufficiebat juſtitia originalis & illuſtratio mentis: qua expoſitione ſuppoſita, voces iſtæ, *indeclinabiliter*, *inſuperabiliter*, non ſpectant gratiam ipſam, quaſi indeclinabilis illa foret ac inſuperabilis; ſiquidem de fide eſt, voluntatem ſemper poſſe ipſi diſſentire, ſi velit; ſed ſpectant voluntatem ipſam, quæ beneficio gratiæ fit invincibilis & inſuperabilis, id eſt, nullis tentationibus cedit ac ſuperatur, ſed firma & conſtans in bono perſeverat. Quem ſenſum non obſcurè indicat ipſe S. Auguſtinus: *Et ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adverſitate aliqua vinceretur*. Quem volueris ſenſum amplecti tutò poteris; modò, quamque ſuppoſita gratiæ efficacis pro ſtatu præſenti neceſſitate, non excludas gratiam verè ſufficientem, qualem admittendam eſſe docet fides Catholica.

Cæterùm adeò vera eſt ac in praxi certa ſententia, quam hìc propugnamus, ut & viri pii, & ſacri Concionatores, & ipſimet pœnitentes, eùm ad tribunal pœnitentiæ accedunt, eam uſu ipſo prædicent ac confirment. Solent viri pii ſeipſos temporis ac negligentiæ incuſare, quòd cum acceptis à Deo beneficiis ea pietatis opera non exercuerint, quæ alii certò exercuiſſent. Inde Auguſtini ſeipſum ad fervorem pietatis excitantis, pervulgata ſententia: *Non poteris quod iſti & iſtæ?* Sacri Concionatores, qua poſſunt Orationis vehementia, fideles quotidie adhortantur, ut ad Deum ſincero corde redeant, ut continuis orationibus Deum ſolicitent; eoſque confutant, qui gratiæ ſibi ad benè agendum neceſſariæ defectum ſeu abſentiam velut excuſationem obtendunt. Denique quoties peccator accedit ad tribunal pœnitentiæ, firmum habere debet melioris vitæ propoſitum: hæc porrò manifeſtè ſupponunt eſſe aliquam gratiam ſufficientem, cujus uſus vel non uſus ſit in hominis ſaltem juſti poteſtate.

QUÆ-

QUÆSTIO OCTAVA.

De diſtributione gratiæ ſufficientis.

An dentur omnibus ad ſalutem conſequendam gratiæ ſufficientes?

PRima diſtributionis gratiarum cauſa & radix eſt tum ſincera & vera, quę in Deo eſt, ſalvandi omnes voluntas; tum mors Chriſti pro ſalute omnium oblata; de utraque dictum abundè fuit, cùm de voluntate Dei diſſeruimus. Supereſt igitur, ut hic expendamus,

I. Utrùm omnibus juſtis, inſtante præcepto, dentur gratiæ ſufficientes ad præceptum implendum?

II. Utrùm dentur omnibus fidelibus, tum ut peccata fugiant, tum ut à peccato reſipiſcant?

III. Utrùm dentur infidelibus, ut ad fidem adduci poſſint?

IV. Utrùm dentur hominibus excœcatis & obduratis?

V. Denique, utrùm infantibus in utero materno extinctis paratæ ſint, oblatæ, vel conceſſæ aliquæ gratiæ ſufficientes?

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm omnibus juſtis, inſtante præcepto, dentur gratiæ ſufficientes ad præceptum implendum?

CALVINI ET JANSENII ERROR.

DOcuit uterque, quamquam ex cauſa & ratione diſpari, juſtis impoſſibilia eſse ad obſervandum Dei mandata.

Calvinus etiam cum gratia maximè efficaci impoſſibilia voluit juſtis Dei mandata, ob eam ſcilicet concupiſcentiæ labem, quæ ſanctiſſimis eorum operibus ſemper adhæreſcit. *Nihil ab homine exit quantumvis perfectò*, ait Calvinus Lib. 3. Inſtit. c. 15. n. 3. *quod non ſit aliqua macula inquinatum*. Et n. 4. *Scripturæ doctrina eſt, aſperſa eſſe perpetuò ſordibus multis bona noſtra opera, quibus meritò Deus offendatur, ac nobis ſuccenſeat*. Si hoc unum dumtaxat vellet Calvinus, præceptum charitatis perfectè & abſque ulla admixtione concupiſcentię in præſenti vita non poſſe adimpleri, non repugnarent Orthodoxi: verùm amplius aliquid ille contendit, nempè, & nullam in opere bono per liberam voluntatis cooperationem juſtos partem habere, & illa ipſa opera bona eſſe peccata, propter admixtam concupiſcentiam; tametſi juſtis non imputentur, propter ſuperfuſam, qua teguntur, Dei juſtitiam. Pag. 284.

Janſenius alia ratione ductus fuit, ut diceret: *Aliqua Dei mandata juſtis volentibus atque conantibus, ſecundùm præſentes quas habent vires, eſſe impoſſibilia, deeſſe quoque gratiam, qua poſſibilia fiant*: quæ ipſiſſima eſt prima Propoſitio ex quinque famoſis ab Eccleſia damnatis, excerpta ex Lib. 3. de Gratia Chr. c. 13. Fluit illa tanquam concluſio à principio, quod ſtatuerat Janſenius circa dele- T. 3. pag. 138. col. 2. E.

delectationem relativè ſuperiorem ac victricem; nec id diſſimulat, ſed apertè innuit Janſenius: *Hæc igitur omnia*, inquit loco mox citato, *pleniſſimè planiſſimeque demonſtrant*, (quæ nempè de delectatione relativè ſuperiori dixerat) *nihil eſſe in ſancti Auguſtini doctrina certius ac fundatius*, *quàm eſſe præcepta quædam*, &c. Senſus igitur & mens Janſenii eſt, cum gratia parva ſeu gradibus inferiore, juſtis, ſecundùm præſentes quas habent vires, hoc eſt, ut diximus ſæpiùs, relativè ad præſentes eorum vires, quædam præcepta eſſe impoſſibilia. *Vigente enim*, ait Iprenſis Lib. 4. de Gratia Chriſti c. 9. *delectatione carnali impoſſibile eſt, ut virtutis & honeſtatis conſideratio prævaleat*.

Ibid.

Ibid. p. 18. col. 2. B.

Unum hic obiter obſervabis: nempè ex ſyſtemate Janſenii, ſicut ex Calviniano, ſequi, omnia juſtorum opera aliqua ſemper peccati ſaltem venialis labe aſperſa eſſe debere. Namque ex Janſenio, eadem eſt conditio concupiſcentiæ quantùm ad malum, ac gratiæ quantum ad bonum: quemadmodum igitur gratia parva in homine non juſto ſeu peccatore, aliquos ſemper deliberatos ad bonum actus, tametſi debiles ac infirmos, producit; ita concupiſcentia inferior in homine juſto, aliquos actus deliberatos ad malum, licèt non lethales, ſed veniales efficit: atque ita juſti in ſanctiſſimis ſuis actionibus ſemper peccant ſaltem venialiter. En quò ducit Janſenianum ſyſtema.

STATUS QUÆSTIONIS.

Non eſt hìc quæſtio, utrùm juſtis poſſibilia ſint abſolutè Dei mandata; ſive quia præcepta ex ſe ſe poſſibilia ſunt; ſive quia juſti flexibilem habent ad bonum liberi arbitrii capacitatem; ſive quia poſſunt tantam à Deo percipere gratiam, ut præcepta velint obſervare, illaque reipſa obſervent. Hujuſmodi abſolutam mandatorum poſſibilitatem nuſquam negavit Janſenius, imò apertè illam admittit Lib. 3. de Gratia Chriſti cap. 15. nec conſequenter aſſeruit unquam mandata Dei abſolutè juſtis eſſe impoſſibilia.

Quæſtio pariter non eſt, utrùm aliquo gradu poſſibilia ipſis ſint per fidem & charitatem habitualem; fatetur apertè Janſenius c. 15. mox citato.

Imò nec quæſtio eſt, utrum per aliquam gratiam actualem debiliorem poſſibilia ſint: ſupponit etiam Janſenius, juſtos illos velle ac conari, quod quidem ſine auxilio gratiæ actualis fieri non poteſt.

Nec etiam quæritur, utrùm actualis illa gratia debilior in ſe & abſolutè ſpectata, præciſis præſentibus ſubjecti circumſtantiis, veram & abſolutam juſtis conferat poteſtatem ad obſervanda mandata. Ultrò fatentur Janſeniani, vim omnem ac principium activum boni operis in ea gratia contineri; ac per eam conferri ad opus bonum potentiam perfectiſſimam, pleniſſimam, completiſſimam, proximam, ſufficientiſſimam; ſenſu nimirùm abſoluto, non relativo.

Denique neque hìc quæritur, an ſingulis momentis adſit juſtis gratia ſufficiens; ſed an nunquam deſit urgente præcepti obligatione.

Senſus igitur controverſiæ præſentis eſt, utrùm juſtis, urgente præcepto, detur gratia ſufficiens, quæ relativè ad præſentes eorum vires, & ad actualem illorum concupiſcentiam, pares & æquales ipſis conferat vires ad tentationes ſuperandas & præceptum obſervandum. Affirmat fides Catholica, negat Janſenius.

CON-

CONCLUSIO.

Juſtis omnibus, urgente præcepto, confertur à Deo gratia verè ſufficiens, per quam relativè ad eorum actualem ac præſentem concupiſcentiam, poſſunt aut tentationes ſuperare, & mandata hic & nunc obſervare; aut ſaltem uberius per orationem impetrare auxilium, quo ſuperentur tentationes, ac præcepta obſerventur.

Prima Probatio ex Scripturis.

Probatur 1. ex Scripturis. Prætermiſſis autem iis teſtimoniis, quibus generatim conſtat poſſibilia eſſe, nec ſupra hominem poſita Dei mandata, iis potiſſimùm inſiſtemus, quæ juſtos in tentatione poſitos ſpectant.

1. Corinth. 10. v. 13. *Fidelis Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis: ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.* De juſtis hæc potiſſimùm dicta eſſe oſtendunt verba præcedentia v. 12. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* Porrò tentarentur juſti ſupra id quod poſſunt, niſi viribus parem actuali tentationi ſuperandæ, aut ſaltem impetrando uberiori Dei auxilio gratiam haberent.

Janſenius Lib. 3. de Gratia Chriſti c. 13. vim hujuſce loci eludere conatur, eumque de ſolis prædeſtinatis, qui nunquam finaliter tentationi ſuccumbunt, intelligendum eſſe contendit. Verùm immeritò prorſus; quod ut manifeſtum ſit, nonnulla circa laudatum Apoſtoli textum obſervanda ſunt.

I. Ita connecti primum hujus propoſitionis membrum cum ſecundo, ut ad eoſdem utrumque pertineat.

II. Nec Græcum, nec Latinum Vulgatæ noſtræ textum dicere, faciet *ex tentatione*, ut inſinuant adverſarii; ſed *cum tentatione proventum*: unde conſequens eſt, malè reddi gallicè in verſione Montenſi, *vous en fera ſortir avec avantage*.

III. In Vulgata non legi, *ut poſſitis perſeverare*, ſed, *ut poſſitis ſuſtinere*: omneſq; Latinos Patres, imprimis verò S. Auguſtinum ita legere, quoties teſtimonium illud urget adverſùs Pelagianos.

IV. Vocem hanc, *proventum*, exponi non poſſe de victoria tentationis, quaſi ſenſus foret: Faciet vos victores tentationis; tum quia ridiculus foret ſenſus iſte: Faciet vos victores tentationis, ut poſſitis eam ſuſtinere: quaſi actus foret medium ad potentiam, & ipſa victoria medium ad facultatem ſuſtinendi: tum quia Conc. Trid. ſeſſ. 24. Can. 9. ad omnes Clericos majores & Regulares iſtud teſtimonium ſpectare affirmat, quoties ipſos urget ſervandæ caſtitatis præceptum, & gravis ſolicitat carnis tentatio; ex iis enim plures tentationi cedebant, nec ex tentatione victores exibant: tum quia ſuffragantur SS. Cyprianus, Auguſtinus, Primaſius Auguſtini diſcipulus, qui per proventum, non victoriam ſed auxiliorum collationem, unde habetur facultas evadendi ſeu ſuſtinendi, intelligunt. S. Cyprianus Apoſtoli dictum ſic reddit: *Faciet cum tentatione facultatem evadendi*. S. Auguſtinus loco *proventus* legit ſemper *exitum*; cùm autem ſuperaddat, *ut poſſitis ſuſtinere*, illumque textum contra Pelagianos urgeat, facile eſt agnoſcere, quo ſenſu exitum intelligat: ſcili-

ſcilicet, faciet cum tentatione, ut exeatis ab impotentia naturali eas vincendi ſine gratia, ad potentiam eas vincendi per gratiam voluntatis, quam tibi confert. Primaſius ſic habet: *Illud faciet provenire, quod poteritis ſuſtinere.*

V. Immeritò adverſarios in ſecundo membro propoſitionis Apoſtoli conditionem iſtam ſubintelligere, nempè ſi prædeſtinati eſtis. Namque 1. nihil tale innuit textus Græcus aut Latinus: an verò licebit privato cuilibet privata ſua auctoritate abſolutas verbi Dei propoſitiones convertere in conditionatas; Repugnat aliunde mens & intentum Apoſtoli; eo quippe fine iſta protulit, ut conſolationem ac firmam ſpem in animos fidelium injiceret; tollitur verò per iſtam conditionem, ſi prædeſtinati eſtis, fundamentum illius ſpei, quia nullus certò novit ſe eſſe de numero prædeſtinatorum. 2. Subintellecta iſta conditione, quem ſenſum exhibebunt ſequentia Apoſtoli verba: *Ut poſſitis ſuſtinere?* 3. Conc. Trid. citato mox Canone, nullam conditionem in primo Apoſtolicæ propoſitionis membro ſubintelligit: nec igitur illam in ſecundo intelligere cenſendus eſt Apoſtolus; quandoquidem duo illa membra ita inter ſe colligata ſint, ut vel utrique, vel nulli apponenda ſit conditio.

His obſervatis, colligi facilè poteſt, hunc eſſe citati textus Apoſtoli ſenſum, ſaltem poſtremorum verborum, *faciet cum tentatione proventum*: id eſt, in tentatione ipſa roborabit vos, ac confirmabit gratiæ ſuæ abundanti præſidio, quo poſſitis eam ſuſtinere.

Immeritò igitur Eſtius & Janſenius hunc Apoſtoli textum ad prædeſtinatos quantùm ad finalem perſeverantiam, reſtrinxerunt. Namque 1. nullum in eo Apoſtoli textu veſtigium tentationis finalis: ſi ergo ibi ſermo ſit de aliis tentationibus, cur ad ſolos prædeſtinatos Apoſtoli verba pertinere affirmant, cùm non tantùm prædeſtinati, ſed & juſti, imò & peccatores tentationibus aliquando reſiſtant? 2. Quia quæcumque ea in Epiſtola ſcribit Apoſtolus, procul dubio ad omnes fideles, qui Corinthi verſabantur, direxit: an verò illi omnes erant prædeſtinati? 3. Concil. Trid. ut jam obſervavimus, ad omnes continentiæ voto obſtrictos Apoſtoli ſententiam extendit.

Confirmari hæc prima probatio poteſt aliis Scripturæ teſtimoniis, tum iis, quibus ſumma Dei erga juſtos charitas ac dilectio commendatur; tum iis, quæ certam ipſis ſpem faciunt vitæ æternæ, ſingularis Dei protectionis ac providentiæ, ut poſſint tentationes ſuperare, & vitam æternam conſequi: quos Scripturæ textus collegit ac vendicavit auctor Libri, cui Gallicè titulus: *Les veritables ſentimens de S. Auguſtin ſur la grace*. Tum iis denique, quibus Scriptura teſtatur, juſtos à Deo non derelinqui, niſi Deum ipſi dereliquerint. Pſalm. 36. v. 24. & ſeq. *Cùm ceciderit, non collidetur; quia Dominus ſupponit manum ſuam .... Non vidi juſtum derelictum .... Dominus amat judicium .... & non derelinquet eum in manibus ejus*. Eccli. 2. *Quis permanſit in mandatis ejus, & derelictus eſt?* Et c. 34. *Oculi Domini ſuper timentes eum: protector potentiæ & firmamentum virtutis.*

Secunda probatio ex Concilio Tridentino.

Multiplex argumentum nobis ſuppeditat Conc. Trid. ſeſſ. 6. de juſtificatione.

Tom. 14. Con. pag. 761. B. Primum petitur ex iſtis verbis cap. 11. *Nemo temeraria illa & à Patribus prohibita voce uti* (debet) *Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia*

*bilia. Nam Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſ-
ſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis.*

Duplex hic obiter notanda fraus Janſenii c. 13. Lib. 3. de Gratia Chriſti.
1. Poſtrema hæc Concilii verba, *& adjuvat ut poſſis*, infidè ſuppreſſit, quibus *T. 3. pag.*
premi ſe intelligebat. 2. Paulò poſt ſenſum Concilii referens textum ipſum in- *135. col.*
terpolat: *Tridentinum*, inquit, *de juſtificatis expreſsè loquebatur, ut id oſtenderet,* *1. C.*
quod præmiſerat, Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum non eſſe impoſſi- *Ibid. E.*
*bilia, eò quòd jubendo Deus moneat petere, quod non poſſis, & ſi exaudiat, ad-
juvet, ut poſſis.* Iſtud, *ſi exaudiat*, fraudulenter interjicit Janſenius, quaſi
aut ad textum, aut ad ſenſum Concilii pertineret.

Manifeſtum porrò eſt, (quod jam obſervatum à nobis fuit) Concilium ver-
bis citatis duplicem agnoſcere obſervandi præcepti facultatem ſeu potentiam:
unam proximam & immediatam, *facere quod poſſis*; alteram verò remotam
& mediatam, *petere quod non poſſis*. Addit & Deum adjuvare, ut poſſis; *adju-
vat, ut poſſis*. Canone verò 18. ejuſdem ſeſſ. Concilium ſic pronunciat: *Si
quis dixerit Dei præcepta homini etiam juſtificato & ſub gratia conſtituto, eſſe ad ob-* *Tom. 14. Conc. p.*
ſervandum impoſſibilia, anathema ſit. *768. B.*

Reponunt Janſeniani, hæc ad Janſenium nihil prorſus attinere, quibus *C.*
dumtaxat perſtringitur dictus paulò ante Novatorum error, de juſtis in ſan-
ctiſſimis operibus ſuis venialiter ſaltem peccantibus.

Verùm, (quod apprimè obſervandum) Concilium duobus diſtinctis Cano-
nibus duos Novatorum diſtinctos errores anathemate percellit: primùm
Can. 18. citato. Impoſſibilia ſcilicet eſſe juſtis ad obſervandum Dei mandata:
alterum, juſtos in omnibus operibus ſuis peccare. *Si quis*, ait Synodus Can. *Ib. pag.*
25. *in quolibet bono opere juſtum ſaltem venialiter peccare dixerit .... anathema ſit.* *767. A. B.*
Hoc poſtremo Canone ſoli notantur Lutherani, qui novum illud & abſur-
diſſimum dogma invexerant. Can. verò 18. & verbis citatis ex cap. 11. damnan-
tur, quicumque dixerint, mandata Dei eſſe juſtis ad obſervandum, ex de-
fectu gratiæ, impoſſibilia; quem errorem jam à Patribus ſub anathemate pro-
hibitum fuiſſe, aſſerit Concilium. Reverà enim errorem hunc indicat ac per-
ſtringit Synodus Milevitana II. Can. 3. his verbis: *Placuit, ut quicumque d i-* *T. 2. Con*
xerit, gratiam Dei, in qua juſtificamur per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, ad ſo- *p. 1538.*
lam remiſſionem peccatorum valere, quæ jam commiſſa ſunt, non etiam ad adju- *E.*
torium, ut non committantur, anathema ſit. Mens Concilii eſt eo in Canone re-
pellere calumniam Pelagii, qui Catholicos infamabat, quaſi vellent Dei
præcepta eſſe impoſſibilia, eò quòd naturæ viribus ſine gratia illa impleri non
poſſe contenderent: ſupponit igitur ea per gratiam, qua juſti donantur, im-
pleri poſſe. Quò etiam pertinet Canon 25. Concilii Arauſicani II. quo dicitur:
Hoc etiam ſecundùm fidem Catholicam credimus, quòd accepta per Baptiſmum gra- *Tom 4. Con. pag.*
tia omnes Baptizati, Chriſto auxiliante & cooperante, quæ ad ſalutem animæ *1672. A.*
pertinent, poſſint ac debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere. Ergo
citata Concilii verba ex cap. 11. & Can. 18. non eum ſpectant Lutheri errorem,
quo docebat, juſtos etiam cum gratia non poſſe ſine peccato ſaltem veniali
mandata Dei obſervare; (error quippe ille novus erat & antea inauditus)
ſed eum ſpectant, qui negat poſſibilia mandata Dei, ſcilicet ex defectu,
ſeu abſentia gratiæ verè ſufficientis: qui error cùm ſubinde fuerit à Janſenio
renovatus, à Concilio Tridentino jam prædamnatus eſt. Unde meritò In-

nocentius X. in cenſura primæ Propoſitionis Janſenii, aſſerit eam anathemate jam damnatam fuiſſe. Hunc Concilii ſenſum manifeſtè demonſtrant, quæcumque addit momenta, ut oſtendat juſtos ex gratia poſſe ſemper mandata DEI obſervare.

Secundum argumentum ſumitur ex iſtis verbis Concilii eodem cap. 11. immediatè ſequentibus: *Cujus mandata gravia non ſunt, cujus jugum ſuave eſt, & onus leve; qui enim ſunt filii Dei, Chriſtum diligunt: qui autem diligunt eum, ut ipſemet teſtatur, ſervant ſermones ejus, quod utique cum divino auxilio præſtare poſſunt*. Porrò quomodo mandata gravia non ſunt juſtis, quomodo jugum ipſis ſuave, & onus leve, ſi abſit gratia, qua relativè ad præſentes circumſtantias mandata obſervare poſſint, aut ſaltem petere vires majores, quibus illa obſerventur?

Tertium argumentum petitur ex iſta Concilii eodem in Capite ſententia:

Tom.14. Conc. p. 761.C.

Deus ſua gratia ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis priùs deſeratur. Quæ ipſa eſt S. Auguſtini doctrina Lib. de natura & gratia c. 26. *Cùm*, inquit, *Deus impium ad perfectam ſanitatem, hoc eſt, ad perfectam vitam juſtitiamque perduxerit,*

T.10.p. 140.A.

non deſerit, ſi non deſeratur, ut piè ſemper juſtèque vivatur. Si autem juſtis, urgente præcepto, non adeſſet gratia verè ac relativè ſufficiens, qua poſſent vel illud implere, vel ſaltem implorare uberius Dei auxilium, ut impleatur, certè Deus juſtos priùs deſereret, quàm ab ipſis deſereretur: quandoquidem nulla ex parte juſti poteſt aſſignari cauſa, cujus demerito Deus gratiam ſuam ſubtraheret. Recurrit hìc iterum argumentum, quod antè jam propoſuimus. Quæ enim cauſa foret? Peccatum originale? At perfectè remiſſum & condonatum fuit per Baptiſmum; ita ut nulla pœna, ſed tantùm pœnalitas remaneat.

Tom.14. Conc. p. 753.A.

In renatis enim nihil odit Deus, ait Conc. Trid. ſeſſ. 5. in decreto de peccato originali n. 5. *quia nihil damnationis eſt iis, qui verè conſepulti ſunt cum Chriſto per Baptiſma in mortem*. An radicalis concupiſcentia? At docet eodem in loco Concilium, *eam ad agonem relictam eſſe, quæ nocere non*

Ibid. B.

conſentientibus, ſed viriliter Chriſti Jeſu gratiam repugnantibus non valet. Noceret verò plurimùm, ſi Deo cauſa & motivum foret denegandi juſtis gratiam relativè ſufficientem. An culpa perſonalis ſeu actualis? Sed ſupponimus eſſe primam; & quærimus, quid cauſæ eſt, cur Deus homini juſtificato deneget gratiam verè ſufficientem ad primum illud actuale peccatum declinandum? An negligentia ad orandum? Sed de illa recurrit eadem prorſus quæſtio, cur ad illam fugiendam negligentiam denegata eſt homini juſto gratia verè ſufficiens? An denique, ut putat Arnaldus in Opuſculo, cui titulus: *S.*

Cauſa Arnald. pag. 136

Thomæ doctrina de Gratia ſufficiente & efficaci, q. 4. innata hominis ſuperbia? Verùm, ipſomet fatente Arnaldo, ſuperbia hæc non eſt actus ſeu peccatum ſuperbiæ: de illo etenim quæri ſimiliter poſſet, cur Deus ad illud vitandum gratiam efficacem non dederit? *Eſt ergo tantùm*, ut ipſe docet, *prava & ex peccato ſaltem originali relicta ad ſuperbiendum propenſio*. At iſta quid aliud eſt, quàm radicalis, de qua mox diximus, concupiſcentia, aut actualis indeliberata? Ergo nulla alia cauſa poteſt aſſignari, cur Deus homini juſtificato gratiam verè ac relativè ſufficientem deneget, quàm Dei voluntas: unde ſequitur, quod negat Trid. Synodus, juſtum priùs à Deo deſeri, quàm ipſum deſerat.

T.3. pag. 165. col. 2.

Reſpondet Janſenius Lib. 3. de Gratia Chriſti c. 19. Concilium Trid. citatis verbis, *juſtificatos non deſerit*, de ſola gratiæ juſtificantis ſeu habitualis

ſubtra-

ſubtractione loqui: idcircò enim illa uſurpat, ut probet eos propterea non deſinere eſſe juſtos, quòd in venialia peccata perſæpè incurrant.

Verùm refellitur ea reſponſio, quæ nec Tridentini Concilii, nec Auguſtini verbis adaptari poteſt.

Non Concilio Tridentino: duas enim Catholici rationes & cauſas proferunt, ob quas Concilium dixit: *Deus juſtificatos non deſerit, niſi priùs ab eis deſeratur*, quæ Janſenianam interpretationem omninò evertunt: prima eſt, ut omnes intelligant, nulli juſtorum deeſſe auxilium gratiæ neceſſarium, ut poſſint divina ſervare mandata. Ita Andreas Vega, qui Concilio Trident. interfuit, Lib. 11. c. 11. Altera eſt, ut Concilium probet juſtos poſſe in bono proficere. Ita Bellarminus Lib. 1. de Gratia & libero arbitrio cap. 11. Utraque porrò illa ratio eodem recidit: nam idem planè eſt, juſtos Dei mandata exequi, & in bono proficere; ſiquidem divina mandata obſervare non poſſunt, quin ad altiorem gradum perfectionis provehantur.

II. Verba iſta Concilii citata: *Qui diligunt Deum, ſervant ſermones ejus: quod utique cum divino auxilio præſtare poſſunt*, verba, inquam, illa exprimunt apertiſſimè auxilium actuale, quod præter habituale homini juſto neceſſarium eſt, ut præcepta obſervare poſſit. *Tom. 14. Con. pag. 761. B.*

III. Clariùs adhuc id patet ex verbis cap. 13. *In Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare & reponere omnes debent. Deus enim (niſi ipſi illius gratiæ defuerint) ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere.* Quis non videat hæc pertinere ad auxilia gratiæ actualis, quæ ſibi ad perſeverandum non defutura juſtus quilibet certò ſperare debet, niſi ipſe Dei auxilio defuerit? *Ibid. p. 762. B.*

IV. Interpretatio Janſenii ineptum ac ridiculum facit Concilii diſcurſum. Loco enim mox citato fideles hortatur, ut in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocent ac reponant: poſita autem Janſenii interpretatione ſenſus eſſet, debere juſtum firmiſſimè ſperare ſe perſeveraturum, ac piè & juſtè victurum; quia Dei gratia ſanctificans ſeu habitualis eum priùs non deſeret, quàm ipſe Deum peccando mortaliter deſeruerit. Quod certè perinde eſt, ac ſi quis de vita deſperanti vel mortem graviter timenti diceret: Bono ſis animo, ne timeas, ſed firmiſſimè ſpera, te ſanitatem recuperaturum; quia te anima priùs non deſeret, quàm lethalis morbus eam expulerit. Certè ad timorem illum depellendum aut ſpem vitæ faciendam ridicula foret & inepta hujuſmodi adhortatio: quin potius timenti aut deſperanti proponendum magis eſſet, non deeſſe media certa & idonea, quibus evadi periculum, morbus expelli, ac vita prorogari poſſit, ſi illis uti voluerit.

Multò minùs verbis Auguſtini adaptari poteſt dicta Janſenii reſponſio: Manifeſtum quippe eſt, ſanctum Doctorem loqui de deſertione Dei per ſubtractionem gratiæ actualis: diſputat ſcilicet adversùs Pelagianos, qui contendebant, *gratiam Dei delere quidem, quod peccavimus, ſed non præſtare, ne peccemus*; quod ſanctus Doctor refellit, quia Deus ſimilis non eſt medico, qui cùm ſanavit hominem, eum de cætero dimittit ſuſtentandum elementis & alimentis corporalibus, ut eadem ſanitas apto ſubſidio convaleſcat atque perſiſtat. At verò Deus poſtquam ægrum ſanavit, aut mortuum ſuſcitavit, id eſt, impium juſtificavit, *non eum deſerit, ſi non deſeratur; ut ſemper juſtè pieque vivatur.* Notanda ſunt illa poſtrema verba, *ut ſemper juſtè pieque vivatur*, quæ gratiam actualem neceſſariò ſecum important. Comparatio verò, qua ſta-

tim utitur, omne dubium removet. *Sicut enim*, inquit, *oculus corporis etiam plenisſimè ſanus, niſi candore lucis adjutus non poteſt cernere: ſic homo etiam perfectiſſimè juſtificatus, niſi æterna luce juſtitiæ divinitùs adjuvetur, rectè non poteſt vivere: ſanat ergo Deus, non ſolùm ut deleat, quod peccavimus, ſed ut præſtet etiam, ne peccemus*. Quo ſancti Doctoris teſtimonio utitur Janſenius Lib. de Gratia primi hominis cap. 11. ut probet gratiam habitualem ſolam non ſufficere ad bonam actionem, ſed actuali opus eſſe.

T. 10 p. 140. A.

Et verò fatetur idem Janſenius, tum c. 12. Libri mox citati, tum Lib. 5. de hæreſi Pelagiana cap. 22. 23. & 24. inter Auguſtinum & Pelagium controverſiam non fuiſſe de neceſſitate gratiæ habitualis, ſed actualis; ergo cùm aſſerit Deum non deſerere, niſi priùs deſeratur, atque præſtare, ut non peccemus, loquitur de auxilio gratiæ actualis neceſſariò ad non peccandum, quod à juſtis non retrahit, niſi præcedente eorum culpa, *quæ ut non adjuventur*, ait ſanctus Doctor Lib. 2. de pecc. & rem. c. 17. *in ipſis cauſa eſt, non in Deo*. Inde eſt, quòd S. Auguſtinus juſtum appellet illud gratiæ actualis adjutorium, quod hominibus juſtificatis Deus largitur. Ita in Pſalm. 7. ad iſta verba: *Juſtum adjutorium meum à Domino*.

Ibid. p. 54. F.

Quartum denique argumentum deſumitur ex c. 16. ejuſdem ſeſſionis, ubi ait: *Omnibus juſtificatis proponendam eſſe vitam æternam, & tanquam gratiam filiis Dei per Jeſum Chriſtum miſericorditer promiſſam, & tanquam mercedem ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus & meritis fideliter reddendam*. Quæ verò momenta, ut id probet, Synodus adhibet, apertiſſimè demonſtrant, juſtis ſemper adeſſe gratiam verè ſufficientem. *Cùm enim*, inquit, *Chriſtus Jeſus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipſos juſtificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur; & ſine qua nullo pacto Deo grata & meritoria eſſe poſſent: nihil ipſis juſtificatis amplius deeſſe credendum eſt, quo minùs plenè illis quidem operibus, quæ in Deo ſunt facta, divinæ legi pro hujus vitæ ſtatu ſatisfeciſſe .... cenſeantur*. Audis Chriſtum in juſtificatos jugiter virtutem influere: audis nihil amplius ipſis deeſſe, ut divinæ legi ſatisfaciant. Quid ad rem noſtram ſplendidius ac evidentius proferri poteſt?

T. 14. Conc. p. 763. D.

Ibid.

Tertia probatio ex S. Auguſtino.

Quamquam ex dictis hìc argumento primo & ſecundo dilucidè pateat, quæ ſit Auguſtini ſententia circa auxilia gratiæ, quibus juſtificatos Deus adjuvat, hæc ad cumulum adjungere non pigebit decretoria ex eodem ſancto Doctore teſtimonia.

Primum teſtimonium ex Sermone in Pſalm. 7. ubi expendens iſtam Davidis ſententiam: *Juſtum auxilium meum à Domino; Duo ſunt*, ait, *officia medicinæ, unum quo ſanatur, alterum quo ſanitas cuſtoditur. Juxta illud primum dictum eſt in ſuperiori Pſalmo: Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum: juxta hoc alterum, in hoc Pſalmo dicitur: Si eſt iniquitas in manibus meis, ſi reddidi retribuentibus mihi mala, decidam ergo ab inimicis meis inanis. Ibi infirmus ut liberetur, hìc jam ſanus, ne corrumpatur, orat.... Itaque ibi miſericors auxilium eſt, quia nullum habet meritum peccator, qui adhuc juſtificari deſiderat, credens in eum, qui juſtificat impium: hìc autem juſtum eſt, quod jam juſto tribuitur*. Neque verò movere quem-

T. 4 pag. 34. F. G.

Pag. 35. B.

quemquam & offendere debet, quòd auxilium illud juſtum dicatur, ac conſequenter quoddammodo debitum: namque cùm gratia dicitur indebita, ſenſus eſt eam non deberi operibus naturæ, ut volebant Pelagiani; non verò eam non deberi titulo fidelitatis Dei, qui promiſit gratiam illam ſe juſtis collaturum. Quam in rem appoſitè S. Thomas Lectione 1. in cap. 1. Epiſt. 1. ad Corinth. ait: *Debetis ſperare, quia Deus eſt fidelis ... Non autem videretur eſſe fidelis, ſi nos vocaret ad ſocietatem Filii, & nobis denegaret, quantùm in ipſo eſt, ea per quæ pervenire ad eum poſſemus, unde Joſue 1. dicit: Non te deſeram, neque derelinquam.* *Tom. 18. pag. 145. col. 2. A.*

Ad iſtud Auguſtini teſtimonium duo reponunt Janſeniani apud Diarium de Saint-Amour 2. part. pag. 143. Primum eſt, loqui Auguſtinum de juſtis prædeſtinatis, non de aliis; alterum, eum loqui de juſtis, qui orant.

Verùm infirma prorſus ac vana utraque reſponſio. Prima, quia manifeſtum eſt ex ipſo contextu, generatim ſanctum Doctorem loqui de omnibus juſtis: quaſi verba faciens apud populum, conſilia, præcepta, exhortationes ſuas ad ſolos juſtos direxiſſet, & non ad omnes ſibi ſubditos fideles, quos ad ſpem & fiduciam in Dei auxilio reponendam excitat & adhortatur: quaſi æquitatem auxiliorum gratiæ, quæ Deus juſtis diſpenſat, ex prædeſtinatione repeteret, & non potiùs ex juſtitia ſeu ſanctitate habituali, in qua conſtituti erant. *Itaq;* inquit, *ibi dixerat* (David) *Salvum me fac Domine propter miſericordiam tuam, id eſt, non propter meritum meum. Nunc autem quoniam vocatus tenuit & ſervavit præcepta, quæ accepit, audet dicere: Judica me Domine ſecundùm juſtitiam meam.* Non ait ſecundùm prædeſtinationem, ſed ſecundùm juſtitiam; ergo ex ſola illa juſtitia colligit Auguſtinus, juſtum eſſe adjutorium gratiæ, quod juſti accipiunt. Secunda pariter evaſio nulla eſt: niſi enim concedatur ſaltem gratia orationis verè ſufficiens, non cenſetur Deus adjuvare juſtos, ut non peccent, ac vitam ſpiritualem, quam in juſtificatione acceperunt, conſervent. *T. 4. pag. 33. E.*

Secundum teſtimonium colligitur ex Lib. de corrept. & grat. c. 7. *Si ab hac damnatione*, inquit, *non ſe liberabunt, qui poterunt dicere, non ſe audiviſſe Evangelium Chriſti, cùm fides ex auditu ſit: quantò minùs ſe liberabunt, qui dicturi ſunt: Perſeverantiam non accepimus. Juſtior enim videtur excuſatio dicentium: Non accepimus audientiam, quàm dicentium: Non accepimus perſeverantiam: quoniam poteſt dici: Homo, in eo quod audieras ac tenueras, in eo perſeverares, ſi velles: nullo autem modo dici poteſt, id, quod non audieras, crederes, ſi velles.* *T. 10. p. 756. D.*

Non poterat S. Auguſtinus clariùs exprimere gratiam verè ſufficientem juſto non perſeveranti collatam: cùm ſit uſu receptum, ut, qui dicitur aliquid facturus, ſi vellet, intelligatur omninò expeditam ad illud faciendum habere facultatem. Inde fit, ut Janſenius, qui à præſenti ſtatu gratiam ſufficientem removet, conſtanter aſſerat, adjutorium, in quo manet homo, ſi velit, proprium eſſe ac unicum caracterem, quo adjutorium ſanæ voluntatis à medicinali diſcernitur. Non noverat ergo Janſenius, poſt trigeſies iteratam Operum S. Auguſtini de Gratia lectionem, de juſto in ſtatu naturæ lapſæ conſtituto ab Auguſtino dici etiam in Libro de correptione & gratia: *In eo, quod audieras & tenueras, perſeverares, ſi velles.* Aut ſi novit, certè diſſimulavit. *L. 2. de Grat. ſalv. c. 5. & alibi.*

Hoc ſancti Doctoris teſtimonio fatigantur plurimùm ac torquentur Janſeniani. Arnaldus in ſua analytica ſynopſi Libri de correptione & gratia illud callidè diſſimulavit. Ut verò ſe ab illo expediant, fingunt nihil aliud ſanctum

Doctorem ſignificare voluiſſe, *perſeverares, ſi voluntatem in bono perſeverantem haberes per gratiam à ſe efficacem; aut ſi cognitioni, quam habes, ò juſte, de bono faciendo, adjungeres & conſtantem volitionem ipſius boni exequendi*; vel tandem: *Si eadem voluntas, qua hucuſque perſeveraſti, maneret ac perſeveraret*. Ita exponit Arnaldus in breviori nota ad hunc textum Auguſtini in Verſione Gallica Libri de corrept. & gratia. Item in alia nota appoſita ad marginem textus Latini Libri de correptione & gratia, quem edidit.

Verùm non ſine injuria tanto Doctori illata ſenſus ille affingi ipſi poteſt.

I. Quia non ſatisfeciſſet ſanctus Doctor quærelæ Monachi Adrumetini expoſtulantis, quare redargueretur, quòd non perſeveraverit. Quid enim feci, (ajebat) qui non accepi perſeverantiam? Non ſatisfeciſſet, inquam, Auguſtinus dicendo: Perſeverares, ſi Deus tibi daret voluntatem perſeverandi. Quin potiùs Monachi difficultatem confirmaſſet, & ipſi illudere voluiſſe viſus fuiſſet: perinde enim eſt, ac ſi dixiſſet ipſi: *Perſeverares, ſi perſeverares*. Idem quippe eſt habere à Deo firmam perſeverantię voluntatm, ac perſeverare.

II. Non probaſſet Auguſtinus, quod ipſi unicè probandum incumbebat, nempè Monachum, non ex abſentia gratiæ, ſed ſua culpa & ſuo vitio de bona in malam voluntatem mutatum fuiſſe.

III. Non eſſet, cur diceret Auguſtinus, dici nullo modo poſſe de infideli, crederet, ſi vellet; ſicut de juſto dici poteſt, perſeveraret, ſi vellet: quippe ſicut juſtus voluntate ſua perſeverat, ita & infidelis voluntate ſua credit. *Quiſ-*
T. 10. p. 116. D. *que enim cùm vult, credit*, ait Auguſtinus Lib. de ſpiritu & littera cap. 32. Et ſicut juſtus perſeverat, quando accipit à Deo perſeverandi voluntatem, ita infidelis credit, quando pariter accipit credendi voluntatem.

IV. A communi loquendi modo in re obſcura & intricata receſſiſſet Auguſtinus, loquens cum viris ſimplicibus, quales illi erant Monachi Adrumetini, ſi per hæc verba, *perſeverares, ſi velles*, nihil aliud intelligi voluiſſet, quàm, *perſeverares, ſi voluntatem plenam & integram perſeverandi haberes*.

V. Si de homine juſto in hocce ſtatu etiamſi gratia ſufficiente ad perſeverandum deſtituto dici poteſt, quòd perſeveraret, ſi vellet, quia ſi voluntatem perſeverandi haberet, perſeveraret; certè à fortiori de homine ſano & integro dici poſſet, quòd perſeveraſſet, ſi voluiſſet, tametſi non habuiſſet gratiam ſufficientem, per quam poſſet; attamen S. Auguſtinus in eodem Lib. de corrept. & grat. cap. 11. ait, ideò tantùm potuiſſe Adamum permanere, ſi voluiſſet, quia non deerat ipſi adjutorium, per quod poſſet. Ergo idcircò verè affirmat de homine juſto hujus ſtatus, quòd perſeveraret, ſi vellet, quia ſupponit in eo adjutorium ſufficiens ad perſeverandum.

Dices: S. Auguſtinus per hæc verba, *Perſeverares, ſi velles*, idem intelligit,
Ibid pag. 759. C. D. quod cap. 8. ubi ait: *Quis ignorat, tunc fuiſſe perituram fidem Petri, ſi ea qua fidelis erat, voluntas ipſa deficeret; & permanſuram, ſi eadem voluntas maneret?*

Reſp. in utroque illo textu ſibi ſemper conſtare argumentum, ac nobis favere. In primo textu capitis 7. reſpondet ſanctus Doctor quærelæ Monachi dicentis ſe immeritò corripi, cùm non habuerit gratiam ad perſeverandum: ut autem legitima ſit Auguſtini reſponſio, neceſſe eſt, ut per iſta verba, *perſeverares, ſi velles*, intellexerit fuiſſe in poteſtate illius Monachi perſeverare; adeoque fuiſſe expeditam in eo ad perſeverandum potentiam per gratiam ſuffi-

cien-

Digitized by Google

cientem. In ſecundo verò textu, objicienti Monacho ad perſeverantiam Petri neceſſariam non fuiſſe gratiam prævenientem, quia aliàs perſeverantia Petri non fuiſſet libera, reſpondet Auguſtinus: Quis ignorat voluntatem Petri ad perſeverandum & non perſeverandum fuiſſe liberam? Seu perſeveraturam fuiſſe fidem Petri, ſi eadem voluntas maneret; perituram, ſi ea voluntas deficeret? Sed non poterat habere voluntatem perſeverandi, niſi præveniretur ejus voluntas à gratia. In illo igitur ſecundo textu per hæc verba, *permanſura fides Petri, ſi eadem voluntas maneret*, ſignificat Auguſtinus fuiſſe quidem liberum Petro in ea permanere; ſed illam libertatem nonniſi à gratia præveniente haberi. Unde in primo loco dicitur, *perſeverares, ſi velles*, quia juſtus habet gratiam ſufficientem, per quam poſſit perſeverare; in ſecundo dicitur, *perituram fidem Petri, ſi voluntas deficeret, & permanſuram, ſi eadem voluntas maneret*; quia liberum erat Petro gratiæ prævenienti obſequi vel non obſequi, perſeverare vel non perſeverare.

Repones contra tertium, quo uſi ſumus, argumentum ad evertendam adverſariorum hujus loci interpretationem: infidelis non habet cognitionem rerum ſupernaturalium, ac proinde non poteſt credere, ſi velit; contrà verò juſtus habet fidem, nec ipſi deeſſe poteſt aliud quàm voluntas: unde de ipſo dici poteſt, *perſeverares, ſi velles*; licèt de infideli dici pariter non poſſit, *crederes, ſi velles*.

Reſp. Infidelem illum, de quo agitur in iſta propoſitione Auguſtini conditionata, *crederes, ſi velles*, non ampliùs ſupponi carere notitia credendorum, cùm in ipſo ſecundùm enuntiationem conditionatam, *crederes, ſi velles*, ſupponatur voluntas credendi, quæ certè prærequirit notitiam credendorum: unde infidelis ille, & juſtus, prout ſpectantur in propoſitionibus illis conditionatis, *crederes, ſi velles; perſeverares, ſi velles*; non in eo differunt, ſicut vult objectio, quòd unus ſupponatur habere notitiam credendorum, nempe juſtus, ipſique ſolâ deſit bona voluntas; alter verò, nempe infidelis, tum cognitione, tum voluntate careat. Præterea in propoſitionibus conditionatis, ut veræ ſint, ſufficit; quòd antecedens cum conſequente neceſſariò connectatur. Unde duæ propoſitiones conditionatæ ſimul collatæ, æqualiter veræ ſunt, ſi æqualis intercedat connexio inter antecedentia ipſarum cum conſequentibus; licèt ipſarum antecedentia non ſint æqualia, ſi in ſe & in abſoluta propoſitione ſpectentur. Igitur in enunciatione conditionata ſeu in ſenſu hypotetico, tam poteſt dici de infideli, *crederes, ſi velles*, ſeu ſi plenam & integram haberes credendi voluntatem; quàm de juſto, *perſeverares, ſi velles*, ſeu ſi plenam & integrã haberes voluntatem perſeverandi: quippe tam credit, qui plena & integra voluntate vult credere, quàm perſeverat, qui vult voluntate plena perſeverare.

Cæterùm perperam omninò ex hac Auguſtini ſententia *perſeverares, ſi velles*, quis inferret perſeverantiam non eſſe ſingulare Dei donum: hoc enim unum rectè inde colligitur, quod intendimus, juſtum ſcilicet per gratiam ſufficientem ſaltem orationis, efficacem ad implenda præcepta, & perſeverantiæ donum obtinere poſſe; unde qui non perſeverant, non Deo, ſed ſibi imputare debent, quòd perſeverantiæ donum non accipiant. In hunc ſenſum ſcribit ſanctus Doctor Lib. 2. de peccat. mer. & rem. c. 17. *Ut autem innoteſcat, quod latebat, & ſuaveſiat, quod non delectabat, gratiæ Dei eſt, quæ adjuvat hominum voluntates: qua ut non adjuventur, in ipſis itidem cauſa eſt, non in Deo*. Nulla porrò *Ibid. p. 54. E. F.*

 cauſa

Digitized by Google

cauſa in homine juſto fingi poteſt, qua privetur gratia ſufficiente neceſſaria, ut primum poſſit vitare peccatum, aut primam orandi negligentiam, ſicut antea demonſtràvimus ad tertium ex Concilio Tridentino argumentum.

Tertium teſtimonium ex iis locis petitur, in quibus generatim docet Auguſtinus, nemini impoſſibilia eſse ad obſervandum Dei mandata; nemini, multò minùs juſtis, deeſse gratiam ſaltem orationis, qua poſſit uberius Dei auxilium impetrare.

Ibid. p. 148.F. Lib. de natura & gratia cap. 43. *Non igitur*, ait, *Deus impoſſibilia jubet: ſed jubendo admonet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis*. Et cap. 69. *Eo ipſo quo firmiſſimè creditur Deum juſtum & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere; hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus*.

Ib. pag. 163.F. T.6.pag. 86.C. Libro 1. de diverſis quæſtionibus ad Simplic. q. 1. *Hoc reſtat*, inquit, *in iſta mortali vita libero arbitrio, non ut impleat homo juſtitiam, cùm voluerit, ſed ut ſe ſupplici pietate convertat ad eum, cujus dono eam poſſit implere*.

Tom. 10. p. 734.C. Libro de Gratia & libero arbitrio c. 16. *Magnum aliquid*, ait, *Pelagiani ſe ſcire putant, quando dicunt: Non juberet Deus, quod ſciret non poſſe ab homine fieri. Quis hoc neſciat? Sed ideo jubet aliqua, quæ non poſſumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus*.

T.1.pag. 632. A. Denique Lib. 3. de libero arbtrio c. 19. *Nulli homini*, ait, *ablatum eſt ſcire utiliter quæri, quod inutiliter ignoratur, & humiliter confitendam eſſe imbecillitatem, ut quærenti & confitenti ille ſubveniat, qui nec errat dum ſubvenit, nec laborat*.

T.3.par. 2 p.494. E. Penè exciderat illud celebre Auguſtini teſtimonium ex Tract. 26. in Joan. n. 2. *Semel accipe, & intellige: Nondum traheris? Ora ut traharis*.

Quarta Probatio ex SS. Pontificibus & Cenſura ſacræ Facultatis Pariſienſis.

I. Innocentius X. & Alexander VII. ſolemnibus & ab univerſa Eccleſia receptis Conſtitutionibus iſtam inter quinque Janſenii famoſas Propoſitiones primam gravi cenſura notarunt: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus, ſecundùm præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia, deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant*. Quam Propoſitionem dicti Pontifices, *temerariam, impiam, blaſphemam, anathemate damnatam & hæreticam declarant*, & utitalem damnant. Excerpta eſt iſta Propoſitio ex Lib. 3. Janſenii de Grat. Chr. c. 13. & in ejus ſenſu damnata. Quis porrò ſit Janſenii ſenſus fusè à nobis expoſitum fuit, ubi de ſyſtemate doctrinæ ipſius, & initio hujus articuli ſummatim adhuc expreſſimus; neque verò longiùs accerſendus ille videtur, qui legenti ſtatim occurrit. Impoſſibilia ſcilicet contendit Dei mandata juſtis nonnullis impoſſibilitate dumtaxat relativa ad præſentes, quas ex parva ſeu inferiori actuali gratia, vires habent: *ſecundùm præſentes*, inquit, *quas habent vires*. Ergo ſenſu contrario judicat Eccleſia, juſtis mandata Dei poſſibilia, poſſibilitate relativa ad præſentes eorum vires. Janſenio ſcilicet paradoxum videtur in doctrina S. Auguſtini, quòd gratia parva vires pares & æquales conferat ad actualem concupiſcentiam majorem ſuperandam; atque poſtquam c. 15. ejuſdem Libri varios diſtinxit poſſibilitatis gradus, hanc ſibi objectionem proponit: *Quomodo ſcilicet non ſint excuſati ſive fideles, ſive infideles, qui illo poſtremo ſufficienti adjutorio carent, quandoquidem ſine illo præceptum abſolutè implere non poſſint: nam reliqui tres poſſibilitatis modi imperfecti ſunt, quibus præſentibus,*

Margin notes: T.3.pag. 138. col. 2. E. — Ib. pag. 145. col. 2. C.

tibus, ſi poſtremus, qui per actualem gratiam datur, non adfuerit, non magis hic & nunc & abſolutè fieri poſſe præceptum dici poteſt, quàm ſine alis volare poſſe diceretur. Quomodo igitur non excuſat tanta implendi præcepta impotentia? En objectio, ex qua dilucidè patet, controverſiæ nodum ſpectare poſſibilitatem mandatorum per actualem gratiam, quæ hic & nunc ſufficiat, ut impleri poſſit mandatum; talem verò in aliquibus juſtis poſſibilitatem negat Janſenius. Ut verò propoſitæ objectioni reſpondeat, duplicem diſtinguit præcepti faciendi impotentiam. *Una eſt*, inquit eodem cap. 15. *ex defectu alicujus, quod non poteſt quantumlibet magna voluntate, hoc eſt, quantumlibet fortiter volendo, ſuppleri. Talis eſt impotentia illius, qui caret Breviario ad Horas, quas ignorat, recitandas .... De tali impotentia veriſſimum eſt, quòd Deus non jubet impoſſibilia .... Altera impotentia eſt, quæ ex defectu ipſius voluntatis ſeu volitionis oritur, quæ ſi adeſſet, quanta adeſſe debet, præceptum facillimè impleretur ..... Hæc impotentia non faciendi, nullo modo excuſat eum, qui non implet, quod præcipitur, poſſet enim implere, ſi vellet.* Iſtam verò poſtremam, non primam impotentiam in aliquibus juſtis reperiri Janſenius profitetur. *Ibid. E.* *Pag. 146. col. 1. D.*

Verùm jam ſæpiùs attrita fuit à nobis putida hæc cavillatio. Equidem ſi juſtus vellet ac fortiter vellet, præceptum impleret; quis dubitat? At in iis, in quibus eſt, circumſtantiis, gratiæ ſcilicet parvæ reſpectu fortioris concupiſcentiæ, non poteſt velle, nec fortiter velle, & quidem abſque ſua culpa. Quid ita? Quia caret delectatione cœleſti majori & indeliberata, quæ ab ipſo non pendet, & ſine qua nec velle, nec fortiter velle poteſt. *Delectatio iſta*, inquit Janſenius Lib. 4. de Gratia Chriſti cap. 11. *quam ad omnia opera bona S. Auguſtinus exercenda poſtulat, non eſt aliud, quàm actus quidam indeliberatus cœlitùs immiſſus in voluntatem*. Et Lib. 8. cap. 3. de eadem delectatione ait: *Prædeterminat voluntatem, quia facit ut velis, & ſine illa velle non poſſis; facit etiam ut ardentiùs velis, & ſine illa ardentiùs velle non poſſis.* Et capite 4. Libri 2. *Tantæ neceſſitatis eſt*, ait, *ut ſine illa non poſſit effectus fieri, tantæque efficaciæ, ut hoc ipſo quo datur, continuò fiat. Dat enim ſimul & poſſe & operari. Sine qua*, ut ait Lib. 3. cap. 15. *non magis poteſt homo benè operari, quàm volare ſine alis.* Quæ certè omnia clariſſimè demonſtrant mentem Janſenii eſſe, juſtum cum ſola gratia parva, efficaci abſente, non poſſe potentia relativa ad præſentes ipſius vires, Dei mandata obſervare. *Ibid p. 185. col. 1. B.* *Ibid. p. 346. col. 2. D.* *Ibid. p. 41. col. 2. C.* *Ibid. p. 145. col. 2. D.*

Neque dicas Janſenium excludere dumtaxat potentiam junctam cum actu, qualem ipſimet Thomiſtæ excludunt, abſente gratia phyſicè prædeterminante. Namque potentia illa juncta cum effectu, in phraſi Janſeniana, eſt illa ipſa potentia relativa, quam poſtulamus, & quam Janſeniani negant: quæ potentia (quod notandum) ſecundùm illos, non tantùm reſpicit actum ſecundum, ſed etiam primum; ea ſiquidem abſente, facultas nullam habet relativè proportionem cum oppoſita majori cupiditate vincenda: unde *actus eſt extra ipſius poteſtatem*, ait Janſenius. Non ita certè eſt in ſententia Thomiſtarum: agnoſcunt enim illi in juſtis abſente gratia phyſicè prædeterminante, gratiam verè ac relativè ſufficientem, per quam voluntas conſtituitur potens ad obſervanda mandata, ſicut antea probatum eſt.

Non eſt etiam quòd reponas, in doctrina Janſenianorum gratiam parvam relativam eſſe ad opus bonum, cujus omne principium effectivum in ſe continet; imò & gratiam hanc juſtis adeſſe etiam cùm graviori tentatione pulſantur.

Me-

Mera profectò hæc argutia eſt ac fallacia: gratia quippe illa in his circumſtantiis non eſt relativa ad opus bonum, tanquam ad effectum ad quem producendum æquales ac proportionatas vires hic & nunc conferat: centies autem monuimus, gratiam ſufficientem debere conferre ſaltem mediatè vires pares & æquales actuali concupiſcentiæ debellandæ. Eſt igitur in mente Janſenianorum, relativa tantùm ad opus bonum abſolutè in ſe ſpectatum, non verò in præſentibus ſubjecti circumſtantiis.

Fruſtra regeres gratiam hanc victricem fore, ſi voluntas minùs reſiſteret: ita quidem. At non poteſt voluntas non reſiſtere delectationi gratiæ inferioris, quando prævenitur & occupatur oppoſita delectatione terreſtri majori ac fortiori; major enim delectatio, ſecundùm Janſenianos, nunquam à minori in iiſdem circumſtantiis ſuperari poteſt. Non poteſt enim voluntas ſuperare majorem concupiſcentiam, niſi vel augeatur gratia, vel minuatur concupiſcentia: neutrum autem eſt in poteſtate voluntatis, ſed unius Dei, qui vel tentationem variis modis imminuit ac mitigat, vel ſuperiorem & indeliberatam cœlitùs immittit gratiæ delectationem. Quapropter ſi voluntas gratiæ minùs obſiſteret, eo ipſo gratia, nec parva, nec inferior, ſed major ac ſuperior diceretur ac foret.

III. Accedit ſacra Facultas Pariſienſis, quæ ſua cenſura lata die ultima Januarii, & confirmata die 1. Februarii an. 1656. duas notavit Antonii Arnaldi Propoſitiones, quarum una facti, altera juris eſt. Poſterior, quæ ſola præſentis eſt noſtri inſtituti, ſic habet latinè reddita: *Interea, vir illuſtriſſime, veritas hæc magna per Evangelium conſtituta & SS. Patrum auctoritate confirmata, qui nobis in beato Petro exhibent hominem juſtum, cui gratia, ſine qua nihil poſſumus, in ea defuit occaſione, in qua eum non peccaſſe dici non poteſt*. Hanc verò Propoſitionem ſacra Facultas iiſdem omnino cenſuræ notis confixit, quibus SS. Pontifices primam Janſenii Propoſitionem, nempe temerariam, impiam, blaſphemam, anathemate damnatam & hæreticam declarat. Nimirum propter identitatem doctrinæ cum prima Propoſitione Janſenii.

Nihil non tentavit Arnaldus variis ſcriptis ſuis ac molitionibus, ut Facultatem ad hanc revocandam ſuam cenſuram adduceret, ſed irrito planè conatu. Conſtans enim ac firma in ſuo uſquedum judicio perſeverat, cui omnes ſeu Magiſtri, ſeu Candidati ſubſcribere tenentur, quodque ſolemniter renovavit, ac typis de novo juſſit excudi anno 1704. die 1. Septembris.

Reſpondebat Arnaldus, ſe, cùm ſcripſit: *Gratiam, ſine qua nihil poſſumus, S. Petro defuiſſe, unam intellexiſſe gratiam efficacem ad omnes pietatis actus neceſſariam*. Verùm ea non obſtante declaratione, ſacra Facultas dictam Propoſitionem damnavit; tum quia eſt indefinita, omnemque gratiam, ſine qua nihil poſſumus, Petro defuiſſe ſignificat: certum autem eſt, abſente gratia efficaci, non defuiſſe ipſi gratiam verè ſufficientem, per quam potuit & de ſuis viribus non præſumere, & Chriſtum non negare; alias præceptum ipſi fuiſſet ad obſervandum impoſſibile: tum quia judicio ſacræ Facultatis verum non eſt aſſerere, ſine gratia efficaci juſtum nihil poſſe; nec unquam potuit Arnaldus diſcrimen ſuæ Propoſitionis à damnata Janſenii doctrina demonſtrare, niſi detorquendo cenſuram Apoſtolicam primæ Propoſitionis in ſenſum purè Calvinianum. Vide quæ ea de re ſcripſit in Opuſculo, cui titulus eſt, *Arnaldi Scriptum de quæſtione juris*, ſectione 4. Cauſæ Arnaldinæ pag. 43.

Et

Digitized by Google

Et certè præcipuum primæ Propoſitionis Janſenii virus in eo eſt, quòd aſſerat, juſtis, ſecundùm præſentes quas habent vires, aliqua Dei præcepta eſſe impoſſibilia; non quidem abſolutè, ſed relativè, ſeu ſecundùm præſentes eorum vires: at hoc ipſum eſt, quod docet Arnaldus Diſſertatione de Gratia efficaci, quam pro defenſione ſuæ Propoſitionis elucubravit, part. 2. art. 4. *Sin verò*, inquit, *de aliquo juſto, cui gratia efficax in aliqua tentatione deſit, quæratur, an ſine gratia efficaci ad vincendam tentationem neceſſaria, quam ſupponimus ipſi defuiſſe, tentationem vincere potuerit; tunc ex communi omnium loquendi ratione reſpondebitur, non quidem abſolutè, ſed in illa hypotheſi, ſine gratia non potuiſſe. Quod ſi quis rectè dici negat, neget etiam oportet rectè dici hominem non poſſe videre ſine lumine, pictorem non poſſe pingere ſine penicillo &c.* Hæc verba diligenter obſerva, *non quidem abſolutè, ſed in illa hypotheſi*. Quid eſt autem præceptum eſſe impoſſibile in illa hypotheſi, niſi eſſe impoſſibile relativè ad majorem actualem concupiſcentiam? *Cauſa Arnaldina p. 318. col. 2.*

Quæ verò exempla hìc profert Arnaldus, apta & idonea non ſunt ad rem præſentem: ſiquidem ſine lumine non tantùm non videt homo, ſe nec videre poteſt, quia nullum aliud eſt medium, quo poſſit videre. Pariter ſine penicillo pictor nec pingit, nec pingere poteſt, quia non aliud eſt inſtrumentum, quo poſſit pingere. At verò abſente gratia efficaci, per quam juſtus benè operatur, præſto adeſt gratia ſufficiens, per quam tanquam inſtrumentum Dei poſſit benè operari: quam quidem gratiam verè ac relativè ſufficientem, cùm S. Petro defuiſſe Arnaldus docuerit, in errorem Janſenii lapſus eſt.

Omittere hic non poſſumus in confirmationem cenſuræ ſacræ Facultatis, 1. S. Pontificem Alexandrum VII. Epiſtolą Arnaldi, unde extracta eſt Propoſitio, quam ſacra Facultas notavit, proſcripſiſſe, ut & alia ejuſdem Opuſcula in defenſionem dictæ Propoſitionis elucubrata. 2. A Clero Gallicano laudatam fuiſſe dictam cenſuram. 3. Cùm aliqua Theſi Romæ propugnanda inſerta fuiſſet iſta propoſitio: *Sine gratia efficaci nihil poſſumus*, S. Pontifex prohibuit Actum celebrari, ac dictam propoſitionem in indicem amandari juſſit decreto lato die 15. Maii an. 1703. 4. Emin. Cardinalis Noallius Archiepiſcopus Pariſienſis anno 1696. proſcripſit Librum cui titulus, *Expoſition de la Foi &c.* ea potiſſimum de cauſa, quòd iſtam contineret propoſitionem. *Sine gratia efficaci nihil poſſumus*: quam quidem Eminentiſſimus Præſul aſſerit eſſe principium ac fundamentum quinque Propoſitionum Janſenii. 5. Cùm in primis editionibus novi Teſtamenti Quenellii hæc legeretur propoſitio, *Gratia Chriſti principium efficax cujuſcumque boni*, in poſterioribus editionibus vox iſta *efficax*, deleta fuit, quæ omnia cenſuræ ſacræ Facultatis æquitatem ac veritatem clariſſimè demonſtrant. *Relat. deliber. Cleri Gallic. circa Janſenium.*

Solvuntur Objectiones.

Ex triplici maximè capite repeti ſolent momenta quæ Concluſioni noſtræ objiciuntur.

I. Ex gratia efficaci, ſine qua juſtus nihil poteſt.

II. Ex impotentia relativa nonnullorum juſtorum ad aliqua præcepta hìc & nunc obſervanda.

III. Ex lapſu S. Petri.

Ob-

Digitized by Google

Objectiones ex Gratia efficaci, ſine qua juſtus nihil poteſt.

Objicies itaque 1. Sine gratia efficaci nihil omnino boni, quod ad veram pietatem pertineat, homo juſtus facere poteſt; ergo juſtis ſola ſufficiente gratia inſtructis, abſente efficaci, Dei præcepta ſunt & dici poſſunt impoſſibilia.

Antecedens probat Arnaldus Diſſert. de gratia efficaci parte 1. ex Scripturis, Conciliis, SS. Patribus, ac Scholæ Doctoribus.

Ex Scripturis.

Opponit hæc Chriſti verba Joan. *6.* v. *43.* *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.*

Priuſquam ad hujuſcemodi teſtimonia reſpondeamus, juvat nonnulla generatim obſervaſſe.

I. Adverſariis noſtris hoc unum probandum incumbit, ſine gratia efficaci ad ſenſum Janſenii, ſeu ſine delectatione ſuperiore, juſtum nihil prorſus in ordine ad ſalutem operari poſſe: atqui tamen ex omnibus, quæ nobis opponunt Scripturæ teſtimoniis, ne unum quidem eſt, quod mentionem faciat delectationis ſuperioris; ergo teſtimonia hæc ad rem noſtram præſentem non pertinent.

II. Si indefinitè & abſque ulla limitatione teſtimonia hæc ſumantur, gratiam etiam ſenſu Thomiſtico ſufficientem excludunt; quam tamen Janſeniani videri volunt admittere. Ratio eſt in promptu: quia Thomiſtæ agnoſcunt per gratiam ſufficientem, efficaci abſente, veram & propriam conferri ad opus bonum ſupernaturale potentiam, quam tamen negant ea teſtimonia, ſi in rigore ſumantur.

III. Arguunt non tantùm moralem, ſed & phyſicam eſſe in homine impotentiam ad bonum, abſente gratia efficaci: iſtud enim & verba, & maximè exempla ex rebus phyſicis petita, quibus adverſarii utuntur, putà luminis ad videndum, penicilli ad pingendum &c. demonſtrant; ergo teſtimonia hujuſmodi immeritò nobis opponunt, ſaltem ii, qui molliori vocabulo, ac ſenſu prorſus eodem, impotentiam dumtaxat moralem agnoſcunt in homine gratia efficaci deſtituto.

IV. Vel illa teſtimonia excludunt veram antecedentem relativè potentiam, vel non excludunt. Si prius, quomodo qui nobis hìc adverſantur, fingere poſſunt admittere ſe per ſolam gratiam parvam, veram & antecedentem potentiam; aut ſi revera talem potentiam non agnoſcunt, quomodo cenſuram primæ Propoſitionis Janſenii poſſunt effugere? Si poſterius, fruſtra prorſus ac in vanum teſtimonia illa nobis opponunt, quaſi excluderent veram antecedentem relativè potentiam.

V. Notanda hìc Janſenianorum inconſtantia. Cùm enim gratiam ſufficientem Catholicorum impugnare volunt, collectis undequaque teſtimoniis conantur efficere, hominem ſine gratia efficaci nihil poſſe in ordine ad ſalutem: cùm verò accuſantur erroris primæ Propoſitionis Janſenii, atque ea ipſamet eorum propoſitio adversùs ipſos retorquetur, reſpondent, hac loquendi ratione non removeri antecedentem ad bonum potentiam. Sic Arnaldus in Libro,

cui

cui titulus eſt gallicè: *Defenſe de la Conſtitution d'Innocent X.* aſſerit, nullam dari ſufficientem gratiam, qualem fingit Alvares; quia Scriptura, Concilia, SS. Patres talem gratiam eo ipſo rejiciunt, quo affirmant, hominem ſine gratia efficaci nihil poſſe in ordine ad ſalutem. Attamen idem Arnaldus amarè conqueritur proſcriptam à ſacra Facultate Pariſienſi ſuam Propoſitionem, quaſi ſufficientem gratiam Thomiſtarum negaſſet, eò quòd ſcripſiſſet, S. Petro defuiſſe gratiam, ſine qua nihil poſſumus: quia, inquiebat, de ſola gratia efficaci id dictum volui. Hæc itaque propoſitio. *Sine gratia efficaci nihil poſſumus*, levi manu varias apud Janſenianos formas, varioſque ſenſus induit, prout ipſis expedit: modò excludit gratiam ſufficientem, modò non excludit. Hinc auctor Epiſtolæ undecimæ inter eas, quæ ſcriptæ ſunt adversùs Documentum Paſtorale Illuſtriſſimi Epiſcopi Meldenſis nunc Cardinalis Eminentiſſimi contra Janſeniſmum, affirmat eſſe de fide, quòd homo veram, realem & actualem habeat potentiam, cui nihil deeſt eorum, quæ ad eſſentiam potentiæ pertinent, ad obſervandum præceptum. Idem tamen auctor ex Diſſertatione Arnaldi de gratia efficaci ea omnia corraſit Veterum teſtimonia, quibus probare nititur, non immeritò dici, hominem ſine gratia efficaci nihil poſſe in ordine ad ſalutem. Quomodo, quæſo, ſtare poteſt vera illa, propria, actualis & perfecta potentia, ſi homo nihil poteſt in ordine ad ſalutem ſine gratia efficaci?

Ad probationem itaque antecedentis, ductam ex his verbis Chriſti: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater traxerit eum.*

℟. Inde non à ſe efficacem, ſed tantùm generatim prævenientem gratiam ad ſingulos pietatis actus neceſſariam rectè demonſtrari. Verbum quippe iſtud, *trahere*, non aliud hìc ſignificat, niſi quòd gratia voluntatem, non voluntas gratiam præveniat, ſicut opinabantur Semipelagiani, qui, referente S. Proſpero in Carmine de ingratis, aſſerebant, fruſtra velle Deum hominem juvare, niſi præferat ille affectum, cujus comitetur gratia curſum: hoc eſt, niſi voluntas affectu quodam naturali gratiam præveniat ac promereatur. Ita citatum Evangelii textum exponit ipſemet S. Auguſtinus Lib. 1. contra duas T. 10 p.
Epiſtolas Pelagianorum ad Bonifacium cap. 19. n. 37. *Quàm multi*, inquit, 427. G.
inimici Chriſti quotidie ſubitò Dei occulta gratia trahuntur ad Chriſtum. Quod verbum ſi non ex Evangelio poſuiſſem, quanta de me propter hoc iſte dixiſſet; cùm etiam nunc obluctetur non mihi, ſed illi qui clamat: Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum? Non enim ait, duxerit, ut illic aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem. Quis trahitur, ſi jam volebat? Quibus certè verbis hoc intendit S. Auguſtinus, per verbum, *trahere*, ſignificari neceſſitatem gratiæ, quæ præveniat, non quæ ſequatur voluntatem; quæcumque tandem ſit ea gratia, ſeu efficax, ſeu ſufficiens, quod Auguſtinus ibi non determinat, cùm ad ſcopum ſuum non pertineret, & unius gratiæ voluntatis neceſſitatem contra Pelagianos demonſtrandam ſuſcepiſſet. Et certè iſta loquendi ratio, *Spiritu Dei agi*, quæ reperitur in Scripturis, non minùs haud dubiè efficacem denotat gratiam, quàm verbum, *trahere*, cùm dicat Augu- Ibid. p.
ſtinus Lib. de geſtis Pelagii cap. 3. n. 5. *Plùs eſt agi, quàm regi: qui enim regitur,* 194. D.
aliquid agit .... qui autem agitur, agere aliquid vix ipſe intelligitur. Attamen non exiſtimavit S. ille Doctor iſta phraſi, *Spiritu Dei agi*, gratiam efficacem denotari; ſiquidem Libro de correptione & gratia cap. 20. fatetur multos agi,

hoc

hoc eſt, Dei gratia moveri & excitari ad agendum, qui tamen non agunt?
Ibid. p. *Intelligant*, ait, *ſi filii Dei ſunt, Spiritu Dei ſe agi, ut quod agendum eſt, agant;*
752. A. *& cùm egerint, illi, à quo aguntur, gratias agant. Aguntur enim, ut agant, non ut ipſi nihil agant; & ad hoc eis oſtenditur, quid agere debeant, ut quando id agunt, ſicut agendum eſt, id eſt, cum dilectione & delectatione juſtitiæ, ſuavitatem, quam dedit Dominus, ut terra eorum daret fructum ſuum, accepiſſe ſe gaudeant. Quando autem non agunt, ſive omninò non faciendo, ſive non ex charitate faciendo; orent, ut quod nondum habent, accipiant.* Vides hic ſupponere Auguſtinum, nonnullos Dei Spiritu agi, qui tamen non agunt id, ad quod agendum movebantur; ergo non agebantur illi efficaci Dei Spiritu ſeu gratia. Hæc igitur phraſis, *Spiritu Dei agi*, perinde ac iſta, *à Deo trahi*, in phraſi Auguſtiniana non efficacem, ſed ſimpliciter prævenientem gratiam voluntatis ſignificat.

Inſtabis 1. Eodem cap. 6. S. Joannis v. 66. Chriſtus ait: *Nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo.* Quibus verbis efficacem gratiam ſignificari per ſe clarum eſt. Porrò ex S. Auguſtino Lib. 1. ad Bonifacium cap. 3. idem ſenſus eſt horum verborum verſus 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pa-*
Ibid. p. 414. E. *ter meus traxerit eum;* ac iſtorum verſus 66. *Nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo.* Ergo utroque illo verſu exprimitur neceſſitas gratiæ efficacis, ad hoc ut quis poſſit ad Chriſtum venire.

℞. 1. Vel unus & idem planè dicitur eſſe illorum verborum ſenſus, vel non. Si unus & idem eſt ſenſus, æqualiter exprimunt vel actum, vel potentiam tantùm; ſi actum, ut ſenſus ſit: Nemo venit ad me, niſi ei datum fuerit, fruſtra hæc nobis verba opponunt, ut efficiant aliam veram potentiam, præter eam, quæ confertur per gratiam efficacem, rejiciendam eſſe. Si verò exprimant tantùm potentiam, proclive omninò eſt, ut de gratia præciſè voluntatis præveniente intelligantur; nec ullo jure poteris ea trahere ad ipſam, prout eſt efficax. Quòd ſi non una & eadem eſt utriuſque textus ſignificatio, immeritò primum per ſecundum exponendum eſſe contendunt.

℞. 2. Gratis omninò ſupponere Arnaldum, tum citata Diſſertatione, tum maximè in Libro, cui titulus eſt: *Nouvelle defenſe du Nouveau Teſtament de*
Pag. 251. *Mons, 2. partie, Livre 9. chapitre 2.* hæc verba Chriſti: *Nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo*, de gratia efficaci unicè intelligenda eſſe. Equidem ſi diceret Chriſtus, quod Arnaldus de ſuo fingit, nempè: *Niſi ei datum fuerit venire*, gratiam efficacem procul dubio exprimeret: at Chriſtus dixit tantùm, *Niſi ei datum fuerit*; non addit *venire*. Unde iſtud, *datum fuerit*, rectè intelligitur generatim de neceſſitate gratiæ prævenientis, ſine qua homo nihil boni poteſt. Unde adversùs ipſum Arnaldum ſic arguimus: Eodem modo, ipſo judice, intelligi debent verba Chriſti verſu 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit ipſum;* ac iſta verſus 66. *Nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo;* atqui poſtrema hæc verba intelligi neceſſariò & unicè non debent de gratia efficaci, ſed rectè intelligi poſſunt generatim de gratia præveniente omninò neceſſaria ad quemlibet veræ pietatis actum: ergo &c. Minor propoſitio Auguſtini eſt Libro 4. ad Bonifacium cap. 6. n. 13.
Ibid. p. *In omnibus*, inquit, *quæ quiſque agit ſecundùm Deum, miſericordia ejus prævenit*
475. F. *eum. Quod iſti nolunt, quia non eſſe Catholici, ſed Pelagiani volunt. Multùm enim delectat impietatem ſuperbam, ut etiam id, quod cogitur confiteri à Domino datum, non ſibi donatum videatur eſſe, ſed redditum: ut ſcilicet filii perditionis,*

non

Digitized by Google

non promiſſionis, ipſi credantur ſe bonos feciſſe, & Deum jam bonis à ſeipſis effectis, pro iſto eorum opere debitum præmium reddidiſſe. Ita namque illis tumor ipſe aures cordis obſtruxit, ut non audiant: Quid enim habes, quod non accepiſti? Non audiant: Sine me nihil poteſtis facere; non audiant ... Nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo, &c. En ipſe Chriſti textus, quem Arnaldus pro gratia efficaci nobis opponit, quem tamen Auguſtinus generatim intelligit de neceſſitate gratiæ prævenientis, adversùs hujus gratiæ hoſtes Pelagianos.

At, inquies, nonne S. Auguſtinus hæc verba, *trahere*, *dare*, ac citata ex cap. 6. S. Joannis verba Chriſti uſurpat aliquando ad probandam gratiam efficacem?

Fateor, videri poſſe Auguſtinum ita ſentire, iis qui non ſatis attendunt ad eam, quam toties inculcavimus, gratiæ utriuſque ſtatus differentiam in eo poſitam, quòd gratia naturæ innocentis mentis illuſtrationem, gratia verò naturæ lapſæ inſuper motionem voluntatis includat. Si attentè expendatur D. Auguſtinus, dum hæc Scripturæ verba: *Nemo poteſt venire ad me*, & ſimilia uſurpat, ſolam videbitur aſtruere contra Pelagianos neceſſitatem gratiæ voluntatis ſimplicìter prævenientis. Præterea etiam ſi daretur adverſariis ibi S. Auguſtinum agere de gratia, quæ foret efficax, cenſendus non eſſet ſanctus Doctor ex citatis verbis inferre, aut in iis ſpectare gratiam præcisè ac quatenus efficacem, ſed ſimpliciter quatenus prævenientem: idque appoſitè omninò ad ſuum contra Pelagianos inſtitutum; nempè ut oſtenderet neceſſariam eſſe gratiam voluntatis prævenientem, de qua una movebatur quæſtio: de gratia enim efficaci, ſeu de modo agendi gratiæ nullatenus quæſtio movebatur.

Huic noſtræ reſponſioni viam aperiunt vel ipſi adverſarii, diſtinctionem mox adductam uſurpantes, ut ſe ab errore in præſenti materia purgare conentur. Inter Epiſtolas Theologicas, quæ ſcriptæ ſunt adversùs Documentum Paſtorale Illuſtriſſimi Epiſcopi Meldenſis Eminentiſſimi Cardinalis de Biſſy, ſeptima hunc præfixum habet titulum Gallicè: *Quand les pretendus Janſeniſtes ont dit que ſans la grace efficace l'homme n'a pas le pouvoir prochain de faire le bien, ce n'eſt pas parce que le ſecours eſt efficace, comme M. de Meaux le leur impute fauſſement dans ſon Ordonnance; mais parce que le ſecours eſt neceſſaire.* Quin ipſemet Quenellius in Libello, cui titulus Gallicè: *Anatomie de la ſentence de M. l'Archeveque de Malines contre le P. Quenel*, ut infirmet ac diluat intentatam accuſationem adversùs hanc unam è ſuis Propoſitionibus: *La grace de Jeſus-Chriſt principe efficace de toute ſorte de bien, eſt neceſſaire pour toute bonne action grande ou petite ....ſans elle non ſeulement on ne fait rien, mais on ne peut rien faire.* Sic reſpondit pag. 158. *J'aurois pu en quatrieme lieu repondre en un mot, que dans la Reflexion qui fait crier ſi haut mes accuſateurs, je n'y parle que de la grace de Jeſus-Chriſt en general; & que ces paroles, principe efficace de toute ſorte de bien, ſe rapportent non à la grace, mais à Jeſus-Chriſt qui en eſt vraiement le principe efficace, puiſqu'il eſt tout puiſſant.* Verùm obiter hic obſervandum neceſſariò duximus, reſponſionem hanc Janſenianorum reipſa fallacem ac infidam, mireque ad fallendum eſſe compoſitam. Videri volunt errorem deponere aut declinare: at in rei veritate, errorem dumtaxat tegunt ac diſſimulant; atque in eodem luto ſemper remanent, in quo pedem fixerunt. Namque 1. auctor prædictarum Epiſtolarum, non ad gratiam, ut ſimpliciter prævenientem voluntatis, reducit hanc loquendi formulam, *ſine illa non poſſumus*, ſed ad gratiam efficacem.

Digitized by Google

cem. Fruſtra regerit de illa non ut efficaci, ſed ut neceſſaria hæc à ſe proferri: nam ideo tantùm eſt neceſſaria in ſyſtemate Janſeniano, quia eſt delectatio ſuperior, ſeu efficax. Præterea dici non debet de gratia efficaci præcisè quatenùs neceſſaria, ſine illa nihil fieri poſſe. 2. Quenellius ſimili fraude uſus fuerat, cùm dixerat, ſe de gratia in genere fuiſſe locutum: non enim gratiam prout abſtrahit à ſufficienti & efficaci, intelligebat; ſed, ut monet ipſe p. 156. 2. *partie de l'Explication apologetique*, gratiam intelligebat in ſenſu collectivo, nempe prout gratiam tum efficacem ſimpliciter, tum efficacem ſecundùm quid, ſed ubique ſuo ſenſu efficacem ſemper complectitur.

Dices cum Arnaldo loco citato: Bellarminus L. 2. de Gratia & libero arbitrio c. 12. docet, eos Scripturæ repugnare, qui verba Chriſti laudata de alia, quàm de efficaci gratia interpretantur. *Nam*, inquit, *tametſi piè credamus*, *T. 5. p. 197. col. 2. E.* *omnibus dari pro loco & tempore auxilium ſufficiens, quo poſſint credere: tamen Scriptura docet, reipſa non credere, niſi illos, qui habent auxilium efficax, quo fit, ut homo non ſolùm poſſit credere, ſed etiam credat, & hoc auxilium non omnibus dari.*

℞. Nego ant. Equidem Bellarminus de gratia efficaci laudata Chriſti verba exponit; at non negat, nec improbat ea etiam exponi de gratia ſufficiente. Cap. enim 8. ejuſdem Libri ſolvens objectionem hæreticorum, qui ex iſtis Chriſti verbis: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum*, inferebant, *Ibid. p. 129. col. 2. G.* eos ad Chriſtum venire non poſſe, qui reverà non trahuntur: *Reſpondemus*, inquit, *eo argumento ſolùm concludi, non habere omnes auxilium efficax, quo reipſa credant; non tamen concludi, non habere omnes ſaltem pro loco & tempore auxilium, quo poſſint credere, vel certè, quo poſſint auxilium petere & dicere:* *Ibid. E.* *Credo Domine, adjuva incredulitatem meam.* Et paulò antè dixerat: *Itaque omnes aliquando audiunt, quia omnes Deus pro loco & tempore vocat; ſed illi ſoli diſcunt & veniunt, quibus Pater ita ſuadet, ut perſuadeat: & hæc eſt gratia efficax. Poſſe tamen omnes credere, ac proinde omnes à Deo audire & trahi, perſpicuum eſt* *Ibid. p. 197. col. 2. E.* *ex illo eodem cap. 6. S. Joan. ubi Dominus hortabatur omnes ad fidem, quod non feciſſet, niſi ſciviſſet, omnes potuiſſe credere.* Et in hoc ipſo cap. 12. unde objectio petitur: *Videmus*, inquit, *cauſam reddi, cur Judæi iſti non crederent, non quia non haberent auxilium, quo poſſent credere; quorſum enim Dominus illis prædicaret, ſigna coram eis faceret, hortaretur eos ad fidem, reprehenderet & inexcuſabiles diceret, ſi non dediſſet eis auxilium, quo poſſent credere? Sed quia non haberent gratiam illam, quæ ita ſuadet, ut perſuadeat.* Bellarminus igitur non negat gratiam verè ſufficientem, non negat citata Chriſti verba intelligi poſſe de gratia ſuffi- *Ibid. p. 192. col. 2. E.* ciente, quamquam candidè fateatur c. 8. *Videri ſibi magis congruum Evangelicæ ſententiæ, ſi dicamus, Dominum loqui de gratia efficaci, quæ ita ſuadet, ut perſuadeat. Dicitur autem non poſſe venire*, pergit Bellarminus, *qui non trahitur per gratiam efficacem, non quòd abſolutè non poſſit, ſed quia infallibiliter non veniet: ſicut etiam contrà qui trahitur, poteſt abſolutè non venire, tamen infallibiliter venit.*

Cùm itaque cap. 12. ſcribit, eos Scripturæ repugnare, qui verba Chriſti de gratia ſufficiente interpretantur, de iis tantùm loquitur, qui rejecta gratia efficaci, unam admittunt ſufficientem libero arbitrio permiſſam, ſeu verſatilem, quæ pro uſu vel non uſu voluntatis, fundamentum ſit prædeſtinationis *Ibid. p. 197. col. 1. D.* vel reprobationis. Non alium eſſe Bellarmini ſenſum, manifeſtè demonſtrat ea ipſa nonnullorum ſententia, quam refellit: *Dicunt alii*, ait, *fidem eſſe donum*

Digitized by Google

num Dei, ſed non omnibus dari, quia non omnes eam volunt accipere: Deum enim omnes vocare & auxilium ſufficiens omnibus præbere, quo poſſint credere, ſi velint, proinde prædeſtinationem pendere ex prævisione boni uſus gratiæ ſufficientis. Illos enim eſſe prædeſtinatos, quos Deus prævidit cooperaturos gratiæ ſufficienti, & inde credituros: illos eſſe reprobatos, quos prævidit gratiæ ſufficienti non cooperaturos, & inde non credituros. At hæc ſolutio, pergit Bellarminus, *repugnat apertè ſacris Litteris. Nam tametſi piè credamus, omnibus dari pro loco & tempore auxilium ſufficiens, quo poſſint credere, tamen Scriptura docet, reipſa non credere, niſi illos qui habent auxilium efficax.*

In mente igitur Bellarmini, ſacris Litteris apertè repugnant, non qui gratiam ſufficientem agnoſcunt, quam ipſemet agnoſcit Bellarminus; ſed qui admittunt tantùm ſufficientem generalem in omnibus æqualem, rejecta efficaci, ac ſine ulla ſpeciali Dei erga electos dilectione ac providentia.

Dices cum Arnaldo in citata nova defenſione Verſionis Montenſis L. 9. c. 2. Bellarminus ait tantùm, piè credi dari gratiam ſufficientem: è contra aſſerit, eos, qui negant gratiam efficacem, repugnare Scripturis, ac Pelagianis conſentire; ergo iſta ſententia fidei, alia verò pietatis tantùm eſt.

Reſp. Ad piam dumtaxat opinionem Bellarminum referre extenſionem ſeu diſtributionem gratiæ ſufficientis omnibus hominibus pro loco & tempore: at exiſtentiam illius gratiæ pertinere ad dogma fidei probat cap. 11. Lib. 1. de Gratia & lib. arb. adductis multis Scripturæ teſtimoniis. Unde bona fide non agit Arnaldus in obſervatione ſua.

Inſtabis 2. Joannis 15. v. 5. Chriſtus ait: *Sine me nihil poteſtis facere. Quæ verba S. Auguſtinus aliique Patres*, ait Arnaldus laudata Diſſertatione parte 1. art. 3. *vel de gratia efficaci apertè intelligunt, vel cum aliis Scripturæ teſtimoniis connectunt, quæ ad gratiam efficacem procul dubio pertinent. Nullus verò, fidenter hoc aſſero*, (pergit Arnaldus) *locus reperitur, in quo hæc Chriſti verba de illa gratia interpretati ſint, quæ det ſolam boni poſſibilitatem.* *Cauſa Arnald. p. 257. col. 2.*

Reſp. Hac Chriſti ſententia funditùs convelli errorem Pelagianorum; ac generatim neceſſitatem gratiæ voluntatis ad omnes & ſingulos pietatis actus mirè confirmari. Quapropter ſæpiſſimè S. Auguſtinus egregiam illam ſententiam adversùs Pelagianos contorquet L. de Gratia Chriſti c. 29. & L. 4. c. 6. ad Bonifacium eadem Chriſti verba refert, ad demonſtrandam generatim gratiæ prævenientis neceſſitatem, de quo S. Auguſtini teſtimonio ſuus erit infrà dicendi locus.

Ex Conciliis.

Objicies 2. Concilia ſtatuunt adversùs Pelagianos, ſine gratia nihil boni fieri poſſe: atqui non aliam ſtatuunt eſſe gratiam, quàm efficacem; ergo ſine gratia efficaci nihil boni fieri poteſt.

Minorem probat Arnaldus: *Cauſa Arnald. p. 277.*

Ex Concilio Africano in Epiſtola ſynodica ad Innocentium I. ubi gratiam, quam adversùs Pelagianos Patres hujus Concilii definiunt prorſus neceſſariam, ajunt eam eſſe, *qua Chriſtiani ſumus; qua & ipſum noſtræ voluntatis arbitrium verè fit liberum, dum à carnalium concupiſcentiarum dominatione liberatur, &c.* *T. 2. Conc. p. 1534. B.C.*

Ex Milevitano II. Can. 4. cujus hæc verba ſunt: *Quiſquis dixerit eamdem gratiam Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, propter hoc tantùm nos adjuvarè ad non peccandum, quia per ipſam nobis revelatur & aperitur intelligentia mandatorum, ut ſciamus, quid appetere, quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præſtari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema ſit.*

T. 14. Conc. p. 766. E.

Ex Tridentino ſeſſ. 6. Can. 22. *Si quis dixerit, juſtificatum, vel ſine ſpeciali auxilio Dei, in accepta juſtitia perſeverare poſſe, vel cum eo non poſſe, anathema ſit.* Ergo ſine ſpeciali, hoc eſt efficaci Dei auxilio, juſtus perſeverare non poteſt.

Reſp. Nego min. Hoc enim unum Concilia definiunt adversùs Pelagianos, gratiam generatim neceſſariam eſſe; ita ut ſine illa homo nihil boni velle poſſit, aut incipere, aut perficere. Unde fallax & planè ſophiſtica eſt iſthæc arguendi ratio: Concilia ſtatuunt nihil boni fieri poſſe ſine gratia; ergo aliam non agnoſcunt gratiam quàm efficacem. Perinde eſt, ac ſi quis diceret: Concilia ſtatuunt, nihil boni fieri poſſe ſine gratia interiori; ergo non aliam agnoſcunt gratiam quàm interiorem. Falſa prorſus conſecutio; neceſſaria etenim eſt gratia exterior: fides quippe ex auditu, auditus autem per verbum Dei. Pariter agnoſcenda gratia & ſufficiens & efficax.

Ad 1. probationem aperta eſt reſponſio.

Ad 2. Nemo non videt ſcopum Concilii eſſe, ut aſtruat generatim neceſſitatem gratiæ voluntatis, quam negabant Pelagiani, rati ſufficere gratiam intellectus ſeu cognitionis ac doctrinæ.

Ad 3. Vide, quæ circa iſtum Concilii Tridentini Canonem diximus, cùm egimus de auxilio gratiæ ad perſeverandum neceſſario.

Hoc unum hìc addo, auxilium ſcilicet gratiæ non rarò à Theologis ſpeciale appellari, licèt non ſit efficax. Ita Oroſius in Apologetico. Dominicus Soto in 4. diſt. 14. q. 1. art. 1. Capreolus in 2. diſt. 28. q. 1. art. 3. Alphonſus Curiel in primam 2. q. 109. art. 10. ubi docet, gratiam actualem habituali ſuperadditam appellari poſſe ſpecialem, quia ſupernaturalis eſt: addit ibidem, ſpecialem illam gratiam juſto nunquam denegari. Leve igitur eſt ac infirmum argumentum, quod Arnaldus ex illa voce, *ſpeciale*, colligit; ut efficiat ſpeciale auxilium gratiæ, ſine quo juſtus in accepta juſtitia perſeverare non poteſt, eſſe efficax, adeòque veram eſſe propoſitionem iſtam: *Sine gratia efficaci nihil boni fieri poteſt.*

Ex ſummis Pontificibus.

Cauſa Arnald. p. 277. & ſeqq. T. 2. Cō. p. 1285. D.

Opponit Arnaldus art. 4. primæ partis ſuæ Diſſertationis de gratia efficaci tres ſummos Pontifices, Innocentium primum, Cœleſtinum, ſanctum Leonem.

Innocentius I. in Epiſtola ad Africanos: *Quotidiana*, inquit, *præſtat ille remedia, quibus niſi freti confiſique nitamur, nullatenùs vincere humanos poterimus errores: neceſſe eſt enim, ut quo auxiliante vincimus, eodem iterum non adjuvante vincamur.* Porrò gratia, qua vincimus, eſt efficax.

Ibid. p. 1615. E.

Cœleſtinus in Epiſtola ad Gallos cap. 6. ſine gratia Dei nihil fieri poſſe definivit: *Quòd ita Deus*, inquit, *in cordibus hominum, atque in ipſo libero operetur arbitrio, ut ſancta cogitatio, pium conſilium, omniſque motus bonæ voluntatis ex Deo ſit, quia per illum aliquid boni poſſumus, ſine quo nihil poſſumus.* Cui verò

du-

dubium eſſe poteſt, ait Arnaldus, quin ea gratia efficax ſit, per quam Deus *in ipſo libero arbitrio omnem motum bonæ voluntatis operatur*?

S. Leo Serm. 8. de Epiphania ſic loquitur: *Dicente Diſcipulis ſuis Domino: Sine me nihil poteſtis facere, dubium non eſt, hominem bona agentem, à Deo habere & effectum operis & initium voluntatis; Unde & Apoſtolus copioſiſſimus fidelium cohortator: Cum timore, inquit, & tremore veſtram ſalutem operamini; Deus eſt enim, qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate.* Ed. Qu. in quarto T. 1. p. 201.

Reſp. Ex jam dictis apertam eſſe illorum teſtimoniorum ſolutionem.

Innocentius tria dicit: 1. Sine gratia humanos errores vinci non poſſe: ſolus id profectò negat Pelagianus, qui negat gratiæ neceſſitatem ad ſingulos pietatis actus, quam citatis verbis generatim aſtruit & confirmat ſanctus Pontifex. 2. *Deo auxiliante nos vincere*; neque id pariter ullus inficiatur Orthodoxus: quoties enim bona agimus, Deus nobiſcum, ut operemur, operatur. En gratia efficax ſeu actionis & operis, quam ultrò profitemur. 3. Addit, *neceſſe eſſe, ut Deo non auxiliante vincamur*, quibus verbis rurſus gratiæ neceſſitatem confirmat. Verùm non ait Innocentius, quòd ſine illo auxilio, quo vincimus, vincere non poſſimus; ſed tantùm nos vincere non poſſe ſine auxilio Dei, qui, cùm vincimus, præſtat auxilium ut vincamus. Uno verbo, Innocentius aſtruit generatim neceſſitatem gratiæ; aſtruit etiam illam, cùm benè agimus, eſſe efficacem: at nec excludit ſufficientem; nec unquam aſſeruit, ſine gratia efficaci, per quam agimus, nos benè agere non poſſe. Noverat enim ſanctus Pontifex, multos eſſe qui poſſint ex gratia præſente benè agere, qui tamen non agunt. Eadem prorſus eſt mens ac ſententia Cœleſtini: nec aliud pariter extundi poteſt ex verbis S. Leonis. Neceſſariam eſſe gratiam agnoſcit, eam quoque, cùm agimus, efficacem eſſe profitetur; at malè hinc infertur, quòd ſine illa gratia efficaci nihil poſſumus. *Deus enim*, ait ſanctus ille Pontifex Sermone 16. de paſſione, *juſtè inſtat præcepto, qui præcurrit auxilio.* Auxilium porrò illud non eſſe ſemper efficax, res eſt manifeſta, quandoquidem non omnes impoſita ſibi obſervant præcepta. Ibid. p. 291.

Ex ſancto Auguſtino.

Nobis hìc ſufficiet ea evolvere & explanare Auguſtini teſtimonia, quæ opponit Arnaldus art. 6. primæ partis ſuæ Diſſertationis de gratia: ex illis enim exponi facilè poterunt, quæ ex SS. Proſpero, Fulgentio & aliis profert. Ad tria autem capita generatim revocat Auguſtini teſtimonia. *Primò*, inquit, *oſtendemus de gratia efficaci ab Auguſtino intellectas Africanorum Conciliorum & Innocentii definitiones, quibus ſcitum eſt, ſine gratia Dei nihil nos non poſſe. 2. Temporibus illis Eccleſiam pro Catholico non habuiſſe, qui fateretur, uti fatebatur Pelagius, ſine gratia Dei nos nihil poſſe, niſi gratiam illam efficacem eſſe ſimul fateretur, 3. Non aliter à Pelagianis Catholicam illam doctrinam intellectam eſſe, nec alio ſenſu ab Auguſtino totius Eccleſiæ nomine propugnatam.* Cauſa Arnald. pag. 287. col. 2.

Objicit itaque 1. Epiſtolam 186. aliàs 106. S. Auguſtini ad Paulinum, ubi poſt commemoratas Africanorum Conciliorum ad Apoſtolicam Sedem Relationes & Innocentii Reſponſa, hæc in illis ſancita declarat cap. 1. n. 3. *Quòd gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, (quod fides vera, & Catholica tenet ſemper Eccleſia) puſillos cum magnis à morte primi hominis ad vitam ſecundi ho-* T. 2. p. 664. G.

Pp 2 mi-

minis transfert, non ſolùm peccata delendo, verùm etiam ad non peccandum, recteque vivendum eos, qui jam uti poſſunt voluntatis arbitrio, ſic adiuvando, ut niſi adjuvet, nihil pietatis atque juſtitiæ, ſive in opere, ſive etiam in ipſa voluntate habere poſſimus. Deus quippe operatur in nobis & velle, & operari pro bona voluntate. Nam quis nos, niſi qui venit quærere & ſalvare quod perierat, ab illa perditionis maſſa & concretione diſcernit? Unde Apoſtolus interrogat dicens: Quis enim te diſcernit? Ubi ſi dixerit homo, Fides mea, voluntas mea, bonum opus meum: reſpondetur ei. Quid enim habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? (Cauſa Arnald. p. 283. col. 1.) *Porrò*, ait Arn. *gratiam, qua Deus operatur in nobis & velle & operari, quæ diſcernit fidelem ab infideli, quæ dat fidem, quæ dat voluntatem, quæ dat bonum opus, nemo dixerit aliam eſſe, quàm gratiam efficacem. Et tamen hæc illa gratia eſt, de qua, teſte Auguſtino, Fides vera, & Catholica tenet ſemper Eccleſia, ita per illam ad non peccandum recteque vivendum homines adjuvari, ut, niſi adjuvet, nihil pietatis atque juſtitiæ, ſive in opere, ſive etiam in ipſa voluntate, habere poſſint.*

Reſp. S. Auguſtinum eò loci contra Pelagianos aſſerere generatim neceſſitatem gratiæ voluntatis ad quemcumque veræ pietatis actum, ſive illa ſit efficax, ſive tantùm ſufficiens: hic unicus eſt illius ſcopus, ex quo mens ipſius elicienda. Equidem gratiam illam, quam neceſſariam aſtruit, aliquando efficacem eſſe agnoſcit, & nos cum illo; at eam gratiam neceſſariam, non aliam eſſe quàm efficacem, ex verbis Auguſtini nunquam efficies.

Et certè, argumento ad hominem, quæcumque mox citato loco de gratia dicit Auguſtinus, ea, vel ipſo judice Auguſtino, ad gratiam innocentis naturæ transferuntur. Certum enim eſt, Adamum & Angelos nihil omnino boni ſine gratia potuiſſe, & à Deo accepiſſe, quidquid boni habuerunt. Do- (T. 7. p. 307. F.) cet ipſe Auguſtinus Lib. 12. de Civitate Dei cap. 9. *Angelos ſeipſos meliores non feciſſe, quàm à Deo primùm facti ſunt; eoſque bonam voluntatem operante Dei adjutorio accepiſſe.* Docet Sermone 26. de verbis Pſalmi 95. aliàs undecimo de (T. 5. p. 137. E.) verbis Apoſtoli, quòd Adamus non potuerit *ſeipſum ſervare bonus bonum.* Docet Lib. 11. de Gen. ad litteram cap. 8. *omnem & quamlibet creaturam* (An- (T. 3. par. 1. p. 279. D.) gelis non exceptis) *nonniſi in Domino gloriari debere, cùm cognoſcit non ſuum, ſed illius eſſe, non ſolùm ut ſit, verùm etiam ut nonniſi ab illo benè ſibi ſit, à quo habet ut ſit.* Et Enarratione in Pſalm. 70. Sermone 2. *Ne putes*, inquit, *hominem* (T. 4. p. 737. D.) *ſolum pertinere ad gratiam Dei. Quid erat Angelus antequam fieret? Quid eſt Angelus, ſi deſerat qui creavit?* Hinc S. Anſelmus Lib. de caſu diaboli cap. 1. iſtud Apoſtoli effatum, *Quis te diſcernit?* Ad Angelos etiam vult pertinere. Do- (T. 10. p. 1275. A.) cet S. Auguſtinus Lib. 5. Operis imperfecti contra Julianum cap. 57. ad ipſum Adamum innocentem pertinere, quod Scriptura dicit: *paratur voluntas à Domino:* &, *Deus in vobis operatur & velle.* Porrò fatentur ipſimet adverſarii, gratiam Adamo innocenti & Angelis conceſſam, ſufficientem dumtaxat fuiſſe. Ergo iſtæ ſententiæ: *Quis te diſcernit? Præparatur voluntas à Domino; Deus operatur velle &c.* Neceſſariò non important gratiam efficacem, ſed generatim neceſſitatem gratiæ voluntatis.

Ex his obiter inferes, quantùm deceptus fuerit Janſenius, cùm L. 9. de (T. 3. p. 391. col. 1. B.) Gratia Chriſti cap. 14. ſcribit, Auguſtinum nunquam Angelis & Adamo innocenti adaptaſſe iſta verba Scripturæ: *Deus operatur in vobis velle.*

Objicit 2. Arnaldus ea Auguſtini loca, in quibus exigit à Pelagio, ut eam

ex fide Catholica gratiam fateatur, qua bonum non tantùm ſuadetur, ſed perſuadetur. *Eam*, inquit Lib. de Gratia Chriſti cap. 11. *gratiam volumus iſte aliquando fateatur, qua futuræ gloriæ magnitudo non ſolùm promittitur, verùm etiam creditur & ſperatur; nec ſolùm revelatur ſapientia, verùm & amatur; nec ſuadetur ſolùm omne quod bonum eſt, verùm & perſuadetur.* Et cap. 26. *Gratiam Dei*, inquit, *qua charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, ſic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni ſine illa, quod ad pietatem pertinet, veramque juſtitiam, fieri poſſe non dubitet.* T. 10. p. 235. D. Ibid. p. 248. A.

℞. Apertam eſſe Auguſtini mentem ex oppoſito, quem refellit, Pelagianorum errore. Solam illi gratiam intellectus, ſeu legis ac doctrinæ ad operandum bonum ſufficere aſſerebant: è contra Auguſtinus contendebat ex fide Eccleſiæ neceſſariam eſſe gratiam voluntatis; ita ut ſine gratia voluntatis, non tantùm nihil fiat, ſed nec fieri poſſit. Illa verò gratia voluntatis, ut ſæpè diximus, aliquando eſt efficax, aliquando verò inefficax ſeu ſufficiens; ex eo verò quòd gratia voluntatis homini neceſſaria ſit ut benè agat, malè omnino infertur ſine gratia voluntatis, quatenùs efficax eſt, eum agere non poſſe.

Objicit 3. Idem Arnaldus iſtam ſententiam: *Sine gratia Dei, nihil fieri poſſe*, non aliter quàm de gratia efficaci à Pelagianis intellectam, eo ſenſu ab ipſis impugnatam, Catholicis exprobratam, & ab Auguſtino totius Eccleſiæ nomine defenſam fuiſſe. Id verò probat maximè ex Lib. 2. ad Bonifacium cap. 8. ubi diſſolvens iſtam Pelagianorum contra Orthodoxos calumniam, Catholicos ſcilicet aſſerere Deum invito & reluctanti homini inſpirare non quanticumque boni, ſed & ipſius imperfecti cupiditatem. Reponit Auguſtinus cujuſcumque boni ſive initium, ſive perfectionem à Deo eſſe. *Dominus*, inquit, *cùm ait, Sine me nihil poteſtis facere, hoc uno verbo initium finemque comprehendit. Apoſtolus verò tanquam ſententiæ Dominicæ expoſitor, apertiùs utrumque diſtinxit, dicens: Quoniam qui in vobis opus bonum cœpit, perficiet uſque in diem Jeſu Chriſti.* Capite verò ſequenti docet, gratiam illam neceſſariam, eam ipſam eſſe, *quæ præparat voluntatem hominis, quæ tangit cor, quæ dat velle & operari*, uno verbo, *eam ſine qua nihil poſſumus*. Ergo gratia ſine qua nihil poſſumus, eſt gratia efficax. Ibid. p. 443. C. Ibid. p. 444.

℞. Ad unum & idem Arnaldi argumentum, unam & eandem adhibendam eſſe reſponſionem: in ea ſcilicet Auguſtini cum Pelagianis concertatione, non aliam eſſe illius mentem, quàm ut probet gratiæ voluntatis prævenientis ad ſingulos pietatis actus neceſſitatem; quæ reverà gratia interdum dat efficaciter velle & operari bonum, & ſine qua homo efficaciter nec vult, nec operatur in difficilibus: verùm, ut dictum ſæpiùs fuit, & ſine illa, quatenus efficaci, homo poteſt velle bonum; & Auguſtinus eam præcisè non conſiderat ut efficacem, ſed ſimpliciter ut neceſſariam ac prævenientem omnem noſtram bonam voluntatem; in quo erat capitale fidei dogma contra Pelagianos ipſi vendicandum. Hoc ſuum eſſe unicum inſtitutum, apertè ſignificat cap. 9. verſùs finem: *Avertat*, inquit, *Deus hanc amentiam, ut in donis eius nos priores faciamus, poſteriorem ipſum: quoniam miſericordia eius præveniet me & ipſe eſt, cui fideliter veraciterque cantatur: Quoniam prævenisti eum in benedictione dulcedinis ... Ergo benedictio dulcedinis eſt gratia Dei, qua fit in nobis ut nos delectet, & cupiamus, hoc eſt, amemus, quod præcipit nobis; in qua ſi nos non prævenit Deus, non ſolùm non perficitur, ſed nec inchoatur ex nobis. Si enim ſine illo nihil poſſumus* Ibid. p. 445. A.

facere, profectò nec incipere, nec perficere: quia ut incipiamus, dictum eſt: Miſericordia ejus præveniet me; ut perficiamur, dictum eſt: Miſericordia ejus ſubſequetur me.

Neque urget, quod additur, per gratiam illam, de qua Auguſtinus, Deum hominis voluntatem præparare, operari in ipſo velle & agere, &c. Namque ex jam dictis conſtat, iſthæc ab Auguſtino dici etiam de gratia ſtatus innocentiæ, quem merè ſufficientem fuiſſe adverſarii profitentur.

Præter iſta teſtimonia, quæ refert Arnaldus, diſcipuli Janſenii in alio vim maximam faciunt deprompto ex capite 12. Libri de corrept. & grat. ubi ſanctus Doctor nullam agnoſcit ad bonum potentiam, niſi junctam cum actu, ac conſequenter niſi quæ ſit ab ipſa gratia efficaci; unde veriſſimam eſſe concludunt Propoſitionem iſtam: *Sine gratia efficaci nihil boni poſsumus. Sanctis*

Ibid. p. 771. D. *ſuis*, ait D. Auguſtinus, *non ſolùm dat adjutorium, quale primo homini dedit, ſine quo non poſſint perſeverare, ſi velint; ſed in eis etiam operatur & velle: ut quoniam non perſeverabunt, niſi & poſſint & velint, perſeverandi eis & poſſibilitas & voluntas divinæ gratiæ largitate donetur. Tantùm quippe Spiritu ſancto accenditur voluntas eorum, ut ideo poſſint, quia ſic volunt: ideo ſic velint, quia Deus operatur, ut velint. Nam ſi in tanta infirmitate vitæ hujus .... ipſis relinqueretur voluntas ſua, ut in adjutorio Dei, ſine quo perſeverare non poſſent, manerent, ſi vellent, nec Deus in eis operaretur, ut vellent, inter tot & tantas tentationes infirmitate ſua voluntas ipſa ſuccumberet, & ideo perſeverare non poßent, quia deficientes infirmitate, nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut poſſent.*

Ibid. p. 767. E. Et cap. 11, de eadem gratia dixerat: *Hæc autem tantò major eſt, ut parum ſit homini per illam reparare perditam libertatem, parum ſit denique, non poſſe ſine illa vel apprehendere bonum, vel permanere in bono, ſi velit, niſi etiam efficiatur,*

Ibid. p. 768. C. *ut velit... Fit quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo & perſeveranter tuendo, non ſolùm poſſe, quod volumus, verùm etiam velle, quod poſſumus.* Manifeſtum eſt, ajunt Janſeniani, S. Auguſtinum nullam aliam hic agnoſcere potentiam, ſive ad bonum apprehendendum, ſive ad perſeverandum in eo, niſi junctam cum actu. *Non perſeverabunt*, inquit, *niſi & poſſint & velint*. Imò potentiam ex ipſomet actu colligit, hoc eſt, hominem ideò poſſe, quia vult. *Ideo poſſunt*, ait, *quia ſic volunt; & ideo ſic volunt, quia Deus operatur, ut velint.* Ergo de illa efficaci gratia rectè dicitur, ſine illa nihil boni

Ibid. p. 148. D. fieri poſſe. Et Lib. de natura & gratia cap. 42. ſic loquitur: *Neque de ipſa poſſibilitate contendo, cum ſanata & adjuta hominis voluntate, poſſibilitas ipſa ſimul cum effectu in Sanctis proveniat.*

Reſp. Apertam eſſe horumce teſtimoniorum ſolutionem, ſi attendamus S. Auguſtinum de una loqui voluntatis gratia jam neceſſaria per oppoſitionem ad gratiam naturæ innocentis. Docet ſcilicet amplum diſcrimen eſſe inter gratiam utriuſque naturæ ſtatus, innocentis nimirùm & lapſæ, in eo, quòd naturæ innocenti ſola neceſſaria fuit & conceſſa gratia ſufficiens intellectus, cum qua perſeverare poterat, ſi vellet, ſed quæ velle perſeverare non dabat; utpote non afficiens immediatè voluntatem: natura verò lapſa præter gratiam intellectus ſeu illuſtrationis, opus habeat gratia voluntatis, cujus neceſſitatem contra Pelagianos perpetuò urgebat Auguſtinus: de qua meritò affirmat, quæcumque Janſeniani opponunt; nempè per illam *& poſſibilitatem dari & voluntatem*; revera enim ſine gratia voluntatis homo in præſenti ſtatu nec vult

bo-

bonum, nec velle poteſt: per illam *Sanctos ideo ſic poſſe, quia ſic volunt*; quia ſine illa nihil boni poſſunt, & cum illa voluntas ad bonum movetur & excitatur, quæ, ſi ſola intellectus adeſſet gratia, bonum nec vellet, nec poſſet velle, nec operari. Pariter rectè dicitur, *ideo homines velle, quia DEUS operatur in eis, ut velint*; atque voluntatem ſibi ipſi permiſſam, ut propriis ſuis viribus cum ſola gratia intellectus bonum velle poſſet, reverà illud jam non poſſe, ſicut poterat in ſtatu innocentiæ; quia ſine gratia, qua voluntas ipſa juvetur ac roboretur, neceſſe eſt, hominem inter tot tentationes infirmitate ſua ſuccumbere: unde neceſſe eſt, ut Deus in ipſo operetur velle.

Hinc patet reſponſio ad citatum textum ex cap. 42. L. de natura & gratia: hoc unum enim ibi, ſicut & in aliis ſimilibus locis intendit, gratiam præſentis ſtatus eſſe gratiam voluntatis prævenientem; ex qua idcircò poſſibilitatem cum effectu provenire dicitur, quia talis gratia ipſam immediatè afficiens voluntatem & liberum arbitrium, Deo adjudicat non ſolùm poſſe, ut volebat Pelagius, ſed & ipſum velle & agere.

Diligenter hic eorum fraus præcavenda, qui poſtquam ſimpliciter aſſeruerunt, ſine gratia efficaci nihil boni fieri poſſe, ſibi omnia ſalva eſſe confidunt, cùm ajunt, ſe locutos de poſſibilitate ſeu potentia juncta cum effectu. Namque tametſi hæc loquendi ratio ſana & orthodoxa ſit apud Thomiſtas, qui abſente gratia efficaci veram & expeditam relativè in gratia ſufficiente potentiam ad bonum ſupernaturale agnoſcunt, inſidioſa tamen ac meritò ſuſpecta eſt apud eos, qui ſe Auguſtinianos prædicant, qui antecedenter ad gratiam ſeu delectationem ſuperiorem ac victricem, nullam agnoſcunt, nec in ſua opinione agnoſcere poſſunt in gratia parva ſeu inferiori, ob vitium inæqualitatem, veram ac relativè expeditam ad bonum potentiam.

Dices: S. Auguſtinus verbis ex cap. 12. citatis non ſolùm gratiam voluntatis in genere, ſed gratiam efficacem exhibet: loquitur enim, ut ipſe profitetur, de prædeſtinatis: *Hæc de his, loquor, qui prædeſtinati ſunt*, ait initio cap. 13. Ergo recurrit vis argumenti, ſcilicet ſine gratia efficaci nihil ab homine fieri poſſe in ordine ad ſalutem. *Ibid. p. 772. A.*

Reſp. Equidem in cap. 12. S. Auguſtinum de prædeſtinatis loqui; attamen de gratia præcisè, quatenus eſt gratia voluntatis præveniens, profert S. Doctor ea, quæ ex cap. 12. nobis opponuntur. Verba enim illa: *Deus operatur, ut velint*; *Datur ipſis voluntas*, & ſimilia apud S. Auguſtinum neceſſariò non exprimunt gratiam efficacem, ſed præcisè gratiam voluntatis prævenientem in genere. Diligenter igitur in cap. 12. diſtinguenda ſunt, & quæ gratiæ præſentis ſtatus in genere ſumptæ competunt, & quæ conveniunt gratiæ præſentis ſtatus, ut prædeſtinatis, & illis, qui cum ea agunt, conceſſæ. Gratiæ præſentis ſtatus, in quantum ſimpliciter eſt præſentis ſtatus gratia, convenit eſſe gratiam voluntatis, per quam Deus operatur ut velint, ſeu immediatè agit. Unde de gratia præſentis ſtatus præcisè, quia eſt ſimpliciter gratia voluntatis, meritò dicit S. Auguſtinus, ſine illa nihil in ordine ad ſalutem fieri poſſe. *Ideò poſſunt, quia ſic volunt. Si relinqueretur voluntas, ut vellent*, (per ſolam gratiam intellectus, ſicut Adamo contigit) *velle non poſſent. Poſſibilitas & voluntas datur*. Gratiæ verò, quatenùs illis, qui cum ea agunt, & maximè prædeſtinatis conceditur, convenit, ut per ipſam *invictiſſimè, quod bonum eſt, velint, & hoc deſerere invictiſſimè nolint*. *Ibid. p. 771. D. E.* *Ibid. p. 772. A.*

At, inquies, quidquid convenit gratiæ genericè ſumptæ hujus ſtatus, nonne convenit ejus ſpeciebus? Atqui convenit gratiæ genericè ſumptæ hujus ſtatus, quòd ſine illa nihil boni fieri poſſit: ergo hoc ipſum convenit omnibus ſpeciebus gratiæ; adeòque & efficaci, ſine qua nihil boni fieri poſſe, meritò dici poteſt.

Reſp. Diſtinguo maj. Quidquid convenit gratiæ genericè ſumptæ præſentis ſtatus, convenit omnibus ſpeciebus, quantum ad rationem genericam omnibus ſpeciebus communem, concedo: ſecus, nego. Atqui convenit gratiæ genericè ſumptæ hujus ſtatus, quòd ſine illa nihil boni fieri poſſit, concedo min. Ergo convenit gratiæ efficaci, quòd ſine illa nihil boni fieri poſſit, diſt. conſeq. illud convenit gratiæ efficaci præcisè, ut participat rationem genericam gratiæ præſentis ſtatus, ſeu præcisè ut eſt gratia voluntatis, quæ nunc eſt prorſus neceſſaria, conc. conſeq. illud convenit gratiæ efficaci, quatenus eſt efficax, nego. Scilicet differentia illa generica, quæ omnes gratiæ ſpecies pervadit, eſt, quòd ſit gratia voluntatis planè neceſſaria: omnis quippe gratia præſentis ſtatus, ſive ſit efficax, ſive tantùm ſufficiens, eſt gratia voluntatis omnibus neceſſaria.

Objicies denique: Gratia actionis procul dubio eſt gratia efficax: atqui ex nobis ipſis ſine gratia voluntatis ſeu actionis nihil boni fieri poteſt; ergo ſine gratia efficaci nihil boni fieri poteſt.

℞. Diſtinguo maj. Gratia actionis, id eſt, quæ eſſentialem & infallibilem habet cum actione connexionem, eſt gratia efficax, concedo: quæ nec eſſentialem nec infallibilem ex ſe ſe habet cum actione ſeu opere bono connexionem, nego. Diſtinguo min. Sine gratia voluntatis ſeu actionis generatim ſumptæ, quatenus eſt gratia voluntatis præveniens, nihil boni fieri poteſt, concedo: ſine gratia voluntatis, quatenus eſt efficax ex ſeſe, ſeu habet eſſentialem & infallibilem cum actione ſeu opere bono connexionem, nego. Gratia igitur voluntatis duplex eſt, una efficax, ſenſu mox expoſito; altera verò purè ſufficiens. Cùm autem in decurſu hujuſce Tractatus ſæpiùs audiviſtis, ſine gratia voluntatis præveniente nihil boni fieri poſſe, intelligimus ſimpliciter gratiam voluntatis prævenientem, prout abſtrahit ab efficaci, & ſimpliciter gratia eſt voluntatis, quam tam ſtrenuè ac conſtanter propugnavit S. Auguſtinus contra Pelagianos: quæ voluntatis gratia dicitur gratia actionis, non quòd ſemper ac infallibiliter illam exprimat & aſſequatur; ſed quia voluntatem debilem & infirmam immediatè afficit, eamque ad benè agendum juvat & corroborat, meritò dicitur principium actionis: ad diſcrimen ſcilicet ſolius illuſtrationis mentis, quam Pelagiani admittebant, quæ cùm extrinſecè dumtaxat voluntatem adjuvet, non tam principium actionis, quàm conditio, ſine qua non nuncupari poteſt.

Ex Doctoribus Scholæ.

Ex Scholæ Doctoribus Arnaldus citata Diſſertatione art. 8. laudat S. Thomam, Bradvvardinum, Gregorium Ariminenſem, Joannem Capreolum, Cajetanum, Lovanienſem ac Duacenam Theologicam Facultatem.

℞. I. Si qui ex Doctoribus Scholæ ante natam Lutheri, Calvini ac Janſenii hæreſim, paulò liberiùs locuti fuerint, imprimis Bradvvardinus & Gregorius Ari-

Ariminenſis, maximè circa libertatem hominis, audiendi non ſunt. *Securi loquebantur*, ut ait non in abſimili cauſa S. Auguſtinus, *quia nullus aderat hoſtis*. Longè accuratiùs locuti ſunt Scholaſtici à tempore Concilii Tridentini, & poſt ſolemnes Congregationes de Auxiliis.

II. Scholaſtici, qui nobis hìc opponuntur, Thomiſtæ ſunt, eorumque doctrina non minùs Janſenianæ, quàm noſtræ adverſatur; adeòque adverſariis noſtris pariter ſolvenda ſunt, quæ ex illis Theologis teſtimonia proferuntur. Eodem quippe modo ſentiunt illi ac loquuntur de gratia naturæ tum innocentis, tum lapſæ; atque in utroque ſtatu pariter efficacem ac phyſicè prædeterminantem exigunt: an verò probarent Diſcipuli Janſenii iſtam Propoſitionem: Homo innocens ſine gratia efficaci nihil potuit bene operari? Non puto.

III. Ex omnibus teſtimoniis Thomiſtarum, quæ nobis opponuntur, nullum eſt, quod tam clarè neget gratiam ſufficientem ſaltem orationis, quam negat Propoſitio Arnaldina: attamen ipſe Arnaldus p. 77. Cauſæ Arnaldinæ contendit particulam, *nihil*, quæ in ſua Propoſitione habetur, non excludere gratiam orationis.

IV. Recentiores Thomiſtæ cautè admonent, iſtam Propoſitionem: *Sine gratia efficaci nihil boni fieri poteſt*, non ſine limitatione uſurpandam eſſe. *Quod hic maximè, ut obſervandum & uſurpandum velim*, ait P. Maſſouliè Diſſert. 1. de divina motione q. 8. art. 10. *ut æquivocationis & deceptionis cauſa omnis amoveatur: nunquam negandum eſt, voluntatem poſſe agere*, (abſente ſcilicet gratia efficaci) *niſi addita explicatione, ſcilicet ſi intelligatur de potentia conjuncta cum actu. Alioquin cùm negatio, ut dicunt, ſit malignantis naturæ, & omnia deſtruat, ſenſus eſſe poſſit, quòd ſine efficaci auxilio voluntas nullam potentiam, nullumque alterum auxilium ſufficiens habeat, quo poſſit; quod ſaltem de juſtis volentibus & conantibus planè hæreticum eſſet.*

S. Thom. ſui interpres pag. 193. 1. & 2. col.

Quidquid ſit de illis è Schola Thomiſtica Theologis, quos hìc nobis Arnaldus objicit, ab eorum verbis referendis & diſcutiendis jam ſuperſedemus, quòd multò graviora expendenda nobis ſuperſint.

Non poſſumus tamen propter reverentiam, quæ S. Thomæ debetur, hìc non monere, Doctorem illum Angelicum ita fuiſſe ab Arnaldina ſententia alienum, ut ex Familia Prædicatorum & ex Facultate noſtra Theologica plures ipſum egregiè vindicaverint ab hac impacta calumnia: imprimis Joannes Nicolai; qui in judicio ſuo ſeu cenſorio ſuffragio, ad quatuor claſſes reducit innumera S. Thomæ teſtimonia, quæ doctrinam Arnaldi impugnant.

Objectiones ex impotentia relativa nonnullorum juſtorum ad obſervãda Dei mandata.

Antequam ſingulas hujuſce generis objectiones expendamus, operæ pretium eſt obſervaſſe, ex teſtimoniis S. Auguſtini, quæ hìc opponuntur, nihil prorſus ad cauſam ſuam Janſenianos conſequi poſſe, niſi clariſſimè conſtet: 1. In illis agi de præcepto: unde invalidum erit & imbelle argumentum ductum ex iis locis, in quibus ſermo eſt de conſilio, vel de majori perfectione, vel de vitandis omnibus ſimul ac collectivè peccatis venialibus. 2. Sermonem eſſe de homine juſto: ergo extra propoſitum erit quodcumque teſtimonium in quo mentio fit de homine ſub lege, vel ſub peccato conſtituto. 3. In

illis

illis excludi non ſolùm efficax, ſed omne gratiæ ſufficientis auxilium, non tantùm proximè & immediatè, ſed etiam proximè ac mediatè ſufficiens. 4. Si teſtimonium illud adducatur in defenſionem primæ Propoſitionis Janſenii, exhibere debet hominem juſtum conantem, & ita conantem, ut ejus conatus præſentibus, quas habet, ejus viribus ſit proportionatus. Si vel una ex his conditionibus defuerit, ad rem præſentem idoneum non erit teſtimonium, quantò minùs, ſi omnes defuerint. His prænotatis,

Objicies 1. S. Auguſtinus Lib. de dono perſeverantiæ c. 22. docet, Deum ſubtrahere à juſto non prædeſtinato obediendi vires, ac conſequenter gratiam verè ſufficientem, per quam relativè poſſit divinis obedire præceptis.
T. 10. p. 548. E. *Si qui obeditis*, inquit, *ſi prædeſtinati eſtis rejiciendi, ſubtrahentur obediendi vires, ut obedire ceſſetis*. Quam quidem ſententiam in hoc uno dumtaxat vult ſanctus Doctor emendari, ut ſecunda in tertiam mutetur perſonam; nec dicatur: *Si qui obeditis*, ſed: *Si qui obediunt &c. Si de iis*, inquit, *qui non perſeverant, aliquid placet dicere, vel neceſſe eſt, cur non potius ita dicatur .... primùm, ut non de ipſis, qui in populo audiunt, hoc dicatur, ſed de aliis ad ipſos; id eſt, ut non dicatur: Si qui obeditis, ſi prædeſtinati eſtis rejiciendi, ſed: Si qui obediunt, & cetera per verbi perſonam tertiam, non per ſecundam*. Ergo hoc unum in ea ſententia reprehendit ſanctus Doctor, quòd verbo de ſecunda perſona enuncietur: approbat verò, aut ſaltem permittit, ut in tertia perſona enuncietur: *Si qui obediunt &c.* Exiſtimat igitur ſanctus Doctor, juſtis non prædeſtinatis ſubtrahi vires obediendi, hoc eſt gratiam verè ac relativè ſufficientem.

Ibid.

Reſp. Nego antecedens. Ad cujus probationem dico, falsò prorſus ſupponi dictam ſententiam ab Auguſtino reprehendi tantùm quoad modum loquendi, in ſecunda perſona; namque reprehenditur & quoad modum loquendi, & quoad rem ipſam, ſeu virium ſubtractionem, eo fine ac conſilio, ut juſtus non prædeſtinatus ceſſet obedire. Patet 1. Quia ſanctus Doctor aſſerit rem eſſe non tantùm duram & odioſam, ſed *abominabilem*, in faciem ſcilicet auditorum dicere: *Si qui obeditis, ſi prædeſtinati eſtis rejiciendi, ſubtrahentur obediendi vires, ut obedire ceſſetis*: quæ certè Propoſitio auditores in deſperationem agere poterat; quapropter *abominabilem* eam dicit ſanctus Doctor. Propoſitio autem *abominabilis*, non tantùm in ſecunda perſona, ſed nullatenus proferri poteſt. 2. Propoſitio, quam S. Auguſtinus ſubſtituit ei, quam emendat, non continet illam virium ſubtractionem. En Propoſitio, quam ſubſtituit ſanctus Doctor: *Quid ſententiæ deperit*, inquit, *ſi ita dicatur: Si qui autem obediunt, ſed in regnum ejus & gloriam prædeſtinati non ſunt, temporales ſunt, nec uſque in finem in eadem obedientia permanebunt*? Vides in priori propoſitione, quam Auguſtinus rejicit, expreſſam fieri mentionem ſubtractionis virium, quæ ex una profluat Dei non prædeſtinantis voluntate; in altera verò quam ſanctus Doctor ſubſtituit, ne verbum quidem eſſe de illa virium ſubtractione, quæ hic nobis objicitur: unde planè evidens eſt S. Auguſtinum priorem ſententiam improbaſſe, non tantùm quoad loquendi modum, ſed etiam quoad ſenſum. 3. Non ſine conſilio ſanctus Doctor particulam iſtam, *primùm*, adhibet, qua non obſcurè ſignificat, ſe in dicta propoſitione duo improbare; primum, quòd ad auditores referatur: alterum, quòd vires obediendi ſubtrahi aſſerat, ut juſti non prædeſtinati ceſſent obedire. 4. Reſponſionem hanc mirè confirmat S. Proſper in Reſponſione ad 15. objectionem

Ibid. F.

Gallo-

Gallorum n. 7. *Qui dicit*, inquit, *quòd Deus quibuſdam filiis ſuis, quos regeneravit in Chriſto, quibus fidem, ſpem, & dilectionem dedit, ob hoc non dederit perſeverantiam, quia non ſunt à maſſa perditionis præſcientia Dei & prædeſtinatione diſcreti: ſi hoc vult firmare, quòd Deus hujuſmodi homines in bonis, quæ donaverat, noluerit permanere, & ipſe eis cauſa averſionis extiterit, contra juſtitiam Dei ſentit*. Et n. 12. *Qui dicit, quòd quibuſdam vocatis, & piè juſtèque viventibus, obedientia ſubtrahatur, ut obedire deſiſtant; malè opinatur de bonitate Dei atque juſtitia* ..... Quid tam perverſum, quid tam inſanum dici aut cogitari poteſt? Et in Reſponſione ad 12. objectionem: *Vires itaque obedientiæ*, inquit, *non ideo cuiquam ſubtraxit, quia eum non prædeſtinavit; ſed ideo eum non prædeſtinavit, quia receſſurum ab ipſa obedientia eſſe prævidit*. Et ad Excerpta Genuenſium Excerpto 9. loquens de propoſitione ab Auguſtino emendata c. 22. Lib. de dono perſev. *Quam*, inquit, *corrigens & mundans atque emendans, tolerabiliorem audientibus facit; quæ vera ſunt temperans, quæ falſa ſunt reſecans*. Vera autem temperavit ſanctus Doctor, mutando ſecundam perſonam in tertiam: quæ verò falſa ſunt, reſecavit; nulla ſcilicet facta mentione illius ſubtractionis virium.

pag. 220. D.
pag. 222. B.
p. 216. B.
pag. 254. B.

Inſtabis 1. Si dicta prior propoſitio falſa viſa fuiſſet Auguſtino, dubio procul lectorem ea de re monuiſſet, ut ipſum adversùs falſitatem præmuniret at nihil tale egit Auguſtinus.

Reſp. Falſitatem alicujus propoſitionis ſatis manifeſtè declarari, quando emendatur propoſitio, & ab ea removetur id, quod falſum erat. *Quæ falſa ſunt reſecans*, ait S. Proſper. Porrò S. Auguſtinus priorem propoſitionem emendavit, & ab ea reſecavit illam, quam exprimebat, virium ſubtractionem: nihil profectò amplius deſiderari poterat, ut lectores ſuos adversùs falſitatem præmuniret.

Inſtabis 2. Si S. Auguſtinus in ſecunda propoſitione, quam in locum prioris ſubſtituit, aliquid falſi correxiſſet, immeritò diceret, *nihil prioris ſententiæ deperire*.

Reſp. 1. Reverà nihil deperire ſententiæ, cùm ejus malitia emendatur.

Reſp. 2. Auguſtinum hoc unum velle, nempe ſic emendata propoſitione, ſalvam & integram adhuc remanere circa perſeverantiam fidei doctrinam erroribus Semipelagianorum contrariam. Occupat nimirum objectionem, quam ſibi proponendam eſſe præſentiebat; nimirum iſta dictæ propoſitionis correctione abuſuros Semipelagianos contra Catholicam de perſeverantia & prædeſtinatione ſententiam: Non ita eſt, ajebat S. Auguſtinus, nihil quippe huic ſententiæ deperit.

Inſtabis 3. S. Auguſtinus ſecundam propoſitionem, quam in locum prioris ſubſtituit, vocat duntaxat veriorem & congruentiorem: *Nonne*, inquit, *& veriùs eadem res & congruentiùs dicitur?* Ergo priorem propoſitionem non ſpectabat ut ſimpliciter falſam, ſed ut veram.

Reſp. Nego conſeq. Quaſi veritas unica, & ſimplex, & indiviſiva non foret! Ergo ſi ſecunda propoſitio vera eſt, neceſſe eſt priorem eſſe falſam. Neque concludi poteſt priorem eſſe ſimpliciter veram, eò quòd S. Auguſtinus nomine comparativo ſecundam veriorem appellat; niſi pariter dicere volueris, priorem ſimpliciter congruere, quia ſecundam appellat congruentiorem: quod tamen abſurdiſſimum eſſe patet ex ipſomet S. Auguſtino, qui priorem

Digitized by Google

rem propoſitionem ait eſſe, *abominabilem*, *duriſſimam*, *odioſam*.

Objicies 2. Ea ſancti Auguſtini teſtimonia, quibus agnoſcit Deum aliquibus juſtis perſeverantiam in bono denegare. Lib. de correptione & gratia cap. 8. n. 17. *Si à me quæratur*, inquit, *cur eis perſeverantiam non dederit, quibus eam, qua Chriſtianè viverent, dilectionem dedit: me ignorare reſpondeo*. Ibidem n. 18. *Mirandum eſt quidem multumque mirandum, quòd filiis ſuis quibuſdam Deus quos regeneravit in Chriſto; quibus fidem, ſpem, dilectionem dedit, non dat perſeverantiam, cùm filiis alienis ſcelera tanta dimittat, atque impertita gratia ſua faciat filios ſuos*. Concludit ibidem, *donum Dei eſſe in bono perſeverantiam*. Et c. 13. n. 42. de aliquibus juſtis ait: *Gratiam Dei ſuſcipiunt, ſed temporales ſunt, nec perſeverant; deſerunt & deſeruntur. Dimiſſi enim ſunt libero arbitrio, non accepto perſeverantiæ dono, judicio Dei juſto & occulto*. Cap. 11. n. 32. dixerat: *Nunc autem quibus deeſt tale adjutorium*, (perſeverantiæ) *jam pœna peccati eſt: quibus autem datur, ſecundùm gratiam datur, non ſecundùm debitum*.

T. 10. p. 758. G. Ibid. p. 759. E. Ib. pag. 760. E. Ib. pag. 773. G. Ib. pag. 768. B.

Reſp. S. Auguſtinum his in locis agere duntaxat de ipſa perſeverantia, non de potentia ad perſeverandum: *Si à me quæratur*, inquit, *cur eis Deus perſeverantiam non dederit*. Potentiam, ſeu gratiam ſufficientem juſtis non denegari, qua poſſint perſeverare, docet apertè ibidem S. Auguſtinus c. 7. Lib. de correptione & gratia n. 11. *In eo quod audieras & tenueras*, inquit, *perſeverares ſi velles.... Deſerunt & deſeruntur*. Quod idem dicit de Adamo: *Deſeruit, ac deſertus eſt*. Quantùm verò ad actualem perſeverantiam ſeu gratiam ad perſeverandum efficacem, cur aliquibus juſtis, quibus Deus dedit fidem, ſpem, dilectionem, talem gratiam perſeverantiæ deneget? Fatetur Auguſtinus ſe cauſam ignorare: non quòd abſolutè nulla ex parte hominis proferri poſſit; certum enim eſt, ex dictis antea, aliquam ſemper præcedere in homine culpam, propter quam deſeratur, ſeu gratia uberiori privetur: ſed quia comparatè unius juſti præ alio, nulla ratio & cauſa reddi poteſt, cur è duobus hominibus juſtis uni det primam efficacem ad perſeverandum gratiam, alteri non det; cur illis æqualiter in peccatum lapſis, unum à peccato efficaciter revocet, alterum non revocet, mirum illud Auguſtino videtur, ac fatetur, ſe cauſam ignorare: *Multò magis & illud mirandum, ſi comparatio fiat cum filiis alienis, quibus ſcelera tanta Deus dimittit, atque impertita gratia facit filios ſuos*. Non alia hìc quærenda ratio quàm Dei voluntas; atque cum Apoſtolo exclamandum: O altitudo! Attamen iſtud fixum ac ratum ſemper habendum, juſto non denegari ſufficientem gratiam, qua poſſit in bono perſeverare. *Si autem regeneratus & juſtificatus*, ait ſanctus Doctor cap. 6. n. 9. *in malam vitam ſua voluntate relabitur, certè iſte non poteſt dicere: Non accepi; quia acceptam gratiam Dei ſuo in malum perdidit libero arbitrio*. Et cap. 7. n. 11 *Juſtior videtur excuſatio dicentium: Non accepimus audientiam, quàm dicentium: Non accepimus perſeverantiam; quoniam poteſt dici: Homo, in eo quod audieras & tenueras, in eo perſeverares ſi velles; nullo autem modo dici poteſt, id quod non audieras, crederes, ſi velles*.

Ib. pag. 754. E. Ibid. p. 756. D. E.

Ad iſta verò ſancti Doctoris verba ex cap 11. *Nunc autem, quibus deeſt tale adjutorium, jam pœna peccati eſt*. Reſpondemus, ex ipſa contextus ſerie apertum eſſe loqui ſanctum Doctorem de perſeverantia, ſeu de auxilio gratiæ, per quam juſtus immediatè ac proximè poteſt perſeverare. Loquitur enim de auxilio, quod Adamo innocenti & Angelis ad perſeverandum conceſſum fuerat:

illud

Digitized by Google

illud verò tale erat, cum quo proximè ac immediatè perſeveraſſent, ſi voluiſſent: hujuſcemodi autem auxilium, *nunc quibus non datur, jam pœna peccati eſt*. Audiatur ſanctus Doctor citato cap. 11. n. 32. *Tunc*, inquit, *dederat homini Deus bonam voluntatem, in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum; dederat adjutorium, ſine quo in ea non poſſet permanere, ſi vellet; ut autem vellet,* Ib. pag. 767. F.
in eius libero reliquit arbitrio .... Si hoc adjutorium vel Angelo vel homini, cùm primùm facti ſunt, defuiſſet; quoniam non talis natura facta erat, ut ſine divino adjutorio poſſet manere ſi vellet, non utique ſua culpa cecidiſſent: adjutorium quippe Id. pag. 768. A.
defuiſſet, ſine quo manere non poſſent. Non autem quibus deeſt tale adjutorium, B.
jam pœna peccati eſt: quibus autem datur, ſecundùm gratiam datur, non ſecundùm debitum; & tantò amplius datur per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, quibus id dare Deo placuit, ut non ſolùm adſit, ſine quo permanere non poſſumus, etiam ſi velimus, verùm etiam tantum ac tale ſit, ut velimus. En adjutorium, quod ſanctus Doctor aſſerit nunc aliquibus in pœnam peccati non dari, tale ſcilicet quale Adamo innocenti & Angelis fuerat conceſſum, proximè nimirùm ac immediatè ſufficiens ad perſeverandum: nuſquam verò dixit Auguſtinus, juſtis denegari auxilium mediatè ſaltem ſufficiens ad impetrandam, per orationem, uberiorem Dei gratiam. Sæpiſſimè recurrit ſanctus Doctor, ut jam obſervavimus, ad illam omnibus paratam gratiam orationis, in Libris de correptione & gratia, de dono perſeverantiæ & de prædeſtinatione SS. Verba ſuperiùs exſcripſimus. Tritum iſtud eſt ſancti Doctoris ex Lib. 1. ad Simplicianum q. 1. excerptum: *Reſtat*, inquit, *in iſta mortali vita libero arbitrio, non ut impleat homo juſtitiam, cùm voluerit, ſed ut ſe ſupplici pietate convertat ad eum, cujus dono eam poſſit implere*. Et cap. 69. Lib. de natura & gratia: T. 6 pag. 86. C.
Eo ipſo, inquit, *quo firmiſſimè creditur, Deum juſtum & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere; hinc admonemur, & in facilibus, quid agamus, & in difficilibus, quid petamus*. T. 10. p. 163. F.

Inſtabis: Si omnibus juſtis conceditur gratia proximè ſufficiens, ſaltem ad orandum, facile erit cauſam reddere, cur unus ulteriorem & efficacem gratiam obtineat, ac conſequenter perſeveret, alter verò non obtineat, nec perſeveret: quia nempè unus benè utitur gratia ſufficiente orationis, alter verò non benè utitur. Atqui tamen fatetur Auguſtinus, ſibi hujuſce rei cauſam planè incognitam eſſe. *Si*, ait Lib. de ſpir. & litt. cap. 34. n. 60. *ad illam profunditatem ſcrutandam quiſquam nos coarctet, cur illi ita ſuadeatur, ut perſuadeatur, illi autem non ita; duo ſola occurrunt interim, quæ reſpondere mihi placeat: O altitudo divitiarum! &c. & : Numquid iniquitas apud Deum?* Idem multis aliis in locis repetit ſanctus Doctor. Ib. pag. 120. G.

Reſp. Ex jam dictis non ſemel reddi quidem poſſe rationem, cur juſtus, qui non orat, ut tenetur & poteſt, uberiorem gratiam non recipiat: *Deſerunt, & deſeruntur*, ait S. Auguſtinus Lib. de corrept. & gratia cap. 13. Sed quòd unus non tantùm ſufficientem, ſed etiam efficacem ad orandum accipiat; quòd in pari ad orandum negligentia uni detur gratia, per quam certiſſimè oret, ut oportet, alteri non detur; quòd è duobus juſtis æqualiter lapſis unus à lapſu per efficax auxilium Dei reſurgat, alter verò non reſurgat; quòd denique è duobus æqualiter juſtis unus ex hac vita, Deo miſerante, rapiatur, priuſquam à juſtitia excidat, alter verò non rapiatur, ſed infinitis vitæ hujus tentationibus, quibus tandem ſuccumbit, obnoxius relinquatur, inſcrutabilia ſunt Dei judi- Ibid. p. 773. G.

Digitized by Google

Ibid. judicia. *Dimiſſi ſunt*, ait Auguſtinus loco mox citato, *libero arbitrio, non accepto perſeverantiæ dono, judicio Dei juſto & occulto.*

Objicies 3. alia nonnulla S. Auguſtini teſtimonia, quibus ſignificat juſtos aliquando ex præſente gratia non poſſe certa quædam mandata obſervare.

Ib. pag. 169. F. Lib. de perfectione juſtitiæ cap. 3. Cœleſtio contendenti præcepta debere eſſe poſſibilia, reſpondet n. 6. S. Auguſtinus: *Conſultiſſimè homini præcipi, ut rectis paſſibus ambulet, ut cùm ſe non poſſe perſpexerit, medicinam requirat.* Quam

Ibid. E. ſimilitudinem paulò ante declaraverat n. 5. *Cùm videmus*, inquit, *claudum, qui ſanari poteſt, rectè utiq; dicimus: Debet homo iſte eſſe ſine claudicatione; & ſi debet, poteſt. Nec tamen cùm vult continuò poteſt, ſed cùm fuerit adhibita curatione ſanatus, & medicina adjuverit voluntatem.*

Et cap. 4. ejuſdem Libri, docet impotentiam illam implendi mandata oriri ex pœna præcedentium, ſive originalis, ſive actualium peccatorum, *ſub qui-*

Ibid pag. 170. D. E. *bus*, ait, (pœnis) *poſiti, vel non poſſumus quod volumus intelligere, vel quod intellexerimus, volumus, nec valemus implere.*

T. 3. par. 2. p. 538. A. Tractatu 34. In Joan. n. 9. de volentibus quoque implere mandata, ait: *Surge & ambula: fortè conaris ambulare, & non potes, quia dolent pedes.*

Tom. 10. p. 735. B. Lib. de Grat. & lib. arb. cap. 17. n. 33. *Qui ergo vult*, ait, *facere Dei mandatum & non poteſt, jam quidem habet voluntatem bonam, ſed adhuc parvam & invalidam: poterit autem, cùm magnam habuerit & robuſtam.*

T. 5. in Append. p. 208. B. Sermone 97. de diverſis cap. 4. de iiſdem volentibus ſcribit: *Volumus, ò Domine! volumus; & non poſſumus: aut fortè nec volumus, premente ſarcina gravamur & nolumus.*

Reſpondeo, fruſtra hæc à Janſenio nobis opponi, ex quibus hoc unum colligi meritò poteſt, juſtos interdum ex præſente gratia non poſſe immediatè ac proximè aliqua implere Dei mandata; poſſe tamen mediatè, per orationem, uberius impetrare Dei auxilium, quo roborati ea mandata adimpleant. Hanc orandi gratiam & facultatem juſtis ſemper adeſſe agnoſcit S. Auguſtinus, vel in iis ipſis, quæ hic objiciuntur, teſtimoniis. Libro enim de perfectione juſtitiæ hominem claudo comparat, qui poteſt à claudicatione ſanari, ſi ad medicum velit confugere; ſicut poteſt juſtus tentationem ſuperare, ſi Dei præſidium, ut oportet ac poteſt, ſuppliciter implorare voluerit.

Equidem per peccatum contracta eſt impotentia obſervandi mandata; ſed per Chriſti Mediatoris gratiam ſublata illa fuit, ac reſtituta filiorum Dei libertas: neque magis Deus homini, contracta per peccatum benè agendi impotentia, jubet ſub pœnâ damnationis æternæ, ut mandata obſervet, quàm herus ſervo, qui fractos ex propria culpa pedes habet, imperat, ut currat; & ab eo pœnas repetit, quòd non currat.

Cap. etiam 4. ejuſdem Lib. de perfectione juſtitiæ, agnoſcit equidem illam ex peccato primi parentis derivatam peccandi neceſſitatem, ſed quam per gratiam Chriſti deponere poſſumus. *Jam*, inquit, *pœnalis vitioſitas ſubſecuta, ex libertate fecit neceſſitatem. Unde ad Deum fides clamat: De neceſſitatibus meis*

T. 10. p. 170. D. E. *educ me* .... Et paulò poſt: *Sicut ergo*, inquit, *non eſt opus ſanis medicus, ſed malè habentibus: ita non eſt opus liberis liberator, ſed ſervis, ut ei dicat gratulatio libertatis: Salvam feciſti de neceſſitatibus animam meam.*

Tractatu 34. in Joan. citato, iſtud, *non potes*, ſanctus Doctor intelligit de impo-

impotentia planè libera, quæ, ut deponatur, præſto adeſt gratia Chriſti. *Piger ſurge*, ait, *via ipſa* (Chriſtus) *ad te venit, & te de ſomno dormientem excitavit: ſi tamen excitavit, ſurge & ambula*. Quæ verba, *ſi tamen excitavit*, ſignificant, quoad effectum, non ſemper per illam hominem excitari efficaciter, tametſi excitare illum poſſit. Et paulò antè: *Ergo*, inquit, *modò faciamus, ſequamur Dominum; ſolvamus compedes, quibus impedimur ſequi. Et quis idoneus ſolvere tales nodos, niſi ille adjuvet, cui dictum eſt: Dirupiſti vincula mea? De quo alius Pſalmus dicit: Dominus ſolvit compeditos, Dominus erigit eliſos.* T.3.par.2.p.538.A. Ibid. p. 537. C. D.

Idem eſt ſenſus Auguſtini c.17. citato Lib. de Gratia & libero arbitrio, nempe aliqua eſſe, quæ juſti immediatè & proximè non poſſunt, licèt poſſint mediante oratione.

Quod quidem evidentiùs adhuc demonſtrat, qui laudatus eſt Sermo 97. de diverſis, nunc 114. in Appendicem rejectus, ubi ſic pergit: *Adjuva nos, & miſerere noſtri. Tu dixiſti: Sine me nihil poteſtis facere. Propter hoc onus, imploramus Dei auxilium.* Et paulò poſt: *Ut hoc poſſis, implora eum, ſine quo nihil facere potes.* Vides Auguſtinum perpetuò ſupponere præſentem illam homini cuilibet, quantò magis juſtis, orationis gratiam, qua poſſunt ſuppliciter divinam opem implorare ad vincendas tentationes, & mandata Dei obſervanda. T. 5. in Append. p.208.B. Ibid.C.

Alia benè multa ex eodem S. Doctore teſtimonia congerit Janſenius Lib. 3. de Grat. Chr. c. 13. ac majuſculis litteris, ut meliùs obſerventur, verba iſta: *Non potes*, exſcribit. Verùm ſuperfluum nobis videtur ea hìc referre, quia novam, iis quæ jam adducta ſunt, difficultatem non addunt: facilè enim intelligi poſſunt ac debent, vel de gratia voluntatis, ſine qua nihil boni, quod ad veram pietatem pertineat, fieri poteſt, & cujus neceſſitatem ſtrenuè ac conſtanter urget ſanctus Doctor contra Pelagianos; vel de juſtis, qui nonnulla quidem proximè ac immediatè facere non poſſunt, ſed qui proximam & immediatam habent orandi facultatem, qua uberiùs invocent & obtineant Dei auxilium, quo faciant, quod non poterant.

Quod verò Janſenius objicit ex Epiſtola 70. nunc 220. non eſt ad rem præſentem, de præcepto quippe non agitur. Scribit ſanctus Doctor ad Bonifacium Comitem, qui cùm ſe propoſito ſervandæ poſt primas nuptias continentiæ obſtrinxiſſet, ad ſecunda nihilominus vota convolaverat. Quærit autem à S. Auguſtino, quid conſilii ea in re capere poſſet.

Reſpondet ſanctus Doctor, optandum fore, ut ejus uxor vellet pariter cum illo continentiam ſervare: quòd ſi nollet, orandum eſſe Deum, ut quod ab ea nondum impetravit, deinceps impetret. *Ut quod non potes modò*, ait, (defectu conſenſus uxoris) *poſſis aliquando* (accedente illius conſenſu.) Vides, quàm ſit extra propoſitum noſtrum iſtud teſtimonium, quod tamen Janſenius majuſculis litteris deſcribit. T.2.pag. 816.C.

Inſtabis 1. Lib. 2. de pecc. mer. & rem. c.19. n.32. agnoſcit S. Auguſtinus, Deum aliquando non concedere juſtis veram obſervandi mandati potentiam. *Intelligamus*, inquit, *ſi poſſumus, Dominum Deum bonum ideo etiam Sanctis ſuis alicujus operis juſti aliquando non tribuere vel certam ſcientiam, vel victricem delectationem, ut cognoſcant non à ſeipſis, ſed ab illo ſibi eſſe lucem, qua illuminantur tenebræ eorum, & ſuavitatem, qua det fructum ſuum terra eorum.* Tom.10. p.57.A.

Reſp. Nego ant. Neque enim hìc agitur de præcepto, ſed de habenda perfecta

ſecta juſtitia & implendo omni bono propoſito. Porrò validiorem aliquando gratiam ſuam Deus juſtis non concedit, ut omne, quod optabant, bonum non perficiant. *Nec in eo ipſo*, ait Auguſtinus loco citato, *vult nos damnabiles eſſe, ſed humiles, commendans nobis eam gratiam ſuam; ne facilitatem in omnibus aſſecuti, noſtrum putemus eſſe, quod ejus eſt: qui error multum eſt religioni pietatique contrarius.*

Ibid. E.

Præterea etiamſi de præcepto loqueretur Auguſtinus, negat quidem dari gratiam efficacem & actum, non negat autem gratiam ſufficientem etiam proximam, ſaltem ad orandum.

Inſtabis 2. Ex eodem S. Auguſtino ipſa orationis gratia aliquibus juſtis interdum denegatur. *Nonne aliquando*, inquit Libro 1. ad Simplicianum q. 2. *ipſa oratio noſtra ſic tepida eſt, vel potiùs frigida & penè nulla, imò omninò interdum ita nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus? Quia ſi vel hoc dolemus, jam oramus. Quid ergo aliud oſtenditur nobis, niſi quia & petere, & quærere, & pulſare ille concedit, qui ut hæc faciamus, jubet?*

T.6.pag. 102.F.

Reſp. 1. Auguſtinum non dicere, gratiam orationis non concedi, cùm adeſt orandi præceptum.

Reſp. 2. Diſtinguo ant. Juſtis aliquando non conceditur gratia orationis efficax, per quam ferventer ac perſeveranter reipſa orent, concedo: gratia proximè ſufficiens, per quam orare poſſint, nego. Habent igitur juſti gratiam ad orandum ſufficientem; ſed quia ea vel non utuntur omninò, vel negligentiùs orant, idcircò aliquando efficacem non obtinent, per quam ferventer ac perſeveranter orando, uberius impetrent auxilium, ad præceptum actu obſervandum prærequiſitum.

Inſtabis 3. Multa Semipelagiani adversùs Auguſtini doctrinam opponebant, nempe ex ea fatum ac libertatis ruinam conſequi; ignaviam aut deſperationem induci; inutiles eſſe exhortationes ac correptiones; extingui orationem; hominum conatus obtundi; divinam juſtitiam vitio acceptionis perſonarum fœdari. Porrò tam ſtupidi & hebetes non erant Semipelagiani, ut hæc ex Auguſtini doctrina ſequi exiſtimaſſent, ſi perſuaſum ipſis fuiſſet, in Auguſtini ſententia juſtos habere ſemper ſufficientem ad orandum gratiam.

Reſp. Nego min. Hæc enim omnia incommoda & abſurda Semipelagiani derivabant ex neceſſitate & gratuitate gratiæ, quæ ad quodlibet opus pietatis voluntatem præveniret, qualem S. Auguſtinus prædicabat; non verò ex abſentia gratiæ ſufficientis. Capitale illorum dogma erat, ut refert Auguſtinus Lib. de geſtis Pelagii c. 18. *Quòd non ſit liberum arbitrium, ſi auxilio Dei indigeat*; in quantum opus, quod elici non poteſt fine Dei prævenientis auxilio, non propriè eſt hominis, ſed magis Dei, quàm hominis, & conſequenter liberum non eſt. Aſſerebant præterea, illud *fato fieri, quod merito non ſit*. Unde mirum non eſt, quòd fatum induci contenderent ex Auguſtini ſententia circa neceſſitatem gratiæ, quæ voluntatem præveniret, & quæ nullam in homine præviam diſpoſitionem ſupponeret: ex illa verò fatali, ut dicebant, gratiarum diſtributione, orationes extingui, tolli virtutes, inutiles eſſe adhortationes, &c. exprobrabant. Unde S. Auguſtinus Lib. 2. ad Bonifacium c. 5. profitetur, ſe ex Pelagianorum verbis *intellexiſſe, ob hoc illos vel putare vel putari velle fatum aſſeri ſub nomine gratiæ, quia gratia Dei non ſecundùm merita noſtra datur, ſed ſecundùm ipſius miſericordiſſimam voluntatem*. Idem de Semipelagianis aſſerit

Tom. 10. p. 215. B.

Ib. pag. 607. D.

Ib. pag. 437. B.

ſanctus

ſanctus Doctor L. de dono perſeverantiæ c. 12. Nullum autem vel leviſſimum indicium eſt, hæreticos illos exiſtimaſſe, omnia iſta incommoda ab excluſione gratiæ ſufficientis derivari.

Inſt. 4. Ut juſtis poſſibilia dicantur Dei mandata etiam relativè, ſatis eſt quòd ſint poſſibilia tum in ſe ratione objecti, tum in ſubjecto ratione gratiæ, quam à Deo recipere poteſt; hoc enim ſimpliciter poſſumus, quod per amicos poſſumus, ait S. Thomas. Tum ratione orationis, quæ, ſi exaudiatur, poteſt amplius Dei auxilium impetrare.

Reſp. Nego ant. Hunc etenim triplicem poſſibilitatis mandatorum modum Janſenius ultrò admittit Lib. 3. de Gratia Chriſti cap. 13. & tamen Judicio Eccleſiæ damnata eſt ipſius doctrina circa poſſibilitatem mandatorum in juſtis. Et verò tres illi modi ad unicam revocantur poſſibilitatem abſolutam. Quid enim eſt præceptum eſſe poſſibile ratione objecti, niſi eſſe poſſibile in ſe & abſolutè? Quid eſt eſſe poſſibile per gratiam, quam Deus abſolutè, ſi voluerit, dare poteſt, niſi eſſe poſſibile abſolutè? Quid eſt pariter eſſe poſſibile per orationem, quæ, ſi exaudiatur, impetrare poteſt uberius Dei auxilium, niſi eſſe poſſibile in ſe abſolutè? At, ut ſæpè diximus, Eccleſia poſſibilia intelligit eſſe Dei præcepta relativè ad præſentes juſtorum vires; per oppoſitionem ad doctrinam Janſenii, qui docet ea impoſſibilia eſſe relativè, ſeu ſecundùm præſentes quas habent vires. An verò jure dixeris, v. gr. captivum aliquem liberari à vinculis poſſe per tuam pecuniam, niſi eo animo ſis, ut illam hic & nunc hunc in finem expendere volueris? Poteſt quidem ex pecunia tua abſolutè ſolvi pretium liberationis; ſed quid, rogo, emolumenti ex illa poſſibilitate abſoluta captivus percipiet, ſi decreveris pecuniam tuam ex arca nunquam educere?

Inſtabis 5. Licèt mandata Dei ſint quibuſdam juſtis impoſſibilia, non ideò tamen ſimpliciter ac indefinitè impoſſibilia juſtis dici debent. Quapropter, inquiunt Janſeniani, prima Propoſitio inter quinque famoſas meritò in ſe proſcripta fuit, quia indefinita eſt, ac ſignificat omnibus juſtis mandata Dei eſſe ad obſervandum impoſſibilia, quod falſum eſt.

Probant 1. Quia licèt aliquibus hominibus, v. g. induratis & infidelibus præcepta Dei ſint impoſſibilia, (neque enim fide Catholica credere tenemur illis concedi gratiam, per quam mandata obſervare poſſint) malè tamen hinc quis diceret, præcepta hominibus ſimpliciter eſſe impoſſibilia: ergo ſimiliter, licèt aliquibus juſtis mandata ſint ad obſervandum impoſſibilia: ſimpliciter tamen ac indefinitè dici non poſſunt eſſe juſtis impoſſibilia, ſicut prima Propoſitio aſſerit.

Probant 2. ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. de juſtificatione cap. 11. ubi probat homini juſtificato mandata impoſſibilia non eſſe, ex generali iſta ratione, quia *Deus impoſſibilia non jubet*. Atque generalis illa ratio non magis probat omnibus planè juſtis eſſe poſſibilia mandata, quàm eſſe poſſibilia omnibus planè hominibus: tum quia, ut notum eſt, rationes, quas Concilia proferunt, ut fidei dogmata probent ac confirment, ad ipſam Catholicam fidem non pertinent: tum quia, ut mox diximus, doctrina fidei non exigit, ut credamus omnibus planè hominibus, puta induratis & infidelibus, mandata eſſe ad obſervandum poſſibilia; quia non exigit, ut credamus ipſis à Deo gratiam concedi, per quam poſſibilia ipſis fiant. *Tom. 14. Con. pag. 761.*

Digitized by Google

℟. Nego ant. In quo duo omninò falſa ſupponuntur. Primum, aliquibus juſtis mandata eſſe aliquando impoſſibilia; quod planè negamus. Quibus enim hominibus poſſibilia erunt, niſi amicis Dei, in quibus per charitatem diffuſam habitat Spiritus ſanctus, quos jugi gratiæ ſuæ influxu adjuvat, quos nunquam deſerit, niſi ab ipſis priùs deſeratur? Secundum, idcircò damnatam meritò fuiſſe primam Propoſitionem, quia eſt indefinita, ſicque univerſali æquivalet. Namque, ut alia jam omittam, damnata fuit illa Propoſitio in ſenſu Janſenii: at fatentur ipſimet Janſeniani, eam apud Janſenium indefinitam & univerſalem non eſſe; non enim loquitur de omnibus, ſed de aliquibus Dei mandatis; nec de omnibus, ſed de aliquibus dumtaxat juſtis volentibus atque conantibus.

Ad primam probationem, nego paritatem. Statuit quippe Catholica fides, nullis planè juſtificatis hominibus mandata eſſe ad obſervandum impoſſibilia: quamquam verò id quoque de omnibus planè hominibus veriſſimum ſit affirmare, non tamen fide Catholica id credere tenemur, ob eam ipſam rationem, quæ adducta fuit; quia fide Catholica non tenemur credere, Deum ſingulis planè hominibus etiam obduratis & infidelibus, concedere gratias ſufficientes, quibus poſſint mandata obſervare.

Ad ſecundam probationem ex Concilio Tridentino, ℟. I. Falsò ſupponitur Concilium probare juſtis non eſſe impoſſibilia ad obſervandum Dei mandata, ex generali iſta ratione: *Deus impoſſibilia non jubet*. Hæc enim non tam ratio eſt Concilii, quàm definitio ipſa, quæ quidem pro ſubjecta materia non omnes planè homines ſpectat, ſed tantùm juſtos, de quibus in toto illo capite 11. Concilium loquitur: *Nemo*, inquit, *temeraria illa, & à Patribus ſub anathemate probibita voce uti* (debet) *Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia. Nam Deus impoſſibilia non jubet*, (nempè juſtis) *ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſis. Cujus mandata gravia non ſunt, &c.* Clarum eſt ex toto capitis illius contextu, de ſolis juſtis loqui Concilium. *Ibid. B.*

II. Initio hujus ſeſſionis Concilium ſtatim declarat: *Doctrinam, quam exponere intendit, veram ſanamque eſſe doctrinam juſtificationis, quam Chriſtus docuit, Apoſtoli tradiderunt, & Catholica Eccleſia, Spiritu ſancto ſuggerente, perpetuò retinuit*. Et poſt ſexdecim capita ſubjungit: *Catholicam hanc eſſe de juſtificatione doctrinam, quam niſi quiſque fideliter firmiterque receperit, juſtificari non poterit*. Cùm ergo dicunt, rationes, quibus Concilia utuntur, ut fidei dogmata confirment, non pertinere ad fidem, verum quidem eſt, quando rationes illæ diſtinguuntur ab ipſo dogmate, quod definitur: at in præſenti cauſa ratio iſta Concilii: *Nam Deus impoſſibilia non jubet, &c.* non tam ratio eſt ſeu probatio dogmatis definiti, quàm definitio ipſa dogmatis. Siquidem ideo Patres vetant, ne quis de juſtis loquens, voce illa utatur, Dei præcepta ſunt impoſſibilia juſtificatis; quia ſcilicet dogma eſt, Deum ipſis impoſſibilia non jubere. *Ib. p. 757 B. C.* *Ib. pag. 764. E.*

III. Non tantùm Concilium aſſerit, juſtis non eſſe ad obſervandum impoſſibilia Dei mandata, ſed etiam gratias ipſis à Deo concedi, quibus ea poſſint obſervare: *Adjuvat, ut poſſis*. At iſtud poſtremum de ſolis juſtis fides Catholica credendum proponit, non de omnibus planè hominibus; ergo & iſtud primum: *Deus impoſſibilia non jubet*, de ſolis juſtis Concilium tanquam fidei dogma

dogma ſtatuit, non verò de omnibus indefinitè hominibus: quamquam, ut poſtea patebit, veriſſimè quoque aſſeratur, nulli hominum mandata Dei eſſe impoſſibilia; & per certa tempora & loca gratias aliquas omnibus concedi, quibus ea poſſint obſervare.

Objectiones ex lapſu S. Petri.

Objicies: S. Petrus juſtus fuit eo ipſo tempore, quo Chriſtum abnegavit: atqui S. Petro tunc vel omninò defuit gratia, vel ſaltem ſufficiens non fuit relativè, ut poſſet graviſſimæ mortis tentationi reſiſtere, & Chriſtum non negare.

Major propoſitio probatur 1. Quia Joan. 13. v. 10. poſtquam Chriſtus pedes Apoſtolorum ſuorum lavit, ait: *Qui lotus eſt, non indiget, niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus. Et vos mundi eſtis, ſed non omnes.* Judam excipit à quo ſe tradendum noverat.

Probatur 2. ex SS. Patribus.

S. Hilario cap. 30. in Matth. *Petrus*, inquit, *pro fidei ſui calore reſpondit, cæteris licèt ſcandalizantibus*, (paſſivè) *nunquam ſe ſcandalizaturum. In tantùm enim & affectu & charitate Chriſti efferebatur, ut & imbecillitatem carnis ſuæ, & fidem verborum Domini non contueretur: quaſi dicta ejus efficienda non eſſent, cui ait: Priuſquam gallus cantet, ter me negabis.* Charitate igitur flagrabat S. Petrus, adeoque juſtus erat. p.640.F.

S. Baſilio Homil. de humilitate n. 4. *Non es*, inquit, *beato Petro Apoſtolo præſtantior. Nec enim Dominum amore majori proſequi poteris, quàm qui ita vehementer dilexit, ut etiam voluerit pro ipſo mori. Sed quoniam animo elatiore locutus eſt, cùm dixit: Etſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego tamen nunquam ſcandalizabor, timiditati humanæ traditus eſt, cecidiſque in inficiationem, lapſu erudiendus ad metum atque ad cautionem, edocenduſque infirmis parcere & debilibus..... Ac Petrus quidem ſic reprehenſus accepit opem merito & auxilium, ut faſtum deponere, & infirmis parcere diſceret.* Audis iterum magnitudinem amoris, quo S. Petrus Chriſtum proſequebatur. Ed. nov. T. 2. pag. 159. D. E. Ibid. pag. 160. A.

S. Hieronymo Commentario in caput 14. S. Matth. *In omnibus*, inquit, *locis ardentiſſimæ fidei invenitur Petrus. Interrogatis diſcipulis, quem homines dicerent Jeſum, Dei Filium confitetur. Volentem ad paſſionem pergere, prohibet: & licèt erret in ſenſu, tamen non errat in affectu: nolens eum mori.* Et in caput 16. *Sæpè diximus*, inquit, *nimii ardoris amoriſque quàm maximi fuiſſe Petrum in Dominum Salvatorem.* Et paulò poſt.... *Error ille Apoſtolicus, & de pietatis affectu veniens, nunquam incentivum diaboli videbitur.* Denique in caput 26. ad hæc Petri verba: *Etiamſi omnes ſcandalizati fuerint, &c.* ait: *Non eſt temeritas, nec mendacium; ſed fides eſt Apoſtoli Petri, & ardens affectus erga Dominum Salvatorem.* Ed nov. Tom. 4. p. 65. Ib. pag. 75. Id. pag. 76. Ibid. p. 129.

S. Auguſtino Serm. 127. de tempore, nunc 149. in Appendicem rejecto: *Videte*, inquit, *Fratres, reſponſionem Diſcipuli, & intelligite dilectionis eſſe, quod dixit.* Et Serm. 284. *Ad horam trepidavit infirmitas, ut præſumptio vinceretur, non ut pietas deleretur.* Si autem pietas in S. Petro deleta non fuit, juſtus permanſit. T. 5. in Append. p. 263. B.

Minor verò propoſitio etiam probatur ex SS. Patribus, Chryſoſtomo præſertim & Auguſtino. T. 5. pag. 1144. D.

Ed. Commel pag. 368. D. Ib. pag. 369. A. S. Chriſoſtomus hom. 72. in Joan. *Cùm*, inquit, *aſſertioni ſuæ fervore quodam non ſtaret Petrus, non quidem* (Chriſtus) *impulit ad negandum, ſed deſertum reliquit, ut ſuam ipſe intelligeret imbecillitatem.* Et paulò poſt: *Neque enim frigiditate, ſed ſuperni auxilii derelictu contigit*, (nempè ut Chriſtum negaret.)

Ed. Commel pag. 703. A. B. Et hom. 34. in Matth. *Magnum profectò dogma hinc dicimus, quia videlicet nullo modo hominis voluntas ſufficit, niſi auxilio ſuperiori roboretur. Et quia nihil lucrari poterimus à ſuperiori patrocinio, ſi voluntas noſtra repugnat: quorum alterum Petrus, alterum Judas confirmat: hic enim etſi præſidium Chriſti largum habuerit, tamen quoniam noluit attendere, nec quæ ab ipſo erant, conferre, nullam inde utilitatem conſecutus eſt. Ille verò, etſi benè animatus fuerat, divino tamen ſubtracto auxilio ſtare non potuit.*

Pag. 1955. Homilia 31. in Epiſt. ad Hebr. *Negatio Petri*, inquit, *non tam erat ſocordiæ ac negligentiæ, quàm ex eo, quòd Deus eum deſeruerat, erudiens, ut humanam ſciret menſuram, & non repugnaret iis, quæ dicebantur à Magiſtro, neque ejus, quàm aliorum eſſent elatiores ſpiritus, ſed ſciret, quòd abſque Deo nihil poteſt fieri.*

T. 5. Ap. 144. E. S. Auguſtinus Serm. 124. de tempore, nunc 79. in Appendicem rejecto: *Quid homo*, ait, *ſine Dei gratia poſſit, timor B. Petri Apoſtoli evidenter oſtendit. Per ſolum enim liberum arbitrium, non addito etiam Dei adjutorio, promiſerat ſe pro Domino moriturum. Sed quid eſt homo ſine gratia Dei, niſi quod fuit Petrus, cùm negaret Chriſtum? .... Ideò B. Petrum Dominus paululùm ſubdeſeruit, ut in illo totum hominum genus poſſet agnoſcere, nihil ſe ſine gratia prævalere.*

T. 5. pag. 1197 G. Sermone 296. aliàs 106. de diverſis: *S. Petrus Domini noſtri Jeſu Chriſti major amator, quàm negator, ſecutus eſt Dominum paſſurum, ſed tunc non potuit ſequi paſſurus. Secutus eſt pedibus, nondum idoneus ſequi moribus .... plùs enim auſus erat, quàm ejus capacitas ſuſtinebat. Plus promiſerat, quàm poterat.*

Ib. pag. 11. E. Sermone 4. de Jacob & Eſau, aliàs 44. de diverſis: *Nondum poterat*, inquit, *quia infirmus erat.*

T. 3. par. 2 p. 724. C. Tractatu 92. in Joan. loquens de charitate: *Quæ utique*, inquit, *Petro defuit, quando mulieris ancillæ interrogatione perterritus; non potuit verum teſtimonium perhibere.*

Tom. 10. p. 735. D Librò de Gratia & libero arbitrio c. 17. *Charitatem Apoſtolus Petrus nondum habuit, quando timore Dominum ter negavit .... & tamen quamvis parva & imperfecta, non deerat, quando dicebat: Domine, animam meam pro te ponam: putabat enim ſe poſſe, quod ſe velle ſentiebat.*

Reſp. 1. Nego maj. Cùm enim S. Petrus Chriſtum exteriùs abnegavit, à juſtitia jam exciderat interno ſuperbiæ ac præſumptionis peccato: unde exemplum iſtud S. Petri non videtur præſenti noſtræ controverſiæ accommodatum. Ita docent imprimis SS. Chryſoſtomus & Auguſtinus, de quorum mente ac doctrina hìc potiſſimùm controvertitur.

pag. 701. D. S. Chryſoſtomus citata homil. 93. in Matth. tria in S. Petro crimina obſervat & redarguit: 1. Quia Chriſto aſſerenti futurum, ut ab ipſo negaretur, non credidit. 2. *Quia cæteris ſe ipſum præpoſuit.* 3. *Quia ſibi totum impoſuit*, hoc eſt præſumptione effræni arrogavit; *Et ita*, inquit ſanctus Doctor, *hæc res ſenſim eum ad tetrum inſolentiæ crimen devehebat, quod reprimere Chriſtus volens, quoniam nec Prophetæ, nec ſibi ipſi obtemperavit, negationem fieri permiſit. Quare Petrus cùm verbis non crederet, à rebus ipſis eruditur.* Poſtea ſignificat rurſus

ori-

originem lapſus S. Petri fuiſſe præſumptionem ac vanam gloriam. *Nimiùm*, inquit, *ſibi confiſus hæc dicebat, & in alios inſurgebat dicens: Etſi omnes in te* *pag.702. E.* *ſcandalizati fuerint, ego tamen non ſcandalizabor. Puto autem ambitione quoque aliqua & jactantia in ea verba Petrum lapſum fuiſſe.* Idem aſſeruerat hom. 72 in Joan. *Ex quo*, inquit, *cùm in arrogantiam prolaberetur, & Chriſto con-* *pag.368. D.* *tradiceret, ſuæ admonetur fragilitatis.*

Eadem eſt S. Auguſtini ſententia Serm. 285. *Interrogatus* (Petrus) *in corde ſuo præſumpſerat, ſe pro eo etiam moriturum. Viribus ſuis hoc tribuerat .... animam* *T.5.pag. 1146. C.* *ſuam pro Chriſto præſumptor ſe poſiturum eſſe jactabat ... Odit Deus præſumptores de* *Ibid. D.* *viribus, & tumorem iſtum in eis, quos diligit, tanquam medicus ſecat.*

Sermone 284. *Præſumpſerat ille viribus ſuis, non de Dei dono, ſed de libero* *Ibid.pag. 1144. E.* *arbitrio.*

Et Lib. 14. de Civitate Dei Cap. 13. eleganter exponit, quomodo interna cordis ruina præcedat externam ruinam operis. *Ante ruinam exaltatur cor*: ait ex cap. 16. Proverbiorum, *& ante gloriam humiliatur. Illa prorſus ruina, quæ* *T.7.pag.* *fit in occulto, præcedit ruinam, quæ fit in manifeſto, dum illa ruina eſſe non putatur.* *365. D.* *Quis enim exaltationem ruinam putat, cùm jam ibi ſit defectus, quo eſt relictus excelſus? Quis autem ruinam eſſe non videat, quando fit mandati evidens atque indubitata transgreſſio? .... Et audeo dicere, ſuperbis eſſe utile cadere in aliquod apertum manifeſtumque peccatum, unde ſibi diſpliceant, qui jam ſibi placendo ceciderant. Salubriùs enim Petrus ſibi diſplicuit, quando flevit, quàm ſibi placuit, quando præſumpſit.* In mente igitur S. Auguſtini præceſſerat in S. Petro externam Chriſti negationem occulta cordis ruina, ex præſumptione ſcilicet ac inſolenti in propriis viribus præfidentia: quam quidem præſumptionem levem ac venialem non fuiſſe, ſed gravem ac mortalem, manifeſtum eſt ex ipſiſmet SS. Chryſoſtomi & Auguſtini verbis. Primus illam *crimen* appellat, hom. 83. in Matth. & hom. 72. in Joan. *caſus magnitudinem*. Alter verò *ruinam cordis*: Deus quippe odit præſumptores de viribus ſuis. Et verò qui de viribus ſuis præſumit, Chriſtum, ejuſque auxilium deſpicit, quo ſe non indigere ſuperbè & arroganter exiſtimat; cùm tamen ſine ipſo nihil poſſimus. Mirum igitur videri non debet, ſi propter illam animi de ſe præſumentis elationem ac ſuperbiam, Petrus à Chriſto deſertus fuerit, non conceſſa ipſi uberiori & efficaci gratia, ut graviſſimæ tentationi reſiſteret, ac Chriſtum apertè & conſtanter profiteretur.

Ad primam probationem negatæ majoris propoſitionis, dico S. Petrum cum cæteris quidem Apoſtolis (uno Juda proditore excepto) juſtum ac mundum fuiſſe, cùm Chriſtus ſuo ipſis diſtributo corpore dixit: *Vos mundi eſtis*; verùm ab illa ſanctitate & juſtitia paulò poſt ex præſumptione ac ſuperbia delapſus eſt.

Ad ſecundam probationem ex SS. Patribus, eſtò nonnulli in ea fuerint opinione, B. Petrum ex nimio ardore charitatis Chriſto dixiſſe: *Etiamſi alii ſcandalizati fuerint, non ego ſcandalizabor*: ab ea tamen ſententia alieni ſunt SS. Chryſoſtomus & Auguſtinus. Præterea, ſi unum excipias S. Hieronymum, aſſerunt quidem alii ex amore ita reſpondiſſe S. Petrum; at non aſſerunt rectum & ordinatum fuiſſe amorem illum. Imò S. Auguſtinus Sermone 296. alias 106. *T.5.pag.* de diverſis, de Petro ait: *Præpoſterè amavit, ideo timuit & negavit.* Rurſus *1198. A. Ibid. B.* ibid. *Inordinatè amans, defecit ſub pondere paſſionis .... Tunc Petrus amans erat*, *Ibid. G.*

ſed adhuc carnaliter. Quod quidem repetit Serm. 4. de Jacobo & Eſau, aliàs [Ibid. p. 1144 D.] 44. de diverſis. SS. Hilarius & Baſilius citati illum amoris in S. Petro exceſſum non laudant, quem non diſſimulant cum præſumptione & arrogantia junctum fuiſſe. Cùm igitur S. Auguſtinus citato Sermone 284. ait: *Ad horam trepidavit infirmitas, ut præſumptio vinceretur, non ut pietas deleretur:* hoc unum intendit, pietatem illam uſque in finem delendam non eſſe; rogavit quippe pro Petro Chriſtus, ut ejus fides non deficeret, ſed ut converſus fratres ſuos confirmaret.

Reſp. 2. Ad min. diſtinguo. Data non fuit S. Petro gratia efficax, concedo: gratia ſufficiens, iterum diſtinguo: per quam proximè & immediatè poſſet reſiſtere tentationi, & Chriſtum non negare, concedo: per quam id poſset remotè, per orationem ſcilicet, cujus proximam habebat poteſtatem, uberius impetrando Dei auxilium, nego. Itaque cùm S. Petrus in vitium præſumptionis ac ſuperbiæ lapſus eſt, poterat non labi: cùm etiam ter Chriſtum negavit, poterat non negare, recurrendo ſcilicet ad orationem, ad quam ex data gratia recurrere poterat ac debebat. Noverat ille ex fide, neceſſarium planè eſſe Dei auxilium, ut tentationi reſiſtatur: ſciebat ex conſcientia propriæ infirmitatis, impares eſſe vires ſuas ſuperandæ graviſſimæ mortis tentationi: hac tamen neglecta, tum fidei, tum propriæ conſcientiæ voce ad Deum ſupplex per orationem non confugit, ſicut poterat & oportebat; ipſius ergo culpa fuit, quòd uberiorem non perceperit Dei gratiam; *Deſeruit, & deſertus eſt.*

[pag. 701. C.] S. Chryſoſtomus homil. citata 83. in Matth. *Cùm dicendum eſſet*, ait, *opem nobis feras, ne ſcandalizemur, è contrario nimiùm ſibi arrogans, inquit: Etſi omnes ſcandalizati fuerint, &c.* Et poſtea: *Totum ſibi attribuebat, dicens: Etſi omnes* [pag. 703. A.] *ſcandalizati fuerint, &c. cùm dicere debuiſſet: Patrocinio tuo iuvabis.*

S. Auguſtinus in ipſo loco, unde deſumitur objectio, ſeu potiùs auctor illius Sermonis, qui in editione Benedictinorum Auguſtino penitùs abjudicatur, & à Lovanienſibus ut dubius rejectus jam fuerat, unde perperam nobis objicitur ut Auguſtini, auctor, inquam, illius Sermonis, gratiam ſaltem orationis, [T. 5. in Append. p. 144. F.] à B. Petro non fuiſſe ſublatam, dum negavit Chriſtum, indicat dicens, *paululùm ſubdeſertum fuiſſe*: cum minima enim gratia potuit reſiſtere, aut ſaltem orare.

In eumdem ſenſum S. Auguſtinus Lib. de corrept. & grat. c. 9. ait: *Faciem,* [T. 10. p. 764. A.] *quàm paululùm ab illo averterat* (Dominus,) *revocavit ad eum.* Præterea idem ſanctus Doctor Lib. de unitate Eccl. c. 9. dixit: *Quis dubitaverit, quòd Judas* [To. 9. p. 352. D.] *Chriſtum, ſi voluiſſet, non utique tradidiſſet: & Petrus, ſi voluiſſet, ter Dominum non negaſſet?* Nempe S. Petrus dum ſe percuſſum tentatione ſenſit, mentis tumorem ac præfidentiam deponere potuit ac debuit, & ſupplici oratione confugere ad Deum, dicens cum Propheta: *Adjutor meus eſto, ne derelinquas me, Domine*; ſicque derelictus non fuiſſet, ſi derelinqui noluiſſet. Deſertio igitur S. Petri conſequens fuit, non antecedens.

Nec obſtat, quod ait S. Auguſtinus, Petrum non potuiſſe tunc mori pro Chriſto: namque his verbis non ſignificat ſanctus Doctor impotentiam faciendi remotam, ſed tantùm proximam. Adde, quòd S. Auguſtinus negat dumtaxat, Petrum tunc potuiſſe mori, quando dicebat: *Animam meam ponam:* tunc enim nullum ipſi impoſitum fuerat moriendi præceptum.

Inſta-

Inſtabis 1. ex S. Chryſoſtomo citata homil. 31. in Epiſtolam ad Hebræos: *Petri negatio non tam erat ſocordiæ ac negligentiæ, quàm ex eo, quòd Deus eum deſeruerat*: ergo Petrus non habuit gratiam ſufficientem, qua potuerit non negare Chriſtum. Pag. 1155.

Reſp. Diſt. ant. Non tam erat ſocordiæ timidæ, concedo: tumidæ & inflatæ, nego. Explico: duplex in S. Petro ſocordiæ genus diſtingui poteſt; unum ex præſumptione ac ſuperbia, alterum ex timore. 1. Cùm Chriſtus ipſi prædixit futurum, ut ter ab ipſo negaretur, neglexit S. Petrus divinam gratiam petere, ac rogare Deum, ut iſtud à ſe crimen averteret, quam ſocordiam tumidam ac inflatam appello; quia eſt animi de ſuis propriis viribus inſolenter præſumentis: hæc ſocordia cauſa fuit deſertionis divinæ. 2. Cùm ad ancillæ interrogantis vocem Petrus Chriſtum negavit, ſocordia in ipſo fuit timida, id eſt hominis trepidantis ac mortem timentis. Hæc autem ſecunda ſocordia ea eſt, de qua loquitur S. Chryſoſtomus in loco nobis objecto: fuit igitur deſertio divina media inter geminam Diſcipuli ſocordiam, alteram priorem, Chriſto futurum caſum prædicente; alteram poſteriorem, ancilla interrogante. Hinc eſt, quòd S. Chryſoſtomus negationis lapſum cenſeat eſſe referendum in deſertionem divinam, potiùs quàm in pavidi Apoſtoli ſocordiam, propterea quòd pavor ejus & timor ex divini auxilii abſentia natus eſt; quamvis timor ille & lapſus ſit potiùs refundendus in ſocordiam Apoſtoli præſumentis, quàm in deſertionem cœleſtis auxilii. Etenim Petrus negavit Dominum, quia timuit; timuit verò, quia gratiæ robore caruit; caruit autem, quia præſumpſit.

Inſtabis 2. Ipſe Chriſtus S. Petro dixit: *Non potes me ſequi modò, ſequeris autem poſtea*, Joan. 13. v. 36. Ergo tunc impoſſibile fuit S. Petro implere præceptum.

Reſp. Nego conſequentiam. Neque enim tunc impoſitum S. Petro fuit præceptum moriendi pro Chriſto. *Hoc*, ait S. Auguſtinus Sermone 296. aliàs 106. de diverſis, *pro ſervo Dominus erat facturus, non ſervus pro Domino*. Immeritò igitur hæc Chriſti verba contra poſſibilitatem mandatorum Dei referuntur, cùm eò loci de præcepto moriendi pro Chriſto non agatur. Equidem & de viribus ſuis inſolenter non præſumere, & Chriſtum non negare, ex præcepto humilitatis & charitatis tenebatur S. Petrus; verùm ut utroque mandato poſſet obſequi, ſufficientes habebat ex gratia vires. T. 5. pag. 1198. A.

Inſtabis 3. Cùm S. Petrus de viribus ſuis nimiùm præſumpſit, ac Chriſtum ſubinde negavit, non habuit ſufficientem & proximam etiam ad orandum potentiam: ergo divina gratia omninò tunc deſtitutus, non potuit non præſumere, & Chriſtum non negare.

Antecedens probatur. Quia ut quis ſit proximè potens orare, debet habere judicium practicum propriæ impotentiæ proximæ, ac neceſſitatis majoris gratiæ impetrandæ: ſed qui de viribus ſuis præſumit, non habet judicium practicum propriæ impotentiæ proximæ, ac neceſſitatis majoris gratiæ impetrandæ: ergo is non eſt proximè potens orare.

Reſp. Nego ant. Ad probationem nego maj. Quia hoc judicium practicum hominem conſtituit non ſolùm in potentia proxima ad orandum, ſed in actuali oratione: unde immeritò aſſeritur illud judicium practicum eſſe prærequiſitum, ut homo proximè potens ſit ad orandum.

Digitized by Google

Inſtabis 4. Certò affirmari non poteſt, S. Petrum, cùm de viribus ſuis præſumpſit & Chriſtum negavit, ſatis ex gratia virium habuiſſe, ut poſſet non præſumere & non negare: namque gratia ſufficiens eſt interior Dei motio, per quam mentem illuſtrat & voluntatem excitat. Quis porrò affirmare certò poſſit, an S. Petrus interiorem illam in ſe Dei motionem expertus fuerit, cùm id ſoli Deo pateat?

Reſp. Cùm ſit ex fide Catholica certum ac conſtans, juſtum à Deo non deſeri ad piè ſemper juſtèque vivendum, niſi ipſe primus Deum deſeruerit, conſequenter dicendum, ad primum ſaltem vitandum peccatum, juſtum à Deo accepiſſe per gratiam vires ſufficientes, quibus vitare illud potuerit: ergo antequam in peccatum præſumptionis ac ſuperbiæ caderet S. Petrus, potuit ex gratiæ auxilio in illud non cadere, ſeu immediatè ac proximè, ſeu mediatè ac remotè.

ARTICULUS. II.

Utrùm dentur omnibus fidelibus Gratiæ ſufficientes, tum ut peccata caveant, tum ut à peccato reſipiſcant.

OBſervandum 1. cum Bellarmino Lib. 2. de Gratia & libero arbitrio c. 1. duas hic eſſe contrarias ſententias, inter quas media incedit veritas. Prima eſt Pelagianorum, & eorum, qui Pelagianis in Gallia occultè favebant, Fauſti, Caſſiani, & aliorum: docebant illi gratiam Dei omnibus hominibus paratam eſſe, modò ipſi eam petere & excipere velint; poſſe autem unumquemque ex viribus liberi arbitrii, ſine alia præveniente gratia, ipſam gratiam expetere, invocare, excipere.

Altera ſententia huic priori contraria eorum eſt, qui non agnoſcunt diſtinctionem inter auxilium efficax & ſufficiens: docent illi, multis deeſſe auxilium ſufficiens ad ſalutem, videlicet iis omnibus, qui non ſunt à maſſa perditionis divina prædeſtinatione diſcreti. Ita Lutherus in aſſertione art. 36. & Calvinus Lib. 3. Inſtit. c. 22. paragr. 10. & cap. 24. parag. 15. & 16. Utramque hanc erroneam ſententiam hactenus impugnavimus: primam quidem Pelagianorum & Semipelagianorum, ubi de neceſſitate gratiæ, ad quartam hujuſce Tractatus quæſtionem; alteram verò cùm demonſtratum à nobis fuit, agnoſcendam eſſe gratiam verè ſufficientem ab efficaci diſtinctam.

Inter illas contrarias pugnanteſque ſententias, pergit Bellarminus, incedunt Theologi Catholici quamplurimi ac ferè omnes, qui docent, omnibus hominibus pro loco & tempore ſufficiens auxilium non deeſſe; & tamen ſine præveniente gratia, neminem poſſe gratiam deſiderare, petere, vel accipere;

Obſervandum 2. Quæſtionem hic non moveri, utrùm omnibus adultis auxilium gratiæ Dei æqualiter diſtribuatur. Negativa ſententia certiſſima eſt, ad quam probandam S. Auguſtinus urget iſtud Sap. 4. v. 11. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius, &c.*

Obſervandum 3. Neque etiam quæſtionem hic eſſe, utrùm omni tempore & momento ſingulis hominibus detur gratia ſufficiens; vel utrùm ea ipſis ſemper detur, per quam immediatè ac proximè tentationes ſuperare, & mandatum

Digitized by Google

datum obſervare poſſint: ſed quæſtio eſt, utrùm pro loco & tempore, præſertim cùm urget præceptum, immediatè, vel mediatè detur gratia ſufficiens, maximè fidelibus.

CONCLUSIO.

Omnibus fidelibus dantur gratiæ ſufficientes, quibus & peccata cavere, & à peccatis ſeu immediatè, ſeu mediatè reſipiſcere poſſunt.

Duplex eſt pars Concluſionis.

Prima pars probatur 1. ex Scripturis, tum iis, quæ generatim effuſam Dei in omnes homines clementiam, benignitatem ac beneficam voluntatem ſingulis ferè in paginis teſtantur ac prædicant: tum iis, quæ propiùs pertinent ad eum verum ac ſincerum Dei erga ſalutem omnium affectum. *Prima pars Concluſionis.*

Primi ordinis innumera ferè ſunt teſtimonia.

Proverb. 1. v. 20. & ſeq. *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum urbis profert verba ſua, dicens: Uſquequò parvuli diligitis infantiam, & ſtulti ea, quæ ſibi ſunt noxia; cupient, & imprudentes odibunt ſcientiam? Convertimini ad correptionem meam: en proferam vobis Spiritum meum, & oſtendam vobis verba mea. Quia vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis id, quod timebatis, advenerit.*

Sapientiæ 11. v. 24. *Misereris omnium, quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Diligis omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti.* Et cap. 12. v. 1. *O quàm bonus & ſuavis eſt, Domine, Spiritus tuus in omnibus! Ideòque eos, qui exerrant, partibus corripis; & de quibus peccant, admones & alloqueris, ut relicta malitia, credant in te, Domine.* Et v. 13. *Non eſt alius Deus quàm tu, cui cura eſt de omnibus, ut oſtendas, quoniam non injuſtè judicas judicium.* Et v. 20. *Si enim inimicos ſervorum tuorum, & debitos morti, cum tanta cruciaſti attentione, dans tempus & locum, per quæ poſſent mutari à malitia, cum quanta diligentia judicaſti filios tuos?*

Ezechielis 33. v. 10. *Sic locuti eſtis, dicentes: Iniquitates noſtræ & peccata noſtra ſuper nos ſunt, & in ipſis nos tabeſcimus; quomodo ergo vivere poterimus? Dic ad eos: Vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius à via ſua & vivat. Convertimini, convertimini à viis veſtris peſſimis; & quare moriemini?* Illa porrò exhortatio: *Convertimini, convertimini*, irriſoria videretur, ait Bellarminus Lib. 2. de Gratia & libero arbitrio c. 5. niſi Deus dediſſet illis vires, quibus converti poſſent. Non fuiſſe autem irriſoriam ſive ironicam exhortationem, teſtatur vel illud juramentum: *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii, &c.* niſi fortè velis dicere cum Janſenio, (quod horreſco referens) *nihil aliud fuiſſe Teſtamentum illud*, (vetus) *niſi magnam quamdam quaſi comœdiam*. Quaſi ſimulaverit Deus ſe velle illorum hominum converſionem, quam reipſa nolebat. *L. 3. de gr. Ch. c. 6.*

Joannis 1. v. 9. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Quo teſtimonio utitur S. Aug. L. 1. de Gen. contra Manich. c. 3. n. 6. ut probet, omnes homines poſſe, ſi velint, Dei præcepta obſervare. *Illud*, inquit, *lumen non irrationabilium avium (ſeu animalium) oculos paſcit, ſed pura* *T. 3. p. 116. col. 2. B.* *T. 1 p. 648. E.*

cor-

corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore viſibilium rerum & temporalium ſe ad ejus præcepta implenda convertunt. Quod omnes homines poſſunt, ſi velint, quia illud lumen omnem hominem illuminat, venientem in hunc mundum.

Cùm ſanctus Doctor ait, omnes homines poſſe obſervare præcepta, ſi velint, procul dubio ſubintelligit conditionem iſtam planè neceſſariam, modò voluntas eorum à Domino præparetur. Sic ipſemet explicat ſanctus Doctor Lib. 1. Retract. c. 10. n. 2. Etſi verò non omnium voluntas efficaciter præparetur, ſufficienter tamen præparari dicenda eſt, aliàs minùs cautè diceret Auguſtinus, omnes Dei mandata obſervare poſſe, ſi velint: quemadmodum de homine nec pecuniam habente, nec modum illius comparandæ, ineptè prorſus diceretur: Agrum emeres, ſi velles, quem emere prorſus ipſi tunc impoſſibile eſt.

Ibid. p. 16. A.

Secundi ordinis teſtimonia hæc ſunt:

Iſaiæ 5. v. 4. *Quid eſt, quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci?*

Matthæi 23. v. 37. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Et cap. 11. v. 28. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos*, ait Chriſtus.

Apocal. 3. v. 20. *Sto ad oſtium, & pulſo.*

2. Petri 3. v. 9. *Non tardat Dominus promiſſionem ſuam, ſicut quidam exiſtimant: ſed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.*

Denique 1. ad Timoth. 2. v. 4. *Qui* (Deus) *vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Et cap. 4. v. 10. *Qui eſt Salvator omnium, maximè fidelium.*

2. Corinth. 5. v. 14. *Si unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt; & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.*

Non eſt, quòd hìc diutiùs immoremur in urgendo argumento, quod ex voluntate illa Dei ſalvandi omnes, & morte Chriſti pro omnibus deducitur; fuſè enim de hoc argumento diſſeruimus ſecunda parte de divinis Attributis, ubi de voluntate Dei.

Duo hìc dumtaxat in memoriam vobis revocaſſe ſufficiat:

Primum, voluntatem illam Dei ſalvandi omnes, quam Theologi, poſt S. Anſelmum & S. Thomam, antecedentem appellant, ſterilem & otioſam non eſſe; ſed actuoſam, ex qua defluunt media ad ſalutem neceſſaria. *Hujus voluntatis effectus*, ait S. Thomas in 1. Sent. diſt. 46. q. 1. art. 1. *eſt ipſe ordo naturæ in finem ſalutis, & promoventia in finem omnibus communiter propoſita, tam naturalia, quàm gratuita.*

T. 7. p. 403. col. 1. B.

Alterum, quòd etſi textus iſte Apoſtoli: *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, variis modis exponatur à S. Auguſtino, illam tamen expoſitionem videri maximè congruere ſententiæ Apoſtoli, quam habet in Lib. de ſpir. & litt. c. 33. n. 58. ubi quærit, cur non omnibus detur gratia fidei, cùm Deus *velit omnes ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire?* Reſpondet: *Deum velle omnes ſalvos fieri, non ſic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel benè, vel malè utentes juſtiſſimè judicentur. Quod cùm ſit, infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt, cùm ejus Evangelio non credunt: nec ideo tamen eam vincunt, verùm ſeipſos fraudant magno & ſummo bono, maliſque pœnalibus implicant, experturi in ſupplicis poteſtatem ejus, cujus in donis miſericordiam contempſerunt. Ita*

T. 10. p. 118. E. F.

vo-

voluntas Dei ſemper invicta eſt. Quod illuſtrat ibidem ſimilitudine Domini,
qui vult, ut omnes ſervi laborent in vinea, ſic tamen, ut ſi qui operari no-
luerint, detrudantur in piſtrinum. Ex his intelligimus, ait Bellarminus lo-
co jam citato, hanc fuiſſe S. Auguſtini ſententiam, Deum velle omnes ſalvos *L. 1. de*
fieri, quia dat omnibus, unde poſſint velle credere & ſalvari; ſic tamen, *gr. Ch. &*
ut ſi noluerint, non ſalventur, ſed ad ſupplicia æterna deſtinentur. *lib. arb.*
c. 5.

Probatur 2. ex Conciliis.

Valentino III. anno 855. Can. 2. ubi dicitur: *Malos non ideo perire, quia* *T. 8. Cō.*
boni eſſe non potuerunt, ſed quia boni eſſe noluerunt. *p. 135. E.*

Senonenſi an. 1528. parte 13. in decretis fidei c. 15. *Neque tamen*, inquit, *T. 14. p.*
tanta gratiæ neceſſitas libero præjudicat arbitrio, cùm illa ſemper ſit in promptu, *458. C.*
nec momentum quidem prætereat, in quo Deus non ſtet ad oſtium, & pulſet.

Colonienſi an. 1536. parte 73. cap. 32. cujus hæc verba ſunt: *Quamquam nemo* *Ibid. p.*
convertatur ad Dominum, niſi tractus per Patrem, attamen nemo hic excuſationem *539. C.*
prætexat, quòd non trahatur, quòd ille ſemper ſtet ante oſtium pulſans, nimirùm per
internum & externum verbum commonens, ut convertamur à via noſtra peſſima.

Denique ex Tridentino ſeſſ. 6. de juſtific. c. 11. *Deus*, inquit, *impoſſibilia non* *Ibid. p.*
jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & ad- *761. B.*
juvat, ut poſſis,

Probatur 3. ex SS. Pontificibus Innocentio I. & S. Leone.

Innocentius I. in Epiſtola ad Concilium Carthaginenſe: *Quotidiana*, in- *T. 2. Cō.*
quit, *præſtat illi* (homini) *remedia, quibus niſi freti confiſique nitamur, ne-* *p. 1285.*
quaquam humanos vincere poterimus errores. *D.*

S. Leo Serm. 16. de Paſſione Domini: *Juſtè*, ait, *inſtat præcepto, qui præ-*
currit auxilio. *T. 1. p.*
291.

Probatur 4. ex S. Auguſtino pluribus in locis.

Lib. 3. de libero arbitrio c. 19. n. 53. ubi occurrit illorum querimoniæ,
quibus durum ac grave videtur, quòd in pœnam peccati primi parentis cum
ignorantia, cæcitate ac difficultatis cruciatibus naſcamur. *Quibus*, inquit, *T. 1. p.*
breviter reſpondetur, ut quieſcant, & adversùs Deum murmurare deſinant. Rectè *631. F.*
enim fortaſsè quererentur, ſi erroris & libidinis nullus hominum victor exiſteret:
cùm verò ubique ſit præſens, qui multis modis per creaturam ſibi Domino ſervientem
averſum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem, diligentem adhortetur,
conantem adjuvet, exaudiat deprecantem; non tibi deputatur ad culpam, quòd in-
vitus ignoras, ſed quòd negligis quærere, quod ignoras; neque illud quòd vulnera-
ta membra non colligis, ſed quòd volentem ſanare contemnis. Iſta tua propria pecca-
ta ſunt. Nulli enim homini ablatum eſt, ſcire utiliter quærere, (*vel quæri*) *quod*
inutiliter ignoratur, & humiliter confitendam eſſe imbecillitatem, ut quærenti &
confitenti ille ſubveniat, qui nec errat, dum ſubvenit, nec laborat.

Et cap. 22. n. 65. *Quòd ergo ignorat*, (anima) *quid ſibi agendum ſit, ex eo eſt*, *Ibid. p.*
quòd nondum accepit: ſed hoc quoque accipiet, ſi hoc, quod accepit, benè uſa fue- *637. B.*
rit. Accepit autem, ut piè & diligenter quærat, ſi volet. Sunt hæc profectò ad rem
noſtram præſentem maximè accommodata: *Accepit homo, ut piè & diligenter*
quærat; en gratia ſufficiens, qua ſi benè uſus fuerit, accipiet & efficacem,
qua faciat, quod antea non poterat (proximè ſcilicet & immediatè) facere.

Nota, verba, quæ ex capite 19. laudata ſunt, nuſquam improbaſſe ſan-
ctum Doctorem, imò ea rurſus laudaſſe L. de natura & gratia, c. 57. n. 81.

Tra-

T. 3. par. 2. p. 389. A.

Tractatu 12. in Joan. n. 12. ad hæc verba: *Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum. Ergo quantùm in medico eſt, ſanare venit ægrotum. Ipſe ſe interimit, qui præcepta medici obſervare non vult. Venit Salvator ad mundum: quare Salvator dictus eſt mundi, niſi ut ſalvet mundum, non ut judicet mundum? Salvari non vis ab ipſo, ex te judicaberis.*

T. 4. p. 530. A. B.

Tractatu in Pſalm. 56. *Neque*, inquit, *imperaret hoc Deus, ut faceremus, ſi impoſſibile judicaret, ut ab homine fieret. Sed conſiderans infirmitatem tuam deficis ſub præcepto? Confortare in exemplo ..... adeſt ille, qui præbuit exemplum, ut præbeat & auxilium.*

T. 6. p. 94. B.

Lib. 1. ad Simplic. q. 2. n. 10. de ipſomet Eſau ait; *Noluit Eſau, & non cucurrit: ſed & ſi voluiſſet, & cucurriſſet, Dei adjutorio perveniſſet, qui etiam velle & currere vocando præſtaret, niſi vocatione contempta reprobus fieret.*

Denique duplex ſanctus Doctor principium ſtatuit, ex quo neceſſariò infertur illum in ea mente fuiſſe, omnibus neceſſaria eſſe, ac conferri ſufficientia gratiæ auxilia.

T. 10. p. 148. F.

Primum eſt: *Deum impoſſibilia non jubere, ſed jubendo admonere, & facere, quod poſſis, & petere, quod non poſſis.*

L. 3. de l. arb. c. 18. n. 50. T. 1. p. 630. F.

Alterum: *Neminem peccare in eo, quod nullo modo caveri poteſt. Peccatur autem. Caveri igitur poteſt; ſed opitulante illo, qui non poteſt falli;* ait ſanctus Doctor L. de nat. & grat. c. 67.

T. 10. p. 162. A.

Secunda pars Concluſionis.

Secunda pars Cōcluſionis.

Probatur 1. ex Scripturis, quæ peccatores ad pœnitentiam & converſionem invitant & adhortantur.

Ezechielis 33. v. 11. *Vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius à via ſua, & vivat. Convertimini, convertimini à viis veſtris peſſimis.*

Eccleſiaſtici 5. v. 8. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem: ſubitò enim veniet ira illius.*

2. Petri 3. v. 9. *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.*

Porrò fruſtra eſſent adhortationes illæ, niſi ſupponatur fidelibus in peccatum lapſis dari ſufficientem gratiam, qua poſſint à peccato per veram pœnitentiam reſurgere.

T. 4. p. 575. D.

Probatur 2. ex S. Auguſtino Conc. 2. in Pſalm. 58. ſub finem: *Si nolis*, inquit, *curari vulnus tuum, admonet, ut cureris: & averſum revocat, & refugientem quodam modo ad ſe redire compellit & attrahit. In omnibus implet, quod dictum eſt: Miſericordia ejus præveniet me.* Et in Pſalm. 102. nu. 16. *Quid tam longanimum? Quid tam multum in miſericordia? Peccatur, & vivitur ..... Vocat undique ad correctionem, vocat undique ad pœnitentiam, vocat beneficiis creaturæ, vocat impertiendo tempus vivendi, vocat per Lectorem, vocat per Tractatorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correptionis, vocat per miſericordiam conſolationis. Longanimis & multùm miſericordiæ. Sed obſerva, ne longitudine miſericordiæ Dei malè utendo, tu tibi theſaurizes, quod ait Apoſtolus, iram in die iræ.*

Ibid. p. 1124. C.

Probatur 3. ex Conc. Lateran. IV. cap. *Firmiter*, ubi docet, hominem lapſum ſemper poſſe per veram pœnitentiam reparari. Idem & S. Thomas 3. p. q. 86. art. 1.

Sol-

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. S. Auguſtinus agnoſcit gratiam omnibus non concedi. *Scimus*, T. 2. p. 804. F.
ait Epiſtola 217. aliàs 107. ad Vitalem, *gratiam non omnibus hominibus dari.* G.
*Scimus eis, quibus datur, miſericordia Dei gratuita dari. Scimus, eis, quibus
non datur, juſto judicio Dei non dari.* Et Lib. de corrept. & grat. c. 11. de gratia T. 10. p.
Adamo innocenti conceſſa (quæ ſufficiens dumtaxat erat) ait: *Nunc quibus* 768. B.
deeſt tale adjutorium, jam pœna peccati eſt.

Idem cum Auguſtino ſentiunt

S. Proſper Carmine de ingratis cap. 11.

> *Dic, unde probes, quòd gratia Chriſti*
> *Nullum omninò hominem de cunctis, qui generantur,* Pag. 139. nu.
> *Prætereat, cui non regnum vitamque beatam* 271.
> *Impertire velit?*

S. Fulgentius Lib. 1. de veritate prædeſt. c. 14. *In cujus gratiæ largitate*, in- Pag.
quit, *quidam non leviter errant, exiſtimantes eam omnibus æqualiter dari.* 450.

Præſules Africani in Sardinia exules in Epiſtola Synodica ajunt: *De gratia* Tom. 2. Conc. p.
non dignè ſentire, quiſquis eam putat omnibus hominibus dari. 1597. E.

Reſp. Diſtinguo ant. SS. Auguſtinus, Proſper, Fulgentius, &c. agnoſcunt, gratiam fidei perfectæ ac juſtificationis non omnibus dari, concedo: gratiam ſufficientem, iterum diſtinguo: agnoſcunt non omnibus dari ad ſenſum Semipelagianorum, id eſt, non omnibus æqualiter dari, ut ait S. Fulgentius; aut etiam non dari propter aliquod initium fidei, quod ſit ex ſolis naturæ viribus, concedo: nullatenus dari, nego. Solutio ex dictis hactenus aperta eſt & manifeſta.

Inſtabis 1. Si S. Auguſtinus agnoviſſet, hujuſmodi gratiam ſufficientem omnibus adultis fidelibus dari, qua ipſis poſſibilia fiant Dei mandata, facili negotio ſedare potuiſſet ac compeſcere Monachorum Cœnobii Adrumetini querimonias, quibus obtendebant immeritò ſe corripi, eò quòd id non facerent, ad quod faciendum gratiam non perceperant.

℞. Reipſa S. Auguſtinum appoſitè repoſuiſſe illorum Monachorum querelis L. de corrept. & grat. cap. 2. n. 4. *Non ſe fallant*, inquit, *qui dicunt, ut quid* T. 10. p.
nobis prædicatur atque præcipitur, ut declinemus à malo, & faciamus bonum, ſi 752. A.
hoc non agimus, ſed id velle & operari Deus operatur in nobis. Sed potiùs intelligant, ſi filii Dei ſunt, Spiritu Dei ſe agi, ut quod agendum eſt, agant; & cùm egerint, illi, à quo aguntur, gratias agant. Aguntur enim, ut agant, non ut niſi nihil agant; & ad hoc eis oſtenditur, quid agere debeant, ut quando id agunt, ſicut agendum eſt ... accepiſſe ſe gaudeant. Quando autem non agunt, ſive omninò non faciendo, ſive non ex charitate faciendo, orent, ut quod nondum habent, accipiant.

Non poterat ſanctus Doctor ſignificantiùs declarare, Monachos illos immeritò conqueri, ſe non accepiſſe gratiam, ſaltem ſufficientem, per quam efficacem impetrare à Deo poterant: *Orent, ut quod nondum habent, accipiant.*

Inſtabis 2. Capite 6. ejuſdem Libri de corrept. & grat. ſanctus Doctor rejicit in peccatum originale cauſam, cur nonnulli à Deo relinquantur: ergo non ſupponit gratias ſufficientes omnibus dari.

℞. Diſtinguo ant. In regeneratis per Baptiſmum, nego: *Nihil quippe odit*

Deus

Deus in iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu. In infidelibus nondum regeneratis, iterum diſtinguo: tanquam in primam cauſam, concedo: tanquam in ſolam & unicam cauſam, nego. *Nec attendunt*, ait c. 6. nu. 9. *ſi nondum regenerati ſunt, primam eſſe cauſam, cur objurgati quòd ſint inobedientes Deo, ſibi debeant diſplicere, quia fecit Deus hominem rectum ab initio humanæ creaturæ, & non eſt iniquitas apud Deum. Ac per hoc prima pravitas, qua Deo non obeditur, ab homine eſt*. Duplex igitur in infidelibus cauſa eſt, cur eis gratiam operis ſeu actionis Deus non concedat: prima, originalis & communis, peccatum ſcilicet primi parentis: altera verò propria ſeu perſonalis, nempe actuale peccatum.

Ibid. p. 754. C.

Ibid. p. 752. D. Primam attingit ſanctus Doctor cap. 6. citato. Alteram cap. 3. n. 5. ubi ſic loquitur: *Præcipit* (Apoſtolus) *ut habeatur charitas: corripit, quia non habetur charitas: orat, ut abundet charitas. O homo! in præceptione cognoſce quid debeas habere; in correptione cognoſce tuo te vitio non habere; in oratione cognoſce unde accipias quod vis habere*.

Objicies 2. Duplici maximè de cauſa probamus omnibus adultis fidelibus gratias verè ſufficientes à Deo concedi. 1. Ut Dei mandata ipſis poſſibilia fiant. 2. Ut in culpam ipſis imputari poſſint, quæ committunt peccata: atqui duplex illa cauſa & ratio ſatis firma non videtur.

Non prima: quia ut mandata verè alicui poſſibilia dicantur, ſatis eſt, quòd ea ſint in ſe poſſibilia, & quòd gratiam recipere poſſit, qua mediante illa valeat obſervare. Docet quippe S. Auguſtinus Lib. de perfectione juſtitiæ cap. 3. in reſponſione ad quintam ratiocinationem, illud eſſe impoſſibile, ad quod faciendum nondum vires habentur. *Cùm videmus claudum*, inquit, *qui ſanari poteſt, rectè utique dicimus: Debet homo iſte eſſe ſine claudicatione, & ſi debet, poteſt. Nec tamen cùm vult continuò, poteſt, ſed cùm fuerit adhibita curatione ſanatus, & medicina adjuverit voluntatem*.

Ibid. p. 159. D. E.

Non ſecunda: quia docet idem S. Auguſtinus, nonnulla eſſe mala, quæ caveri non poſſunt, & tamen vera ſunt peccata. Lib. mox citato cap. 6. ad 15. ratiocinationem: *Peccatum eſt*, ait ſanctus Doctor, *cùm vel non eſt charitas, quæ eſſe debet, vel minor eſt quàm debet; ſive hoc voluntate vitari poſſit, ſive non poſſit: quia ſi poteſt, præſens voluntas hoc facit: ſi autem non poteſt, præterita voluntas hoc fecit; & tamen vitari poteſt, non quando voluntas ſuperba laudatur, ſed quando humilis adjuvatur*.

Ibid. p. 172. F.

T. 1. p. 630. F. Et Lib. 3. de libero arbitrio, poſtquam cap. 18. dixit, neminem peccare in eo, quod nullo modo caveri poteſt, ſtatim addit: *Et tamen etiam per ignorantiam facta quædam improbantur, & corrigenda judicantur ... Sunt etiam neceſſitate facta improbanda, ubi vult homo rectè facere, & non poteſt; nam unde ſunt illæ voces: Non enim quod volo, facio bonum, ſed quod nolo malum, hoc ago? ..... Hæc omnia hominum ſunt, ex illa mortis damnatione venientium: nam ſi non eſt iſta pœna hominis, ſed natura, nulla iſta peccata ſunt*. Supponit hic ſanctus Doctor aliqua ex neceſſitate malè facta, quæ tamen vera ſunt peccata, & ad culpam imputantur.

Ibid. p. 631. A.

Tom. 2. Conc. p. 1531. E. Quapropter Concilium Dioſpolitanum an. 415. iſtum inter alios Pelagii articulum n. 11. proſcripſit: *Oblivionem & ignorantiam non ſubjacere peccato, quoniam non eveniunt ſecundùm voluntatem, ſed ſecundùm neceſſitatem*. Mens igitur Concilii hæc videtur fuiſſe, ea ſcilicet quæ fiunt ex ignorantia & neceſſitate, quæ caveri non poſſunt, ſubjacere peccato, & ad culpam imputari.

Reſp.

Reſp. Nego utramque minoris propoſitionis partem.

Ad primam probationem jam non ſemel dictum eſt, hanc Janſenianorum reſponſionem, putidam eſſe irriſionem: tum quia mandatorum Dei poſſibilitas non tantùm in ſe & abſolutè, ſed maximè relativè ad hominem, cui imponuntur, ſpectanda eſt: tum quia ridiculum planè videtur dicere, hominem poſſe Dei mandata obſervare per gratiam, quam poteſt quidem Deus conferre, ſed quam nec confert, nec vult ei conferre. Quid, quæſo, præſidii ex tali gratia percipere homo poteſt? Senſu non abſimili S. Jacobus Epiſtolæ ſuæ cap. 2. v. 15. dicebat: *Si autem frater & ſoror nudi ſunt, & indigent victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pacem, calefacimini & ſaturamini: non dederit autem eis, quæ neceſſaria ſunt corpori, quid proderit?*

Quæ opponuntur ex cap. 3. Lib. de perfectione juſtitiæ, magis favent quàm noceant Concluſioni noſtræ. Claudus enim ille, de quo S. Auguſtinus, poteſt ſanari à claudicatione, ſi peritum medicum adire voluerit: ita & poteſt quilibet homo ſanari à peccato, ſi ad Chriſtum ſupremum animarum Medicum per orationem confugere voluerit. Aliquid ergo poſſibile eſt, ſaltem mediatè per orationem, ad quod immediatè ac proximè præſtandum nondum vires habentur.

Magis firma non eſt ac valida ſecunda ratio.

Ad probationem ex S. Auguſtino dico 1. S. Auguſtinum loqui de eo, quod non poteſt vitari, non quidem abſolutè, ſed ex hypotheſi; quia videlicet, ait Bellarminus, non poteſt vitari dominante prava cupiditate, ſed poteſt per gratiam Dei dominatus cupiditatis auferri, ut non regnet peccatum in noſtro mortali corpore. Certè qui odit aliquem, non poteſt illi ex animo benefacere, durante odio; tamen abſolutè poteſt, quia poteſt odium deponere. Sic intelligitur illud Evangelii: *Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ad invicem accipitis?* Et illud Prophetæ: *Quomodo vos poteſtis benefacere, cùm didiceritis mala?* Sicut etiam intelligit Auguſtinus illud Joan. 12. *Non poterant credere, quia dixit Iſaias: Excæcavit oculos eorum.* Hunc ſenſum innuit ipſemet S. Auguſtinus in eo ipſo loco, qui objicitur: *Et tamen*, inquit, *vitari poteſt, non quando voluntas ſuperba laudatur, ſed quando humilis adjuvatur.* Id eſt, vitari quidem non poteſt ſtante ſuperbia, ſeu, ut ajunt, in ſenſu compoſito ſuperbiæ: at cùm illa ſuperbia deponi poſſit per gratiam, quæ non deeſt, idcircò meritò aſſerit ſanctus Doctor, vitari poſſe illud peccatum.

Joan. 5. v. 44. Jerem. 13. v. 23. Joan. 12. v. 40.

Dico 2. in loco è Libro 3. de libero arbitrio citato, S. Auguſtinum non loqui de peccato, quòd ſit ex neceſſitate, attamen verè imputetur ad culpam, ſeu non loqui de peccato propriè ac formaliter dicto, ſed impropriè, de motibus ſcilicet indeliberatis concupiſcentiæ loquitur, qui peccata dicuntur, quia ſunt à peccato, nempe originali, & ad peccandum inclinant. Apoſtoli verba, quæ S. Doctor laudat, manifeſtè ſenſum hunc declarant.

Dico 3. Concilium Dioſpolitanum hoc unum ſtatuere contra Pelagium, ignorantiam, quæ per naturam non poteſt vinci, ſed per gratiam, ſubjacere peccato; quia in poteſtate hominis eſt, per orationem impetrare gratiam, qua illuminentur tenebræ noſtræ: Pelagiani namque eam dumtaxat ignorantiam culpabilem eſſe volebant, quæ naturæ viribus depelli poſſet. Quæcumque igitur fiunt ex ignorantia per gratiam vincibili, ea, ſi mala fuerint, meritò culpæ imputantur.

A R-

Digitized by Google

ARTICULUS III

Utrùm infidelibus dentur ſufficientes gratiæ, quibus ad fidem mediatè ſaltem adduci poſſint.

INter infideles alii negativè, alii verò poſitivè infideles dicuntur. Negativè quidem, qui de Chriſto nihil audierunt: *Fides autem ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti*, ait Apoſtolus Rom. 10. v. 17. Et v. 14. dixerat: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? Quomodo verò prædicabunt, niſi mittantur?* Hujuſmodi ergo infidelibus, quibus Chriſtus non annunciatur; infidelitas illa negativa ad culpam non imputatur: non ita cæteris, qui poſitivè infideles ſunt; hoc eſt, qui annunciato ſibi Evangelio non crediderunt, quorum culpa eſt, quòd non credant.

Non hic movetur quæſtio de iis qui poſitivè, ſed qui negativè dumtaxat ſunt infideles.

Neque etiam quæſtio eſt, utrùm quolibet tempore vel ſingulis momentis dentur infidelibus gratiæ ſufficientes; vel tales illæ ſint, quibus proximè ac immediatè fidem habeant. Certum enim eſt, gratiam fidei non omnibus dari: *Non omnium eſt fides*, ait Apoſtolus 2. ad Theſſal. 3. v. 2. Et Philip. 1. v. 29. *Vobis donatum eſt, ut in eum credatis*. Inde eſt, quòd Tyriis ac Sydoniis conceſſa non fuerit gratia miraculorum Chriſti & prædicationis Evangelii, quamvis, ipſo atteſtante Chriſto, credituri fuiſſent, ſi ea miracula vidiſſent; ac Paulus à Spiritu ſancto prohibitus fuerit, ne Aſiaticis Chriſtum annunciaret.

Neque etiam quæſtio eſt, utrùm cognitio Dei, quæ vel per creaturas, vel ex innata unicuique notione habetur, & alia quælibet hujuſcemodi exterior gratia ſatis ſit, ut infideles dici poſſint ſufficientes à Deo accepiſſe gratias, quibus tentationes ſuperare, legis naturalis obſervare præcepta, & ad fidem ſe præparare ac diſponere poſſint. Pelagianus eſſet, qui ita ſentiret; nec à temeritate vel ignorantia poſſunt excuſari, qui ſententiam hanc iis affingunt Theologis, quibus placet non deeſſe infidelibus veras & propriè dictas gratias ſufficientes: certum quippe ex fide eſt, hominem ſine interiori gratia nihil poſſe in ordine ſupernaturali: *Non ſumus ſufficientes aliquid cogitare à nobis quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*, ait Paulus 2. ad Corinth. 3. v. 5.

Verus igitur quæſtionis ſtatus iſte eſt: Utrùm infidelibus pro loco & tempore, præter externa gratiæ adjumenta, internæ quædam concedantur gratiæ ſufficientes, quibus majora in dies gratiæ auxilia impetrare, iiſque mediantibus fidem obtinere, atque adeò paulatim & certis quibuſdam gradibus ad ſalutem pervenire poſſint? Itaque ſit

CONCLUSIO.

Infidelibus dantur quædam gratiæ ſufficientes veræ ſeu propriè dictæ, quibus mediatè ſaltem & fidem & ſalutem obtinere poſſint.

Præter illa omnia Scripturæ teſtimonia, quæ articulo 2. laudavimus, & ad præſentem Concluſionem transferri poſſunt.

Pro-

Digitized by Google

Probatur 1. ex Apoſtolo Rom. 1. v. 20. *Inviſibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque virtus & divinitas: ita ut ſint inexcuſabiles. Quia cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt.* Potuerunt igitur Gentiles ex innata, vel ſaltem ex rebus creatis ducta Dei notitia Deum glorificare, ad ejus amorem & cultum excitari; ita ut *inexcuſabiles ſint, quia cùm cognoviſſent eum, non ſicut Deum glorificaverunt. Cælum & terra, & omnia, quæ in eis ſunt,* inquiebat S. Auguſtinus Lib. 10. Confeſſ. *T. 1. p. 175. D.*
c. 6. *undique mihi dicunt, ut te amem, nec ceſſant dicere omnibus, ut ſint inexcuſabiles.* Et Enarratione in Pſalm. 18. n. 7. ad iſta verba: *Non eſt, qui ſe abſcondat à calore ejus. Non permiſit,* inquit, *ullum mortalium excuſare ſe de umbra mortis, & ipſam enim penetravit Verbi calor.* Porrò excuſari illi poſſent, ſi *T. 4. p. 80. A.*
qualibet interiori gratia deſtituti fuiſſent: certum quippe eſt, exteriorem gratiam, tum cognitionis Dei per creaturas, tum miraculorum Chriſti per externam prædicationem, niſi interior Spiritus ſancti illuſtratio & motio acceſſerit, nihil poſſe ad actum bonum veræ pietatis eliciendum. Ergo cùm Apoſtolus aſſerat, Gentiles illos inexcuſabiles fuiſſe, neceſſariò ſupponit, illos non tantùm externa, ſed etiam interiori aliqua gratia inſtructos fuiſſe: quemadmodum cùm Chriſtus Judæorum incredulitatem increpabat, eò quòd poſt tot apud ipſos edita prodigia, non credidiſſent, an putas ſolam ipſis conceſſam externam miraculorum gratiam, nullam verò interiorem, cum qua credere potuiſſent? Abſit. Exterior illa gratia, quæ ſine interiori ſufficiat, Pelagiana eſt gratia, non Chriſtiana.

Confirmatur primum iſtud argumentum ex illa lege naturali, ſcripta in cordibus noſtris, quæ per peccatum oblitterari non potuit; qua quidem novimus, bonum eſſe faciendum, & declinandum à malo. *Manu formatoris noſtri,* ait *T. 4. p. 540. E.*
S. Auguſtinus in Pſalm. 57. n. 1. *in ipſis cordibus noſtris Veritas ſcripſit: Quod tibi non vis fieri, ne facias alteri. Hoc & antequam lex daretur, nemo ignorare permiſſus eſt, ut eſſet, unde judicarentur, & quibus lex non eſſet data. Sed ne ſibi homines aliquid defuiſſe quererentur, ſcriptum eſt & in tabulis, quod in cordibus non legebant.*

Hinc de furto idem ſanctus Doctor Lib. 2. Confeſſ. c. 24. dicit: *Furtum certè punit lex tua, Domine, & lex ſcripta in cordibus hominum, quam ne ipſa quidem delet iniquitas. Quis enim fur æquo animo furem patiatur?* *T. 1. p. 84. D.*

Tam altè in animis hominum natura infixit & boni amorem & odium mali, ut natura ipſa duce quemque de malo pœniteat, cùm illud ut tale cognoſcit; nec illud proſequatur, niſi cùm boni ſpeciem ac ſimilitudinem induit. *T. 8. p. 90. B. C.*
Utile eſſe pœnitere peccati, ait S. Auguſtinus Lib. de duobus animabus contra Manichæos cap. 14. n. 22. *vox eſt iſta naturæ: neminem ſtultum rei hujus notitia deſeruit; hoc nobis niſi penitus inſitum eſſet, periremus. Poteſt aliquis dicere, non ſe peccare: non autem ſibi eſſe, ſi peccaverit, pœnitendum, nulla barbaries dicere audebit.* Atqui hinc illi conſcientiæ ſtimuli, ac cæca verbera, quibus torquentur, qui contra recti, quam habent notitiam, malum operantur. Et Lib. 2. Confeſſ. cap. 6. aſſerit, peccatores, dum malum operantur, perversè imitari virtutes, quarum quædam, ex primæva hominis inſtitutione, ſemina in nobis remanent, tametſi plurimùm ex peccato debilitata, ne dicam ferè extincta. Ita ſuperbia celſitudinem imitatur; curioſitas, ſtudium ſcientiæ; ignavia, quietem; prodigalitas, liberalitatem; avaritia, laudabilem parſimoniam; luxuria, ſatietatem, &c.

Verùm qualiſcumque ille ſit reſiduus ex prima hominis conditione amor recti, nuſquam tamen efficax eſt, & ad bonum inclinat hominem, niſi ex præveniente & adjuvante Spiritus ſancti gratia, quæ vel peccandi occaſiones avertit, vel ſufficientes ad reſiſtendum tentationibus vires ſubminiſtrat. Quo ſenſu egregiè dicit Auguſtinus Serm. 99. de verbis Evangelii S. Lucæ, aliàs

T. 5. p. 523 F. homilia 23. inter 50. cap. 6. nu. 6. *Adulter non fuiſti in illa tua vita præterita plena ignorantia, nondum illuminatus, nondum bonum malumque diſcernens, nondum credans in illum, qui te neſcientem regebat. Hoc tibi dicit Deus tuus: Regebam te mihi, ſervabam te mihi. Ut adulterium non committeres, ſuaſor defuit: ut ſuaſor deeſſet, ego feci. Adfuit ſuaſor, non defuit locus, non defuit tempus: ut non conſentires, ego terrui. Agnoſce ergo gratiam ejus, cui debes, & quod non admiſiſti*. Alia ſancti Doctoris loca conſule art. 2. hujus quæſtionis.

Probatur 2. ex S. Proſpero L. de vocatione gentium, (ſi tamen illius Operis

Pag 901. D. E. auctor eſt) c. 14. *Neque ob hoc*, inquit, *excuſabiles ſunt nationes, quæ alienatæ à converſione Iſrael, ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mundo ſub ignorantiæ tenebris perierunt, quia hæc abundantia gratiæ, quæ nunc univerſum mundum rigat, pari antea largitate non fluxit*. Cap. 5. *Adhibita enim ſemper eſt univerſis hominibus quædam ſupernæ menſura doctrinæ, quæ etſi parcioris occultioriſque gratiæ fuit, ſufficit tamen, ſicut Dominus judicavit, quibuſdam ad remedium, omnibus ad teſtimonium*.

Pag. 917. E. Et cap. 29. ejuſdem Libri ſic concludit: *Univerſitati hominum (quod abundè probavimus) ita multiplex atque ineffabilis bonitas Dei conſuluit ſemper & conſulit, ut neque ulli pereuntium excuſatio ſuppetat de abnegato ſibi lumine veritatis, neque cuiquam ſit liberum de ſua juſtitia gloriari: cùm & illos propria nequitia demergat ad pœnam, & iſtos Dei gratia perducat ad gloriam*.

Biblioth. Patrum. T. 6. p. 453. F. Adde & teſtimonium Pauli Oroſii Hiſpani Presbyteri ac diſcipuli S. Auguſtini, in Apologetico de arbitrii libertate, ubi ſic loquitur: *Mea ſemper hæc eſt fidelis atque indubitata ſententia, Deum adjutorium ſuum non ſolùm in corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, cui ſpecialia ob credentium fidem gratiæ ſuæ dona largitur, verùm etiam univerſis in hoc mundo gentibus propter longanimem ſui æternamque clementiam ſubminiſtrare, non ut tu aſſeris cum diſcipulo tuo Cœleſtio .... in ſolo naturali bono, & in libero arbitrio generaliter univerſis unam gratiam contributam: ſed ſpeciatim quotidie per tempora, per dies, per momenta, per atomas & cunctis & ſingulis miniſtrare*. Non tamen inde concludas, mentem Oroſii eſſe, gratiam ſingulis momentis conferri: paulò poſt enim ſignificat, eam dari, cùm urget tentatio vel præceptum. *Evidentiſſimè*, inquit, *declaratum eſt, nemini hominum*

Ibid. p. 454. C. *Dei adjutorium, præſertim cùm & ſeductor inſtat, & inſit infirmitas*.

Adde denique & ipſum Angelicum Doctorem q. 14. de veritate art. 11. ad 1. *Si aliquis*, ait, *nutritus in ſylvis vel inter bruta animalia ductum rationis naturalis*

T. 12. p. 762. col. 2. E. *ſequeretur, in appetitu boni & fuga mali, certiſſimè eſt credendum, quòd ei Deus vel per internam inſpirationem revelaret ea, quæ ſunt ad credendum neceſſaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, ſicut miſit Petrum ad Cornelium*.

Probatur 3. Concluſio duplici graviſſimo momento.

Primum ducitur ex vera & ſincera, quæ in Deo eſt, ſalvandi omnes voluntate, ex qua defluunt in omnes ſufficientes gratiæ, ut ſuo loco demonſtratum eſt. Ad exemplum verò infantium, quod ſolet opponi, inferiùs patebit reſponſio.

Alte-

Digitized by Google

Alterum momentum triplici iſta propoſitione conſtat: 1. Deus impoſſibilia non jubet. 2. Nemo peccat in eo, quod cavere nullo modo poteſt. 3. Peccant infideles, quando mandata Dei animo deliberato tranſgrediuntur. Atqui niſi dentur infidelibus gratiæ ſufficientes; & mandata Dei ipſis impoſſibilia erunt, & peccabunt in eo, quod cavere nullo modo poſſunt: neque enim mandata, ea potiſſimùm, quæ vel ex objecto vel ex circumſtantiis ardua ſunt ac difficilia, poſſunt ſine gratia obſervari; neque etiam poſſunt peccata caveri ſine gratia; ergo ſi nulla infidelibus detur gratia ſufficiens, & mandata ipſis ad obſervandum erunt impoſſibilia, & peccabunt illi in eo, quod cavere nullo modo poſſunt.

Reſpondent 1. Infideles, tametſi omni gratia deſtitutos ad obſervanda præcepta & tentationes ſuperandas, nihilominùs verè peccare, quia hæc eorum impotentia non eſt antecedens, ſed concomitans. Non enim ideo peccant, quia non poſſunt non peccare; ſed quia non volunt, nec etiam vellent, etiamſi poſſent.

Verùm reſponſio hæc non videtur ſolida, ait Bellarminus Lib. 2. de gratiæ & lib. arb. c. 7. Namque, licèt ignorantia concomitans non excuſet à peccato, & ſimiliter impotentia exequendi concomitans, tamen impotentia volendi concomitans omninò excuſat. Ac ut rem totam breviter explicemus, rectè dicunt Theologi, ignorantiam antecedentem excuſare peccatum, ignorantiam concomitantem non excuſare, quoniam ignorantia antecedens efficit involuntarium, cùm ſit cauſa, ut homo velit, quod alioqui non vellet; ignorantia verò concomitans relinquit omninò liberum actum voluntatis, cùm non ſit cauſa ejus, ſed ſolùm per accidens cum illo concurrat; v.g. ſi quis ex ignorantia occidit hominem, exiſtimans eſſe feram, non peccat, quia ignorantia facit involuntarium: nunquam enim ille facere voluiſſet, quod fecit, niſi ignorantia laboraſſet. Sin autem aliquis occidat feram, exiſtimans eſſe hominem, manifeſtè peccat, quoniam ignorantia illa non fuit cauſa malæ voluntatis, qua voluit hominem interficere.

Idem dici poteſt de impotentia ex parte potentiæ executivæ. Nam ſi illa impotentia ſit antecedens, efficit actum involuntarium, & à peccato excuſat; ſi ſit concomitans, non attingit actum voluntatis, ſed per accidens cum illo conjungitur, & ideo non excuſat. Ut ſi quis non liberet proximum à periculo mortis, quia non poteſt, involuntaria & innocens eſt illa omiſſio: at ſi non liberet eum, quia non vult, non cogitans poſſitne, aut non poſſit, omiſſio eſt voluntaria, & non immeritò deputatur ad culpam.

At impotentia ex parte ipſius voluntatis nunquam poteſt eſſe ita concomitans, ut non ſit etiam antecedens, quia ſemper impedit libertatem, undequaque veniat: & talis eſt impotentia voluntatis, cùm deſtituitur auxilio Dei neceſſario. Tunc enim non eſt libera ad utrumlibet, cùm non poſſit velle, niſi unum; id eſt, tentationi acquieſcere ac violare præceptum.

Reſp. 2. Infideles (idem dicito de obduratis & excæcatis) peccare etiam in eo, quod vitare non poſſunt, quando illa impotentia ex peccato noſtro ſive actuali ſive originali oritur; & quoniam ii, qui deſtituuntur auxilió neceſſario, in pœnam peccati originalis deſtituuntur, ideò dicunt eos non peccare, & tamen peccatum ipſis imputari, quia ob peccatum ſuum vires amiſerunt, quibus poterant non peccare.

Reſpondet Bellarminus, neque ſolutionem hanc ſolidam eſſe, quia peccatum intrinſecè requirit liberam voluntatem; nec poteſt intelligi, quomodo aliquid ſit propriè peccatum, ſi non ſit propriè liberum: proinde actio, quæ non eſt libera in ſe, ſed ſolùm in cauſa ſua, nec eſt antè prævisa, non habet
T. 8. p. malitiam diſtinctam à malitia cauſæ ſuæ. Quare S. Auguſtinus in Lib. 22. con-
386. tra Fauſtum cap. 44. diſputans de inceſtu Loth cum filiabus, qui non fuit voluntarius niſi in cauſa, id eſt ebrietate, dicit eum inceſtum non fuiſſe puniendum, quantùm merebatur inceſtus, ſed quantum merebatur ebrietas; quia videlicet non fuit peccatum diſtinctum à cauſa ſua. Neque peccata, quæ caveri non poſſunt, ideò ad culpam imputanda ſunt, quia ſunt effectus peccati originalis, & in hac prima & communi cauſa cenſentur voliti: namque ad verum propriè dictum ac perſonale peccatum non ſufficit cauſa illa generalis prima & remota; aliàs, & ad culpam imputari deberent omnes indeliberati & involuntarii concupiſcentiæ motus, qui ſunt effectus primæ illius & originalis noxæ, unde fluxit genus omne malorum.

Quòd ſi omnia infidelium & excæcatorum ac obduratorum peccata non eſſent peccata niſi in cauſa, id eſt in peccato originali, non poſſent certò puniri, niſi pœna mitiſſima, qualis debetur peccato originali, ut docet S.
T. 10. p. Auguſtinus Lib. 1. de pecc. mer. & rem. c. 16. & Lib. 5. contra Julianum c. 11.

12. & 651. At, inquiunt, peccata infidelium & fidelium, qui excæcati & obdurati ſunt, non ſunt peccata ſolùm in cauſa, ſed etiam in ſe & diſtincta à ſua cauſa, quamvis impotentia reſiſtendi tentationibus orta ſit ex peccato originali.

Sed contra: nam peccatum in ſe & diſtinctum non poteſt eſſe, niſi fuerit volitum & intentum in ſe: at primus homo cùm peccavit, non voluit nec intendit privare ſe & poſteros potentia reſiſtendi; & multò minùs nos ejus poſteri, cùm peccatum originale contraximus, voluimus aut intendimus hanc impotentiam reſiſtendi, vel peccata, quæ inde ſequuntur: ſicut ille, qui ex intemperantia cibi incidit in morbum, ob quem non poteſt orare, jejunare, Eccleſiam frequentare, atque alia id genus facere, quæ alioqui facere debuiſſet, non cenſetur propriè reus, quia hæc non facit, quamvis ſua culpa in morbum inciderit, & impotentiam ad hæc facienda inde contraxerit: quoniam non ideò in morbum incidit, ut hæc non faceret; ſed præter ejus vo-
T. 1. p. luntatem impotentia intemperantiam conſecuta eſt. Rectè igitur S. Auguſti-
632. nus Lib. 3. de lib. arb. cap. 19. docet, ea, quæ volumus rectè facere, & ob ignorantiam aut difficultatem non poſſumus, non dici peccata; niſi impropriè & per figuram metonymiæ: quomodo linguam appellamus, verba, quæ per linguam efferuntur; & manum, ſcripturam, quam manu forma-
Ibid. p. mus. Et cap. 18. dixerat, illa ſola verè ac propriè dici peccata, quæ per li-
630. berum arbitrium vitari poſſunt. Et in Lib. 1. de pecc. mer. & rem. cap. 35. diſtinguit peccatum originis à peccato vitæ propriæ; quòd illud aliena volun-
Ibid. p. tate, hoc propria contrahatur. *Sine propria*, inquit, *voluntate nullum vitæ*
36. D. *propriæ poteſt eſſe peccatum*. Neque per propriam voluntatem intelligit actum voluntatis quemcumque, ſed ſolùm actum liberum, qui ſit in noſtra poteſtate: namque opponit propriam, alienæ; aliena autem, nimirum Adami, libera fuit, & ideò propriè cauſa peccati. Igitur etiam propria libera eſſe debet, ut ſit eodem modo propriè cauſa peccati. Hæc Bellarminus.

Sol-

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. S. Auguſtinus Lib. de corrept. & grat. cap. 6. & 7. manifeſtè ſupponit, nullam infidelibus diſpenſari gratiam, qua peccata cavere, tentationes ſuperare, & ad fidem Chriſti ſe diſponere poſſent. Scilicet refert ibi ac refellit nonnullorum querimoniam, qui ſe immeritò corripi obtendebant, quòd nullam accepiſſent gratiam, ſine qua cavere ea non potuerant, propter quæ corripiebantur. S. verò Auguſtinus eorum querimoniæ occurrens, diſtinguit inter fideles regeneratos, & infideles, qui de Chriſto nihil unquam audierunt.

Quantùm ad fideles regeneratos, invictè probat eos meritò corripi, qui ab accepta juſtitia ſua culpa exciderant. *Ex bona in malam vitam ſua voluntate mutati ſunt*, ait S. Aug. c. 7. *& ideo correptione, & ſi nihil eis correptio profuerit .... etiam divina in æternum damnatione ſunt digni .... Quoniam poteſt dici: Homo, in eo quod audieras & tenueras, in eo perſeverares, ſi velles.* T. 10. p. 756. C. Ibid. E.

Quantum verò ad infideles, qui de Chriſto nihil prorſus audierunt, hac una dumtaxat ratione querimonias eorum reprimit, quòd in Adamo peccaverint; eamque, illius culpa (quæ unicuique hominum naſcendo propria fit) amiſerint gratiam ſeu originalem juſtitiam, quam ille in ortu ſuo acceperat. *Nec attendunt*, ait ſanctus Doctor cap. 6. n. 9. *ſi nondum regenerati ſunt, primam eſſe cauſam, cur objurgati quòd ſint inobedientes Deo, ſibi debeant diſplicere, quia fecit Deus hominem rectum ab initio humanæ creaturæ, & non eſt iniquitas apud Deum. Ac per hoc prima pravitas, qua Deo non obeditur, ab homine eſt; quia ex rectitudine, in qua eum Deus primitùs fecit, ſua mala voluntate decidens, pravus effectus eſt.* Ibid. p. 754. C.

En unica ex Auguſtino cauſa, cur infideles meritò corripiantur: an porrò prætermiſiſſet S. Doctor gratiam actualem, ſi ſuppoſuiſſet eam infidelibus dari? Proprius hîc locus erat eam infidelibus objiciendi, qua ſtatim os ipſis occluſiſſet, oſtendens juſtè illos corripi propter neglectam ab illis hujuſmodi gratiam: atqui tamen altum apud S. Auguſtinum de illa gratia ſilentium.

Reſp. 1. Argumentum iſtud negativum eſſe, ex quo nihil certò concludi poteſt. Non enim rectè ſequitur, ignoraſſe S. Auguſtinum, infidelibus nonnullas à Deo diſtribui gratias, eò quòd in citato loco ex cap. 7. L. de corrept. & grat. nullam earum faciat mentionem, quarum alibi meminit.

II. Vel ex ipſo cap. 6. Lib. de corrept. & grat. non obſcurè colligitur, non ignoraſſe ſanctum Doctorem, aliquam infidelibus, qui corripiuntur, gratiam dari, per quam illis prodeſſe poſſit correptio. *Corripiatur ergo*, inquit, *origo damnabilis, ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur.* An porrò excitari poteſt ex dolore correptionis voluntas regenerationis ſine ſpeciali gratia? *Deſiderare enim auxilium gratiæ*, ait eodem Libro ſanctus Doctor cap. 1. n. 2. *initium gratiæ eſt*. Et cap. 5. egregiè probat, quàm utilis ſit ille ex correptione dolor. *Dolor quippe ille*, ait n. 7. *quo ſibi diſplicet, quando ſentit correptionis aculeum, excitat eum in majoris orationis affectum; ut Deo miſerante, incremento charitatis adjutus deſinat agere pudenda & dolenda, & agat laudanda atque gratanda. Hæc eſt correptionis utilitas, quæ nunc major, nunc minor pro peccatorum diverſitate ſalubriter adhibetur; & tunc eſt ſalubris, quando ſupernus medicus reſpicit.* Ibid. E. Ibid. p. 751. E. Ibid. p. 753. B. C.

Objicies 2. Fides eſt omnium gratiarum prima, ante quam, & ſine qua nullæ aliæ dantur: atqui infideles fidem non habent; ergo nec ullam gratiam.

Ibid. p. Antecedens probatur verbis ipſis Auguſtini L. de geſtis Pelagii cap. 14. nu.
211. A. 34. *Fides initium eſt, unde bona opera incipiunt.*
Ibid. p. Lib. de prædeſt. SS. cap. 17. nu. 12. *Fides ipſa prima datur, ex qua impetrentur*
798. F. Ibid p. *cætera, quæ propriè opera nuncupantur, in quibus juſtè vivitur.* Et cap. 9. n. 16.
801. D. *Fides igitur, & inchoata, & perfecta, donum Dei eſt: & hoc donum quibuſdam dari, quibuſdam non dari, omninò non dubitet, qui non vult manifeſtiſſimis ſacris*
Ibid. p. *Litteris repugnare.*
114. D. Lib. de ſpiritu & littera cap. 30. n. 52. *Sicut lex non evacuatur, ſed ſtatuitur per fidem, quia fides impetrat gratiam, qua lex impleatur: ita liberum arbitrium non evacuatur per gratiam, ſed ſtatuitur, quia gratia ſanat voluntatem, qua juſti-*
Ibid. p. *tia liberè diligatur.*
712. D. Lib. de Gratia & libero arbitrio cap. 14. n. 28. *Ergo ſpiritus gratiæ facit, ut habeamus fidem, ut per fidem impetremus orando, ut poſſimus facere, quæ jubemur. Ideò ipſe Apoſtolus aſſiduè legi præponit fidem: quoniam, quod lex jubet, facere*
T. 6. p. *non valemus, niſi per fidem rogando impetremus, ut facere valeamus.*
249. F. Denique Enchiridii cap. 117. n. 31. *Fides impetrat, quod lex imperat.*

℟. 1. Nego maj. Dantur etenim quædam præviæ ad fidem diſpoſitiones,
Ibid. p. quæ procul dubio ſunt à gratia; quæ tamen nondum ſunt ipſamet fides, ad
89. D. quam ducunt & præparant, quas S. Auguſtinus vocat *inchoationes fidei.*

Quapropter meritò proſcriptæ ſunt duæ iſtæ Propoſitiones inter Quenellianas 26. & 27. *Nullæ dantur gratiæ, niſi per fidem. Fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum.*

Reſp. 2. Diſtinguo maj. Fides inchoata, initialis & imperfecta eſt prima gratia, eſto: fides perfecta & in Chriſtum explicita, ſubdiſtinguo: eſt prima gratia, *qua juſtè vivitur*, & ad ſanctificantem ſeu juſtificantem gratiam homo proximè diſponitur, concedo: eſt prima gratia ſimpliciter & abſolutè, ſine qua nihil omninò boni fieri poteſt, quo remotè ſaltem ac mediatè diſponamur ad fidem & gratiam juſtificantem, nego.

Tom. 14. Duplex hic diſtinguenda fides: una perfecta & in Chriſtum mediatorem ex-
Conc. p. plicita, quæ *humanæ ſalutis initium eſt, fundamentum & radix omnis juſtificatio-*
760. B. *nis*, ait Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 8. ſine qua homo benè vivere non poteſt, & ad vitam æternam pervenire. *Sine fide enim impoſſibile eſt placere Deo*, Heb. 11. v. 6. Quo ſenſu, fides illa perfecta & explicita dici non immeritò poteſt prima gratia, nempe juſtificationis ac ſalutis: ſed illam ſimpliciter primam non eſſe, quaſi ante illam nihil omninò boni in ordine ad ſalutem fieri poſſit, manifeſtè probat exemplum Cornelii Act. 10. v. 4. cujus orationes & eleemoſynæ laudem ac meritum habuere, & exauditæ ſunt, antequam Petro annuntiante, my-
T. 10. p. ſteria Chriſti didiciſſet; *Nec tamen ſine aliqua fide donabat & orabat*, ait S. Au-
799. A. guſtinus Lib. de prædeſt. SS. cap. 7. n. 12. Ergo ante fidem perfectam & explicitam in Chriſtum, datur alia ſaltem inchoata, initialis & imperfecta.

Fidem inchoatam & imperfectam appellamus eam, per quam ad perfectam per gradus quoſdam diſponimur; qualis eſt cognitio Dei. *Accedentem enim ad Deum credere oportet, quia eſt*, Hebr. 11. v. 6. Propriæ ſuæ infirmitatis
T 6. p. conſcientia, deſiderium Liberatoris, &c. *Incipit homo percipere gratiam*, ait
89. B. S. Auguſtinus L. 1. ad Simplicianum q. 2. nu. 2. *ex quo incipit Deo credere, vel*

inter-

Digitized by Google

interna vel externa admonitione motus ad fidem. *Sed intereſt*, pergit ſanctus Doctor, *quibus articulis temporum vel celebratione Sacramentorum gratia plenior & evidentior infundatur. Nec enim Catechumeni non credunt, aut verò Cornelius non credebat Deo, cùm eleemoſynis & orationibus dignum ſe præberet, cui Angelus mitteretur: ſed nullo modo iſta operaretur, niſi antè credidiſſet: nullo modo autem crediđiſſet, niſi vel ſecretis per viſa mentis aut ſpiritus, vel manifeſtioribus per ſenſus corporis admonitionibus vocaretur. Sed in quibuſdam tanta eſt gratia fidei, quanta non ſufficit ad obtinendum regnum Cœlorum; ſicut in Catechumenis, ſicut in ipſo Cornelio antequam Sacramentorum participatione incorporaretur Eccleſiæ. In quibuſdam verò tanta eſt, ut jam corpori Chriſti & ſancto Dei templo deputentur ..... Fiunt ergo*, concludit Auguſtinus, *inchoationes quædam fidei, conceptionibus ſimiles: non tamen ſolùm concipi, ſed etiam naſci opus eſt, ut ad vitam perveniatur æternam.* Non potuit ſanctus Doctor ſignificantiùs exprimere fidem inchoatam & perfectam, varioſque gradus, per quos ab imperfecta & inchoata perveniatur ad perfectam. Igitur fides in Chriſtum perfecta & explicita non eſt ſimpliciter & abſolutè omnium gratiarum prima. *Ibid. D.*

Cùm verò S. Auguſtinus locis citatis ait, *fidem eſſe primam gratiam, qua cæteræ impetrantur*; legenti manifeſtum eſt, eum loqui de gratia, qua *juſtè vivitur*: quæ ſit proxima & immediata diſpoſitio ad juſtificationem, qua ad vitam pervenitur æternam. Quo ſenſu meritò aſſerit ſanctus Doctor, fidem in Chriſtum perfectam & explicitam, eſſe primam gratiam juſtificationis & ſalutis immediatè ac proximè obtinendæ; tametſi aliam fidem & gratiam agnoſcat non ita perfectam, quæ ad perfectiorem diſponat ac præparet.

Quæcumque autem ſit fides illa ſive inchoata, ſive perfecta, Dei donum eſt. *Quidquid igitur*, ait S. Auguſtinus Lib. de prædeſt. SS. c. 7. nu. 12. *& antequam in Chriſtum crederet, & cùm crederet, & cùm crediđiſſet, benè operatus eſt Cornelius, totum Deo dandum eſt, ne fortè quis extollatur.* *T. 10 p. 799. B.*

Inſtabis 1. S. Auguſtinus citato cap. 8. Lib. de prædeſt. SS. diſertè aſſerit, *fidem & inchoatam, & perfectam donum Dei eſſe, quod quibuſdam datur, quibuſdam non datur*. Ergo, &c. *Ibid. p. 801. D.*

Reſp. Diſtinguo ant. Fides etiam inchoata quibuſdam non datur quoad actum, quia nempe non omnes credunt, nec illa gratia benè utuntur, quæ conceditur, ut ad fidem pervenire poſſint, concedo: quoad poſſe ſaltem remotum, nego.

Inſtabis 2. Illi nulla ratione fidem habere poſſunt, quibus nunquam annuntiatus eſt Chriſtus: *Quomodo enim credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? Quomodo verò prædicabunt, niſi mittantur?* Rom. 10. v. 14. At innumeri ſunt infideles, qui de Chriſto nihil unquam audierunt.

Reſpondeo; Quibus nunquam annuntiatus eſt Chriſtus, illi fidem habere non poſſunt, quoad actum, concedo: quoad poſſe, ſubdiſtinguo: proximum & immediatum, eſto: remotum ſaltem ac mediatum, nego.

Inſtabis 3. Ex dictis inter probationes Concluſionis noſtræ, ſi nulla penitùs daretur infidelibus gratia ſufficiens, poſſent illi à culpa excuſari; utpote qui neceſſitate quadam ad peccandum compellerentur, defectu ſcilicet gratiæ, qua poſſent non peccare: *Nemo enim peccat in eo, quod nullo modo cavere poteſt.* Atqui id planè repugnat doctrinæ S. Auguſtini in Epiſt. 194.

aliàs 105. ad Sixtum c. 6. n. 29. *Namque*, inquit, *ſi excuſatio juſta eſſet, non* T. 2. p. 724. A. *inde jam gratia, ſed juſtitia liberaret*. Paulò antè nu. 27. dixerat: *Inexcuſabilis eſt omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis;* Ibid. p. 723. D. *ſive qui novit, ſive qui ignorat; ſive qui judicat, ſive qui non judicat. Quia & ipſa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, ſine dubitatione peccatum eſt; in eis autem, qui non potuerunt, pœna peccati. Ergo in utriſque non eſt juſta excuſatio, ſed juſta damnatio.*

Ibid. p. 721. G. Ibidem cap. 6. n. 22. ſolvens objectionem eorum, qui dicunt: *Quid nos fecimus, qui malè vivimus, quando quidem gratiam, unde benè viveremus, non accepimus?* Non reſpondet, ſicut promptum erat, ut reſponderet, gratiam illos accepiſſe, unde poſſent benè vivere, adeoque eſſe inexcuſabiles; ſed Ibid. p. 722. A. hoc unum, non poſſe eos obtendere, *quòd nihil mali fecerint, quandoquidem malè vivunt; & de ſuo malè vivunt, vel quod originaliter traxerunt, vel quod inſuper addiderunt*. Non ſupponit ergo ſanctus Doctor, gratiam ſufficientem eſſe neceſſariam infidelibus, excæcatis & induratis, ut à peccatis, quæ committunt, excuſari non poſſint.

Reſp. Nego min. Cùm enim gratia titulo juſtitiæ homini debita non ſit, ſed tantùm ex liberalitate, miſericordia, & fidelitate Dei, qui impoſſibilia non jubet, conſequenter meritò dixit Auguſtinus, excuſationem illorum, de quibus loquitur, juſtam non eſſe, ex qua ſequeretur, non ex gratia, ſed ex juſtitia hominem liberari; quandoquidem potuiſſet Deus ſine injuſtitia eum non liberare, ſed in maſſa perditionis relinquere: liberare tamen eum pro ſua ſumma benignitate voluit; unde inexcuſabilis eſt homo, *ſive reatu originis, ſive additamento propriæ voluntatis*. Licèt verò ad gratiam ſufficientem claré non recurrat his in locis S. Auguſtinus, ut probet inexcuſabilem eſſe, quicumque peccat; attamen eam ab ipſo ſupponi demonſtrat, quòd ait: *Ignorantiam in eis, qui intelligere noluerunt, ſine dubitatione peccatum eſſe*. Supponit quippe, illos intelligere potuiſſe, ſed noluiſſe. At intelligere non potuiſſent ſine gratia; ergo ſupponit illis datam, aut ſaltem oblatam gratiam.

Inſtabis 4. Si abſque gratia ſufficiente data vel ſaltem oblata peccatum infideli ad culpam non imputaretur, iſtud conſequens foret, & quidem abſurdiſſimum, gratiam ſcilicet neceſſariam eſſe ad peccandum, & ad imputandum peccatum: unde rurſus ſequeretur, longè magis expedire ac homini conſultius eſſe, non habere, quàm habere gratiam; ſiquidem ea præſente peccat & punitur; abſente verò nec peccat nec punitur.

Reſp. Nihil eſſe hac objectione ridiculum magis & inſulſum. Gratia eſt quidem neceſſaria ad non peccandum; ſed ad peccandum homo ſolus ſibi ſufficit: neque enim gratia influit in peccatum, imò magis avertit à peccato. Alterum conſequens non minùs abſurdum eſt. Perinde eſt, ac ſi diceremus: Non poteſt homo peccare ſine libero arbitrio; ergo ipſi magis expedit non habere, quàm habere liberum arbitrium, ſiquidem cum illo peccat, & ſine illo non peccaret. Quis abſurditatem argumenti non ſentiat? Peccat quidem homo per liberum arbitrium, ſed etiam per illud gratia divina inſtructum & roboratum benè operatur, & vitam meretur æternam, quæ omnium bonorum ſupremum eſt. An verò expediret homini ea facultate privari, per quam, Deo adjuvante, tantum bonum ſibi comparare poteſt?

Ur-

Urgebis: Illud neceſſarium eſt ad peccandum, ſine quo homo non peccaret: atqui, ex dictis, ſine gratia homo non peccaret; ergo gratia neceſſaria eſt ad peccandum.

Reſp. Nego maj. Sophiſma eſt, quod Dialectici vocant, *à non cauſa pro cauſa*. Gratia non eſt cauſa peccati, imò magis cauſa non peccandi: at in argumento ſupponitur eſſe cauſa peccati; liberum igitur arbitrium ſolum cauſa eſt peccati, non ipſa gratia. E contra potiùs verè, & non ſophiſticè ſic arguendum: illud eſt neceſſarium ad non peccandum, ſine quo homo peccatum vitare non poteſt: atqui ſine gratia homo peccatum vitare non poteſt; ergo gratia neceſſaria eſt ad non peccandum. Ex eo verò, quòd neceſſaria ſit ad non peccandum, quis ſanę mentis concludat, neceſſariam illam eſse ad peccandum?

Inſtabis 5. Si dentur infidelibus gratiæ ſufficientes, quibus ad fidem adduci poſſint, ſi illis benè uti voluerint, nulla erit invincibilis, quæ poſſit à culpa excuſari, ignorantia fidei.

Reſp. Nego ſequelam maj. Ea quippe ignorantia invincibilis cenſenda eſt, quæ moraliter vinci non poteſt ex certa & deliberata hominis intentione, quamvis ſimpliciter & abſolutè poſſit ſuperari, habita ratione bonitatis divinæ: atqui talis eſt ignorantia Evangelicæ fidei in infideli, ad quam vitandam implicitè tantùm ac confuſè medium ipſi proponitur. Declarari poteſt & illuſtrari exemplo Jacob, cui cùm Lya pro Rachele ſuppoſita fuiſset à ſocero ſuo Laban, potuit quidem, abſolutè loquendo, fraudem ac ſuppoſitionem detegere, ſi nempè lumen intuliſset in cubiculum, aut alia quadam ratione advertiſset; ſed quia non potuit moraliter, nec tenebatur iſtud cognoſcere ex intentione deliberata, quia moraliter loquendo nullum habebat motivum, quo induceretur ad eam cognitionem inquirendam: quis enim prudens tantam fraudem in ſocero contra fidem datam ſuſpicaretur? Idcircò cenſetur illius ignorantia invincibilis, nec peccaſse accedendo ad Lyam pro Rachele, quam in uxorem acceperat.

Inſtabis 6. Ignorantia illa fidei in homine infideli eſt voluntaria, quia ſequitur ex peccatis, quæ ille liberè committit: qui autem vult cauſam, cenſetur & ipſum effectum velle; ergo ignorantia illa non eſt invincibilis.

Reſp. Nego ant. Ad probationem diſt. Ignorantia illa ſequitur ex peccatis hominis infidelis, ita ut non cognoſcat, nec cognoſcere moraliter loquendo poſſit ac teneatur, talem ignorantiam ex ſuis peccatis ſequi, concedo: ita ut id cognoſcat, aut poſſit & teneatur cognoſcere, nego. Pariter diſtinguo hanc propoſitionem: Qui vult cauſam, vult quoque effectum: ſi effectus neceſsariò ſequatur ex cauſa, & id cognoſcatur, concedo, ſecùs, nego.

Inſtabis 7. Eccleſia orat pro infidelibus, ut Deus eos convertat & adducat ad fidem; ut faciat ex nolentibus volentes; ex repugnantibus conſentientes; ex oppugnantibus amantes. At fruſtrà eſsent illæ Orationes, ſi præſtò ſemper adeſsent infidelibus gratiæ ſufficientes, quibus benè utendo certiſſimè donum fidei impetrarent. Stultum enim eſt orare pro eo, quod habeas in poteſtate tua, inquit S. Auguſtinus.

Reſp. Nego min. Orat & quidem meritò Eccleſia pro infidelibus; tum quia gratia, qua donantur, gratuita eſt, non debita; tum quia ut plurimùm per gratiam, quæ ipſis offertur vel datur, non proximè nec immediatè, ſed mediatè dumtaxat poſsunt pervenire ad fidem. Eccleſia autem uberius à Deo pro illis

illis poſtulat auxilium, quo proximè ac immediatè convertantur & credant.

Inſtabis 8. Si efficax gratia fidei iis conceditur, qui benè utuntur ſufficienti, quare data non fuit Tyriis ac Sidoniis, qui ſi ea Chriſti ſigna vidiſſent, quæ facta ſunt apud Corozaitas & Betſaiditas, converſi fuiſſent, ipſomet atteſtante Chriſto? Matth. 11. v. 21.

Reſp. Gratiam quidem uberiorem illis concedi, qui ſufficiente benè utuntur: at ipſa ſufficiens, qua proximè credere poſſint, non iis omnibus, nec pro omni tempore datur, qui ea benè uſuri prævidentur. Neque enim, ut aliàs ſæpiùs dictum eſt, futurus ille ſub conditione conſenſus, Deo cauſa eſt vel motivum conferendi gratiam, quæ omninò gratuita eſt, & quæ uni datur ex miſericordia, alteri verò ex juſtitia denegatur. Cur verò uni potiùs quàm alteri detur? O altitudo! Quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus!

Inſtabis 9. Gratia ſufficiens eſt illuminatio mentis & excitatio voluntatis, quam Deus in nobis operatur: at infideles & indurati ejuſmodi illuminationem & inſpirationem non ſentiunt.

Reſp. Diſt. min. Non ſentiunt, hoc eſt, ad eam ut plurimùm non reflectunt, nec à Deo eſſe intelligunt, concedo: nunquam ſentiunt, nego. Nemo enim eſt tam perditus, quem malè facti conſcientia interdum non remordeat ac exſtimulet. Nonne de Gentibus dixit Apoſtolus ad Rom. 2. v. 14. & 15. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt: ejuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex: qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus?*

Inſtabis 10. Gratia ſufficiens hujus ſtatus eſt vera gratia Chriſti: atqui negat Auguſtinus Sermone 154. de verbis Apoſtoli, aliàs 5. cap. 11. n. 16. gratiam Dei per Jeſum Chriſtum Paganis dari: *Pagani enim*, ait, *qui non habent gratiam Dei per Jeſum Chriſtum, non morientur.*

T. 5. pag. 740. D.

Reſp. Diſtinguo min. Pagani non habent gratiam Chriſti aliquam, eam ſcilicet, de qua hìc loquitur S. Auguſtinus, concedo: nullam habent gratiam Chriſti, qua ſaltem remotè ac mediatè poſſint ad Chriſtum converti, nego. Expendit ibi S. Auguſtinus hæc Apoſtoli verba: *Miſer ego, quis me liberabit à corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum*; ac docet, juſtos liberandos quidem eſſe à corpore mortis hujus, non tantùm per mortem, ſed etiam per generalem reſurrectionem, quando illi reſurgent in reſurrectionem vitæ; alios verò liberandos quidem eſſe ad tempus, quando ultimus vitæ dies advenerit, ſed idem corpus mortis iterum reſumpturos, quando reſurgent in reſurrectionem judicii. Verùm, quid iſtud ad præſens noſtrum inſtitutum? Nihil profectò.

Objicies denique: Act. 14. v. 15. Deus dicitur, *in præteritis generationibus dimiſiſſe omnes gentes ingredi vias ſuas*: Et cap. 16. v. 6. Paulus & Timotheus *vetantur à Spiritu ſancto loqui verbum Dei in Aſia*. Ergo nulla hiſce hominibus gratia ſufficiens conceſſa fuit.

Reſp. Nego conſeq. Ad primam probationem dico, id unum ex c. 14. Act. inferri meritò poſſe, illis Gentibus ita dimiſſis non eam abundantem & copioſam conceſſam eſſe gratiam, qualem ſubinde Deus largitus eſt; at non idcircò concludendum, eas omni penitùs interiori auxilio gratiæ deſtitutas fuiſſe. *Non enim ſemetipſum* (Deus) *ſine teſtimonio reliquit*, ait eodem c. 14. v. 16.

Digitized by Google

v. 16. S. Paulus, *benefaciens de Cælo, dans pluvias & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda noſtra:* unde Deum quærere & invenire potuerunt. Quapropter Rom. 1. idem Apoſtolus ait: Gentiles illos *inexcuſabiles fuiſſe, qui cùm Deum cognoviſſent, non ſicut Deum glorificaverunt.* Potuerunt ergo Deo gloriam referre: at non ſine interiori gratiæ auxilio. *Cælum & terra, & omnia, quæ in eis ſunt,* ait S. Auguſtinus Lib. 10. Confeſſ. cap. 6. *undique mihi dicunt, ut te amem, nec ceſſant dicere omnibus, ut ſint inexcuſabiles. Altiùs tamen tu miſereberis, cui miſertus fueris, & miſericordiam præſtabis, cui miſericors fueris: alioquin Cælum & terra ſurdis loquentur laudes tuas.* *T. 1. pag. 173. D. E.*

Ad ſecundam, equidem tunc temporis Aſiaticis conceſsa non fuit gratia fidei; at nullam penitùs datam ipſis fuiſse, malè omninò hinc inferretur: quemadmodum licèt Tyriis ac Sidoniis datum non fuerit, ea videre Chriſti miracula, quæ viderant Corozaitæ & Bethſaiditæ, an inde inferendum eos omni penitùs ad ſalutem ſubſidio deſtitutos fuiſse? Minimè: ſophiſma eſset, quod Dialectici vocant, à dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter.

ARTICULUS IV.

Utrùm dentur gratiæ quædam ſufficientes excæcatis & obduratis?

EXcæcatio mentis, & cordis induratio duo involvit: unum ex parte creaturæ, obſtinatam ſcilicet & contumacem in malo voluntatem: alterum verò ex parte Dei, gratiæ ſubtractionem. *Non obdurat Deus impertiendo malitiam, ſed non impertiendo miſericordiam,* ait S. Auguſtinus Epiſtola 194. aliàs 105. ad Sixtum cap. 3. n. 14. *Iſta verò cæcitas cordis,* inquit idem ſanctus Doctor Lib. 5. adversùs Julian. cap. 3. n. 8. *quam ſolus removet Illuminator Deus, & peccatum eſt, quo in Deum non creditur; & pœna peccati, qua cor ſuperbum digna animadverſione punitur; & cauſa peccati, cùm mali aliquid cæci cordis errore committitur.* *T. 2. pag. 719. D.* *T. 10. p. 631. D.*

S. Bernardus L. 1. de Conſider. cap. 2. poſtquam n. 2. dixit: *Paulatim in cordis duritiam itur, & ex illa in averſionem,* n. 3. cor induratum graphicè deſcribit his verbis: *Cor durum ipſum eſt, quod nec compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus: minis non cedit, flagellis duratur; ingratum ad beneficia, ad conſilia infidum, &c.* *T. 2. pag. 409. A. Ibid. C.*

Quæſtio igitur hìc eſt, utrùm ab hujuſmodi hominibus excæcatis & induratis omnis penitùs ſubtrahatur gratia interior ſufficiens, qua nec proximè nec remotè, nec immediatè nec mediatè poſſint vitare peccata, ac paulatim duritiem cordis deponere; an verò ſaltem levis quædam cœleſtis aura ipſis interdum aſpiret, ſubluceat veri notitia, & amor recti arrideat.

Qua in controverſia duplex generatim eſt opinio: affirmat una, negat altera.

Ex iſta verò quæſtione, alia certè gravis quaſi ſponte naſcitur, an, & qua ratione peccata induratorum vera ſint, & ipſis imputanda? Conſentiunt quidem omnes ea ipſis imputari; ſed de cauſa & ratione cur imputentur, gravis diſcordia.

Alii gratias induratis idcirco concedunt, ut non ſint excuſabiles in ſuis pec-

peccatis, à quibus tamen excuſari poſſent, ſi gratiam non haberent, ſine qua peccata illa vitare non poſſunt; nemo quippe peccat in eo quod cavere nullo modo poteſt. Addunt, ad libertatem actus requiri, ut voluntas, urgente præcepto, expedita ſit ad actum oppoſitum: non poteſt autem voluntas, cùm peccat, expedita eſſe ad actum bonum contrarium ſine gratia; ergo, ut peccatum induratis imputetur, neceſſe eſt ut voluntas per gratiam poſſit, urgente præcepto, peccatum illud cavere, & oppoſitum bonum operari.

Alii è contra contendunt reipſa peccare obduratos & peccata meritò ipſis imputari, tametſi gratia priventur in pœnam præcedentium illorum peccatorum. 1. Quia ipſorum culpa eſt, quòd ea priventur gratia ſibi neceſſaria; eorumque impotentia conſequens eſt ac voluntaria, non antecedens, non neceſſaria. 2. Quia liberè peccant, & poſſunt non peccare, per ſimplicem actus ſuſpenſionem ſeu non poſitionem: quo ſenſu, inquiunt, S. Thomas q.24. de veritate art.12. ait, *poſſe aliquem exiſtentem in peccato mortali vitare omnia peccata mortalia auxilio gratiæ; poſſe etiam ex naturali virtute ſingula vitare, quamvis non omnia. Et ideo non ſequitur*, concludit Angelicus Doctor, *quòd peccatum committendo non peccet*. Ergo cùm quilibet induratus poſſit ſingula diſtributivè peccata *naturali virtute vitare*, neceſſaria non eſt ipſi gratia, ut ſit inexcuſabilis, ac peccata meritò ipſi imputentur. 3. Negant illi ad libertatem actus mali neceſſe eſſe, ut voluntas ſimul expedita ſit ad actum bonum oppoſitum; quia nempe, inquiunt, ſola libertas contradictionis, qua poteſt homo agere vel non agere, pertinet ad eſſentiam libertatis, non verò libertas contrarietatis: ſiquidem poſſe malum operari, non eſt perfectio in humana libertate; ſed potius vitium ac defectus.

T.12. p. 875. col. 1.D.

Habetis hìc in graviſſima quæſtione paucis delineata ex utraque parte momenta, quorum plenior & accuratior diſcuſſio ad eum locum pertinet, ubi de libertate ad merendum vel demerendum neceſſaria tractant Theologi.

Unum hìc diligenter obſervate, de mera Scholæ quæſtione hic, non de fide moveri quæſtionem. Hoc enim unum hic fides ſtatuit, juſtis non deeſſe gratiam, qua poſſibilia ipſis ſint Dei mandata. De ſolis juſtis loquitur Conc. Trid. ſeſſ.6. cap.11. & Can.18. De ſolis etiam juſtis actum eſt in prima ex quinque famoſis Janſenii Propoſitionibus. Quamquam igitur veriſſimum illud ac certiſſimum habeamus, nemini mortalium Dei mandata ab obſervandum planè impoſſibilia eſſe, atque omnibus aliquam gratiæ menſuram eum in finem liberaliter à Deo diſtribui; fides tamen de ſolis juſtis pronunciavit. Unde P. Maſſouliè differt.4. de Gratia Adami quæſt.3. art.2. ait, *Compertiſſimum eſſe minimè ad errorem Janſenii pertinere, ſi quis obduratis, & excæcatis denegari à Deo gratiam contenderet, qua præcepta impleant. Cùm enim in eodem Janſenii loco* (Lib.3. de Gratia Chriſti cap. 13.) *univerſaliſſima hæc propoſitio referatur: Infidelibus, excæcatis, obduratis, juſtiſque etiam interdum deeſſe gratiam, qua præcepta poſſibilia fiant; ultimam de juſtis partem ſanctus Pontifex dumtaxat proſcripſit, alteram verò intactam reliquit. Quæ obſervatio*, addit memoratus Theologus, *prætermittenda non fuit, ne quis ultrà quàm debeat, imò & ultrà quàm ſanctus Pontifex voluerit, pontificiam cenſuram extendat*.

S.Th. ſui interpres T.2. pag. 352.

Tanta verò eſt affinitas & connexio inter iſtam de obduratis, & præcedentem de infidelibus controverſiam, ut utraque iiſdem fermè & momentis pro-

probetur, & impugnetur objectionibus: quapropter maxima eorum pars, quæ paulò antè dicta ſunt, huc referenda, ne pluries eadem recoquere teneamur. Itaque ſit

CONCLUSIO.

Excæcati & indurati non omni penitùs privantur auxilio gratiæ ſufficientis.

Concluſio hæc iiſdem probatur Scripturæ teſtimoniis, quibus paulò antè uſi ſumus generatim, tum pro omnibus fidelibus adultis, tum pro infidelibus. Videtur eſſe ad mentem S. Auguſtini.

Enarratione in Pſalm. 6. n. 8. ad hæc verba Rom. 1. *Dedit illos in reprobum ſenſum. Ea eſt*, inquit, *cæcitas mentis. In eam quiſquis datus fuerit, ab interiori Dei luce ſecluditur, ſed nondum penitus cùm in hac vita eſt. Sunt enim tenebræ exteriores, quæ magis ad diem judicii pertinere intelliguntur, ut penitus extra Deum ſit, quiſquis, dum tempus eſt, corrigi noluerit. Penitus autem eſſe extra Deum quid eſt, niſi eſſe in ſumma cæcitate? .... Hujus iræ*, pergit idem ſanctus Doctor, *inchoatio eſt, quam in hac vita patitur quiſque peccator*. S. Igitur Auguſtinus agnoſcit excæcatos & induratos ab *omni penitus Dei luce hac in vita ſecluſos non eſſe*; nec perfectam ſeu conſummatam, ſed inchoatam dumtaxat hic dari excæcationem. T. 4. ſeg. 26. D. Ibid. E.

Et certè ſi ſupponantur inter mortales aliqui, ad eum excæcationis & indurationis cumulum deveniſſe, ut ne tenui quidem cœleſti rore aſpergantur unquam; neceſſe eſt agnoſcere, aliquod eſſe hominum genus certum ac fixum, quorum ſalus omnino deſperata ſit hac in vita: at communis eſt ſententia, neminem planè deſperatum hic vivere, atque ſemper unicuique affulgere ſpem aliquam melioris vitæ ac ſalutis. Quapropter S. Thomas Auguſtinum ſecutus, nonniſi inchoatam & imperfectam, dum vivitur, excæcationem & indurationem agnoſcit q. 24. de veritate art. 11. in corp. ubi ait: *Induratum eſſe eum, qui non de facili poſſit cooperari ad hoc, quòd exeat de peccato. Et hæc eſt obſtinatio imperfecta, quia aliquis poteſt eſſe obſtinatus in ſtatu viæ, dum ſcilicet habet ita firmatam voluntatem in peccato, quòd non ſurgunt motus ad bonum niſi debiles*. Non ait Doctor Angelicus, nullos penitus in illis motus ad bonum excitari, ſed tantùm *debiles*. T. 12. p. 870. col. 2. E.

Idem Auguſt. Tract. 53. in Joan. n. 6. ad hæc verba: *Propterea non poterant credere, quia hoc Iſaia Propheta prædixit. Hoc autem*, ait S. Doctor, *Propheta prædixit, quia Deus hoc futurum eſſe præſcivit. Quare autem non poterant credere, ſi à me quæratur, citò reſpondeo, quia nolebant: malam quippe eorum voluntatem prævidit Deus; & per Prophetam prænuntiavit ille, cui abſcondi futura non poſſunt*. Impotentiam credendi refundit hic S. Auguſtinus in ipſam Judæorum malam voluntatem; ſupponit ergo illos potuiſſe credere, ſed noluiſſe: non poterant autem credere ſine gratia; ergo ſupponit ſanctus Doctor, vel reipſa datam, vel ſaltem oblatam ipſis fuiſſe gratiam, quam tamen rejecerunt. T. 3. par. 2. p. 646. A.

Recurrunt hìc generalia, quæ ex eodem S. Auguſtino jam retulimus placita; impoſſibilia ſcilicet non eſſe Dei mandata; neminem in eo peccare, quod cavere nullo modo poteſt; excuſari à peccato illos non poſſe, qui obtendunt ſe gratiam non accepiſſe, &c.

Neque

Neque obſtant, quæ paulò ante Concluſionem ex contraria nonnullorum
opinione relata ſunt. Non primum, ex quo inferri dumtaxat poteſt, in-
T. 6. p. duratis in pœnam præcedentium peccatorum certam quidem uberioris gratiæ
86. C. menſuram denegari; at non omnem penitùs interioris auxilii influxum. *Hoc
enim reſtat in iſta mortali vita libero arbitrio*, ait S. Auguſtinus Lib. 1. ad Sim-
T. 1. p. plic. q. 1. *non ut impleat homo juſtitiam, cùm voluerit, ſed ut ſe ſupplici pietate
932. A. convertat ad eum, cujus dono eam poſſit implere*. Et Lib. 3. de libero arbitrio cap.
T. 4. p. 19. *Nulli hominum ablatum eſt ... humiliter confitendam eſſe ſuam imbecillitatem.
80. A. Non enim permiſit* (Deus) *ullum mortalium excuſare ſe de umbra mortis; & ip-
ſam enim penetravit Verbi calor*, ait idem ſanctus Doctor in Pſalm. 18. Et S.
Pag. 874. B. Proſper Lib. 1. de vocat. gent. cap. 21. *Credimus, nullis hominibus opem gratiæ in
totum fuiſſe ſubtractam*.

Non ſecundum, veriſſimum quidem eſt, induratum liberè peccare, &
peccatum ipſi meritò imputari; verùm quare? Quia poteſt à peccato abſti-
nere: id verò non poteſt ſine gratiæ auxilio; atque in eo errabat Pelagius,
T. 2. p. quòd diceret, ad non peccandum valere liberum arbitrium. *Pelagius*, ait S.
675. B. Auguſtinus Epiſt. 186. aliàs 106. cap. 10. nu. 34. *aliquando ita paribus momentis
poteſtatem voluntatis æqua lance perpendit, ut aliquantum etiam ad non peccandum
valere definiat. Quòd ſi ita eſt*, pergit ſanctus Doctor, *nullus locus adjutorio gra-
tiæ reſervatur, ſine qua nos dicimus, ad non peccandum nihil voluntatis arbitrium
valere*. Poteſt quidem homo naturali virtute ſingula vitare peccata, ſi ſermo
ſit de fuga peccati per ſimplicem, ut ajunt, actus ſuſpenſionem, ſeu negatio-
nem; ſi nempè nullum urgeat præceptum, ad aliquid vel faciendum, vel
omittendum, & nullus ſit ex parte hominis conatus, quo nitatur peccatum
declinare. At ſi præceptum urgeat, vel conetur homo fugere peccatum, ſola
non ſufficit naturalis virtus, ſed ſpecialis requiritur gratia Dei. Non aliam
eſſe S. Thomæ mentem, conſtat vel ex eo ipſo loco, qui objicitur: *Quidam di-
T. 12. p. 874. col. 1. B. cunt*, inquit, *hominem abſque habituali gratia gratum faciente poſſe peccatum mor-
tale vitare, quamvis non ſine divino auxilio, quod hominem ſua providentia ad bo-
na agenda & mala vitanda gubernat: Hoc enim verum eſt*, pergit S. Thomas, *cùm
contra peccatum conari voluerit; ex quo contingit, ut poſſint ſingula vitari*.

Non tertium denique: tum quia licèt libertas contrarietatis eſſentialis non
ſit libertati ut ſic eſſentialiter ſpectatæ, attamen facultas illa flectendi ſe ad
actus contrarios pertinet ad ſtatum hominis lapſi viatoris: tum quia cùm
urget præceptum ad aliquid hinc omittendum, inde verò faciendum, neceſ-
ſe prorſus eſt, facultatem expeditam eſſe ad actum oppoſitum rectum; ſed
expedita eſſe non poteſt ad actum bonum naturalis hominis facultas, niſi ex
beneficio divinæ gratiæ.

At, inquiet aliquis, ergo dicendum erit, ſingulis fermè momentis gra-
tiam ſufficientem induratis adeſſe debere, ne fortè ſi defuerit, eo ipſo à pec-
catis excuſentur.

Reſp. Non ita eſſe; neque enim ſingulis vitæ ſuæ momentis peccant obdu-
rati. Pro tempore igitur & loco neceſſaria ipſis eſt gratia, cùm nempè urget
præcepti alicujus obligatio, vel gravis ad malum tentatio ſolicitat.

Quæ hic à nobis dicta ſunt, vel ipſi Scholæ Thomiſticæ inſigniores Theo-
logi docuerunt, poſt eximium Scholæ ſuæ Magiſtrum S. Thomam. Nonnul-
los dumtaxat hic appellabimus.

S. Tho-

Digitized by Google

S. Thomas 3. p. q. 86. art. 1. in corp. *Dicere, quòd aliquod peccatum ſit in hac vita, de quo quis pœnitere non poſſit, erroneum eſt: 1. Quidem, quia per hoc tolleretur libertas arbitrii. 2. Quia per hoc derogaretur virtuti gratiæ, per quam moveri poteſt cor cuiuſcunque peccatoris ad pœnitendum.*

Et quæſtione 24. de veritate art. 11. *Quòd aliquis homo*, inquit, *non poſſit eſſe ita obſtinatus in malo, quin ad ſuam liberationem cooperari poſſit, ratio patet ex dictis; quia & paſſio ſolvitur & reprimitur, & habitus non totaliter animam corrumpit, & ratio non ita pertinaciter adhæret falſo, quin per contrariam rationem poſſit abduci.* *T. 12 p. 871. col. 1. A.*

Bannes ſyſtematis præmotionis phyſicæ, ut creditur, primus auctor & parens in 1. p. q. 23. art. 3. *Quotieſcunque*, inquit, *aliquis peccat ſpeciale peccatum contra ſupernaturale præceptum vel ſpei, vel pœnitentiæ, vel alterius ſupernaturalis virtutis, neceſſe eſt, ut ille de facto receperit aliquam divinam inſpirationem illuminantis Dei, aut vocantis, aut incitantis ad fidem vel pœnitentiam. Hæc concluſio aſſeritur à nobis certa ſecundùm fidem; quia nemo peccat propterea, quòd non facit, quod facere non poteſt, ut certum eſt ſecundùm fidem: ſed homo, cui nihil aliud datum eſt, quàm quod ad naturam humanam pertinet, non habet, unde poſſit cognoſcere vel operari ſupra naturam; ergo non peccat non operando aliquid ſupernaturale.*

Alvares Lib. 11. de auxiliis diſput. 112. quærit, *an Deus omnibus hominibus, quantumvis obduratis & reprobis, tribuat auxilia ſupernaturalia ſufficientia, per quæ ad vitam æternam pervenire poſſint, & reipſa perveniant, ſi velint?* Quam quæſtionem affirmando ſolvit ac probat iis ferè omnibus momentis, quę nos ſuperiùs uſurpavimus; inter quæ iſtud eſt: *Quilibet peccator, quamdiu eſt in via, poteſt ad Deum converti, aliàs daretur aliquis ſtatus peccatoris, de cujus ſalute eſſet deſperandum; & aliquod peccatum exiſtentis in via, quod per veram pœnitentiam deleri non poſſet, quod tamen eſt erroneum.* Addit: *Qui non adimplet præceptum pœnitentiæ, peccat mortaliter, & idem eſt de præcepto charitatis, & de aliis; ergo habet auxilium ſufficiens ad hujuſmodi præcepta implenda: aliàs homines obligarentur ad impoſſibile, quod eſt falſum. Quia nemo peccat in eo, quod vitare non poteſt.* *pag. 886.*

Et Lib. 8. diſput. 71. n. 12. *Si non daretur*, inquit, *gratia verè ſufficiens, ſequeretur, quòd illi omnes, qui non convertuntur, vel ſalvantur, reverà converti non poſſent vel ſalvari, quod tamen non poteſt admitti .... & ita non imputaretur eis ad culpam, quòd non convertantur.*

Ledeſma Tract. de auxiliis q. unica art. 16. *Certum eſt*, inquit, *ſecundùm fidem, quòd non eſt peccatum, neque tribuitur culpæ, quod non eſt in hominis libera poteſtate. At verò ſi Deus non conferret auxilium ſufficiens homini, non eſſet in ejus poteſtate, cùm auxilium ſufficiens tribuat virtutem & poteſtatem; ergo certiſſimum eſt, quòd Deus conferat auxilium ſufficiens homini.* *pag. 606.*

Medina in 1. 2. q. 109. art. 10. *Quilibet homo viator*, ait, *poteſt ad Deum converti & ſalvari; & oppoſitum aſſerere, eſt temerarium & hæreticum: ex quo evidenter ſequitur, quòd quilibet homo in hac vita habet auxilium gratiæ ſufficiens ad ſalutem conſequendam .... Deus nemini hominum denegat auxilium neceſſarium & ſufficiens ad ſalutem conſequendam.*

Nugnez Cabezudo in 3. p. q. 86. *Fidei eſt*, inquit, *ita ut oppoſitum ſit hæreſis manifeſta, quòd omnis homo, dum eſt in via & compos rationis, poteſt ſimpliciter loquendo, pœnitentiam agere de peccatis; atque adeò quòd omnibus dantur auxilia ſufficientia, ut poſſint pœnitere.*

Cu-

Digitized by Google

Cumel in 1. p. q. 23. art. 3. *Dicendum eſt, hujuſmodi homines obcæcatos & induratos habere auxilium ſufficiens ex parte Dei, ut convertantur; & dicere Deum decreviſſe illis non auxiliari, ut agant pœnitentiam, videtur erroneum & fortè hæreticum; quia eſſent pro aliquo tempore extra ſtatum ſalutis, neque illis pateret aditus ad pœnitentiam, contra Concilii Lateranenſis definitionem in Capite: Firmiter. Dicere autem, quòd Deus poteſt dare illud auxilium, non ſatisfacit; quia ſi jam ſtatuit Deus non dare, & denegat; quidquid homo faciat, nihil refert ad ſalutem.* Et in 1. 2. q. 109. art. 8. *Deus nunquam denegat auxilium illud neceſſarium & ſufficiens, quod requiritur ad implenda præcepta & cavenda peccata.... Aliàs, ſi non præſtaret vires neque auxilia ſufficientia, nullo pacto poſſent ab hominibus impleri ejus præcepta; & ſic rediret Lutheri hæreſis, quòd Deus per ſuam legem obligavit hominem ad impoſſibile.*

Cabrera in 3. p. q. 18. art. 4. dub. 5. *Pro tempore, quo homo fidelis ſive infidelis obligatur credere aut convertere ſe ad Deum finem ſupernaturalem, ita ut ſi tunc non credat aut convertatur, peccet, recipit pro tunc auxilium intrinſecum & phyſicum, ſufficiens & neceſſarium, quo credere & converti poſſit; & idem dicendum eſt de auxiliis neceſſariis ad vitanda peccata, pro tempore, quo tenetur homo vitare. Hæc Concluſio eſt adeò certa, ut oppoſitum ſine errore affirmari non valeat.*

Agmen claudet Andreas Vega Franciſcanus, inſignis Academiæ Salmanticenſis Profeſſor, qui Concilio Tridentino interfuit, Opuſc. de juſtific. qu. 13. Concluſione 5. ſic loquitur: *Contra bonitatem & clementiam Dei ineffabilem eſt dicere, imputari ab ipſo cuiquam ad novam pœnam, quod ab agente vitari non poteſt. Nemo ergo peccat novo peccato, qui eſt in aliquo mortali, ſi privatus ſit divino auxilio neceſſario ad non peccandum, atque ea ratione tranſgreditur aliquod mandatum. Ergo ſemper peccator poteſt implere præcepta Dei; neque unquam propter delicta præcedentia, quantumcunque ſint gravia, eſt ei impoſſibile ea ſervare: ad oſtium enim noſtræ voluntatis ſtat ſemper Deus & pulſat, paratus adjuvare omnes ad ſuorum obſervantiam præceptorum.*

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Joan. 12. v. 39. de induratis Judæis dicitur: *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias: Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & ſanem eos.* Unde ſic arguitur: Qui eum in finem à Deo excæcantur & indurantur, ut non poſſint credere, ut non videant oculis, & non intelligant corde & convertantur, ii nullam à Deo recipiunt gratiam, per quam credere poſſint ac converti; aliàs contra finem intentum Deus ageret: atqui tales fuere Judæi, de quibus S. Joan. c. 12. v. 39. Ergo, &c.

Reſp. Nego min. Namque, interprete S. Auguſtino, Tract. 53. in Joan. citato, hæc prædixit Iſaias, quod futurum eſſe Deus præſcivit, non quod ipſe fecit: *Malam eorum voluntatem prævidit Deus, & per Prophetam prænuntiavit.*

Ad textum S. Joan. diſtinguo. Excæcati Judæi non poterant credere, impotentia conſequente ac voluntaria: concedo. *Quare non poterant credere?* ait citato in loco S. Auguſtinus: *Quia nolebant.* Impotentia antecedente & involuntaria, quaſi nullatenus potuerint illi deponere cæcitatem illam mentis ac cordis duritiem, qua tenebantur, nego. Vel diſtingui aliter poteſt: non

T. 3. par. 2. p. 646. B.

pote-

poterant credere durante ac ſtante excæcatione, ſeu in ſenſu compoſito, ut ajunt, excæcationis, concedo: non poterant credere ſimpliciter, nec proximè, nec remotè, nego. *Quamdiu quiſque malus eſt*, ait S. Auguſtinus Lib. 2. de Sermone Domini in monte c. 24. *non poteſt facere fructus bonos: ſi enim bonos fructus fecerit, jam malus non erit*. Et Tractatu 53. in Joan. *Non poterant credere*, inquit, *non quia mutari in melius homines non poſſunt; ſed quamdiu talia ſapiunt, non poſſunt credere*. Denique Lib. de perfect. juſtitiæ c. 6. loquens de peccato: *Et tamen vitari poteſt*, inquit, *non quando ſuperba voluntas laudatur, ſed quando humilis adjuvatur*. Supponit igitur ſanctus Doctor, cuilibet indurato aliquid ſupereſse, unde remotè ſaltem poſſit & malitiam deponere, & ad Deum converti. Quapropter Lib. 1. Retractationum capite 19. recognoſcens ea, quæ de peccato ad mortem ſcripſerat, ait: *De quocumque quamvis peſſimo in hac vita conſtituto non eſt deſperandum; nec pro illo imprudenter oratur, de quo non deſperatur*. T. 1. par. 2. pag. 233. A. Ib. pag. 647. F. T. 10. p. 172. G. T. 1. pag. 31. A.

Inſtabis 1. De Pharaone Exodi 9. v. 16. & Rom. 9. v. 17. dicitur: *In hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te virtutem meam; & ut annuntietur nomen meum in univerſa terra*. Ex quo ſtatim concludit Apoſtolus: *Ergo cujus vult, miſeretur, & quem vult, indurat*. Ergo Deus indurando & excæcando nullum ſubminiſtrat interioris gratiæ ſubſidium, ut nempè habeat, unde virtutem ſuam ac potentiam manifeſtare omnibus poſſit.

Reſp. Nego conſeq. Ad probationem diſtinguo: Deus Pharaonem excitavit, ut oſtenderet in ipſo ſuam virtutem ac potentiam, poſt prævisam Pharaonis malam voluntatem ac obſtinatam malitiam, concedo: quaſi malam illam voluntatem Deus fecerit, nego. Itaque Deus Pharaonem poſitivè non induravit, *impertiendo malitiam*; ſed negativè tantùm, *non impertiendo miſericordiam*: atque præviſa mala ipſius voluntate, eam Deus ad manifeſtationem virtutis ac gloriæ ſuæ mirè convertit, illa operando prodigia, quę ſummam ejus potentiam ac virtutem manifeſtarunt, & unde magis ac magis indurationis occaſionem aſsumpſit Rex ille impius.

Inſtabis 2. Idem S. Auguſtinus Expoſitione quarumdam Propoſitionum ex Epiſtola ad Rom. de eodem Pharaone dicit: *Quòd ergo tunc Pharao non obtemperabat præceptis Dei, jam de ſupplicio veniebat ...... Non ergo hoc illi imputatur, quòd tunc non obtemperaret, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat; ſed quia dignum ſe præbuit, cui cor obduraretur priore infidelitate*. Ergo libera non erat hæc Pharaonis inobedientia; nec conſequenter gratiam ille accceperat, qua poſset Deo imperanti obedire. T. 3. par. 2. pag. 917. E.

Reſp. Diſting. ant. Pharaoni ſua non imputatur inobedientia peculiari quodam imputationis genere, quo nempe aliquid homini ſoli ita tribuitur, ut nec divini muneris, nec ſupplicii locum habeat, concedo: nullatenus imputatur, nego. Explico: S. Auguſtinus citato in loco errore Semipelagianorum adhuc implicatus erat, & exiſtimabat credendi voluntatem, ſeu fidei initium eſse à ſola natura, adeòque homini ſoli debere imputari; opera verò bona ſubſequentia Deo imputanda eſse, qui ea meritis fidei præcedentis retribuit. Quam ſententiam, erroneam quidem, ut exponat, adducit exemplum primi peccati, quod induratus committit, & ipſi ſoli imputatur, cùm nullam habeat ex parte Dei pœnæ ac ſupplicii rationem, ſicut habent ſubſequentia peccata, quæ in vindictam præcedentis, & homini peccanti, & Deo punien-

punienti adſcribuntur. Ex quo S. Doctoris ratiocinio non ſequitur, negare illum peccata Pharaoni ſimpliciter imputari, ſed hoc unum dumtaxat, ipſi non imputari ſingulari quodam imputationis genere, eo ſcilicet, quòd nullum præcedens ſupponat peccatum ex parte ipſius Pharaonis, & nullum ex parte Dei inflictum ſupplicium in pœnam prioris infidelitatis. Uno verbo; inobedientia Pharaonis imputabatur ipſi, non tantùm ratione ſui, ſed etiam ratione cauſæ, nempè prioris infidelitatis.

Inſtabis 3. Qui ſunt indurati, confugere ad Deum non poſſunt, & ſi poſſent, fruſtrà confugerent, à quo non exaudirentur. Patet exemplo Antiochi & Eſau. De primo dicitur Lib. 2. Machab. c. 9. v. 13. *Orabat hic ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.* De Eſau verò Hebr. 12. v. 17. *Non invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquiſiiſſet eam.*

℟. Diſtinguo ant. Fruſtra confugerent, cùm vitioſo ac culpabili motivo & fine ad Deum confugiunt, concedo: ſi motivo & fine recto confugiant, nego. Antiochus gravi plaga in corpore à Deo percuſſus orabat quidem, ut dolori ſolatium, non ut peccatis remedium impetraret. Pariter Eſau deflebat ablata ſibi primogenita; non peccata, quibus celeſtem iram in ſe concitaverat.

Inſtabis 4. Eccleſ. 7. v. 14. dicitur: *Conſidera opera Dei, quòd nemo poſſit corrigere, quem ille deſpexerit.*

Reſp. Diſtinguo. Nemo poteſt corrigere, hoc eſt, difficile eſt corrigere, concedo: quo ſenſu cap. 1. v. 15. ejuſdem Libri Eccleſiaſtes ait: *Perverſi difficilè corriguntur.* Quo etiam ſenſu dicit S. Thomas antea laudatus: *Induratum de facili non poſſe cooperari ad hoc, quòd exeat de peccato.* Quaſi prorſus impoſſibile ſit corrigere, nego.

Objicies 2. auctoritatem S. Auguſtini pluribus in locis,

I. Epiſtola 194. jam citata ait, Deum indurare, non quidem *impertiendo malitiam, ſed non impertiendo miſericordiam.* Ergo in eo poſita eſt induratio, ut omnis ab indurato gratia retrahatur: ſi enim uberiorem tantùm ac ſpecialem gratiam retraheret, nihil eſſet diſcriminis inter juſtum, quem Deus occulto, ſed juſto judicio uberiori gratia interdum privat. (T. 2. pag. 719. D.)

II. Libro de natura & gratia cap. 22. *Nec cogitat,* inquit, *prævaricatorem legis, quàm dignè lux deſerat veritatis; qua deſertus utique fit cæcus, & plùs neceſſe eſt offendat, & cadendo vexetur, vexatuſque non ſurgat, ut ideo tantùm audiat vocem legis, quò admoneatur implorare gratiam Salvatoris.* (Tom. 10. p. 137. A)

Lib. 1. Retract. cap. 15: *Qui,* inquit, *cogenti cupiditati bona voluntate reſiſtere non poteſt.... jam hoc ita peccatum eſt, ut ſit etiam pœna peccati.* Quòd ſi aliqui cogenti cupiditati reſiſtere non poſſunt, certè non habent auxilium ſufficiens ad non peccandum. (T. 1. pag. 24. F.)

Lib. de perfectione juſtitiæ cap. 19. excæcatum appellat *deſertum omni lumine veritatis.* (Tom. 10. p. 187. A.)

Denique in Pſalm. 136. n. 6. ſic loquitur: *Quando illos videmus, & tam ſteriles eos invenimus, ut difficilè nobis appareat in eis aliquid, unde poſſint adduci ad fidem rectam, vel ad bona opera, vel ad ſpem futuri ſæculi, vel ad concupiſcentiam liberationis à captivitate mortalitatis; Scripturas novimus, quas eis dicamus: ſed quia nullum fructum in eis invenimus, unde incipiamus, avertimus ab eis faciem, & dicimus: Adhuc iſti non ſapiunt, non capiunt &c.* (T. 4. pag. 1516. D E.)

℟. Hæc S. Auguſtini teſtimonia intelligenda eſſe ad ſenſum & mentem eorum,

rum, quæ in confirmationem noſtræ Concluſionis ex eodem ſancto Doctore laudavimus; nimirùm: non omne penitùs interioris gratiæ beneficium induratis denegari, ſed tantùm gratiæ cujuſdam ſpecialis & uberioris, qua proximè & immediatè poſſint vitare peccata & tentationes ſuperare. Ut enim varii ſunt ac multiplices in gratia concedenda gradus; ita & in eadem deneganda. *Paulatim*, ait S. Bernardus Lib. I. de Conſid. cap. 2. *in cordis duritiem itur*. Undè malè omninò comparantur, quantùm ad illam gratiæ ſubtractionem, juſti cum induratis: quàm latum enim eſt inter illos diſcrimen! Non alius profectò videtur eſſe ſenſus S. Auguſtini; tum in Epiſtola 194. tum in Libro de perfect. juſtitiæ, & in Pſalm. 136. quo in poſteriori loco aſſertivè non loquitur, ſed quaſi ſubdubitanter, *difficile*, inquit, *nobis videtur*. T. 1. pag. 409. A.

Ad textum ex Lib. de natura & gratia cap. 22. Ex induratione ſequitur impotentia benè agendi, quæ conſequens eſt & voluntaria, non autem antecedens: poteſt quippe, ſaltem mediatè ac remotè, induratus ſuam deponere excæcationem & indurationem. *Audit enim vocem legis, quò admoneatur implorare gratiam Salvatoris*, ait in hoc ipſo loco S. Auguſtinus. Et Lib. de Gratia & lib. arb. cap. 12. *Gratiam repellebant* (Judæi) ait, *& in Chriſtum propterea non credebant*. Ergo neceſſitate duntaxat conſequente ac voluntaria fit, ut non poſſint credere & benè operari, quia voluntariè repellunt gratiam: eo ferè modo, quo qui per viam foſſis abruptam ambulat, nec oculos vult aperire, neceſſe eſt ut cadat. T. 10. p. 730. C.

Ad locum ex cap. 15. Lib. I. Retract. reponit Bellarminus Lib. 2. de Gratia & libero arbitrio c. 8. manente cupiditate non poſſe quidem illos induratos cupiditati reſiſtere: attamen cùm ea cupiditas in ipſis neceſſariò non hæreat, poſſe eos cum Dei auxilio eam exuere ſeu deponere. *Quod auxilium*, ait, *nemini deeſt, quo tempore præceptum obſervandum*. T. 4. pag. 192. H.

ARTICULUS V.

An ipſis etiam infantibus ſufficientia ſalutis media conferantur?

NOn hîc movetur quæſtio de infantibus, quibus Baptiſmus parentum vel aliorum cura procuratur; neque etiam de illis, qui in lucem editi Baptiſmum percipere poſſunt: eſt quippe illud communne ſalutis remedium omnibus paratum & oblatum, ex ea, quæ in Deo eſt, vera & ſincera ſalvandi omnes voluntate. Neque etiam de iis agitur, qui in utero materno negligentia & culpa parentum extinguuntur: iis quippe ſufficienter de remedio ſalutis à Deo proviſum eſt, licèt adultorum culpa illis applicari non poſſit.

De illis igitur duntaxat hîc controverſia eſt, quibus, ſive in lucem editis, ſive in utero materno abſque ulla parentum culpa, vi ſola naturę morientibus, nullâ humana induſtria & diligentia Baptiſmus conferri & applicari poteſt. Dicine meritò poteſt, Deum non tantùm velle illorum infantium ſalutem, ac medium ad eam obtinendam illis præparaſſe, ſed etiam de illius applicatione ſufficienter providiſſe? Si enim media hæc ſalutis, quæ ex ſe ſufficiunt, ita tamen manent diſpoſita, ut nullâ humana diligentia poſſint infantibus ap-

Digitized by Google

plicari, an dici poteſt Deum ſufficiens medium ſalutis illi providiſſe? En quæſtionis ſtatus.

T. 1 pag. 714. Negat Vaſques in primam partem S. Thomæ diſput. 96. c. 2. ubi etiam Gregorium Ariminenſem, Richardum, Gabrielem &c. in eamdem ſententiam laudat. De iſta Vaſqueſii opinione jam diximus in Tractatu de Attributis, ubi de voluntate Dei ſalvandi omnes.

CONCLUSIO.

Deus omnium infantium ſalutem non tantùm verè ac ſincerè vult voluntate antecedente, ſed etiam media ipſis præparavit, ac de illis applicandis ſufficienter, quantùm eſt ex ſe, providit.

Concluſio probatur duplici graviſſimo momento, quo ſuprà, ubi de infidelibus, uſi ſumus; nempè ex ſincera Dei pro ſalute omnium voluntate, & morte Chriſti pro iis omnibus, qui in Adamo mortui ſunt. Atqui ab illa generali ac communi voluntate Dei pro ſalute omnium nullibi excluduntur infantes: illi etiam omnes in Adamo mortui ſunt, *in quo omnes peccaverunt*: Rom. 5. v. 12. Ergo Deus ſincera voluntate omnes infantes voluit ſalvos fieri; ac pro iis omnibus Chriſtus ſanguinis ſui ac mortis pretium obtulit. Porrò otioſa non eſt nec ſterilis Dei pro ſalute omnium voluntas; ergo virtute illius, omnibus, etiam parvulis, Deus præparavit media ſalutis neceſſaria, ac de illis applicandis ſufficienter, quantùm eſt ex ſe, providiſſe cenſendus eſt. Niſi ita eſse dixeris, vix ſolida ratione defendi poterit, quæ tamen defendi omnino debet tanquam veriſſima ac certiſſima doctrina, Deum velle omnes homines ſalvos fieri. Et reipſa quotquot voluntatem illam Dei negant & impugnant, non alio ferè validiori utuntur argumento & exemplo, quàm illorum infantium, qui, omni ope deſtituti, in utero materno priùs moriuntur, quàm poſſint in lucem emitti ac baptizari: quod cùm conciliare non poſset Vaſques cum illa Dei pro ſalute omnium voluntate, compulſus fuit dicere cap. 3. citatæ diſput. hæc Scripturæ verba, *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, de adultis dicta eſse; & iſta, *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt*, intelligi dumtaxat de ſufficientia, magnitudine & potentia pretii ſanguinis Chriſti: quæ certè interpretatio multùm Novatoribus favere, ac conſtantem Catholicorum doctrinam circa voluntatem Dei pro ſalute omnium infirmare videtur. Longè igitur cautiùs ac conſultiùs cæteri Theologi exemplum illud infantium conciliare conantur, quamquam difficulter, cum dicto communi ac recepto Scholarum dogmate. (pag. 716.)

pag. 908. Confirmari vulgò ſolet Concluſio auctoritate S. Proſperi Lib. 2. de vocatione gent. cap. 20. ubi contra voluntatem Dei ſalvandi omnes, proponit ſibi objectionem ductam ab exemplo infantium, qui ſine Baptiſmo moriuntur, quam ſolvit cap. 23. his verbis: *Non irreligioſè*, inquit, *arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quòd iſti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ ſemper univerſis eſt impenſa nationibus: qua utique ſi benè eorum uterentur parentes, etiam ipſi per eoſdem juvarentur.* (pag. 911. C.)

Reponit Vaſques cap. 2. diſput. 96. S. Proſperum non loqui univerſim de omnibus parvulis, ſed de iis qui aliquamdiu vivunt, quos appellat *paucorum dierum homines*, & quibus parentum diligentia ſubveniri poteſt: præſens verò

quæ-

quæſtio eos dumtaxat ſpectat infantes, ut dictum eſt, qui vel in utero materno ſine ulla parentum culpa vi ſola naturæ extinguuntur; vel jam nati, defectu aquæ v. g. aut alia quacumque de cauſa, baptiazri non poſſunt. Eſtò, ita ſit. Verùm ſi ad mentem ſancti hujus Doctoris, & ad doctrinæ ipſius ſeriem attendatur, perſpicuum erit, eum neminem prorſus ab illa generali Dei pro ſalute omnium voluntate excluſum velle.

Solvuntur Objectiones.

Objicies I. Illis ſufficienter de applicatione remedii ſalutis Deus non providit, quibus abſque ulla parentum culpa, ſolo Deo nolente, nullo pacto poteſt applicari: atqui multi ſunt infantes, ſive qui in utero materno adhuc incluſi moriuntur, ſive qui in lucem editi ſunt, quibus abſque ulla parentum culpa, ſolo Deo nolente, remedium ſalutis applicari non poteſt.

Minor probatur ex S. Auguſtino Lib. de dono perſeverantiæ cap. 12. n. 31. *Plerumque*, ait, *feſtinantibus parentibus & paratis Miniſtris, ut Baptiſmus parvulo detur, Deo tamen nolente, non datur, qui eum paululùm in hac vita non tenuit ut daretur.* Nulla hic occurrit culpa ex parte parentum vel miniſtrorum; *Feſtinantibus parentibus, & paratis miniſtris*, non datur parvulo Baptiſmus, *Deo nolente*. Et Epiſtola 194. aliàs 105. n. 32. *Quid dicam*, ait ſanctus Doctor, *de inopinatis & repentinis innumerabilibus mortibus, quibus ſæpè etiam religioſorum Chriſtianorum præveniuntur, & Baptiſmo præripiuntur infantes, cùm è contrario ſacrilegorum & inimicorum Chriſti, aliquo modo in Chriſtianorum manus venientes, ex hac vita non ſine Sacramento regenerationis emigrant?* Tom. 10. p. 838. A. T. 2. pag. 728. E.

℟. Diſtinguo. Quibus Deo nolente non poteſt applicari Baptiſmus, voluntate Dei abſoluta & conſequente naturalem cauſarum ſecundarum diſpoſitionem, quam Deus tanquam Proviſor generalis interturbare non tenetur, concedo: voluntate Dei antecedente, nego. Voluntas Dei antecedens ſalvandi omnes conditionata eſt, & aliquid ſupponit ex parte creaturæ, liberam ſcilicet hominis, ſi adultus fuerit, gratiæ cooperationem; vel ſi infans, aut diligentiam parentum, aut certam quamdam cauſarum ſecundarum diſpoſitionem, quæ lege ac vi quadam naturæ mortem infanti priùs non inferat, quàm poſſit ipſi per Baptiſmum ſubveniri. Si ergo conditio requiſita ex parte creaturæ & cauſarum ſecundarum defuerit, Deus voluntate conſequente non vult hominis ſalutem. Ita voluntate conſequente vel parentum negligentiam, vel eum cauſarum ſecundarum curſum, qui mortem infantis exigit, non vult eum baptizari; tametſi voluntate generali & antecedente ſufficienter providerit, & de remedio & de ipſius applicatione. *Non eſt ex defectu divinæ miſericordiæ*, ait S. Thomas in 4. diſt. 6. art. 1. ad 1. *quòd in maternis uteris exiſtentibus remedium non exhibetur, ſed quia non ſunt capaces illius remedii....quia non poſſunt ſubjici operationi Miniſtrorum Eccleſiæ.* Tom. 10. p. 89. col. 2. E.

Inſtabis I. Qui eum naturæ curſum inſtituit, in quo prævidit futurum, ut infans priùs moriatur, quàm ulla humana induſtria poſſit illi Baptiſmus conferri, ille certè non cenſetur ſufficienter providiſſe de applicatione remedii ſalutis: ut enim rectè ait S. Proſper in Reſponſione ad quartam Objectionem Vincentianam: *Inſanum omninò & contra rationem eſt dicere, voluntatem Dei ex Dei voluntate non fieri.* Atqui Deus eum naturæ curſum inſtituit, in quo P. 231. C

prævidit futurum, ut infans priùs moriatur, quàm ulla humana induſtria poſſit ipſi conferri Baptiſmus.

Reſp. Diſtinguo maj. Si directa & expreſſa voluntate eum naturæ curſum idcircò inſtituit, ut eo exigente priùs moriatur infans, quàm poſſit baptizari, ille non cenſetur ſufficienter velle infantis illius ſalutem, nec de remedio neceſſario ipſi providiſſe, concedo: ſi tanquam proviſor generalis eum naturę curſum inſtituit ac permittit, in quo neceſſe eſt, infantem priùs mori, quàm baptizetur, nego. Porrò Deus rerum omnium Proviſor eſt generalis, ac ſingulis ita debet proſpicere ac conſulere, ut nulli benefaciat, diſpendio & damno alterius. Cùm igitur, noſtro concipiendi modo, Deus priùs certum quemdam cauſarum ſecundarum ordinem ac curſum inſtituerit, quàm de remedio ſalutis infantium quidquam decreverit; ſi in eo rerum curſu ac fatali diſpoſitione infans conſtituatur, in qua neceſſe ſit, vi ſola naturæ illum mori, in Dei voluntatem directam refundi non debet, quòd infans ille remedio ad ſalutem neceſſario privetur, ſed in voluntatem Dei dumtaxat permiſſivam, & in cauſas ipſas ſecundas, quarum curſum & ordinem proviſor generalis inperturbare non tenetur. Ita colligitur ex S. Thoma 1. p. q. 22. art. 2. ad 2. ubi ſic loquitur: *Proviſor univerſalis permittit aliquem defectum in aliquo particulari accidere, ne impediatur bonum totius. Unde corruptiones & defectus in rebus naturalibus dicuntur eſſe contra naturam particularem, ſed tamen ſunt de intentione naturæ univerſalis, in quantum defectus unius cedit in bonum alterius, vel etiam totius univerſi.*

Inde facilis eſt ad citatum ex S. Proſpero textum ſolutio; nempè, inſanum eſt dicere, Dei voluntatem non fieri ex Dei voluntate directa, concedo: ex Dei voluntate permiſſiva, nego. Idem ſanctus Doctor Lib. 2. de vocat. gent. cap. 24. eos reprimit, qui conqueruntur, quòd *non omnibus parvulis ſimili providentia conſulat, omniaque pericula, quæ moriturorum regenerationem prohibere poſſunt, aut poteſtate ſubmoveat, aut miſeratione præveniat*; oſtenditque legibus divinæ providentiæ conſentaneum videri, ut non omnibus promiſcuè ac æqualiter remedium ſalutis conferatur; ne fortè nihil unquam vel de negligentia parentum, vel de mortalitate infantium metuendum foret, vel locus eſſet ſuſpicandi gratiam ſalutis omnibus debitam eſſe. *Unde manifeſtum eſt*, inquit, *eos, qui ſalvi fiunt, non merito, ſed gratia liberari; quia ſine Baptiſmo mortuos, periiſſe non dubium eſt .... & occulta Dei diſcretione, ſed juſta, ſic oſtenditur, & quid conferat gratia, & quid prævaricatrix mereatur natura: ut nec contra donum elevetur ſuperbia, nec contra periculum ceſſet induſtria.*

Inſt. 2. S. Auguſtinus Lib. citato de dono perſeverantiæ cap. 12. recurrit ad inſcrutabilia Dei judicia, cur uni parvulo potiùs quàm alteri conferatur Baptiſmus: at ſi aliqua cauſa ſit ex parte vel negligentiæ parentum vel naturę curſùs, ut contendimus, non eſt, quòd recurramus ad inſcrutabilia DEI judicia.

Reſp. Ut ſæpiùs jam reſponſum eſt, loqui ſanctum Doctorem de diſcretione comparativa unius infantis præ alio; cur nempè unus in ea rerum naturalium diſpoſitione collocetur, in qua vivit & Baptiſmum percipit, non alter: cur filius impii & infidelis ad Baptiſmum ducatur, non verò filius fidelis ac Chriſtiani? Qua in quæſtione comparativa exclamandum: O altitudo! Quamquam ſi res abſolutè in ſe ſpectetur, ſemper aliqua poſſit aſſignari cauſa vel ex parte parentum, vel ex parte ipſiuſmet naturæ.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO NONA.

De Gratia efficaci.

GRatia efficax à ſufficienti diſtincta, ea eſt, quæ certam & infallibilem habet cum effectu ſeu bono opere connexionem; ſeu quæ certo & infallibili influxu conſenſum voluntatis in bonum ſemper exprimit.

Duo circa gratiam efficacem hic diſcutienda: ejus nimirùm exiſtentia, ſeu neceſſitas; & ejus eſſentia, unde ſcilicet repetenda ſit vis & efficacia gratiæ.

ARTICULUS PRIMUS.

De neceſſitate ſeu exiſtentia gratiæ efficacis. An ſit admittenda gratia ex ſe ſeu natura ſua efficax?

DUo præfefert articulus prorſus diſtincta; primum: An ſit admittenda gratia efficax? Alterum: Unde ſit efficax, an à ſe, an à libero voluntatis arbitrio? Quæ duo unica Concluſione complectemur, poſtquam more noſtro, remota omni verborum æquivocatione, terminos ac ſtatum quæſtionis expoſuerimus.

Quid ſit, gratiam à ſe ſeu natura ſua efficacem eſſe? Status quæſtionis. Variæ ſententiæ.

Obſervandum 1. Gratiam generatim efficacem dici poſſe duobus modis: vel in actu primo, antecedenter ad conſenſum voluntatis; vel in actu ſecundo, conſequenter ad illum conſenſum. Gratia efficax in actu primo eſt vis ipſa gratiæ prævenientis, apta & idonea ex ſe ſe ad exprimendum certò & infallibiliter conſenſum voluntatis. Efficax verò in actu ſecundo eſt vis eadem ſeu motio gratiæ juncta cum actu, ſeu prout includit gratiam adjuvantem & cooperationem voluntatis.

Quamquam verò omnis & quælibet gratia contineat in ſe vim activam, ſeu principium boni operis, non omnis tamen nec quælibet gratia quodlibet opus bonum ex voluntate certò exprimit: atque in eo potiſſimùm gratiam ſufficientem ab efficaci diſtingui ſuprà diximus, quòd hæc certò ac infallibiliter etiam in rebus arduis ac difficillimis effectum ſuum ſemper aſſequatur, non illa, quæ in rebus dumtaxat facilioribus, cùm nulla urget gravis tentatio, aliquem interdum effectum bonum obtinet.

Obſerva 2. In gratia præveniente duplicem effectum diſtingui: unum primum & indeliberatum, quem Deus in nobis ſine nobis liberè cooperantibus producit; tales ſunt ſubitæ illæ mentis illuſtrationes, & excitationes voluntatis ad bonum, quas Deus liberaliter immittit: alterum verò deliberatum, conſenſum nempè voluntatis divinæ motioni & excitationi obſequentis. Gratia præveniens phyſicè operatur in nobis primum illum indeliberatum

effectum, & moraliter dumtaxat ſecundum, ad quem voluntatem movet & excitat, ſuadendo, alliciendo, movendo; quem tamen phyſicè non elicit, niſi accedente auxilio gratiæ adjuvantis, operantis & cooperantis. Nomine autem gratiæ efficacis potiſſimùm intelligitur gratia præveniens & excitans, quæ moraliter, ac certò & infallibiliter voluntatem movet & excitat ad opus bonum; non verò gratia operans vel cooperans, quæ phyſicè cum voluntate concurrit ad opus bonum. Ratio aperta eſt: quia ex fide certum eſt, voluntatem poſſe ſemper diſſentire, ſi velit, gratiæ quantumvis efficaci: atqui non poteſt diſſentire gratiæ operanti ſeu cooperanti, quia hęc ipſamet eſt formaliter operatio. An verò poteſt voluntas, dum operatur, non operari, ac ſuæ operationi reſiſtere ſeu diſſentire?

Obſervandum 3. Vario ſenſu dici ac intelligi poſſe gratiam eſſe à ſe ſeu natura ſua efficacem.

I. Ita ut voluntas, gratiæ cooperando, nullam omninò partem in opere bono, quod illa mediante efficit, & nullam prorſus meriti laudem habeat: quo ſenſu Calvinus omnium primus gratiam à ſe efficacem appellavit.

II. Ita ut voluntas ex quadam neceſſitate gratiæ efficaci conſentiat, nec liberè ipſi cooperetur.

III. Ut vis omnis & efficacia gratiæ, ſive in actu primo, ſive in actu ſecundo à Deo profluat, nullatenus à libero voluntatis arbitrio.

IV. Ut certa, infallibilis & eſſentialis ſit connexio gratiæ efficacis cum opere bono: ita ut non idcircò dicenda ſit gratia efficax, quòd voluntas ipſi conſentiat; ſed potiùs voluntas ipſi certiſſimè conſentiat, quia eſt efficax.

Certum porrò eſt apud omnes Catholicos, nec primo, nec ſecundo ſenſu gratiam dici poſſe à ſe efficacem.

Quantum verò ad tertium ſenſum, facilè in eo conſentiunt omnes, vim omnem & efficaciam gratiæ, ſive in actu primo, ſive in actu ſecundo, unicè à Deo profluere. Quamquam enim poſſit abſolutè voluntas efficaci gratię non conſentire; ac ipſi conſentiendo, gratia ſit & dicatur efficax in actu ſecundo, attamen quia gratia ſemper pręcipuas ac nobiliores partes habet in opere bono, idcircò non gravatè concedunt, gratiam ſimpliciter dicendam non eſſe efficacem per liberum arbitrium; modò tamen hoc ipſis concedatur, eſſentialem non eſſe connexionem gratiæ efficacis cum effectu. Cùm enim certum ſit ex fide, voluntatem ſemper poſſe, ſi voluerit, gratiæ diſſentire; vix intelligi poteſt, qua ratione infallibilis ac eſſentialis ſit gratiæ illius cum voluntatis conſenſu connexio, cui voluntas reſiſtere poteſt.

In eo igitur verſatur præſentis quæſtionis ſtatus, utrùm ex ſeſe infallibilis & eſſentialis ſit connexio gratiæ efficacis cum ſuo effectu, independenter à pręviſo per ſcientiam conditionatorum futuro voluntatis conſenſu.

Affirmant omnes Thomiſtæ, & quotquot ſe Auguſtinianos dicunt, qui gratiam à ſe, ſeu natura ſua efficacem eſſe contendunt. Negant alii, ob eam maximè cauſam & rationem, quæ mox adducta eſt. Alii diſtinguunt: concedunt quidem gratiam à ſe efficacem eſſe in actu primo; verùm eam dici poſſe ac debere efficacem in actu ſecundo per liberum voluntatis conſenſum aſſeverant. Cùm enim, inquiunt, liberum ſit voluntati gratiæ reſiſtere, ſeu diſſentire, & denegando conſenſum eam reddere inefficacem; conſequenter quoque liberum ipſi eſt conſentiendo, eam reddere efficacem in actu ſecundo. Infalli-

bili-

bilitas igitur & certitudo efficacis gratiæ, juxta illos, petitur ex ſcientia Dei, qui certò novit, quod futurum eſt.

Ad utramque iſtam ſententiam ex parte accedit opinio eorum, qui vim efficacem gratiæ repetunt ex quadam ipſius congruitate, ſeu attemperatione ad hominis indolem, ingenium, ad varias temporis, loci, vel perſonæ circumſtantias. Hi quippe, cùm pro fundamento ſuæ ſententiæ ſcientiam mediam ſupponant, ea in parte ab auctoribus poſtremæ ſententiæ non diſcrepant: aliunde verò, vel congruitas illa gratiæ intrinſeca ſupponitur, atque de ſe apta & nata exprimendo voluntatis conſenſu; vel tantùm externa, in eo dumtaxat poſita, quòd eo tempore ac loco, iiſque circumſtantiis eam Deus homini conferat, quibus prænovit illum conſenſurum eſſe. Si prius, vix differre videtur à gratia moraliter ex ſe efficaci: ſi poſterius, non diſtat à gratia ſenſu Molinæ efficaci; atque hinc & inde iiſdem planè difficultatibus & incommodis, quibus utraque hæc ſententia, ſubjacet ac premitur.

Bellarminus Lib. I. de Gratia & libero arbitrio cap. 12. recurrit pariter ad ſcientiam conditionatorum, ut vim gratiæ certam & infallibilem exponat, ſine qua intelligi non poteſt ejus cum libero voluntatis arbitrio concordia. *Neque enim*, inquit, *intelligi poteſt, quo pacto gratia efficax conſiſtat in illa interna ſuaſione, quæ per liberum arbitrium reſpui poteſt, & tamen infallibilem habeat effectum; niſi addamus, Deum iis, quos efficaciter & infallibiliter trahere decrevit, eam ſuaſionem adhibere, quam videt congruere ingenio eorum, & quam certò novit ab iis non contemnendam.* His præmiſſis ſit T. 4. p. 182. D.

CONCLUSIO.

Admittendam eſſe gratiam efficacem, quæ certò ac infallibiliter dat velle & operari, certa eſt ac indubitata fidei doctrina. An verò ad ſenſum Scholæ efficax illa ſit ex ſe ſeu natura ſua, vel non, ad Scholæ opinionem pertinet, quam liberè in utramque partem agitari ac defendi Eccleſia permittit.

Duplex eſt Concluſionis pars.

Prima pars probatur: Quia ea doctrina certa eſt de fide, quam & Scriptura & univerſa Eccleſiæ traditio confirmat: atqui talis eſt doctrina, quæ ſtatuit, admittendam eſſe gratiam efficacem, ſeu operis & actionis, quæ certò dat velle ac perficere. Prima pars Concluſionis.

Non immorabimur in recenſendis tum ex Scripturis, tum ex Traditione argumentis, quibus dogma illud demonſtratur: tum quia jam abundè partes illas implevimus, ubi de neceſſitate gratiæ ad ſingulos pietatis actus diſputavimus: tum quia ea ipſa ſunt Scripturæ ac S. Auguſtini teſtimonia, quæ mox ad ſecundam Concluſionis partem referenda ac expendenda ſunt.

Proponuntur momenta, quibus probatur, gratiam à ſe, ſeu natura ſua efficacem eſſe.

Eundem hic ordinem ac methodum ſequemur, quam jam ſecuti ſumus, ubi actum fuit de admittendo, vel rejiciendo uſu ſcientiæ mediæ. Rem in utramque partem proponemus; & quidem eò breviùs, quòd maxima ex parte jam confecta ſit: eadem enim recurrunt hic tum Scripturæ, tum S. Secunda pars Concluſionis.

Augu-

Digitized by Google

Auguſtini teſtimonia, quæ in Tractatu de Attributis, ubi de ſcientia media, jam relata & expoſita fuere.

Probatur 1. *ex Scripturis*.

Triplici argumento.

I. Ex iis locis, quibus generatim gratiæ efficacis neceſſitas & exiſtentia demonſtratur.

T. 10. p. 735. A. Ezechielis 36. v. 27. *Spiritum meum ponam in medio veſtri: & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis*. Præbendo ſcilicet vires efficaciſſimas voluntati, ut ait S. Auguſt. hunc textum laudans Lib. de Gratia & libero arbitrio cap. 16.

Joan. 6. v. 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum*.

Rom. 9. v. 16. *Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei*.

Philipp. 2. v. 13. *Deus eſt, qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate*.

Reponunt, qui ſententiæ efficacis à ſe gratiæ adverſantur, hoc unum his teſtimoniis confici, quod ultrò admittunt, gratiam ſcilicet abſolutè ac ſimpliciter neceſſariam eſſe ad omnem pietatis actum: an verò ſit à ſe efficax vel non, nullo pacto inde colligi poſſe. Vide quæ dicta ſunt citato loco, ubi de ſcientia media.

II. Ex iis locis, quibus vis & efficacia gratiæ commendatur. Ezechielis citato mox cap. 36. v. 26. *Dabo vobis cor novum, & ſpiritum meum ponam in medio veſtri: & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum. Et Spiritum meum ponam in medio veſtri: & faciam ut in præceptis meis ambuletis*.

Philipp. 2. v. 13. *Deus eſt, qui operatur velle & perficere pro bona voluntate*.

Proverb. 21. v. 1. *Sicut diviſiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit, inclinabit illud*.

Verùm quorſum iſta? Reponunt alii; niſi ut vis & efficacia gratiæ demonſtretur, quam lubenter agnoſcimus eſſe à ſolo Deo Auctore, non à libero arbitrio. Attamen liberum arbitrium in opere bono quod fit, ſuas habere partes, nec planè otioſum eſſe, fatendum eſt: *Ne putetur*, ait S. Auguſtinus Lib. de Gratia & libero arbitrio cap. 15. n. 31. *nihil ibi facere ipſos homines per liberum arbitrium, ideo in Pſalmo dicitur: Nolite obdurare corda veſtra. Et per ipſum Ezechielem.... Facite vobis cor novum & ſpiritum novum..... Meminerimus*, pergit ibidem Auguſtinus, *ipſum dicere: Facite vobis cor novum, qui dicit: Dabo vobis cor novum ... Quare jubet, ſi ipſe daturus eſt? Quare dat, ſi homo facturus eſt? Niſi quia dat quod jubet, cùm adjuvat, ut faciat, cui jubet*. Obſervatione omninò digna ſunt poſtrema hæc ſancti Doctoris verba, quibus patet, Deum hoc ſenſu dare homini, & velle, & agere, quòd eum adjuvet ut velit & faciat. Non ergo, concludunt, dando illi gratiam à ſe ſeu natura ſua efficacem, quæ eſſentialem habeat cum hominis actione connexionem; ſed tantùm adjuvando, & ſic adjuvando, ut Deo adjuvanti ſemper homo reſiſtere poſſit.

(Marginal notes: T. 10. p. 733. F. — Ibid. p. 734. A.)

III. Ex iſtis verbis Apoſtoli 1. Cor. 4. v. 7. *Quis te diſcernit? Quid habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Porrò, inquiunt, ſi gratia non eſt à ſe efficax etiam in actu ſecundo, ſed à libero arbitrio efficax dici poſſit; qui eam efficacem reddit, nonne ſeipſum ab alio diſcernit? Contra expreſſam ſententiam Apoſtoli.

Re-

Digitized by Google

Reſpondent alii: Objectionem hanc præſenti quæſtioni accommodatam non eſſe; nuſquam enim contingit, ut efficaci gratiæ unus conſentiat, & alter reluctetur; ſi enim efficax ſupponitur, ambo conſentiunt; aliàs verè non eſſet efficax. Hoc ipſum & gratiæ ex congruitate efficaci adaptat Bellarminus Lib. 1. de Gratia & libero arbitrio cap. 13. *Poteſt quidem fieri*, inquit, *ut duo homines eadem interna motione accepta eundem Concionatorem audiant, & eadem ſigna videant, & unus credat, alter non credat; tamen non poteſt fieri, ut ſi eandem omninò gratiam excitantem duo homines accipiant, unus credat, alter non credat. Siquidem ad gratiam non ſolùm pertinet motio ſive excitatio interna, ſed circumſtantia loci, temporis, perſonæ &c. Si enim eadem motione accepta unus credit, alter non credit, ſine dubio unus accipit motionem eo modo, loco & tempore, quo Deus prævidit ejus ingenio congruere, alter non ita accipit; ac per hoc longè majorem habuit Dei gratiam, is qui credit, quàm qui non credit. Qui enim non credidit, habuit gratiam, per quam poſſet credere; qui autem credidit, habuit gratiam, qua poſſet & vellet credere.* T. 4. p. 183. B.

Igitur hypotheſis, quæ ſolet adduci duorum hominum, quorum unus gratiæ conſentit, alter verò reſiſtit, locum non habet, niſi ubi agitur de gratia ſufficiente, non verò de efficaci: atque propoſita ex Apoſtolo difficultas, iis omnibus Theologis ſolvenda eſt, qui contendunt uberiorem gratiam ſeu efficacem non denegari iis, qui ſufficienti non reſiſtunt. An verò eo in caſu, qui non reſiſtit gratiæ, ſe ipſum ab alio diſcernere dicendum erit? Minimè profectò: quia diſcretio, quocumque in caſu, in gratiam ipſam, quæ precipua eſt ac nobilior boni operis cauſa, ſine qua homo nihil boni ſupernaturalis cogitare, velle aut operari poteſt, rejici ſemper debet.

Duo præterea hic obſervant iidem Theologi:

Primum, his Apoſtoli verbis, *Quis te diſcernit?* Eam dumtaxat excludi diſcretionem, quæ fiat per merita noſtra ſine gratia; non eam, quæ fiat per merita noſtra ex gratia. *Si merita noſtra ſic intelligerent*, (Pelagiani) ait S. Auguſtinus Lib. de Gratia & libero arbitrio cap. 6. n. 15. *ut etiam ipſa dona Dei eſſe cognoſcerent, non eſſet reprobanda iſta ſententia: quoniam verò merita humana ſic prædicant, ut ea ex ſemetipſo habere hominem dicant, prorſus rectiſſimè reſpondet Apoſtolus, Quis enim te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti?* Et Lib. de prædeſtinatione SS. cap. 5. nu. 10. *Qui gloriatur, in Domino glorietur. Nihil autem*, ait ſanctus Doctor, *huic ſenſui tam contrarium eſt, quàm de ſuis meritis ſic quemquam gloriari, tanquam ipſe ſibi ea fecerit, non gratia Dei: ſed gratia, quæ bonos diſcernit à malis, non quæ communis eſt bonis & malis.* Hoc eſt, ipſa natura. T. 10. p. 725. F. G. Ibid. p. 797. D.

Alterum, ea ferè omnia loca Scripturæ, quibus nonnulli probant, gratiam ex ſe ſeu ex natura ſua efficacem eſſe, ab Auguſtino accommodari innocenti naturæ, quæ profectò gratia illa per ſe efficaci non indigebat, ſaltem in ſententia Auguſtinianorum. S. Doctoris verba ſuperiùs laudata ſunt.

Probatur 2. ex S. Auguſtino.

Ad tria univerſim capita revocantur, quæcunque ex Auguſtino pro gratia ex ſeſe ſeu natura ſua efficaci proferri ſolent.

Primò ea laudant teſtimonia, in quibus ſanctus Doctor ſæpiſſimè affirmat, Deum

Digitized by Google

Deum efficaciſſima ſua gratia operari in nobis velle & perficere bonum. Lib. de Gratia & libero arbitrio cap. 16. nu. 32. *Certum eſt*, inquit, *nos velle, cùm volumus: ſed ille facit, ut velimus bonum .... Certum eſt, nos facere cùm facimus: ſed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit: Faciam ut in juſtificationibus meis ambuletis.* T. 10. p. 734. G.

Ibidem cap. 5. nu. 12. loquens de vocatione S. Pauli: *Ut de Cœlo*, inquit, *vocaretur, & tam magna & efficaciſſima vocatione converteretur, gratia Dei erat ſola, quia merita ejus erant magna, ſed mala.* Ibid. p. 724. E.

Ad hæc & alia benè multa hujuſcemodi teſtimonia reponunt adverſæ partis Theologi, mentem ac ſenſum S. Auguſtini dignoſci meliùs non poſſe, quàm ex ipſius ſcopo, ſeu ſtatu controverſiæ, quam cum Pelagianis habebat: nempè ut oſtenderet adversùs illos, neceſſariam eſſe gratiam, quæ voluntatem ipſam præveniat & afficiat, per quam illa non tantùm poſſit velle & operari bonum, ſed etiam reipſa velit & operetur. Unam enim illi mentis illuſtrationem ſufficientem eſſe contendebant: Econtrà ſanctus Doctor ex infirmitate per labem originalem contracta in ipſa potiſſimùm voluntate, demonſtrabat neceſſariam prorſus eſſe gratiam, quæ voluntatem ſanaret ac juvaret ad bonum volendum & faciendum; atque cùm ſic adjuvat Deus, dicitur in nobis operari velle ac perficere. *Dat quod jubet*, ait S. Auguſtinus Lib. de Gratia & lib. arb. cap. 15. n. 31. *cùm adjuvat, ut faciat, cui jubet*. Non ergo, inquiunt, in his locis ſanctus Doctor gratiam conſiderat præcisè ut à ſe efficacem: de modo enim illius efficaciæ non erat quæſtio cum Pelagianis; ſed de illa ut ſimpliciter neceſſaria voluntati, ut ad bonum ferri poſſit, ac feratur. Hoc ſenſu Deus *efficaciſſimas vires* præbere dicitur, quia voluntas ſine gratia nihil poteſt, & cum ipſa omnia poteſt. *Certum eſt*, ait S. Auguſtinus cap. 16. Libri de Gratia & libero arbitrio, *nos mandata ſervare, ſi volumus: ſed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum eſt, ut tantum velimus, quantum ſufficit, ut volendo faciamus... Dat autem Deus, quod jubet, cùm adjuvat, ut faciat, cui jubet.* Ibid. p. 734. A. Ibid. G.

Vocatio autem S. Pauli, quam cap. 1. ait, *tam magnam & efficaciſſimam fuiſſe*, ad eam pertinebat ſubitam gratiæ motionem, quæ indeliberata eſt, & fit in nobis ſine nobis, non verò ad eam, cui voluntas liberè conſentit ac cooperatur. Utramque ſpeciem divinæ in nobis motionis diſtinguit ibidem ſanctus Doctor: in ea, quæ deliberata eſt, non ſola eſt gratia, neque homo ſolus, ſed gratia Dei cum illo. *Ut autem*, pergit, *de Cœlo vocaretur* (Paulus) *& tam magna & efficaciſſima vocatione converteretur, gratia erat ſola.*

Reipſa ſanctus Doctor Pelagianos impugnans urget adversùs ipſos hæc Scripturæ teſtimonia: *Sine me nihil poteſtis facere. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum.* Verùm nihil aliud intendit, niſi ut probet abſolutam gratiæ neceſſitatem, quæ præveniat, non verò ſequatur voluntatem. Quapropter obſervat Lib. 1. ad Bonif. cap. 19. n. 37. Chriſtum Joan. 6. non dixiſſe: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater duxerit eum;* ſed: *Niſi Pater traxerit eum. Non ait* (Chriſtus) *duxerit, ut illic aliquo modo intelligamus*, inquit S. Auguſtinus, *præcedere voluntatem. Quis trahitur, ſi jam volebat? Et tamen nemo venit, niſi velit. Trahitur ergo miris modis, ut velit, ab illo, qui novit intus in cordibus ipſis operari; non ut homines, quod fieri non poteſt, nolentes credant, ſed ut volentes ex nolentibus fiant.* Ibid. p. 428. A.

Nec eſt, quòd vim facias in verbo *trahere*, quaſi efficacem à ſe gratiam invictè

Digitized by Google

victè demonſtraret. An quæſo, plus energiæ ad eam ſignificandam habet,
quàm iſta loquendi ratio: *Spiritu Dei agi? Plus enim eſt agi, quàm regi*, ob-
ſervat S. Auguſtinus Lib. de geſtis Pelagii cap. 3. n. 5. *Qui enim regitur, aliquid* Ibid. p.
agit; & à Deo regitur, ut rectè agat; qui autem agitur, agere aliquid ipſe vix in- 194. D.
telligitur. Attamen docet idem S. Auguſtinus Lib. de corrept. & grat. cap. 2.
n. 4. multos Spiritu Dei agi, qui tamen ea, quæ oportet, non agunt. Ergo
iſta loquendi ratio: *Spiritu Dei agi*, ſicut & iſta, *trahi à Patre*, non ſemper
efficacem à ſe gratiam deſignant.

Secundò, ea opponunt loca, in quibus vim & efficaciam gratiæ ſanctus
Doctor repetit ab una omnipotentiſſima Dei voluntate.

Lib. de corrept. & gratia cap. 14. nu. 43. *Volenti ſalvum facere*, inquit, *nul-* T. 10 p.
lum hominis reſiſtit arbitrium. Sic enim velle ſeu nolle in volentis aut nolentis eſt po- 774. B.
teſtate, ut divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem. De his C.
enim, qui faciunt, quæ non vult, facit ipſe, quod vult... Qui tamen hoc non fecit,
niſi per ipſorum hominum voluntates, ſine dubio habens humanorum cordium, quo
placeret, inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem. Et Libro de Gratia Chri- Ibid. p.
ſti cap. 24. n. 25. *Non lege atque doctrina inſonante forinſecùs, ſed interna & oc-* 241. E.
culta, mirabili ac ineffabili poteſtate operatur Deus in cordibus hominum non ſolùm
veras revelationes, ſed bonas etiam voluntates. Idem habet Lib. de prædeſt. SS. Ibid. p.
cap. 8. n. 13. *Hæc itaque gratia*, inquit, *quæ occultè humanis cordibus divina lar-* 799. F.
gitate tribuitur, à nullo duro corde reſpuitur. Ideò quippe tribuitur, ut cordis du- G.
ritia primitùs auferatur. Quæ verba de una gratia efficaci intelligi poſſunt.

Reponunt alii, hæc fruſtrà ac immeritò ſibi objici, quaſi aliquis foret
Theologus, qui non agnoſcat vim & efficaciam gratiæ ab una Dei omnipoten-
tiſſima virtute derivari. Hoc & ipſi, qui Moliniſtæ vocantur, hoc & Con-
gruiſtæ ultrò fatentur: hoc & in ipſo innocentis naturæ ſtatu, cui nullam per
ſe efficacem gratiam neceſſariam fuiſſe contendunt Janſeniani, locum habuiſſe
nemo diffitetur. Hoc etiam veriſſimum eſt in eorum opinione, qui volunt,
gratiam reddi efficacem in actu ſecundo per conſenſum voluntatis: conſenſus
enim ille ab ipſa gratiæ virtute defluit, ſine qua non poneretur. *Quis non vi-*
deat, ait S. Auguſtinus Lib. de Gratia Chriſti cap. 14. nu. 15. *& venire quem-* Ibid. p. 237. C.
quam & non venire arbitrio voluntatis? Sed hoc arbitrium poteſt eſſe ſolum, ſi non D.
venit: non autem poteſt niſi adjutum eſſe, ſi venit; & ſic adjutum, ut non ſolùm
quid faciendum ſit, ſciat, ſed quod ſcierit, etiam faciat. Conſtanter propoſitum
ſuum urget ſanctus Doctor adversùs Pelagianos, ut demonſtret neceſſitatem Ibid. p.
gratiæ, quæ voluntatem præveniat & excitet. *Operatur in cordibus hominum,* 241. B.
non ſolùm veras revelationes, ſed bonas etiam voluntates. De modo autem, quo
gratia bonas illas voluntates efficaciter operetur in nobis, ſolicitus non vi-
detur ſanctus Doctor, nec de illo controverſia ipſi erat cum Pelagianis. Ex
citato cap. 8. Libri de prædeſt. SS. patet, equidem quamdam eſſe gratiam ef-
ficacem, quæ ſuo nunquam fruſtratur effectu: at ratio & modus, quo efficax
eſt, an ex ſe, an aliter, inde non probatur.

Tertiò arguunt potiſſimùm ex his locis, in quibus S. Auguſtinus amplum
iſtud ſtatuit diſcrimen inter gratiam utriuſque ſtatus, naturæ ſcilicet inno-
centis & lapſæ, quòd gratia prior ſufficiens dumtaxat fuerit, verſatilis, li-
bero voluntatis arbitrio permiſſa; gratia verò hujus ſtatus invincibiliter & in-
ſuperabiliter determinet voluntatem ad bonum. Diſcrimen iſtud fusè proſe-

qui-

quitur S. Auguſtinus Libro de correpr. & grat. cap. 12. cujus verba non ſemel in præſenti Tractatu laudavimus. Vide ſuprà pag. 281. *Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ*, ait S. Auguſtinus citato cap. 12. nu. 38. *ut divina gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur .... Fortiſſimo* (Adamo) *dimiſit atque permiſit facere, quod vellet: infirmis ſervavit, ut ipſo donante invictiſſimè, quod bonum eſt, vellent, & hoc deſerere invictiſſimè nollent.*

Ibid. p. 771. F. Ibid. C.

Reſpondent, qui gratiam à ſe efficacem non admittunt:

I. Diſcrimen gratiæ utriuſque ſtatus in eo eſſe, quòd naturæ innocenti ſufficiebat gratia illuminationis ſeu illuſtrationis mentis, quæ ab Auguſtino dicitur auxilium *ſine quo*; naturæ verò lapſæ neceſſaria ſit gratia voluntatis, ob infirmitatem, quam ex peccato primi parentis contraxit. *Si enim*, ait S. Auguſtinus Lib. de correpr. & grat. cap. 12. *in tanta infirmitate vitæ hujus ipſis relinqueretur voluntas ſua, ut in adjutorio Dei, ſine quo perſeverare non poſſent, manerent, ſi vellent, nec Deus in eis operaretur, ut vellent; inter tot & tantas tentationes infirmitate ſua voluntas ipſa ſuccumberet, & ideo perſeverare non poßent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut poſſent.*

Ibid. E.

II. Adjutorium *quo*, de quo ſanctus Doctor citato cap. 12. Libri de correpr. & grat. vel eſt, ut multi putant, adjutorium gratiæ actualis efficacis, quod datur homini viatori, ut bonum operetur, & in eo ad finem uſque perſeveret; vel eſt, ut aliis placet, ipſamet formalis & actualis perſeverantia, ſeu unio mortis cum ſtatu gratiæ ſanctificantis, quæ, ut loquitur ipſe S. Auguſtinus, *contumaciter amitti non poteſt*: quod illuſtrat ſanctus Doctor exemplo beatitudinis, per quam homo formaliter fit beatus, nec à beatitudine poteſt excidere. Quocumque autem ſenſu auxilium illud *quo* intelligere placuerit, gratiam à ſe efficacem ex eo non elicies, ajunt illi: namque ſi per auxilium illud *quo* finalem intelligas perſeverantiam formalem, qua quis actu & formaliter eſt perſeverans, ſeu moritur in ſtatu gratiæ ſanctificantis, meritò in mente S. Auguſtini auxilium illud inſuperabile, indeclinabile ac invincibile dicitur, quia eſt ipſa formalis perſeverantia, quæ contumaciter amitti non poteſt. *Multi*, ait ſanctus Doctor Lib. de dono perſev. cap. 6. n. 10. *poßunt eam habere, nullus amittere .. Hoc ergo Dei donum ſuppliciter emereri poteſt: ſed cùm datum fuerit, amitti contumaciter non poteſt .... Quomodo enim poteſt amitti, per quod fit, ut non amittatur etiam, quod poßet amitti?* Senſus porrò ille quæſtionem noſtram præſentem de gratia ex ſe efficaci nullatenus ſpectat. Si verò auxilium illud *quo* apud S. Auguſtinum ſit actualis gratia, eaque efficax, quæ certiſſimè dat homini, ut velit & operetur bonum, verba hæc, *inſuperabiliter, indeclinabiliter, invictiſſimè*, vel cadunt in ipſam voluntatem, quæ auxilio gratiæ roborata, adversùs omnes tentationum impetus invicta ſtat & inſuperabilis; quem ſenſum indicare videtur S. Auguſtinus verbis iſtis antea citatis ex cap. 12. Lib. de correpr. & grat. *Subventum eſt infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur; & ideo, quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adverſitate aliqua vinceretur.* Ipſa ergo voluntas, inquiunt, invincibilis & inſuperabilis fit per gratiam; non verò gratia invincibilis & inſuperabilis eſt, aut dici debet, cui voluntas poteſt ſemper diſſentire, ſi velit. Vel cadunt in ipſam actualem gratiam efficacem, atque recto etiam ſenſu invincibilis & inſuperabilis illa dici poteſt, non quidem antecedenter, ſeu ex infallibili & eſſentiali ejus connexione cum effectu, ſed conſequenter ad ſcientiam.

T. 10. p. 826. F.

tiam divinam, qua Deus certiſſimè novit, quid homo facturus ſit, ſi ſub tali gratia, in his vel illis temporis & loci circumſtantiis conſtituatur. *Cujus enim miſeretur*, ait S. Auguſtinus Lib. 1. ad Simplicianum q. 2. *ſic eum vocat*, T. 6. p. 95. E. *quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat.*

Probatur 3. ex rationum momentis.

I. Ex ipſa idea & notione gratiæ efficacis. Unde enim efficax eſt ac dicitur, niſi quia effectum ſuum certò & infallibiliter efficit? Qua ex parte à gratia ſufficiente diſtinguitur.

Reponunt alii: Reverà quidem in idea & notione gratiæ efficacis involvi certitudinem effectus; at dubium ſemper remanet, unde repetatur illa effectus certitudo: an ex ipſa interna gratiæ natura & phyſica præmotione ſeu determinatione; an ex divina præſcientia. Namque gratia efficax, ut dictum eſt, ſpectatur vel in actu primo, vel in actu ſecundo: priori modo, inquiunt, infallibilem & eſſentialem non habet cum effectu ſuo connexionem, ſed tantùm apta eſt illam habere; cui nihilominùs voluntas ſemper reſiſtere poteſt: poſteriori verò modo, certò & infallibiliter effectum obtinet; imò ſic conſiderata gratia in actu ſecundo efficax, eſt ipſamet formalis actio voluntatis gratiæ Dei cooperantis, adeòque certa & infallibilis: fieri quippe non poteſt, ut voluntas non agat, quando agit. *Non ego, ſed gratia Dei mecum*, ait Apoſtolus. *Id eſt*, obſervat S. Auguſtinus Lib. de Gratia & T. 10. p. lib. arb. cap. 5. *non ſolus, ſed gratia Dei mecum: ac per hoc nec gratia Dei ſola, nec* 724. D. *ipſe ſolus, ſed gratia Dei cum illo.*

Inſtant 1. Si gratia efficax in actu primo conſiderata, certam & eſſentialem ex ſe ſe non habeat cum effectu ſuo connexionem, à ſufficienti non diſtinguitur; hæc enim veram, propriam & expeditam etiam relativè, ut diximus, confert voluntati ad opus bonum potentiam.

Negant ſequelam antecedentis: quia plùs virium eſt in gratia efficaci, ut apta ſit & idonea excitandæ ac flectendæ voluntati ad bonum, quàm in gratia ſufficiente; ex quocumque tandem capite profluat aptitudo illa, ſive ex ſola interna gratiæ natura, ſive ex adjuncta contemperatione ac congruitate illius externa ad hominis indolem, ingenium, aliaſque temporis, vel loci, vel perſonæ circumſtantias.

Inſtant 2. Si gratia efficax etiam in actu primo conſiderata certam & eſſentialem non habeat cum effectu ſuo connexionem, ſed aliquo ſenſu efficax reddatur in actu ſecundo per voluntatis conſenſum, duo maximè abſurda ſequuntur: primum, gratiam pediſſequam eſſe voluntatis; alterum, gratiam humanæ voluntati ſubjici, & ab ea determinari.

Reponunt, hæc duo abſurda falsò prorſus ſuæ ſententiæ imputari: primum quidem, quia iſto tantùm ſenſu gratia voluntatis pediſſequa dici poteſt, quòd gratiam præcedat voluntas, non gratia voluntatem. Atqui nullus eſt Orthodoxus, qui cùm de bono ſupernaturali agitur, dicere auſit, voluntatem gratiæ præire, non gratiam voluntati: omnes enim communi ſenſu docent contra Semipelagianos, initium fidei ac bonæ voluntatis eſſe à gratia Dei præveniente; ex quo ſequitur, non gratiam pediſſequam eſſe voluntatis, ſed potiùs voluntatem, quando impulſum gratiæ ſequitur, gratiæ pe-

diſſe-

diſſequam eſſe. *Cùm fides impetrat juſtificationem*, ait S. Auguſtinus Epiſtola 186. ad Paulinum, aliàs 106. cap. 3. n. 10. *non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani, ſed ipſa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, comitante, non ducente, pediſſequa, non prævia voluntate.*

Falsò non minùs aliud abſurdum imputatur. Sæpiùs enim & hìc, & in Tractatu de ſcientia Dei obſervatum eſt, abſurdum planè eſſe, ut ſuperior inferiori ſubjici dicatur, quando inferior ſuperioris mandata exequitur: pàriter ut quod ex ſe determinatio quædam eſt, inclinatio, impulſus ad aliquid, dicatur determinari, quando voluntas determinationem illius ſeu motionem & impulſum ſequitur. Sicut abſurdus eſſet ille, qui diceret, lumen Solis ad efformandam viſionem ab eo determinari, qui oculos aperit, ut lumen aſpiciat: non ita profectò eſt, ſed ille potiùs determinationem præſentis luminis dicitur ſequi. Ita pariter eſt de gratia, quæ ſuperiores partes agit reſpectu voluntatis; & eſt ex ſeſe quædam ab bonum determinatio, inclinatio, propenſio, quam cùm voluntas prona ſequitur, non determinat ad bonum gratiam, ſed potiùs ejus determinationem & inclinationem ſequi dicenda eſt.

II. Arguunt ex precibus Eccleſiæ, quæ poſtulat à Deo non tantùm ut poſſimus, ſed etiam ut reipſa bonum velimus & operemur per gratiam efficacem.

Verùm, dicunt alii, quis id negat? Nemo prorſus. Quæſtio enim præſens non in eo eſt, utrùm neceſſaria ſit & admittenda gratia operis ſeu actionis, quę dicitur efficax; ſed utrùm ſit ex ſe ſe efficax, ſeu eſſentialem connexionem habeat cum effectu, antecedenter ad prævisum voluntatis conſenſum? Id porrò unum in controverſiam adducunt nonnulli Theologi, quia nempe ſine periculo fidei negari non poteſt, quin voluntas gratiæ efficacis auxilio roborata, ſe ſe ad opus bonum pro arbitrio determinet: neque enim merè paſſivè ſe habet, nec tantùm agitur, ut ait S. Auguſtinus, ſed etiam agit. Ergo activè ſe ipſam determinat, & quidem ita liberè, ut poſſit ſe non determinare, nec gratiæ, ſi velit, conſentire; atque ſe determinando & gratiæ obſequendo, gratia evadit efficax in actu ſecundo. Nec majus in eo incommodum & abſurdum videtur eſſe, quàm cùm Apoſtolus 2. ad Timoth. 1. v. 6. dixit: *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* Gratiam quaſi ſopitam, Deo adjuvante, reſuſcitare; & eam quodammodo reddere efficacem, nonne, inquiunt, in idem recidit?

III. Niſi gratia ex ſeſe, ſeu natura ſua efficax & victrix admittatur, facillimum erit exponere, & quomodo ſtet illæſa libertas cum gratia, quæ per conſenſum voluntatis redditur efficax in actu ſecundo; & quare è duobus hominibus unus efficaciter operatur bonum, alter verò non operatur. Ratio quippe in promptu eſt, quia ſcilicet unus vult gratiæ excitanti cooperari, alter verò non vult. Atqui tamen S. Auguſtinus duplicem illam quæſtionem ſolvere ſe non poſſe, & ad inſcrutabilia Dei Judicia recurrendum eſſe candidè
T. 10. p. 250. G. profitetur. *Iſta quæſtio*, inquit Lib. de Gratia Chriſti cap. 47. n. 52. *ubi de arbitrio voluntatis & Dei gratia diſputatur, ita eſt ad diſcernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem aſſeritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.* De altera pariter quæſtione
T. 2. p. 718. E. Epiſt. 194. aliàs 105. c. 3. nu. 10. *Cur*, inquit, *ille credat, ille non credat, cùm ambo idem audiunt; & ſi miraculum in eorum conſpectu fiat, ambo idem vident; altitudo eſt divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, cujus inſcrutabilia ſunt Judicia.*

Et

Digitized by Google

Et Libro 2. de pecc. mer. & rem. cap. 5. n. 6. *Cur illum adjuvet, illum non adjuvet; illum tantùm, illum autem non tantùm; iſtum illo, illum iſto modo; penes ipſum eſt & æquitatis tam ſecretæ ratio, & excellentia poteſtatis.*

Denique L. de ſpir. & litt. cap. 34. nu. 60. *Si ad illam,* inquit, *profunditatem* Ibid. p. 120. G. *ſcrutandam quiſquam nos coarctet, cur illi ita ſuadeatur, ut perſuadeatur, illi autem non ita; duo ſola occurrunt, quæ reſpondere mihi placeat: O altitudo divitiarum! Et, Numquid iniquitas eſt apud Deum? Cui reſponſio iſta diſplicet, quærat doctiores, ſed caveat ne inveniat præſumptores.*

Reſpondent 1. Quæſtionem iſtam, cur unus gratiæ vocanti conſentiat, alter verò reſiſtat? Cur uni talis gratia concedatur, cum qua prævidetur bonum operaturus, alteri non concedatur? Quæſtionem, inquam, illam comparatè ſpectatam unius præ alio, ſolvi non poſſe, & ad inſcrutabilia Dei Judicia recurrendum, ſicut recurrit locis mox citatis S. Auguſtinus. Et Lib. de dono perſev. cap. 9. *Ex duobus,* inquit, *ætate jam grandibus impiis, cur iſte ita* Ibid. p. 831. E. *vocetur, ut vocantem ſequatur, ille aut non vocetur, aut non ita vocetur; inſcrutabilia ſunt Dei Judicia. Ex duobus autem piis, cur huic donetur perſeverantia uſque in finem, illi autem non donetur, inſcrutabilia ſunt Dei Judicia.* Igitur propoſita quæſtio comparatè ſumpta, ſolvi non poteſt: ſi tamen abſolutè conſideretur, utcunque ſolvi poteſt; quærenti enim, cur ille vocanti gratiæ conſentiat, ille verò non conſentiat? Prompta & obvia videtur reſponſio: Quia hic noluit, ille verò voluit conſentire.

Reſpondent 2. Quæſtionem propoſitam etiam abſolutè conſideratam omninò ſolvi non poſſe. Potuiſſet S. Auguſtinus, ait Bellarm. Lib. 1. de Gratia & libero arbitrio cap. 12. reſpondere, uni perſuaderi, alteri non ita, quia unus vult aſſentiri, alter non vult: ſed quoniam noverat poſſe Deum etiam nolenti aſſentiri facilè perſuadere, & ex nolente facere volentem, ſi vellet ei proponere, quæ ſcit menti ejus & ingenio congruere; ideo ad arcanum divini conſilii retulit, dicens: *O altitudo divitiarum!*

Alia verò quæſtio de concilianda libertate arbitrii cum efficacia gratiæ, Auguſtino cum Pelagianis & Semipelagianis congredienti ſemper ad explicandum perdifficilis viſa eſt; quia difficile reverâ eſt concipere, qua ratione libera remanet hominis libertas cum neceſſitate gratiæ prævenientis: qua difficultate turbati & oppreſſi dicti mox hæretici, neceſſitatem gratiæ interioris prævenientis negare maluerunt, quàm hominis libertatem. Conciliatio verò & concordia libertatis cum gratia operante & cooperante, ſeu cum tota gratiarum ad ſalutem hominis pertinentium ſerie faciliùs explicari poteſt in uno, quàm in altero Theologorum circa gratiam ſyſtemate; v. gr. in ſyſtemate ſcientiæ mediæ & gratiæ congruæ. *Cujus enim miſeretur,* (Deus) T. 6. p. 95 E. ait S. Auguſtinus Lib. 1. ad Simplic. q. 2. *ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat.* Ibid. p. 94. B. Ibidem: *Ut velimus,* ait, *& ſuum eſſe voluit & noſtrum ſuum vocando, noſtrum ſequendo.* Et Lib. de ſpir. & litt. cap. 34. nu. 60. T. 10. p. 120. E. *Nemo,* inquit, *habet in poteſtate, quid et veniat in mentem, ſed conſentire vel diſſentire propriæ voluntatis eſt.* En facilior via hujus concordiæ, quia ſcilicet homo lubens ac volens gratiæ cooperatur; & Deus hominem vocat ea gratia, iiſque temporis & loci circumſtantiis, in quibus eum conſenſurum eſſe infinita ſua ſcientia prænovit.

Digitized by Google

Proponuntur momenta, quibus probatur, gratiam à ſe ipſa ſeu natura ſua efficacem non eſſe, ſeu non habere infallibilem & eſſentialem cum ſuo effectu connexionem.

Dignoſci facilè poſſunt ea momenta ex iis, quæ ad ſolvenda prioris ſententiæ argumenta mox relata fuere. Quæ verò hic expoſituri ſumus, totidem ſunt objectiones, quibus prior ſententia gratiæ per ſe efficacis impugnatur. Omnia porrò eò tendunt, ut oſtendant gratiæ quantumvis præpotenti ac efficaci voluntatem ſemper liberè conſentire poſſe, vel diſſentire. Ita Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 4. Ex quo inferunt nonnulli Scholæ Theologi, ante prævisum voluntatis conſenſum gratiam infallibilem & eſſentialem non habere cum effectu ſuo connexionem; adeoque ex conſenſu illo præviſo, gratiam fieri efficacem in actu ſecundo. Illa enim, inquiunt, infallibilem & eſſentialem non habet cùm voluntatis conſenſu connexionem, cui voluntas reſiſtere ſemper poteſt: atqui poteſt voluntas illi gratiæ ſemper reſiſtere; ergo &c.

Prima Probatio ex Scripturis. Probant 1. Scripturæ teſtimoniis. Proverb. 1. v. 24. *Vocavi & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum; & increpationes meas neglexiſtis.*

Iſaiæ 65. v. 2. *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem.* Et cap. 5. v. 4. ſub figura vineæ, Judæorum incredulitatem ac contumaciam increpat: *Quid eſt*, inquit, *quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci? Expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruſcas.*

Matth. 11. v. 21. & Lucæ 10. v. 13. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro & Sydone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent.* Cum eadem igitur gratia, inquiunt, cum qua Corozaitæ converſi non ſunt, converſi fuiſſent Tyrii ac Sydonii, ſi data ipſis fuiſſet; ergo, concludunt, accedente illorum conſenſu, gratia illa efficax fuiſſet in actu ſecundo. Et Matth. cap. 23. v. 37. Chriſtus Jeruſalem ſic increpat: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?*

Denique Apocal. 3. v. 20. Deus ait: *Ecce ſto ad oſtium & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum.*

Ad hæc reponunt prioris ſententiæ patroni: 1. Reverà hominem gratiæ moventi & excitanti liberè conſentire vel reſiſtere; & quidem ad reſiſtendum eum ſolum ſibi ſufficere, nec opus habere gratia; verùm ex gratia per ſe efficaci habere illum, ut reverà conſentiat. *Certum enim eſt, nos velle, cùm volumus, nos facere, cùm facimus*, ait S. Auguſtinus, *ſed Deus facit, ut velimus & faciamus.* (Tom 10. P.734.G) Quapropter, inquiunt, non idcircò gratia efficax eſt, aut dici debet, quòd homo velit & faciat; ſed idcircò vult & facit; quia eſt ex ſe ſeu natura ſua efficax.

(Ibid. P 799. G.) Reponunt 2. ex citatis locis rectè inferri, eſſe aliquod genus gratiæ, cui homo ſæpiſſimè reluctatur; at non excludi gratiam per ſe efficacem, quæ *à nullo corde reſpuitur. Ideò quippe tribuitur, ut cordis duritia primitùs auferatur*, ait S. Auguſtinus Lib. de præd. SS. cap. 8.

Secunda Probatio ex S. Auguſtino. Probant ſecundò ex S. Auguſtino, iis maximè teſtimoniis, quibus docet, gratiam non per phyſicam ad unum determinationem agere in nobis; ſed

congrua

congrua & attemperata impulſione morali, opportuna objectorum propoſitione ac viſione, molli & interna ſuaſione excitare voluntatem, ad bonum allicere, adducere; ita ut in hominis poteſtate ſemper ſit, conſentire vel diſſentire, velle aut nolle, agere vel non agere.

Lib. 1. ad Simplic. q. 2. n. 10. ubi expendens iſtam ſententiam: *Nemo credit non vocatus: ſed non omnis credit vocatus*, ſic loquitur: *Noluit ergo Eſau, & non cucurrit; ſed & ſi voluiſſet, & cucurriſſet, Dei adjutorio perveniſſet, qui ei etiam velle & currere vocando præſtaret, niſi vocatione contempta reprobus fieret. Aliter enim Deus præſtat, ut velimus, aliter præſtat, quòd voluerimus. Ut velimus enim, & ſuum eſſe voluit & noſtrum; ſuum vocando, noſtrum ſequendo. Quòd autem voluerimus, ſolus præſtat, id eſt, poſſe benè agere, & ſemper beatè vivere.* T. 6. p. 92. G. Ibid. p. 94. E.

Hic videmus, ait Bellarminus Lib. 1. de Grat. & lib. arb. cap. 12. ipſum velle noſtrum, fieri à Deo non per phyſicam actionem determinantem voluntatem; ſed per vocationem, quæ eſt moralis inclinatio & impulſio, cui liberè conſentimus vel diſſentimus. *Ut velimus*, ait adhuc S. Auguſtinus Lib. de Grat. & lib. arb. cap. 17. n. 33. *ſine nobis operatur; cùm autem volumus, & ſic volumus, ut faciamus, nobiſcum cooperatur: tamen ſine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.* T. 10. p. 735. E. F.

Libro de Spir. & litt. cap. 34. nu. 60. viſorum ſuaſionibus gratiam in nobis agere docet his verbis: *Attendat & videat, non ideo tantùm iſtam voluntatem divino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio eſt, quod nobis naturaliter concreatum eſt; verùm etiam quòd viſorum ſuaſionibus agit Deus, ut velimus, & ut credamus, ſive extrinſecus per Evangelicas exhortationes... ſive intrinſecus, ubi nemo habet in poteſtate, quid ei veniat in mentem: ſed conſentire vel diſſentire propriæ voluntatis eſt. His ergo modis, quando Deus agit cum anima rationali, ut ei credat, neque enim credere poteſt, ſi nulla ſit ſuaſio vel vocatio, cui credat; profectò & ipſum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia ejus prævenit nos: conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt. Quæ res non ſolùm non infirmat, quod dictum eſt: Quid habes, quod non accepiſti? Verùm etiam confirmat. Accipere quippe & habere anima non poteſt dona, de quibus hoc audis, niſi conſentiendo: ac per hoc quid habeat, & quid accipiat, Dei eſt: accipere autem & habere, utique accipientis & habentis eſt.* Ibid. p. 120. D.

Tria hic exponit S. Auguſtinus. Primum, velle bonum à Deo eſſe: non quidem ſenſu Pelagianorum, quia liberum arbitrium à Deo eſt; ſed quia liberum arbitrium divina gratia debet præveniri & adjuvari, ut bonum velit. Deinde explicat, quid ſit illa gratia, ac dicit, eſſe ſuaſionem, inſpirationem, viſorum immiſſionem, integram vocationem. Denique excludere videtur opinionem illam, quæ contendit, voluntatem à Deo determinari, & ad actum inſuperabiliter applicari, cùm dicit: *Conſentire vocationi & ſuaſioni Dei, vel diſſentire, propriæ voluntatis eſſe.*

Illud ipſum egregiè demonſtratur ex iis etiam, quæ tradit ſanctus Doctor de vocatione congrua, qua Deus electos ſic vocat, quomodo ſcit eis congruere, ut vocantem non reſpuant. Ita Lib. 1. ad Simplic. q. 2. jam citata nu. 13. En verba: *Quamvis multi uno modo vocati ſint, tamen quia non omnes uno modo affecti ſunt, illi ſoli ſequuntur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei; & illud non minùs verum eſt: Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis, qui ſecuti ſunt vocationem.* Et pau- T. 6. p. 95. C.

lò poſt: *Multi vocati, pauci electi. Illi enim electi, qui congruenter vocati: illi* Ibid. D. *autem, qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non ſecuti, quamvis vocati .... Etiam ſi multos vocet, eorum tamen miſeretur, quos* Ibid. E. *ita vocat, quomodo eis vocari aptum eſt, ut ſequantur ... quomodo ſcit eis congruere, ut vocantem non reſpuant.*

T. 10. p. 140. A. Et L. de dono perſev. c. 14. nu. 35. *Ex quo apparet*, inquit, *habere quoſdam in ipſo ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus, vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant: & tamen ſi Dei altiore judicio à perditionis maſſa non ſunt gratiæ prædeſtinatione diſcreti, nec ipſa eis adhibentur vel dicta divina, vel facta, per quæ poſſent credere, ſi audirent, utique talia vel viderent.*

Porrò congruam illam & attemperatam hominis ingenio, indoli, affectibus, aliiſque circumſtantiis vocationem dumtaxat moralem eſſe, & à phyſica Dei actione hominem ad unum invincibiliter determinante & applicante longè diverſam, nemo eſt, qui facilè non intelligat.

Argumentum iſtud confirmant ſimilitudines & exempla, quibus idem ſanctus Doctor utitur, ut moralem gratiæ influxum & motionem exponat. T. 3. p. 2. p. 496. C. *Ramum*, inquit Tract. 26. in Joan. *viridem oſtendis ovi, & trahis illam. Nuces puero demonſtrantur, & trahitur*. Et mox: *Si ergo iſta, quæ inter delicias & voluptates terrenas revelantur amantibus, trahunt; quoniam verum eſt: Trahit ſua quemque voluptas: Non trahit revelatus Chriſtus à Patre? Quid enim fortiùs deſiderat anima, quàm veritatem?* Hic apertè videmus, aptis ſimilitudinibus à ſancto Doctore explicatum, quemadmodum gratia trahat animam, non eam phyſicè determinando, ſed invitando atque alliciendo, demonſtratis iis, quæ congrua ſunt, illis, qui trahuntur.

Hoc ipſum rurſus confirmat converſionis Auguſtini exemplum. Deſcribit ipſemet Lib. 5. Confeſſ. c. 7. & 8. quibus modis, flexibus, & occultis ſuaſionibus Deus illum Romam attraxerit. T. 1. p. 113. B. *Egiſti mecum*, inquit, *miris & occultis modis. Tu illud egiſti, Deus meus. Nam à Domino greſſus hominis diriguntur .....* Ibid. E. *Verùm tu ſpes mea & portio mea in terra viventium, ad mutandum terrarum locum pro ſalute animæ meæ, & Carthagini ſtimulos, quibus inde avellerer, admovebas, & Romæ illecebras, quibus attraherer, proponebas mihi per homines, qui diligebant vitam mortuam, hinc inſana facientes, inde vana pollicentes; & ad corrigendos greſſus meos utebaris occultè & illorum & mea perverſitate.* Nullum hìc veſtigium phyſicæ motionis Auguſtinum ad unum invictiſſimè determinantis: ad quid enim modi tam varii & diverſi, tam multiplices flexus, ut voluntatem trahat Deus, ſi phyſica gratiæ ſuæ motione ex ſeſe certa & infallibili voluntatem ad agendum determinet? Per illecebras, per ſecretas ſuaſiones & inſpirationes miris & occultis modis Romam ut veniret ſe à Deo attractum & invitatum ſignificat ipſemet S. Auguſtinus.

Tertia probatio. Probant 3. duplici potiſſimùm momento, quorum primum ducitur ex parte libertatis, quæ per gratiam ex ſeſe efficacem ac phyſicè præmoventem lædi videtur: alterum ex parte hominis juſti, cui primum, quod committit peccatum, videtur ad culpam imputari non debere, eò quòd abſque ſua culpa caruerit gratia ex ſeſe efficaci omninò neceſſaria, ut peccatum illud declinaret.

T. 14. Conc. p. 758. C. D. Primum oſtendunt ex doctrina & definitione Concilii Trid. ſeſſ. 6. cap. 5. & Can. 4. *Declarat ſancta Synodus*, ait cap. 5. *ipſius juſtificationis exordium*

in

in adultis à Dei per Jeſum Chriſtum, præveniente gratia, ſumendum eſſe, hoc eſt, ab ejus vocatione, qua, nullis eorum exiſtentibus meritis, vocantur; ut qui per peccata à Deo averſi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum juſtificationem, eidem gratiæ liberè aſſentiendo & cooperando, diſponuntur: ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus ſancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omninò agat, inſpirationem illam recipiens; quippe qui illam & abjicere poteſt; neque tamen ſine gratia Dei movere ſe ad juſtitiam coram illo libera ſua voluntate poſſit.

Et Can. 4. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat ac præparet; neque poſſe diſſentire, ſi velit, ſed velut inanime quoddam nihil omninò agere, mereque paſſivè ſe habere, anathema ſit.* *Ibid. p. 764. E.*

Quatuor complectitur hæc Concilii Tridentini doctrina. Primum, exordium juſtificationis in adultis, à gratia Dei per Chriſtum nullis eorum præexiſtentibus meritis ſumendum eſſe; quibus verbis Pelagianorum error confoditur. Secundum, adultos ad illam juſtificationem ſe diſponere *per gratiam excitantem & adjuvantem*. Non ait Synodus, gratiam illam eſſe à ſe, ſeu natura ſua & phyſica præmotione efficacem: noverat hanc eſſe Scholæ controverſiam, à qua more ſuo cautè & prudenter abſtinet. Tertium, adultos liberè huic gratiæ aſſentiendo & cooperando, ſe diſponere ad juſtificationem; adeòque illos non merè paſſivè ſe habere, ſed eos verè & activè concurrere ad opus juſtificationis. *Non ego, ſed gratia Dei mecum*, ait Apoſtolus. Quartum, ſub illa Dei motione, *Deo tangente cor hominis*, hominem liberum remanere, *ac poſſe, ſi velit, gratiæ diſſentire*. Unde ſic arguunt: Homo gratiæ moventi poteſt liberè, ſi velit, diſſentire: atqui ſi gratia eſſet à ſe, ſeu natura ſua efficax phyſica, antecedente & inſuperabili motione; ſeu, ſi ex ſe infallibilem & eſſentialem haberet connexionem cum voluntatis conſenſu, non poſſet illi diſſentire; aliàs, gratia non eſſet à ſeipſa efficax, quam voluntas diſſenſu ſuo reddere poſſet inefficacem, quod eſt contra hypotheſim & naturam gratiæ efficacis, quæ ſemper ac eſſentialiter effectum in ſuo conceptu ſeu notione involvit.

Reſpondent adverſæ partis Theologi, voluntatem non poſſe quidem non conſentire motioni gratiæ in ſenſu compoſito; id eſt, non poſſe ſimul conjungere actionem cum non actione, conſenſum cum diſſenſu; ſed poſſe in ſenſu diviſo, quia, quo inſtanti movetur & excitatur per gratiam, retinet liberam & expeditam potentiam, qua poteſt, ſi velit, non conſentire. Senſus ergo compoſitus, in eorum ſententia, excludit ab actione negationem actionis, non verò negationem potentiæ ad non agendum.

Verùm hæc reſponſio videtur aliis rem longè magis involvere & obſcurare, quàm explicare. 1. Quia fatetur voluntatem in ſenſu compoſito gratiæ moventi diſſentire non poſſe; attamen Concilium aſſerit, eam poſſe diſſentire in ipſo ſenſu compoſito motionis divinæ: *Deo*, inquit, *cor hominis tangente diſſentire poteſt, ſi velit*. Non potuit Synodus clariùs ſenſum illum compoſitum exprimere. 2. Senſus ille compoſitus vel cadit in ipſam Dei motionem actualem, vel in actionem hominis: ſi in motionem Dei, cui voluntas in ſenſu compoſito diſſentire non poſſit, adverſatur, ut mox diximus, verbis Concilii: *Deo tangente cor hominis*. Deinde verò, ſenſus ille omninò abſurdus

ac ridiculus foret. Quid enim eſt voluntatem in ſenſu compoſito gratiæ moventi non poſſe diſſentire, poſſe verò in ſenſu diviſo? Niſi eam poſſe ſublata ſeu remota motione; illa verò ſtante, non poſſe, quod planè ridiculum & abſonum videtur. Perinde eſt, ac ſi quis ſervata proportione diceret, hominem vinculis conſtrictum ambulare poſſe in ſenſu diviſo; id eſt, ſi ſolvantur vincula; non poſſe verò in ſenſu compoſito; id eſt, ſi vincula remaneant. Egregia verò ſolutio! Quis enim iſtud revocat in dubium? Porrò non de ſenſu diviſo quæſtio hìc eſt, ſed de ſenſu compoſito.

Si verò ſenſus compoſitus dicatur cadere in ipſam hominis actionem, ut ſenſus ſit, voluntas divina gratia excitata & adjuta non poteſt, quin agat; non poteſt ſimul componere actionem cum non actione, conſenſum cum diſſenſu, (quem reverà ſenſum videntur adverſarii innuere) non minùs aliis abſurda videtur reſponſio. Namque ipſa hominis à Deo moti & excitati actio inſeparabilis eſt ab actione Dei moventis & excitantis: neque enim intelligi poteſt voluntatem à Deo moveri, quin ſimul intelligatur mota & excitata; ergo ſenſus ille compoſitus non poteſt cadere in actionem voluntatis à Deo motæ & excitatæ, quin ſimul cadat etiam in actionem Dei moventis & excitantis. Ergo ſi voluntas gratiæ moventi non poteſt diſſentire in ſenſu compoſito, ſed tantùm in ſenſu diviſo, ſenſus ille diviſus cadit non tantùm in actionem voluntatis motæ & excitatæ à Deo, ſed etiam in actionem Dei moventis & excitantis. Ergo eo tantùm ſenſu libera eſt in ſenſu diviſo voluntas, ut gratiæ moventi non conſentiat, ſi nempè removeatur ſeu tollatur Dei motio. Ergo in quamcunque ſe vertant partem, in mox dictam abſurditatem auctores reſponſionis recidere videntur, ſive ſenſus compoſitus cadat in actionem hominis à Deo moti & excitati, ſive in actionem Dei moventis & excitantis.

Addunt, potentiam illam, quam voluntas à Deo mota & excitata retinet ad diſſenſum, nec proximam, nec expeditam eſſe, ſed remotam dumtaxat & ligatam, quæ à voluntate vim ſui determinativam, ſeu activam tollit indifferentiam. Probant: quia voluntas vi motionis Dei antecedentis ac prævię, prioritate ſaltem naturæ, jam determinata ſupponitur: aliàs motio illa efficax non eſſet; ergo indeterminata non remanet voluntas, nec conſequenter ſuam conſervat activam indifferentiam.

Reponunt 1. Ex phyſica Dei motione prævia voluntatem hoc habere, ut ſeipſam determinet: *Ille facit, ut faciamus*, ait S. Auguſtinus. 2. Poſita illa Dei efficaci ac phyſica motione, voluntatem non retinere quidem indifferentiam ſuſpenſivam, qua ſuum actum ſeu conſenſum ſuſpendat, ſed retinere indifferentiam poſitivam & activam, qua ſeipſam activè determinat & gratiæ Dei cooperatur. 3. Denique ajunt, Deo modum non deeſſe, quo libertatem actionis humanæ ſimul cum motione prævia antecedente ac phyſicè ad unum prædeterminante conciliet, quia Deus non tantùm ſubſtantiam, ſed & modum illius attingit & conſervat.

Verùm alii è contrà urgent: 1. Eſtò, quod veriſſimum eſt, voluntas activè, ſeu vitaliter, ut ajunt, agat, nec merè paſſivè ſe habeat; at ſaltem non agit liberè, nec cum ea indifferentia, qua poſſit non agere; ſiquidem invincibiliter & inſuperabiliter determinata eſt. Attamen dixit Auguſtinus anteà laudatus: *Ut velimus, ſuum eſſe voluit, & noſtrum: ſuum vocando, noſtrum ſequendo.* Atque pervulgata eſt in Scholis definitio activæ indifferentiæ, per quam ſcilicet

cet poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, voluntas agere poteſt vel non agere. 2. Indifferentia ſuſpenſiva ea ipſa eſt, quam exigit Synodus Tridentina loco citato, cùm ait, voluntatem Deo moventi & excitanti poſſe diſſentire, ſi velit: quippe ſi poteſt diſſentire, poteſt actum diſſenſus ſuſpendere. Et verò eam Synodus indifferentiam exigit, quam Novatores Lutherus & Calvinus negabant: at nunquam illi negarunt indifferentiam poſitivam, per quam voluntas activè ſeu vitaliter agit ſub gratia, ſicut oſtendimus in prima hujus Tractatus parte, cùm de variis circa modum agendi gratiæ erroribus diſſerebamus; ſed negarunt dumtaxat indifferentiam ſuſpenſivam, per quam poſſet voluntas conſentire vel diſſentire gratiæ moventi; quòd nempe contenderent, neceſſitate quadam ineluctabili voluntatem ad bonum per gratiam compelli ac determinari. 3. Certum quidem eſt ac de fide, ſtare hominis libertatem cum motione gratiæ; ſed exponi non poteſt, qua ratione concilietur ea libertas ſeu modus agendi liberè cum motione prævia antecedente ac phyſicè ad unum prædeterminante; qui modus non ſatis explicatur, cùm dicitur, Deum attingere non tantùm ſubſtantiam, ſed & modum actionis. Ita quidem eſt, at hoc ipſum eſt, quod contendunt intelligi & explicari non poſſe, quomodo conſervet Deus libertatem actionis cum illa motione prævia phyſicè ac indeclinabiliter præmovente.

Verùm conſule, quæ de hoc ipſo argumento jam diximus in Tractatu de Attributis, Quæſtione de ſcientia media, ubi ſolvuntur argumenta, quibus ſcientiæ mediæ vindices oppoſitam Thomiſtarum ſententiam impugnant.

Alterum momentum, quo maximè impugnant gratiam per ſe efficacem ad ſingulos pietatis actus neceſſariam, ducunt à primo hominis juſti peccato, quod ipſi meritò imputari non poſſe videtur: quia nempe auxilio gratiæ per ſe efficacis, ſine qua peccatum non cavetur, abſque ulla ſui culpa privatus eſt; ac priùs à Deo deſertus fuit, quàm Deum ipſe deſeruerit. Quæ enim foret illa culpa? An originalis? Sed perfectè deleta illa fuit ac condonata per Baptiſmum, & *Nihil damnationis eſt in eis, qui ſunt in Chriſto Jeſu*. An actualis? Sed primum ſupponitur eſſe peccatum, in quod homo per Baptiſmum juſtificatus prolabitur. *Rom 8. v. 1.*

Ipſius culpa eſt, reponunt, quòd gratia efficaci caruerit, quam certiſſimè à Deo impetraſſet, niſi obſtitiſſet ſufficienti.

At, premunt alii, ad non reſiſtendum gratiæ ſufficienti, nonne planè neceſſaria eſt efficax? Hæc quippe non reſiſtentia non eſt quid merè negativum: (aliàs tota ſalutis hominis ſeries & œconomia ab illo primo negativo penderet abſque gratia, quod vix ſciunt an benè cohæreat cum dogmate Catholico adverſus Pelagianos.) Eſt igitur in rei veritate illa non reſiſtentia aliquid poſitivum. Si enim rem clarè & concipere & eloqui velimus, quid aliud per non reſiſtentiam intelligimus, quàm adhæſionem ſeu conſenſum gratiæ? Quemadmodum enim ille, qui vocantem Deum audit & non ſequitur, eum reipſa contemnit ac rejicit; ita pariter à contrario, qui vocanti non reſiſtit, ſed ei ſe facilem præbet, ipſi obtemperat & obſequitur. Porrò ad omnem actum poſitivum veræ pietatis neceſſaria eſt, in principiis adverſæ ſententiæ, gratia per ſe efficax; ergo ad illam hominis juſti non reſiſtentiam, neceſſaria fuit gratia efficax, quæ cùm ipſi abſque ulla ejus præcedente culpa denegata fuerit, ſubſequens quod commiſit peccatum, non videtur ipſi in culpam me-

meritò poſſe imputari. Hoc ipſum argumentum jam ſuprà propoſitum reperies ad Quæſtionem 7. Art. 4. Concluſione 3.

Ex his omnibus, quæ hactenus in utramque partem, qua potuimus brevitate, diſputata ſunt circa celebrem illam de gratia per ſe efficaci controverſiam, ſatis, opinor, intelligitis, non de dogmate fidei, ſed de mera Scholæ opinione hic moveri quæſtionem; quod perſuaſum adhuc magis erit ex ipſo Innocentii XII. teſtimonio. Quippe cùm Lovanienſes nonnulli Theologi Romam Joannem Libertum Hennebel deſtinaſſent ad S. P. Innocentium XII. ut ſuæ Sanctitati hoc ſaltem declarare placeret, nempe doctrinam de gratia per ſe efficaci & de prædeſtinatione ante præviſa merita, nullis hactenus Decretis Apoſtolicis damnatam & enervatam eſſe, eamque proinde poſſe teneri, quouſque S. Sedes ipſa aliter ſtatuerit; iſtud porrò declarare recuſavit dictus Pontifex, (non quòd reipſa Decretis Apoſtolicis proſcripta unquam fuerit doctrina gratiæ per ſe efficacis, quo ſenſu in Scholis Catholicis defenditur) ſed quòd de hocce argumento ſilentium ſervare longè ſatiùs ſibi eſſe judicavit S. Pontifex. Hoc unum itaque reſcripſit ad Lovanienſes: *Qua in re veſtram erga S. Petri Cathedram obſervantiam & reverentiam ſummoperè collaudamus. Verùm quia, ut S. Cæleſtinus ad Epiſcopos Galliæ reſcripſit, profundiores, difficilioreſque partes incurrentium in materia divinæ gratiæ quæſtionum, quas latiùs pertractarunt, qui hæreticis reſtiterunt, ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus aſtruere, &c.* Porrò una eſt ex his quæſtionibus, ea, quæ ſpectat gratiam à ſe ſeu natura ſua efficacem.

ARTICULUS II.

Unde repetenda ſit vis & efficacia gratiæ?

PRiori articulo expendimus, an ſit admittenda gratia ex ſe ſe, ſeu interna natura efficax, quæ nempe infallibilem & eſſentialem habeat ex propria ſua natura, & antecedenter ad præviſum futurum voluntatis conſenſum, cum opere bono connexionem. Nunc verò quæritur, unde repetenda ſit illa virtus & efficacia, ſeu infallibilis illa connexio gratiæ efficacis cum voluntatis conſenſu. Quotquot enim Theologi fatentur gratiam natura ſua eſſe efficacem, non idcirco conſentiunt inter ſe circa cauſam & rationem proximam hujus virtutis & efficaciæ.

Variæ Sententiæ.

I. Alii cum Molina, licèt efficaciam gratiæ in actu primo dicant unicè à Deo derivari; efficacem tamen gratiam in actu ſecundo, ajunt eſſe ex conſenſu ſeu cooperatione voluntatis. *Hæc opinio*, ait Bellarminus Lib. 1. de gratia & lib. arb. cap. 12. *aliena eſt omnino à ſententia etiam Scripturarum divinarum.* T. 4. p. 180. C.
Non diſtinguit hic Bellarminus inter efficaciam in actu primo, & efficaciam in actu ſecundo; ac illorum opinionem improbat, qui gratiam efficacem ſimpliciter conſtituunt *in aſſenſu & cooperatione humana, ita ut ab eventu dica-*

Digitized by Google

dicatur gratia efficax, quia videlicet ſortitur effectum; & ideo ſortitur effectum, quia voluntas humana cooperatur.

II. Alii vim efficacem gratiæ in phyſica præmotione conſtituunt; ac docent, gratiam efficacem eſſe actionem Dei phyſicam, quæ determinat voluntatem ad volendum & eligendum bonum, quod illi fuerat per gratiam excitantem inſpiratum: & quia non poteſt fieri, ut Deus phyſicè determinet voluntatem, quin ipſa voluntas determinetur, & velit id, ad quod determinatur, ideò fieri non poteſt, ut gratia iſta certò ac infallibiliter ſuum non habeat effectum. *Hæc opinio*, pergit ibidem Bellarminus, *videtur mihi aut eſſe omninò eadem cum errore Calvini & Lutheranorum, aut parum ab illo diſtare. Et quemadmodum opinio ſuperior deſtruebat gratiam efficacem & ſimul prædeſtinationem; ita hæc opinio deſtruit gratiam ſufficientem, & ſimul tollit è medio liberum arbitrium.* *Ib. G. H.*

Gonetus Tomo 2. diſp. 6. art. 12. ita mordicus ſtat pro phyſica illa gratiæ præmotione, ut velit, gratiam, quæ phyſicè voluntatem non prædeterminat ad actum, non eſſe, nec dici poſſe gratiam per ſe ſeu natura ſua efficacem; eoſque ſibi contradicere ac pugnantia loqui, qui gratiam admittunt ex ſe efficacem, & negant eam phyſicè prædeterminare. Qui opinionem hanc tuentur, illam iis omnibus, tum Scripturæ, tum S. Auguſtini teſtimoniis muniunt ac confirmant, quæ hic Articulo 1. expoſuimus in mente ac ſententia eorum, qui volunt, gratiam eſſe per ſe ac natura ſua efficacem.

Janſenius Thomiſticam illam doctrinam multis argumentis impugnat Lib. 8. de Gratia Chriſti cap. 2. ubi varia diſcrimina profert inter adjutorium Dei medicinale & prædeterminationem phyſicam. Janſenii momenta & argumenta expoſuimus Tomo 1. ubi de diſcrimine inter ſententiam Janſenii & Thomiſtarum. *T. 3. pag. 334 1. & 2. col.*

III. Alii efficaciam & virtutem gratiæ certam & infallibilem repetunt ex congruitate ſeu attemperatione auxiliorum gratiæ cum hominis ingenio, indole, conditione, affectibus, &c. quæ ſententia duplici modo ſeu via defendi poteſt: 1. Per ſcientiam mediam; qua Deus prævidens hominem gratię conſenſurum, ſi talem in his vel illis circumſtantiis illi conferre voluerit, reipſa ſtatuit hanc ipſi conferre. 2. Sine ſcientia media: nempè Deus, cui omnes humani cordis receſſus & affectiones perſpectæ ſunt, quique habet in ſua poteſtate media infinita, quibus hominum corda, quò voluerit, adducere, & unde voluerit, retrahere poteſt, abſolutè decernat hominem hoc vel illo modo ad ſe vocare ac convertere. Rurſus in ea Congruiſtarum opinione, vel congruitas gratiæ interna eſſe ac infallibilis ſupponitur; vel tantùm externa, petita ex circumſtantiis adjunctis. Si interna, gratia ex ſeſe efficax dicenda eſt, quæ antecedenter ad præviſum voluntatis conſenſum, certò & infallibiliter effectum ſuum eſt habitura; nec differre videtur hæc ſententia ab ea, quæ efficaciam gratiæ reponit in certa & infallibili præmotione morali; iiſdemque, quibus iſta, difficultatibus premitur & obnoxia ſubjacet. Si verò externa dumtaxat eſt illa gratiæ congruitas, ac ſupponit uſum ſcientiæ mediæ, gratia non videtur ex ſeſe efficax, ſed ex ipſo voluntatis conſenſu, ſaltem, ut dictum eſt, in actu ſecundo; nec diſtat illa opinio ab ea, quam Molina tuetur. Qui ſententiam Congruiſtarum propugnant, iis nituntur Scripturæ ac S. Auguſtini teſtimoniis, quæ præcedenti Articulo ſecundo loco adduximus, contra opinionem gratiæ à ſe efficacis.

IV. Sunt

Digitized by Google

IV. Sunt, qui cum Thomaſſino vim gratiæ ineluctabilem reponunt in multitudine, varietate, conſonantia & conſpiratione plurium auxiliorum Dei, tum internorum, tum externorum; quorum quidem ſingula ſeorſim effectu ſuo defraudari poſſunt ab homine, at univerſa obſtinatos quoslibet ita fatigant ac contumacem animum frangunt ac domant, ut tandem multitudine & conſpiratione indefeſſa hominem eò ducunt & impellunt, quò Dei voluntas vocat.

V. Sunt, qui gratiam efficacem dicunt ex motione dumtaxat morali, quæ voluntatem ſuadendo, alliciendo, invitando, ad conſenſum in bonum ſalutis adducit. Inter illos alii præmotionem in gratia moralem quidem admittunt, ſed ex ſeſe certam & infallibilem, qua voluntas præmota ad unum determinatur: alii verò motionem illam gratiæ ſimpliciter moralem dicunt, quæ, non præmovendo, nec prædeterminando, ſed ſuadendo, inclinando, & ſuaviter alliciendo, voluntatem ad bonum inclinat. Accedit iſta ſententia ad eam congruitatem gratiæ, quę ſupponit uſum ſcientiæ conditionatorum.

VI. Sunt denique, qui cùm intelligant gratiæ myſterium impervium eſſe humanæ menti ac planè inſcrutabile, atque quamlibet ex mox enumeratis opinionibus, graviſſimis intricatam eſſe difficultatibus; ut eas omnes cautè declinent, arbitrantur ſatius eſſe, ſi dicatur, vim & efficaciam gratiæ *miris & ineffabilibus modis* in nobis operari, qui explicari ſatis & exprimi non poſſunt. Ita colligunt ex S. Auguſtino.

Lib. de Gratia Chriſti cap. 24. *Legant*, inquit, *& intelligant, intueantur*
T. 10. p. 241. E. *atque fateantur; non lege atque doctrina inſonante forinſecùs, ſed interna & occulta, mirabili & ineffabili poteſtate operari Deum in cordibus hominum... bonas voluntates.*

Ib. pag. 753. G. Lib. de corrept. & grat. cap. 5. *Quamvis non negetur Deus poſſe, quem velit, etiam nullo homine corripiente corrigere, & ad dolorem ſalubrem pœnitentiæ occultiſſima & potentiſſima medicinæ ſua poteſtate perducere.*

Ibid pag. 754. A. Ibidem: *Quare iſti ſic, illi aliter, atque alii aliter, diverſis & innumerabilibus modis vocentur, ut reformentur, abſit, ut dicamus judicium luti eſſe debere, ſed figuli.*

Ib. pag. 817. F. Lib. de prædeſt. SS. cap. 20. *Deus in nobis mirabili modo & ineffabili operatur velle.*

Denique ut multa alia prætermittamus, in Pſ. 87. *Nimis*, inquit, *occulta*
T. 4 pag. 932. D. *Dei gratia eſt, qua hominum mentes quodam modo reviviſcunt, ut poſſint à quibuslibet ejus miniſtris præcepta ſanitatis audire.*

Habet unaquæque ex his opinionibus ſuos in Scholis Catholicis defenſores, nec cuiquam fas eſt ſtylo cenſorio aliquam ex illis configere: ſequatur quilibet pro Scholæ libertate, quam veriſimiliorem judicaverit.

Præter illas varias Scholæ opiniones, non prætermittenda hìc erronea Janſenii doctrina, in qua una confutanda hìc immorabimur, ac præſens de Gratia Chriſti argumentum concludemus, quia totius ſyſtematis Janſeniani caput eſt atque fundamentum.

Scilicet Janſenius totus eſt, ut probet vim & efficaciam gratiæ ex delectatione ipſius ſuperiore ac per gradus relativè victrice, petendam eſſe. Vide, quæ de hac doctrina dicta ſunt in Syſtemate Janſeniano, parte prima hujus Tractatus.

CON-

Digitized by Google

CONCLUSIO.

Vis & efficacia gratiæ repeti non debet ex delectatione ſuperiori, ſeu per gradus relativè victrice.

Probatur multis argumentis.

Primum ducitur ex iis Scripturæ locis, quibus ſuppliciorum timor(qui certè delectationi opponitur) tanquam maximè utilis & efficax ad ſalutem commendatur.

Eccleſiaſtici 1. v. 27. *Timor Domini expellit peccatum.*

Jeremiæ 32. v. 40. *Timorem meum dabo in cor eorum, ut à me non recedant. Quod quid aliud eſt*, ait S. Auguſt. Lib. de dono perſever. cap. 12. *quàm talis ac tantus erit timor meus, quem dabo in cor eorum, ut mihi perſeveranter adhæreant.* Unde Chriſtus propoſito æternæ gehennæ metu, diſcipulos ad conſtantem fidei defenſionem accendebat, Matth. 10. v. 28. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potiùs timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.* Ea de cauſa David timoris gratiam à Deo poſtulabat: *Confige*, inquiebat Pſalm. 118. v. 120. *timore tuo carnes meas: à judiciis tuis timui.* Et Apoſt. Philipp. 2. v. 12. *Cum metu & tremore*, ajebat, *ſalutem veſtram operamini.*

Tom. 10. p. 823. D

Unde meritò Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 6. motum timoris inter eas diſpoſitiones recenſet, quæ ad juſtificantem gratiam obtinendam vulgò prærequiruntur. Canone verò 8. anathemate percellit eos, qui dixerint: *Gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccato abſtinemus, peccatum eſſe.* Ubi Concilium manifeſtè ſupponit talem gehennæ metum eſſe Chriſti gratiam. Seſſ. verò 14. c. 4. idem Concilium docet, attritionem *ex gehennæ metu conceptam eſſe donum Dei, & Spiritus ſancti impulſum, non quidem inhabitantis, ſed moventis, quo pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat.* In ea porrò gratia & ſupplicii æterni formidine, qua peccator totus contremiſcens ad Deum confugit, non reperiet, ut puto, Janſenius, ſuam illam victricis gratiæ ſuavitatem, dulcedinem ac delectationem, qua perfuſum hominis pœnitentis cor totum colliqueſcit. Fatetur enim ipſemet Janſenius Lib. 5. de Gratia Chriſti cap. 23: *Gratiam Chriſti effectum prorſus oppoſitum* (timori) *in voluntate facere; cùm ſit inſpiratio cæleſtis delectationis, qua Deus incipit dulceſcere, quem timebat.*

Tom. 14. Conc. p. 766. B. — *Ib. pag. 817. E.* — *T. 3. pag. 233. col. 2. E.*

Secundum argumentum deſumitur ex pluribus S. Auguſtini teſtimoniis.

I. Ex iis locis, quibus docet, hominem pœnarum metu cohiberi non tantùm ab externo peccati actu, ſed etiam ab interna peccandi voluntate. Serm. 348. aliàs 214. de tempore: *Cùm timetur pœna*, inquit, *quam* (Deus) *minatur, diſcitur amari præmium, quod pollicetur: ac ſic per timorem pœnæ bona vita retinetur; per bonam vitam bona conſcientia comparatur, ut per bonam conſcientiam nulla pœna timeatur.*

T. 5. pag. 1342. F.

In Pſalm. 127. *Audiunt hæc homines: Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur; & quia verè futura ſunt impiis, timent, & continent ſe à peccato. Timent quidem, ſed non amant juſtitiam. Cùm autem per timorem continent ſe à peccato, fit conſuetudo juſtitiæ, & incipit quod durum erat amari, & dulceſcit Deus; & jam incipit homo benè vivere .... timet ne mittatur in gehennam: bonus eſt & iſte timor, utilis eſt.*

T. 4. pag. 1439. F. G. — *Ibid. p. 1441. B.*

Fru-

Fruſtrà diceres, Auguſtinum de ſolo externo peccati actu, à quo per timorem homo ſe continet, intelligendum eſſe, non de interna peccandi voluntate. Namque 1 loquitur ſimpliciter de peccato: at peccatum non ſolùm in externo, ſed etiam interno actu voluntatis conſiſtit. 2. Loquitur de illo timore, quo *bona vita retinetur, & bona conſcientia comparatur*. At niſi timor ille peccandi voluntatem excluſerit, nec bona vita retinetur, nec bona conſcientia coram Deo comparatur. 3. De hoc ipſo timore loquitur, de quo Concilium Trid. locis mox citatis: at Concilium Trid. ſupponit manifeſtè illo timore excludi aliquando voluntatem peccandi; non quidem habitualem, quæ per charitatem excluditur, ſed actualem: imò hanc excludere debere, ut legitima ſit diſpoſitio ad gratiam ſanctificantem in Sacramento pœnitentiæ percipiendam; neque enim gratiæ particeps ille fieret, qui repreſſo externo peccati opere, intus tamen peccandi voluntatem retineret. 4. Denique, pugnaret ille ſecum, ac finem, quem intendit, non aſſequeretur, qui timore ſupplicii æterni abſtineret quidem ab externo peccati opere, intùs tamen peccandi affectum ſeu voluntatem ac propoſitum retineret: ea quippe voluntas mala eſt, verumque peccatum æterno ſupplicio puniendum, niſi corrigatur. Ergo cùm eo timore homo excitetur ad id omne fugiendum, propter quod æternis ſuppliciis addici poteſt; non tantùm ab externo, ſed etiam interno peccati actu abſtinere debet & poteſt.

II. Ex iis teſtimoniis, quibus aliud, quàm delectationis, principium bonarum actionum aſſignat. Lib. de corrept. & grat. c. 5. *Non vis*, inquit, *tua tibi vi-*
T. 10 p. *tia demonſtrari, ut fiat tibi utilis dolor, quo medicum quæras .... quaſi aut nihil agat ti-*
753. A. *mor correpti hominis, vel pudor, vel dolor*. Nulla hìc delectationis mentio.

Ab Auguſtino ſeparari non debet fidelis ejus interpres ac Diſcipulus S. Proſper in Libro contra Collatorem c. 7. ubi eximiè deſcribit varios ac multipli-
pag. 323. ces modos, quibus Deus peccatores ad ſe invitat & allicit. *Trahit timor*, in-
E. C. quit; *Principium enim ſapientiæ timor Domini. Trahit lætitia: quoniam, Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi. Trahit deſiderium: quoniam, Concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini. Trahunt delectationes: Quàm dulcia enim faucibus meis eloquia tua, ſuper mel & favum ori meo. Et quis perſpicere aut enarrare poſſit, per quos affectus viſitatio Dei animum ducat humanum, ut quæ fugiebat, ſequatur; quæ oderat, diligat; quæ faſtidiebat, eſuriat; ac ſubitò commutatione mirabili, quæ clauſa ei fuerant, fiant aperta; quæ oneroſa, ſint levia; quæ amara, ſint dulcia; quæ obſcura, ſint lucida? Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult.*

III. Ex iis teſtimoniis, quibus aſſerit Auguſtinus homines ad peccandum adduci alio, quàm delectatione, motivo.

T. 10 p. Lib. 2. de pecc. mer. & rem. cap. 10. ait: *Etiam illa peccata juſtè imputari, quæ*
48. E. F. *non delectationis illecebra committuntur, ſed cauſa devitandæ moleſtiæ alicujus, aut doloris, aut mortis.*

Lib. de catechizandis rudibus capite ultimo in fine: *Non ſolùm*, inquit,
T. 6. pag. *per cupiditates diabolus tentat, ſed etiam per terrores inſultationum & dolorum &*
296. E. *ipſius mortis.*

Enarratione in Pſalm. 79. timorem contra voluptatem ſeu delectationem
T. 4. pag. diſtinguens, affirmat multos ex timore, adeòque non ex delectatione, abſti-
854. D. nere à malo, & operari bonum. *Omnia*, inquit, *peccata duæ res faciunt in homine, cupi-*

cupiditas & timor. Cogitate, diſcutite, interrogate corda veſtra, perſcrutamini conſcientias, videte utrum poſſint eſſe peccata, niſi aut cupiendo, aut timendo. Proponitur præmium ut pecces, id eſt, quod te delectat, facis propter quod cupis. Sed fortè non induceris donis: terreris minis, facis propter quod times. Corrumpere te vult aliquis, ut dicas v. g. falſum teſtimonium .... Si cupiditas non valuit, fortè timor valebit ut pecces .... Itaque ad omne rectè factum amor & timor ducit: ad omne peccatum amor & timor ducit. Ut facias benè, amas Deum, & times Deum; ut autem facias malè, amas mundum, & times mundum. Ibid. E. Ib. pag. 853. A.

IV. Denique, probatur iis teſtimoniis, quibus aſſerit, (quod Janſenio capitaliter adverſatur) hominem non ſemper operari ex majori, qua prævenitur, delectatione; adeoque famoſum iſtud effatum, quod millies Janſenius repetit: *Secundùm id operemur neceſſe eſt, quod ampliùs nos delectat*, verum non eſſe, ſi de prævia & indeliberata delectatione, ut Janſenio placet, intelligatur. De ſe ipſo etenim ſic teſtatur ſanctus Doctor Lib. 8. Confeſſ. cap. 8. *Non faciebam, quod incomparabili affectu amplius mihi placebat*. Eo teſtimonio ſanè decretorio, mirè premuntur delectationis ſuperioris defenſores. T. 1. pag. 153. A.

Tertium argumentum inde colligitur, quòd in Janſeniano ſyſtemate intelligi vix poſſit, quomodo Adamus & Angeli nonnulli peccaverint in tanta qua perfundebantur gratiæ delectatione. Erat enim illa procul dubio ſumma, cui nullus ne leviſſimus quidem repugnabat oppoſitæ concupiſcentiæ afflatus; & tamen victrix illa non fuit. Unde iſtud? An dicent Janſeniani, delectatione ſuperiori in præſenti ſtatu voluntatem determinari, ſecùs verò in ſtatu innocentiæ? Verùm unde diſcrimen illud colligent, cujus ne vel minimum exſtat apud Auguſtinum veſtigium? An fortè ex eo, quòd alia fuerit delectationis natura in ſtatu innocentiæ, quàm jam ſit? At Janſenius ipſe Lib. de Gratia primi hominis & Angelorum cap. 13. ait, Auguſtinum *naturam adjutorii hominis lapſi ac ſtantis comparantem, ſæpè indicare differentiam tantummodò attendendam eſſe ſecundùm magis & minus*. Hoc eſt, accidentalem illam eſſe, non eſſentialem. An ex eo, quòd potuerit ſana & robuſta voluntas, qualis erat in ſtatu naturæ innocentis, reſiſtere gratiæ, & id non poſſit ampliùs lapſa & infirma? Verùm è contra potiùs: quia enim voluntas in ſtatu innocentiæ ſana & robuſta erat, ideò minùs reſiſtere debebat illecebris gratiæ; cùm enim ſana eſſet, gratiæ ſuavitate magis haud dubiè afficiebatur. Porrò ridiculum & abſonum videtur contendere voluntatem in præſenti ſtatu, quia læſa & infirma eſt, ac conſequenter minùs jucundum ex gratia ſenſum percipit, vel unico delectationis ſuperioris gradui non poſſe reſiſtere: quaſi fuerit iſtud integræ & innocentis naturæ ſingulare privilegium, ut gratiæ reſiſtere potuerit; jam verò non poſſit depreſſa & infirma natura. T. 2. pag. 58. col. 2. A.

An dicent adverſarii, cauſam diſcriminis eſſe, quòd natura ſana & innocens indifferentia libertatis gaudebat, qua jam natura lapſa ſpoliata fuit? Sed hoc ipſum eſt, de quo hic controvertitur. Unde enim, juxta Janſenium, hujus indifferentiæ in ſtatu præſenti jactura? Niſi ex iſta neceſſaria lege, ut voluntas ſuperiori ac determinante delectatione ſeu cœleſti, ſeu terrena, ad bonum vel ad malum ſemper determinetur. At nonne ſuperior, imò & ſumma fuit in Adamo innocente gratiæ delectatio? Et tamen cum ea ſtetit indifferentia libertatis.

Neque dicas, illam in præſenti ſtatu indifferentis libertatis jacturam eſſe à pec-

à peccato originali, non verò à delectatione ſuperiori: *Quia*, inquit Janſenius, *inflictum eſt vulnus in voluntatis cardinem per peccatum originale*.

Namque 1. per peccatum originale haud dubiè voluntas ſuam ad malum non perdidit libertatem, imò majorem inde accepit; longè quippe ad malum pronior facta eſt per peccatum, quàm erat antea. Quapropter cùm homo dicitur ſuam ex peccato amiſiſſe libertatem, intelligi debet de libertate ad bonum, non verò ad malum: quippe cùm ex peccato originali ſit in hominis voluntate pondus quoddam graviſſimum; quo ad peccandum trahitur, nihilominùs ad peccandum adhuc exigit Janſenius ſuperiorem terrenam delectationem. 2. Vulnus illud in cardinem voluntatis per peccatum inflictum, maximè poſitum eſt in habituali concupiſcentia, quæ habitualis quædam eſt delectatio, ex qua continuò defluunt indeliberati motus delectationis ad malum; ac niſi acceſſerit oppoſita gratiæ delectatio fortior ac ſuperior, voluntas omni ad bonum perfectum libertate deſtituta permanebit.

Confirmatur tertium iſtud argumentum ex eo, quòd abſurdum planè iſtud ſit, hominem lapſum peccare jam non poſſe, niſi ex proritante indeliberato delectationis motu: quaſi iſtud ex originali labe commodi homo reportaſſet; nec ex ſeipſo pronus ad malum, novo indigeret ad peccandum delectationis incitamento, quo carebat, nec opus habebat in ſtatu innocentiæ. Annon, quæſo, ſic Janſeniani virus originalis peccati evacuant? An non peccantibus, ut lætentur, cùm malè fecerint, apertiſſimè favent? Hanc enim illi excuſationem ſuis peccatis ſemper obtendent, non potuiſſe ſe non cedere majori, quo abrepti fuere delectationis ſenſu; cùm ſit illa lex conſtituta, ut quiſque *ſecundùm id operetur, quod ampliùs illum delectaverit*, & quidem delectatione prævia & indeliberata, qua ut careat, non eſt in ejus poteſtate, ſicut ut ei reſiſtat; cùm neceſſe ſit voluntatem actu deliberato ſequi majorem indeliberatam delectationem.

Confirmatur 2. Quia cùm doceat Janſenius, idcircò Beatos in Cœlis amare Deum neceſſariò, quia nulla in ipſis eſt terrena delectatio, ſed tantùm cœleſtis. *Si enim*, ait ille L. 4. de Gratia Chriſti cap. 8. *adulterinæ cujuſdam delectationis permixtione laxaretur, mens illa beata iterum refrigeſcendo tenebreſceret & peccaret*. Conſequenter affirmare debet, Adamum & Angelos innocentes, quibus nulla inerat terrena delectatio, Deum neceſſariò amaviſſe, & peccare illos non potuiſſe. (T. 3. pag. 181. col. 1. D.)

Confirmatur adhuc, quia docet Janſenius, idcircò peccatores, antequam gratiam accipiant, neceſſariò malè agere, quia nulla eſt in ipſis delectatio cœleſtis, ſed una delectatio creaturæ; ergo cùm nulla fuerit in Adamo & Angelis in ſtatu innocentiæ delectatio inordinata creaturæ, intelligi & explicari non poteſt in Syſtemate Janſenii, qua ratione ad peccandum inducti fuerint.

Supponit tertium iſtud argumentum, gratiam Adamo & Angelis in primo ortu conceſſam, fuiſſe in doctrina Janſenii gratiam voluntatis & adjunctam habuiſſe cœleſtem delectationem: atqui reverà ita docet Janſenius Lib. de Gratia primi homini & Angelorum cap. 12. *Deus*, inquit, *per illam gratiam regebat hominem, ne videlicet caderet. Perſpicuum eſt autem, regimen non per habitus vel concurſus operandi, ſed per actuales ſive illuſtrationes, ſive motiones creaturæ ſuæ, voluntatiſque ſuccenſiones, Deo convenire; quæ ſanè prævenientes quoſdam Dei influxus ipſam afficientes potentiam ſonant. Quos divinæ gratiæ effectus reſpe-* (T. 2. pag. 56. col. 1. B.)

reſpectu primi hominis clariſſimè expreſſit Auguſtinus, quando de illo dixit: (Lib. 14. de Civit. Dei cap. 13.) *Si voluntas in amore ſuperioris immutabilis boni, à quo illuſtrabatur, ut videret, & accendebatur, ut amaret, ſtabilis permaneret; non inde ad ſibi placendum averteretur, & ex hoc intenebreſceret & frigeſceret.* Ibid.C.
Quibus Auguſtini verbis delectationem voluntatis tam diſertè exprimi Janſenius putat, ut aſſerat ibid. *Pro vera gratia lapſi hominis evidentius & efficacius teſtimonium ex Auguſtino vel Conciliis proferri non poſſe.* Hinc vis tota noſtri argumenti. Docet Janſenius, gratiam primi hominis & Angelorum fuiſſe prævenientem Cœli delectationem: & quidem eò majorem, quò nulla contraria delectatione turbabatur. Docet aliunde, neceſſe eſſe, ut voluntas ſecundùm id operetur, quod eam amplius delectaverit: quomodo igitur fieri potuit, ut Adamus & Angeli nonnulli peccaverint, at tantæ ſuavitatis illecebris obſecuti non fuerint?

At, inquies, Janſenius Auguſtini verbis, quæ profert, nititur, quibus patet gratiam innocentis naturæ, non in ſola, ut nos dicimus, illuſtratione mentis, ſed etiam in motione voluntatis poſitam fuiſſe.

Reſp. Janſenium mentem Auguſtini aſſecutum non fuiſſe.

I. Gratiam naturæ innocentis nuſquam Auguſtinus amoris, charitatis, dilectionis, ſuavitatis, dulcedinis & delectationis nominibus expreſſit.

II. Locus ex cap. 12. Libri 14. de Civit. Dei laudatus, exponi meritò poteſt vel de gratia habituali, vel de gratia intellectus, quæ voluntatem etiam ſuccendere, ſed metaphoricè tantùm & impropriè dicitur. Quapropter cùm Pelagius ſcripſiſſet: *Deum in nobis operari velle, quod bonum eſt, dum futuræ gloriæ magnitudine & præmiorum pollicitatione ſuccendit: dum revelatione ſapientiæ in deſiderium Dei ſtupentem ſuſcitat voluntatem*: S. Auguſtinus continuò ſubjicit (Lib. de Gratia Chriſti cap. 10.) *Quid manifeſtius, nihil aliud eum dicere gratiam, qua Deus operatur in nobis velle, quod bonum eſt, quàm legem atq; doctrinam?* Cenſet igitur Aug. legem atque doctrinam aliquo modo voluntatem ſuccendere: ita gratia intellectus Adamo ad perſeverandum conceſſa, eum accendebat, ut amaret. T.10.p. 235.C.

III. Citata S. Auguſtini verba non eum apud ipſum ſenſum habent, quem Janſenius fingit. Dixerat ſanctus Doctor cap. 11. Lib. 14. de Civit. Dei, Adamum & Evam idcircò fatale pomum comediſſe, quia iſtam ignorantia, illum verò perverſus conjugis amor ad defectionem traxerit: tum cap. 12. ex quo decerpta eſt illa ſententia, quæ nobis opponitur, ſuperiorem aliam utriuſque peccati cauſam inveſtigat, docetque antegreſſam ſuperbiam feciſſe, ut Eva ſerpentis inſidias non viderit, Adamus verò perverſè uxorem dilexerit: ex quo evidens eſt, non loqui ſanctum Doctorem de illuſtratione & accenſione, quæ amorem Dei præcedant, & ad eum provocent, ſicut Janſenio videtur, ſed de ipſo potiùs amore Dei, à quo primi parentes illuſtrabantur & accendebantur, ut cætera viderent & recto ordine diligerent.

Verùm, inquies rurſus, numquid Auguſtinus agnovit Adamum & Angelos in ortu ipſo accepiſſe actualem voluntatis gratiam?

℟. Duplicem in ſtatu naturæ innocentis gratiam extitiſſe: alteram actualem, quæ amorem caſtum, quo primi homines & Angeli ipſo in ortu Creatori adhæſerunt, expreſſit; alteram, quæ ad amorem illum continuandum, ſeu ad benè agendum deinceps atque perſeverandum, utriſque conceſſa eſt.

De

Digitized by Google

De gratia illa duplici non una eademque eſt Auguſtini ſententia: nam de prima apertè docet, eam motione voluntatis contineri; adeòque illi perſimilem eſſe, quæ hoc in ſtatu miſeriæ noſtræ ſubvenit: de altera verò manifeſtè pronuntiat, eam in ſola mentis illuſtratione eſſe collocandam.

Si verò rationem poſtules, cur in priori ſtatu naturæ ad infuſionem gratiæ habitualis Adamus & Angeli ad primum amoris actum opus habuerint actuali gratia voluntatis, non verò ad ſubſequentes actus amoris, hanc eſſe reſpondebo: nimirùm cùm primi parentes & Angeli gratiam habitualem percipere debuerint ea ipſa ratione, qua viri adulti & ætate perfecti eam recipiunt, neceſse fuit, ut in priori naturæ ad infuſionem habitualis charitatis receperint aliquod actualis gratiæ auxilium, quo eorum voluntas ad ſupernaturalem actum producendum elevaretur: quæ ratio cùm locum non habeat in aliis actibus, qui ab illo charitatis habitu proficiſcuntur, mirum non eſt, ſi nullam motionem voluntatis exigant. Utrumque breviter ac dilucidè expreſſit Becanus de Angelis q. 5. cap. 2. *Angeli*, inquit, *viatores priùs natura, quàm concipiantur habuiſſe ſupernaturales habitus fidei, ſpei & charitatis, indigebant actuali gratia excitante, ut actum aliquem ſupernaturalem exercerent.* Rationem ſubjicit inde petitam, quòd voluntas ſupernaturali habitu deſtituta non poſſit aliter ad actum ſupernaturalem producendum elevari.

Quartum argumentum. In ſyſtemate Janſeniano, vel minima gratiæ delectatio deliberatum aliquem à voluntate motum ad pietatem ſemper exprimit: eſt enim gratia quælibet ſemper alicujus effectus ſaltem imperfecti efficax, licèt ſemper victrix non ſit. Et qui ſyſtema illud temperare magis ac emollire voluerunt, confeſſi ſunt, rariſſimè ſaltem ac in perditiſſimis dumtaxat hominibus contingere, ut gratia nullum omninò deliberatum effectum habeat. Porrò iſtud manifeſtè falſum videtur: 1. Quia repugnat S. Auguſtino Lib. de correpț. & grat. cap. 2. ubi agnoſcit juſtos aliquos, qui Spiritu Dei aguntur, ut quod agendum eſt, agant: *qui tamen id non agunt, ſive omninò non faciendo,*
T. 10. p. inquit, *ſive ex charitate non faciendo*. Ergo falſum eſt, ex delectatione gratiæ
752. B. ſemper aliquem in voluntate deliberatum pietatis motum excitari. 2. Cùm ex mente Janſenii par & eadem ſit conditio ac neceſſitas delectationis terrenæ ad malum, quæ delectationis cœleſtis ad bonum, conſequens iſtud eſt, ut vel minima cupiditatis delectatio deliberatum aliquem in malum voluntatis motum ſemper excitet, ſicut minima delectatio gratiæ ſemper excitat bonum: ex quo rurſus ſequitur juſtos in ſanctiſſimis ſuis operibus venialiter ſaltem peccare, cùm extincta penitùs in ipſis non ſit concupiſcentia.

Quintum argumentum. In ſyſtemate delectationis ſuperioris ſeu relativè victricis, nulla prorſus remanet in voluntate potentia relativa & expedita ad ſuperandam actualem oppoſitam majorem delectationem: major quippe delectatio à minori profectò nunquam ſuperabitur; minor enim non ſatis habet virium, ut fortiorem poſſit vincere. Et reipſa nullus hactenus Janſenii diſcipulus talem agnovit potentiam relativam & expeditam in minori delectatione, v. g. quatuor graduum, ad vincendam delectationem oppoſitam octo graduum. Etſi aliquando potentiam illam completiſſimam, perfectiſſimam, ſufficientiſſimam appellavere, fucum facere, ac ſimplices ambiguitate verborum decipere voluerunt; perfectiſſimam intelligendo abſolutè, non relativè ac in præſentibus circumſtantiis. Unde ad temperandam molliori vocabulo aſpe-

aſperitatem ſuæ ſententiæ dicere coacti ſunt, cum delectatione inferiori ſemper junctam eſſe moralem impotentiam ad oppoſitam ſuperiorem vincendam; quæ profectò moralis impotentia vera eſt, realis ac propriè dicta, ex qua funditùs ruit indifferentia libertatis. Imò in ſyſtemate Janſenii eſt vera impotentia phyſica, cùm oriatur ex abſentia delectationis ſuperioris, ſine qua voluntas nec velle nec moveri ullo pacto poteſt.

Sextum argumentum. Syſtema delectationis ſuperioris ſeu relativè ac per gradus victricis, 1. recens eſt, & à Janſenio primùm excogitatum. *Inopinata & recens excogitata doctrina*, inquiebat Janſenius. Ex quo capite, malè apud Theologos audire debet. 2. Ex ipſo quinque famoſæ Propoſitiones neceſſario fluxu dimanant, ut aliàs oſtendimus; nec earum errores declinare unquam poterit, qui ſyſtema illud ſemel fuerit amplexus; cujus rei evidens iſtud eſt argumentum; tum quòd omnes hujus ſyſtematis patroni Apoſtolicam V. Propoſitionum Janſenii cenſuram in ſenſus planè fictitios, & à Janſenii mente prorſus alienos detorquere compulſi hactenus fuerint; tum quòd nemo hactenus demonſtrare potuit, V. Propoſitiones non legitimè inferri velut totidem concluſiones ex principio delectationis ſuperioris. Non deſunt quidem Theologi, qui vim & efficaciam gratiæ repetant ex delectatione ipſius ſimpliciter & abſolutè victrici: at nullus, niſi qui Janſenii ſyſtema tueretur, appellari hactenus potuit, qui docuerit, delectationem illam eſſe relativè ſeu per gradus victricem. Tùm denique, quia ipſi Janſenii diſcipuli plures conſcripſerunt Libros, in quibus neceſſariam ac manifeſtam gratiæ ſenſu Janſenii victricis, ſeu delectationis ſuperioris, cum doctrina ejuſdem circa V. Propoſitiones connexionem exhibuerunt. Inter ipſos libellos eſt Memoriale quoddam ſeu Commentarius, quem Innocentio X. obtulerunt, quando coram ipſo perorarunt.

Septimum argumentum. In pluribus ſecum pugnat, ac parùm cohæret ſyſtema delectationis ſuperioris.

I. Vix in eo ſyſtemate conciliari iſtud poteſt, quomodo delectatio gratiæ, quamvis tenuiſſima ac leviſſima, nihilominùs ſemper deliberatum aliquem in voluntate motum ad pietatem excitet, quæcunque tandem ex adverſo pugnet ardentior cupiditas. Cùm enim ex Janſenio vis gratiæ tota ſit relativa, nonne tanta eſſe poteſt oppoſitæ cupiditatis actualis vehementia, ut tenuiſſimæ illius gratiæ ſenſum omnem extinguat & præfocet?

II. Cùm Janſenius docet, (Lib. 4. cap. 7.) delectationem, ut quis bonum velit, non ex natura boni aut ſupernaturalis operis, ſed potiùs ex conditione volendi neceſſariam eſſe; ac voluntatem ſine delectatione velle aut moveri nullo pacto poſſe, vel de ſolis loquitur actionibus ſupernaturalibus, vel etiam de naturalibus: primum manifeſtè pugnat cum verbis mox relatis. Si enim voluntas ſine delectatione velle aut moveri nullo pacto poteſt; & id reſpectu cujuslibet actionis locum habeat, ut ipſe aſſerit Janſenius, neceſse planè eſt, naturales ac civiles actiones ſine prævia ac titillante delectatione fieri nō poſſe. Quod ſi ita ſit, fruſtra Janſenius diſtinguit inter bonum honeſtum, delectabile & utile. Præterea, vel illa delectatio ad quamcumque naturalem vel civilem actionem neceſſaria, ſemper ac infallibiliter voluntatem ad agendum determinat, vel non. Si primum dixeris, repugnabit experientia: quicumque enim ad ambulandum v. g. aut ad venandum ex delectatione ſollicitatur, non

propte-

Digitized by Google

propterea infallibiliter deambulat aut venatur, tametſi ſuperior ac prædominans in eo ſupponatur illa delectatio. Si ſecundum; diſcrimen poſtulo, cur delectatio ſuperior ſupernaturalis infallibiliter ſemper determinet voluntatem, non verò delectatio ſuperior naturalis?

III. Si delectatio ſuperior certò & infallibiliter determinat voluntatem ad agendum, quare ad ſpeciem, ſicut ad genus actionis æqualiter non determinat? Aut ſi ad ſpeciem non determinat, tametſi reſpectu illius ſuperior ſit, quare ad genus determinabit? Si v. g. homo, qui prævia delectatione moveatur ad iracundiam, judice Janſenio, poterit ille ſe ipſum ad avaritiam flectere: ſi ergo ſe ipſum flectere ad avaritiam poteſt, licèt ad iracundiam ſuperiori delectatione ſollicitetur, quare ab omni opere malo abſtinere non poterit? Pariter, ſi cùm ex delectatione ſuperiori ad peccandum tantùm in genere determinatur, poteſt tamen, quam ipſe voluerit, peccati ſpeciem deligere, quare ex eadem libertate non poterit omninò à peccando ſe ipſum cohibere? Si enim voluntas ſatis virium habet, ut non obſtante delectatione ad certum peccatum trahente, poſſit ſe ad aliud convertere, quare in conflictu duarum æqualium delectationum non poterit eam, quam voluerit, amplecti?

IV. Nec minùs iſtud in eo ſyſtemate pugnat, quod ajunt, gratiam eſſe à ſe efficacem, & ejus virtutem ſeu efficaciam eſſe relativam. Quomodo enim à ſe, id eſt, propria & interna virtute efficax dici poteſt; ſi ejus efficacia ex oppoſita cupiditate majori vel minori æſtimanda ſit? Verùm de hoc momento explicatiùs mox dicemus.

Octavum argumentum ex abſurdis & incommodis, quæ ex ſyſtemate delectationis ſuperioris ſeu relativè victricis ſequuntur.

I. In eo ſyſtemate, vel nulli, vel omni gratiæ reſiſtitur: nulli quidem, ſi ad reſiſtendum neceſse ſit, voluntatem minus aliquid facere, quàm ipſi permittat oppoſitæ concupiſcentiæ delectatio. Porrò in eo ſyſtemate, voluntas nihil ampliùs aut minùs agere poteſt, quàm quod ipſi permittit delectatio ſuperior: neceſse enim eſt, agat ſecundùm id, quod eam magis delectaverit; ergo nulli gratiæ reſiſtit. Vel omni etiam maximè victrici reſiſtit; ſi nempe ad hoc ſatis ſit, quòd gratia perfectiorem effectum illo, quem actu producit, reverà productura eſſet, ſi homini minùs reluctanti concederetur. Porrò quæcunque ſupponatur in ſyſtemate Janſenii, gratiæ virtus & efficacia, longè perfectiorem produceret effectum in ſubjecto minùs reſiſtente, v. g. in Petro habente tres tantùm concupiſcentiæ gradus, quàm in Joanne ſex gradus habente: eoque ſenſu Joannes dici poterit, reſiſtere gratiæ illi ſuperiori ac victrici, cùm tam perfectum in eo effectum non habeat, quem habuiſſet in Petro.

II. In eo ſyſtemate ruit omne diſcrimen adjutorii *quo* & *ſine quo non*; quo tamen uno univerſam S. Auguſtini doctrinam ſtare Janſenius aſſeverat.

Antecedens probatur. Quia ex principiis Janſenii conſequens eſt, non magis debiliorem ipſius gratiam eſſe adjutorium *ſine quo*, quàm gratiam ipſam victricem; neç minùs gratiam debiliorem eſſe adjutorium *quo*, quàm gratiam victricem. Prius ſic oſtenditur: Ideò Janſeniani aſſerunt debiliorem gratiam eſſe adjutorium *ſine quo*, quia nimirùm ulteriori & perfectiori privatur effectu, quem abſolutè ex natura ſua habere poteſt, & quem reipſa obtineret, niſi validior obſiſteret concupiſcentia. Pari ratione gratia victrix adjutorium *ſine quo* nuncupari poteſt: ſi enim vel in nullam, vel in longè debiliorem concupi-

cupiſcentiam incurreret, perfectiorem & intenſiorem effectum, quem ex conditione ſua habere poteſt, reipſa obtineret. Hinc etiam patet, tam poſſe dici in Janſeniano ſyſtemate, reſiſtere voluntatem adjutorio *quo*, quàm adjutorio *ſine quo*: adjutorium enim *quo*, privatur effectu aliquo ulteriori & perfectiori, quem in ſubjecto minùs reſiſtente produceret; quo ſolo ſenſu Janſeniani dicunt reſiſtere voluntatem adjutorio *ſine quo*. Quapropter ingenuè fatetur, imò probare contendit auctor Libri, cui gallicè titulus: *Explication de la queſtion du fait de 1666. pag. 42. 6. point. ſur la 2. Propoſition*, & alibi, Janſenium non modò alicui, ſed cuilibet gratiæ, etiam efficaciſſimæ reſiſtentiam agnoſcere.

Poſterius, gratiam ſcilicet debiliorem non minùs eſſe adjutorium *quo*, quàm ſuperiorem ſeu victricem, ex eo patet, quòd non alia ratione ac motivo gratia victrix Janſeniana dicatur adjutorium *quo*, niſi quia auxilium eſt ex natura ſua aptum ad voluntatem potentiſſimè determinandam ad bonum operandum.

Nec quidquam juvaret adverſarios, ſi dicerent, gratiam victricem adjutorium *quo* appellari, quia ſcilicet certò & infallibiliter perfectum à voluntate conſenſum; adjutorium verò *ſine quo*, imperfectum dumtaxat exprimat. Namque 1. diſcrimen, quod inter adjutorium *quo* & *ſine quo* intercedit, intrinſecum ipſis adjutoriis eſſe debet; aliàs immeritò prorſus arguerentur Moliniſtæ ac Suareſiani à Janſenianis, quòd in priorum ſyſtemate, adjutorium *quo* ab adjutorio *ſine quo* nonniſi per aliquid extrinſecum, conſenſum ſcilicet voluntatis, diſtingueretur. Porrò nonniſi extrinſecè differrent illa divinæ gratiæ adjutoria, ſi diſtinguerentur dumtaxat, prout perfectum vel imperfectum conſenſum exprimerent: accidentarium enim & extrinſecum omninò eſt gratiæ, ut in concupiſcentiam impingat ſuperiorem vel inferiorem; ex quo fit, ut perfectum vel imperfectum conſenſum exprimat. Mirum etiam eſt, Janſenianos, dum queruntur, Moliniſtas extrinſecè, per conſenſum ſcilicet voluntatis, adjutoria diſtinguere, in idem, ne dicam majus incommodum recidere, dum illa nequidem per conſenſum ipſum, ſed tantùm per modum conſenſus perfecti vel imperfecti adjutoria differre profitentur. 2. Conſenſus ille perfectus, ratione cujus adjutorium *quo* ab adjutorio *ſine quo* diſcrepare dicerent Janſeniani, vel eſt perfectus abſolutè & in ſe præciſè, vel comparatè ad alium minùs perfectum. Prius dici non poteſt: in ipſorum enim ſyſtemate, ut omnes norunt, gratia victrix eſt tantùm relativè, quando ſcilicet concupiſcentiam ſuperat; & conſequenter conſenſus, qui gratiæ, à qua fluit, conditionem ſequitur, nonniſi relativè perfectus dici poteſt: eadem quippe gratia octo v. gr. graduum in Petro novem habente gradus concupiſcentiæ, imperfectum conſenſum operans, perfectum eliciet in eodem Petro ſeptem habente gradus concupiſcentiæ. Si poſterius, ſeu ſi conſenſus ille perfectus dicatur comparatè ad alium minùs perfectum, voluntas v. gr. orandi, quam debilior gratia quandoque operatur, conſenſus perfectus dici poterit comparatè ad tenuiora deſideria, ac leviſſimas boni complacentias, in quibus aliquando ſiſtit & hæret inferior gratia; ſicut conſenſus perfectus, quem adjutorium *quo* à voluntate exprimere ſupponunt, imperfectus erit comparatè ad perfectiorem conſenſum, quem exprimeret, ſi vel in nullam, vel in longè inferiorem impin-

geret concupiſcentiam. Perſpicuum eſt, hæc omnia incommoda locum non habere in Thomiſtarum doctrina, in qua gratia ſufficiens & efficax, ſeu adjutorium *ſine quo* & *quo*, natura ſua diſtinguuntur. Ut enim notat Janſenius Lib. 8. de Gratia Chriſti cap. 2. gratia Thomiſtarum efficax relativa non eſt, ſed ad unum certò determinatur effectum producendum, independenter à variis ſubjecti, cui confertur, diſpoſitionibus. Ita proportione ſervata de ſufficienti eorumdem gratia ſentiendum eſt: unde apertum eſt diſcrimen, quod fuſiùs anteà expoſuimus, inter ſufficientem Thomiſtarum gratiam, & debiliorem gratiam Janſenianorum.

III. Nihil eſt, à quo magis abhorreat Janſenius, quàm ab uſu ſcientiæ mediæ, qua Deus priùs dirigatur, quàm aliquid abſolutè futurum decernat: atqui tamen in ſyſtemate delectationis ſuperioris, neceſſe eſt, Deum, antequam ſtatuat conferre alicui victricem gratiam, priùs explorare, quot ille habeat concupiſcentiæ gradus, ut nempe ſuam ipſis commenſuret, ac ſuperiorem accommodet delectationem; ni fecerit, incertus prorſus ac dubius erit quis futurus ſit gratiæ effectus. Certò etenim reſcire non poteſt victricem fore gratiam, niſi noverit eam ſuperiorem fore concupiſcentia: explorare igitur priùs debet, quot ſint illius concupiſcentiæ gradus, ut ſciat, quot gradus gratiæ conferre debeat, qui pares eſſe poſſint oppoſitæ cupiditatis delectationi ſuperandæ. Sic delectationis ſuperioris ſyſtema iis ipſis laqueis ſtringitur, quibus Molinianum Janſenius premit.

IV. Nulla in eo ſyſtemate, propriè loquendo, datur gratia ex ſe, ſeu natura & virtute intrinſeca victrix & efficax. Ratio eſt manifeſta: quia virtus gratiæ ex ſeſe victrix & efficax, qualem Thomiſtæ admittunt, talis eſſe debet, *ut in quibuſcumque circumſtantiis voluntas collocetur, ſemper faciat facere, & operetur effectum ſuum, omnemque ſuperet reſiſtentiam*. Sunt ipſa Janſenii verba Lib. 8. de Gratia Chriſti c 2. *Adjutorium verò Chriſti nullo modo*, (pergit ibidem Iprenſis.) *Nam delectatio victrix; quæ Auguſtino eſt efficax adjutorium, relativa eſt. Tunc enim eſt victrix, quando alteram ſuperat. Quòd ſi contingat alteram ardentiorem eſſe, in ſolis inefficacibus deſideriis hærebit animus, nec efficaciter unquam volet, quod volendum eſt*. Ergo vis & efficacia gratiæ non tam ex interna ipſius virtute pendet, quàm ex minori oppoſitæ concupiſcentiæ reſiſtentia: ſi enim hæc fortè major fuerit, gratia victrix non erit, ſed victa: *Tunc quippe*, ajebat Sanbovius, *major eſt reſiſtentia concupiſcentiæ, quàm virtus gratiæ parvæ*. Eſt autem divinæ providentiæ hæc lex inſtituta, ait Auctor recentior, *ut actio ex proportione majoris inæqualitatis oriatur, qua agens ſibi ſubjiciat paſſum, & major vis vincat minorem*. Niſi ergo gratia oppoſitæ cupiditati commenſuretur, eaque ſuperior gradibus fuerit, caſſa erit & omninò depreſſa ipſius virtus. Inde eſt, quòd in ſyſtemate ſuperioris delectationis, eadem gratiæ entitas ſine nullo novo ex parte Dei auxilio, in uno & eodem homine variè diſpoſito modò victrix eſt, modò non victrix; prout major vel minor in ipſo fuerit oppoſitę concupiſcentię actualis reſiſtentia. Egregiam verò gratiæ Chriſti laudem! quòd toties oppoſitam concupiſcentiam vincat, quoties ea gradibus ſuperior fuerit; toties è contrà vincatur, quoties fuerit inferior. Perinde ſanè eſt, ac ſi Dux aliquis validiſſimus urbium expugnator diceretur, qui eas quidem omnes infallibiliter ſubigeret, quæ nullo præſidio munitæ nullatenus reſiſterent, ac muros portaſque de ſe corruentes validiſſima tormentorum vi diſrumperet;

ab ca-

Digitized by Google

ab earum verò obſidione quæ munitiores forent, non ſemel deſiſtere coactus fuiſſet: Vel ſi quis ſtrenuus ac invitus in bello Imperator commendaretur, qui de hoſtibus victoriam toties reportaſſet, quoties iis numero copiarum longè ſuperior fuiſſet; toties verò proſtratus & in fugam verſus, quoties numero paulò impari decertaſſet. Quantò profectò digniùs & honorificentiùs de virtute gratiæ ſentit D. Thomas, cùm docet 3.p. q. 70. art. 4. *quòd minima gratia poſſit reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, ac vitare omne peccatum mortale.*

Glorientur adhuc ac elato ſupercilio ventitent Janſeniani, ſe gratiæ Chriſti defenſores ac martyres eſſe: martyres ſe prædicent delectationis ſuperioris, non invidemus; at cùm in ſyſtemate Janſeniano, par & æqualis ſit conditio ac neceſſitas delectationis terrenæ ad malum, quæ cœleſtis ab bonum; atque terrena delectatio præ cœleſti longè frequentiùs in homine dominetur, terrenæ magis quàm cœleſtis delectationis vindices ac martyres dicendi ſunt.

V. Vix exponere poſſunt Janſeniani, an delectatio, ſine qua voluntas ſeipſam movere non poteſt, ſenſibilis eſſe debeat, vel non. Si enim ſenſibilis non eſt, quomodo terrena concupiſcentiæ delectatio movebit? Si verò ſenſibilis eſt, ergo cœleſtis perinde ac terrena ſenſibilis pariter dicenda erit: quod certè abſurdiſſimum eſt, ac dignitati gratiæ non minùs quàm experientiæ repugnat. Neceſſe tamen eſt abſurdum illud in ſyſtemate Janſenii concoquere: tum quia fatetur, ut jam ſæpiùs diximus, Janſenius, eundem eſſe utriuſque delectationis agendi modum; tum quia duæ illæ delectationes ſe mutuò impugnant, ac de conſenſu voluntatis quaſi inter ſe decertant; ergo neceſſe eſt utramque eſſe ſenſibilem: tum quia eo in ſyſtemate omnis actio fit ex proportione relativa majoris inæqualitatis; ſi autem una delectatio eſſet ſenſibilis, altera verò non eſſet, licèt aliunde inter eas ſupponatur graduum æqualitas, nulla tamen eſſet proportio: tum denique quia fatetur ipſemet Janſenius Lib. 6. de Gratia Chriſti cap. 5. in fine, utramque delectationem eſſe ſenſibilem. *Hoc interim*, inquit, *admonitum lectorem velim, nos cùm voluntatem dicimus, non hoc iſto nomine intelligere, quod illis motibus indeliberatis ſubjacet, quibus ſubitò concupiſcimus, iraſcimur, trepidamus, antequam ratio vigilet; ſed id, quod motibus iſtis reſiſtit aut cedit, hoc eſt, ipſum illum ſupremum apicem, cujus eſt irruentibus undecumque motibus præbere nutum ſuum, ſive aſſentiat, ſive diſſentiat. Nam illi motus, ſecundùm Auguſtini mentem, non in ipſo mentis apice, qui illis ſupereminet, ſed in inferiore quadam ejus parte tumultuantur, ipſumque voluntatis apicem ad ſe, ſive in malo, ſive in bono, blandiendo, aut aliter afficiendo trahunt aut retrahunt.* T. 3. pag. 264. col. 2. B.

VI. Modus, quo victrix Chriſti gratia contumacem hominis voluntatem frangit ac domat, ſemper Auguſtino viſus eſt ad explicandum planè difficilis, occultus, ineffabilis; nec aliò, ut eum exponat, recurrit, quàm ad omnipotentiſſimam Dei voluntatem. *Legant*, inquit Lib. de Gratia Chriſti cap. 24. *& intelligant, intueantur atque fateantur .... interna & occulta, mirabili & ineffabili poteſtate operari Deum in cordibus hominum .... bonas voluntates.* T. 10. p. 241. E.

At verò in ſyſtemate Janſeniano, modus explicandi gratiæ vim efficacem per cœleſtem delectationem relativè ſeu per gradus oppoſita terrena delectatione ſuperiorem, planus eſt, facilis, apertus; nihil aſperum habet & in myſterio reconditum, nihil abſtruſum & intricatum. Quis enim verò tam ſtupidus, qui facillimè non intelligat inter duos colluctantes eum vincere, qui viribus

altero prævalet; inter duo pondera inæqualia in bilance poſita, quod majus eſt, ad ſe neceſſariò minus trahere? Ita ſe (proportione ſervata) res habet in ſententia Janſenii. Victrix enim non eſt gratia abſolutè, ſed comparatè ad inferiores vires oppoſitæ cupiditatis: ſi hæc inferior fuerit, vincet gratia; ſi autem ſuperior, vincetur, juxta *legem à divina providentia in omni ſtatu inſtitutam, ut actio ex proportione majoris inæqualitatis oriatur, quâ agens ſibi ſubjiciat paſſum, & major vis vincat minorem*. Quid rogo in eo mirum ac ſtupendum occurrit? Quod in phyſicis ex mechanica lege neceſſarium eſt, hoc ipſum & in ſpirituali, ut ita dicam, mechanica ratione agendi gratiæ neceſſariò quoque evenit.

Ultimum argumentum inde colligimus, quod iis ipſis momentis impugnetur ac evertatur Janſenianum ſyſtema, quibus ejus defenſores alia Molinæ, Suareſii, &c. ſyſtemata, velut divinæ gratiæ injurioſa, impugnant, & à ſe funditùs everſa gloriantur: imò (quod mirum certè videri debet) Janſeniani à ſuiſmet adverſariis reſponſiones emendicare tenentur, quibus propoſita ſibi argumenta diluant. Id ita eſſe patet.

I. Janſenius ejuſque diſcipuli Molinam, Suarem eorumque ſectatores eo maximè nomine velut Semipelagianos traducunt & exagitant, quòd in eorum ſententia gratia non ſit ex ſeipſa ſeu propria & interna virtute victrix in actu ſecundo: atqui hoc ipſum eſt, quod adversùs ſyſtema delectationis ſuperioris ſeu relativè victricis meritò retorquetur, ut mox demonſtratum fuit. Vim argumenti ſenſit, nec diſſimulavit Vvendrochius ſeu Nicolius in notis ad decimam octavam Epiſtolam Montaltii, id eſt Paſchalis; atque ut inde ſe expediat, ait: *Gratiam efficacem dupliciter ſpectari poſſe, vel in ſe ſeparatim, vel cum divina voluntate conjunctam.... Ut autem*, pergit, *rectè Thomiſtæ docent, non ſeorſum gratia ſpectanda eſt; ſed quatenus inſtrumentum Dei cum efficaci ejus & omnipotenti voluntate conjunctum.... quare cùm divina voluntas miſericorditer cum hominibus agere decrevit, eligit difficultati attemperata remedia*. Audire

Edit. Colon. pag. 541.

pag. 544. hìc profectò mihi videor diſcipulum in Schola Molinæ aut Suaris innutritum. Si enim ab his poſtulaveris, num gratia efficax ſuo quandoque careat effectu? Reſpondebunt, nunquam eo carere; non quòd vi ſua intrinſeca & inſuperabili illum in omnibus circumſtantiis infallibiliter habeat, ſed quòd ſit inſtrumentum Dei, quo ita opportunè in congruis circumſtantiis utitur, ut per hujuſmodi gratiam quidquid voluerit, quando & quomodo voluerit, certiſſimè operetur.

Porrò hac ſua reſponſione difficultatem eludit Nicolius, non ſolvit; niſi fateatur gratiam quoque natura ſua efficacem à Molina ejuſque diſcipulis admitti. Hic quippe agitur de gratia, quæ ſit infallibiliter efficax, non ab extrinſeco, aut à ſola Dei voluntate, & circumſtantiis, in quibus à Deo confertur; ſed quæ talis ſit ex natura ſua ſeu virtute intrinſeca, & in quibuslibet circumſtantiis, ac reſpectu cujuſcumque creaturæ, quocumque tandem modo diſpoſita fuerit. Talem profectò non eſſe gratiam victricis ſuavitatis, non diffitetur Nicolius, nec diffiteri poteſt, quicunque fuerit Janſeniano ſyſte-

pag. 543. mati addictus; quandoquidem delectatio victrix tota eſt relativa. *Gratia enim*, ait Nicolius loco citato, *quæ nunc victrix eſt, dum cum levi cupiditate pugnat, auctâ cupiditate & acriùs inflammata poteſt etiam actu ſuperari... Et quemadmodum cupiditas, quæ victrix erat, dum cum alia minore certabat, ſi hæc invalue-*

valuerit, & admotis propiùs incitamentis exarſerit, deſinit eſſe victrix, deſinit plenam elicere voluntatem; ſic item eadem illa gratia, quæ cum minore cupiditate pugnans victrix dicebatur, ſi novus ingruat cupiditatis fluctus, actu ſuperatur. Ita fieri poteſt, ut qui levem tentationem ſuperat, à majore ſuperetur, etiam ſi eadem utrobique gratia polleat. His paucis lineis totius ſyſtematis Janſeniani arcanum reſerat & complectitur Nicolius: ſic verò in ipſum Janſenianorum caput recidit hoc ipſum Achillæum ex rejecta gratia per ſe efficaci argumentum, unde ſuis adverſariis invidiam conflare moliti ſunt.

II. Maximam efficaci gratiæ injuriam inferri arbitrantur, ſi ex parte creaturæ aliqua ſupponatur conditio, unde efficacia gratiæ etiam in actu ſecundo vel minimum pendere dicatur. Eum in finem laudant iſta & alia hujuſmodi benè multa Scripturæ loca: *Dat velle* (Deus) *& operari pro bona voluntate. Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei. Omnis, qui audivit à Patre, venit, &c.* Laudant & iſtud celebre Auguſtini teſtimonium: *Gratia Dei à nullo duro corde reſpuitur; ideo quippe tribuitur, ut duritia cordis primitùs auferatur*, Et iſtud S. Proſperi Carmine de ingratis Lib. 2. c. 16. T. 10 p. 799. G.

At verò Omnipotens hominem cum gratia ſalvat,
Ipſa ſuum conſummat opus; cui tempus agendi
Semper adeſt, quæ geſta velit: non moribus illi
Fit mora, nec cauſis anceps ſuſpenditur ullis.

pag. 145. n. 383.

Verùm in hoc ipſum incommodum Janſeniani recidunt, quod declinare conantur. Ut enim exponant vim gratiæ à ſe (ut prætendunt) efficacem, tenentur ſupponere aliquam ex parte hominis conditionem; nempè ſi minor fuerit concupiſcentia, adeòque minor reſiſtentia voluntatis: ſi enim hæc major fuerit, ſtatim gratia victrix eſſe deſinit. Pariter in ſyſtemate Janſenii gratia propriè non tollit cordis duritiem, ſed eam tantam non eſſe præſupponit. Ita autem cauſis anceps ſuſpenditur, ut eadem gratia, quæ unum hominem plenè convertet, & ab eo ſuperſtitem cordis duritiem auferet, in alio è contra homine, in quo major erit cupiditatis reſiſtentia, aliquod duntaxat tenue boni deſiderium excitabit. Porrò, velint nolint Janſeniani, omnes adverſariorum gratiæ per ſe efficacis reſponſiones diſertiſſimè aſtruunt ac confirmant. Cùm enim ex citatis mox teſtimoniis Thomiſtę probant gratiæ infallibiliter ex natura ſua efficacis neceſſitatem; reſpondent, qui ipſis adverſantur, gratiam hanc reverà ex natura certò efficacem eſſe, niſi homo ipſi obicem poſuerit; vel ſi in his detur circumſtantiis, in quibus homini congruat; vel ope ſcientiæ mediæ effectum habitura prænoſcitur. Non aliter porrò reſpondere poſſunt Janſeniani. Eſt quippe juxta illos certa & infallibilis delectationis cœleſtis efficacia, modò tamen minor fuerit reſiſtentia concupiſcentiæ, nec obicem poſuerit; vel ſi in his circumſtantiis conferatur, in quibus majorem non fore concupiſcentiæ reſiſtentiam Deus præviderit per ſcientiam viſionis.

Inſtructions ſur le Symbole Vuendroch. Explication de la queſtion de fait, 2. partie de l'Apologie du P. Q. Miſſoulii.

III. Quæcumque adversùs Molinam & Congruiſtas objicere ſolent patroni delectationis ſuperioris, hæc eadem in caput iſtorum eodem jure nec minori ſucceſſu recidunt; adeò certè, ut non poſſint Molinam expugnare, quin eadem ſimul cum illo ruina opprimantur. Id verò ita eſſe facilè patebit expendenti, tum objectiones, quas patroni delectationis relativè victricis ſibi proponunt, tum reſponſiones, quibus objectiones illas diluunt; quaſque (quod mirum) à ſuiſmet adverſariis mutuari & emendicare tenentur.

Objiciunt, v. g. ſibi 1. ex ſyſtemate delectationis ſuperioris conſequi nullum intercedere diſcrimen inter gratiam ſufficientem & efficacem, eaſq; penes naturam non differre: imò quandoque fieri, ut gratia inefficax ac purè ſufficiens major ſit efficaci. Difficultatem hanc inter eas, quas Thomiſtæ Congruiſtis opponunt, eſse penè maximam, nemo in hoc argumento verſatus ignorat.

Reſpondent autem defenſores ſuperioris delectationis, gratiam efficacem majorem eſse ſufficienti in ratione doni: Deus enim illam conferens, vult eam eſse efficacem; & in priori rationis puncto quàm decernat eam conferendam, ita eſt affectus erga quempiam, ut abſolutè ſtatuat gratiam, quam ei impartiturus eſt, non fore ſine effectu perfecto: quare & hujus voluntatis vi paratus eſt ad uberiorem gratiam largiendam, ſi hæc non eſſet ſatis. Cùm verò per ſcientiam viſionis tantam in eo futuram non eſse novit concupiſcentiam, quin ad eam ſuperandam ſufficiat hujuſmodi gratia, majorem dare non conſtituit; qui, prævidens eandem in altero majori cupiditate pulſato non fore ſufficientem, non vult tamen vegetiorem gratiam infundere. Unde & gratia efficax dici poteſt major, quàm ſufficiens in ratione entis; ſi non abſolutè ac in ſe, ſaltem habita ratione ſubjecti.

Verùm quis non videat reſponſionem hanc ex intimis ſententiæ Congruiſtarum medullis eductam eſse? Nec enim aliter illi prædictæ difficultati reſpondent. Juxta illos nempè gratia efficax differt à ſufficiente, non ratione præcisè entitatis, ſed ratione doni; quo fit, ut major ſemper ſit gratia ſufficiente. Ideò porrò gratia efficax major ab ipſis dicitur in ratione doni, quòd in his circumſtantiis à Deo conferatur, in quibus prævidet obicem ex parte hominis apponendum non eſse. Aſserunt pariter, Deum paratum eſse, aliam homini, quem vult convertere, gratiam congruentiorem ſubminiſtrare, ſi prævideret priorem hanc effectum non habituram. Fateantur ergo neceſse eſt, aut prædictam ſuam reſponſionem non valere, aut certè infeliciter hac in parte à Thomiſtis & Janſeniani ſyſtematis defenſoribus Congruiſtas impugnari.

Objiciunt ſibi 2. ex ſententia delectationis ſuperioris iſtud incommodum & abſurdum ſequi, hominem ſcilicet à ſeipſo, non autem à Deo diſcerni; quam objectionem penè palmarem Janſenianorum adversùs Moliniſtas, nemo neſcit.

Reſpondent, Deum eſse, qui diſcernit hominem; quia nempè tantum ei concedit beneficii, quantum ad ipſum infallibiliter alliciendum neceſsarium eſt.

Verùm nec aliter reſpondent Congruiſtæ. Ideò enim, juxta illos, diſcretio à Deo venit, quia Deus, cùm poſset dare gratiam, cui non conſenſurum hominem prævidet, ei tamen ex pura miſericordia eam largitur, qua congruè moveatur, & bonum infallibiliter operetur. Ergo & hic à Congruiſtis diſsociandi non ſunt, nec disjungendi delectationis relativè victricis defenſores.

Objiciunt ſibi 3. ſequi ipſum conſentire aut ſaltem non reſiſtere gratiæ, ab homine eſse, non verò à Deo.

Reſpondent, id non ſequi. Ipſum enim non reſiſtere, ajunt, à gratia eſt. Neque enim homo non reſiſtit gratiæ, quia in eo minor eſt concupiſcentia, ſed quia tota ejus concupiſcentia, quanta ſit, ſuperatur à gratia.

Verùm hæc ſolutio Thomiſtis non ſatisfacit, vimque gratiæ non aſtruit, nec à Mo-

à Moliniſtarum doctrina diſcrepat. Si enim inſtet quis, & quærat, unde ſit, quòd gratia illa totam hominis concupiſcentiam quodammodo abſorbeat? Reſpondere non poterunt, id eſſe dumtaxat ex gratiæ ipſius efficacia, ſed maximè ex eo, quòd tunc minor ſit concupiſcentia. Si enim gratia hæc haberet ex ſeſe, ſeu propria & interna virtute vim illam infallibilem, procul dubio in omnibus perinde ſubjectis eundem effectum haberet, & concupiſcentiam majorem perinde ac minorem ſuperaret. Non ergo quidquam reponere poſſunt delectationis ſuperioris patroni, quàm quod unanimiter reſpondent, quicumque gratiam per ſe infallibiliter efficacem abjiciunt.

Objiciunt ſibi 4. ex prædicto ſyſtemate ſequi poſſe hominem præ alio gloriari, dum gratiæ aſſentitur, cui reluctatur alter.

Reſpondent, non habere hominem, unde glorietur, quia ejus conſenſus & minor reſiſtentia eſt à gratia.

Verùm & hic quoque paria ſentiunt ac reſpondent cum defenſoribus delectationis relativè victricis, Congruiſtæ; & utrique non minùs à ſententia gratiæ per ſe efficacis recedunt. Etenim, juxta Thomiſtas, ſi duobus hominibus par à Deo concedatur gratia, in utroque eundem effectum infallibiliter operabitur: è contra Moliniſtæ cenſent, fieri poſſe in prædicta hypotheſi, ut gratia, quæ reſpectu unius efficax eſt, in alio ſit omninò inefficax. Idem porrò ajunt delectationis ſuperioris vindices. Supponamus, quod non raro contingere Janſenius fatetur, duos eſſe homines, quorum unus incontinentiæ ſpiritu diu actus, fœdum hunc habitum alio quovis motivo etiam malo devicerit, dum alter è contra in omnes carnis delicias laxatis concupiſcentiæ habenis proruens ſimilem habitum roboravit. His duobus hominibus una & eadem tentatio contra caſtitatem ingruat; conferat illis Deus æqualem gratiam ad vincendam illam tentationem; haud dubiè eorum primus tentationem facilè expugnabit, dum alter è contra ab ea ſtatim dejectus ſuccumbet. Inter illos porrò homines, ex parte gratiæ nullum poteſt vel tenuiſſimum diſcrimen à patronis delectationis relativè victricis aſſignari, quod non ſtatim ſimiliter aſſignetur in ſyſtemate Moliniſtarum.

At, inquiet victricis delectationis defenſor, juxta Congruiſtas liberum arbitrium addit gratiæ vim & efficaciam: in ſyſtemate verò delectationis relativè victricis, quòd homo minorem gratiæ obicem apponat, non eſt ab eo liberè agente, cùm totum in eo gratia operetur, & totam ejus concupiſcentiam abſorbeat.

Verùm hæc reſponſio non ſatisfacit. 1. Quia dici non poteſt in ſyſtemate Janſenii, ex gratia eſſe, quòd homo minorem obicem gratiæ afferat; hunc quippè gratia præſupponit, non tollit, niſi gradibus oppoſitam cupiditatem ſuperaverit. Obex quippe ille ſequitur ex motibus indeliberatis carnalis delectationis, quos, ſi major fuerit delectatio concupiſcentiæ, quàm gratiæ, actu deliberato voluntas neceſſariò ſequitur, juxta famoſum effatum: *Secundùm id operemur neceſſe eſt, quod amplius delectat.* Motus autem illi indeliberati, ut omnes ſciunt, fiunt in nobis ſine nobis liberè concurrentibus. *Quis habet in poteſtate*, ait S. Auguſtinus Lib. 1. ad Simplic. q. 2. *tali viſo attingi mentem ſuam, quo ejus voluntas moveatur ad fidem? .... Aut quis habet in poteſtate, ut vel occurrat, quod eum delectare poſſit, vel delectet, cùm occurrerit?* Ergo quòd in adducta hypotheſi unus tentationi reſiſtat, cui alter ſuccumbit, non ori- *T. 6. p. 102. E.*

tur

tur ex gratia, quæ ſupponitur æqualis, ſed ex libero arbitrio minùs reſiſtente. 2. Nullus eſt inter Moliniſtas, qui non fateatur, gratiam à ſeipſa eſſe in actu primo efficaciſſimam: nullus, qui ultrò non concedat, totum, quod eſt in homine boni, eſſe à gratia: nullus, qui dixerit, hominis conſenſu & non reſiſtentia vim addi gratiæ. Jam diu quidem eſt, quòd id Moliniſtis ad invidiam eorum æmuli objiciunt; verùm ea in parte illos vindicavit celeberrimus Ledeſma, de auxiliis pag. 254. editionis Salmanticenſis, ubi notat juxta Moliniſtas, quòd noſtra voluntas faciat, ut gratia ſit in actu ſecundo efficax, ut conditio ſine qua non; non verò ut ratio formalis, neque ut conferens aliquid activitatis & virtutis auxilio Dei. Et in hanc rem laudat Molinam, cujus verba nos ſuperiùs, cùm varias circa gratiam ſufficientem Scholæ opiniones expendebamus, retulimus.

Atque his argumentis evidentiſſimè, ni fallor, oſtenditur, ea omnia, quæ in ſyſtemate Molinæ & Congruiſtarum Janſeniani reprehendunt, tanquam virtuti gratiæ Chriſti injurioſa, ac velut hæretica tam acriter exagitant, ex ipſo ſyſtemate delectationis relativè victricis, quaſi è renata, profluere: ex quibus, ut Janſeniani ſeſe expediant, à ſuiſmet adverſariis, quos adeò ſuperbè deſpiciunt, reſponſiones emendicare tenentur.

Solvuntur Objectiones.

Quotquot ex Auguſtino teſtimonia Janſenius congerit Lib. 4. de Gratia Chriſti undecim primis capitibus, eò pertinent, ut probet; vel ſine delectatione voluntatem nullo pacto ad agendum moveri poſſe; vel efficacem Chriſti gratiam nihil aliud eſſe, quàm victricem delectationem; vel in conflictu duarum delectationum, eam, quæ altera gradibus ſuperior eſt, victricem eſſe.

Objicies itaque 1. ea S. Auguſtini teſtimonia, quibus affirmat ſine delectatione voluntatem moveri nullatenus poſſe.

T. 1. p. Lib. 2. de Geneſi contra Manich. c. 14. *Ratio noſtra*, inquit, *deduci ad con-*
673. D. *ſenſionem peccati non poteſt, niſi cùm delectatio mota fuerit in illa parte animi, quæ*
debet obtemperare rationi tanquam rectori viro.

T. 8. p. Lib. 22. contra Fauſtum cap. 28. *Si nihil delectaret illicitum, nemo peccaret.*
379. D. T. 5. p. *Peccat ergo, qui delectationem illiciti relaxat potiùs, quàm refrænat.* Idem repe-
766. F. tit Serm. 155. aliàs 6. de verbis Apoſtoli. Et Serm. 159. aliàs 17. c. 3. *Non ama-*
tur, ait, *niſi quod delectat.*

T. 6. p. Lib. 1. ad Simplicianum q. 2. *Quis habet*, inquit, *in poteſtate tali viſo attingi*
102. E. *mentem ſuam, quo ejus voluntas moveatur ad fidem? Quis autem animo amplectitur*
aliquid, quod eum non delectat? Aut quis habet in poteſtate, ut vel occurrat, quod
eum delectare poſſit, vel delectet, cùm occurrerit? Cùm ergo nos ea delectant, qui-
Ibid. p. *bus proficiamus ad Deum, inſpiratur hoc & præbetur gratia Dei.* Et in fine: *Volun-*
104. A. *tas ipſa, niſi aliquid occurrerit, quod delectet atque invitet animum, moveri nullo*
T. 3. p. *modo poteſt: hoc autem ut occurrat, non eſt in hominis poteſtate.*
2. p. 495. D. Denique Tract. 26. in Joan. *Trahit ſua quemque voluptas; non neceſſitas, ſed vo-*
Ibid. p. *luptas; non obligatio, ſed delectatio ... Pater trahit, docendo delectat, non neceſſitatem*
496. G. *imponendo*. Et ut habet Lib. de Gratia Chriſti cap. 13. *Cum ineffabili ſuavitate.*
T. 10. p. R. Hæc omnia ferè Auguſtini teſtimonia intelligi debere de delectatione
236. E. deliberata. Quòd ſi intelligerentur etiam de indeliberata, nullo modo efficerent,

Digitized by Google

rent, quod Janſenius intendit, nempe tali delectatione voluntatem neceſſariò ad conſentiendum pertrahi: cùm his in locis hortetur ſanctus Doctor ad frænandam illicitam delectationem, & agnoſcat voluntatem ei aliquando reſiſtere. *Aliquando*, inquit citato cap. 14. Lib. 2. de Geneſi contra Manichæos, *ratio viriliter etiam commotam cupiditatem refrænat atque compeſcit*. T. 1. p. 673. E.

Quæ igitur ex eodem capite hic nobis opponuntur, non ſtrictè, ſed moraliter debent accipi; ita ut ſine delectatione ut plurimùm non deducatur ad conſenſionem peccati ratio: alioquin ſibi contradiceret Auguſtinus, docens, eſſe peccata, quæ delectationis illecebra non committuntur. Quin vel in hoc ipſo capite docet Auguſtinus, aliquas eſſe tentationes, quæ ſunt ſine noxia delectatione. *Primò*, inquit, *fit ſuggeſtio ſive per cogitationem, ſive per ſenſus corporis ... quæ ſuggeſtio cùm facta fuerit, ſi cupiditas noſtra non movebitur ad peccandum, excludetur ſerpentis aſtutia*. Vides aſſerere Auguſtinum, ſuggeſtionem diaboli ſemper comitem non habere delectationem. Ibid. D. E.

Eandem reſponſionem dare tenentur adverſarii loco deſumpto ex Lib. 1. ad Simplic. niſi manifeſtè ſibi contradicentem exhibere velint Auguſtinum, qui dicit, Deum ad ſe trahere homines variis & ineffabilibus modis, per timorem, dolorem, &c.

Dici meritò poteſt, Auguſtinum per illud, *quod delectat*, non ſemper intelligere illud ſolùm, quod ſuave & delectabile eſt; ſed illud omne, quod invitat, quod trahit, quod prævenit voluntatem; idque oppoſitè ad errorem Pelagianorum, quem ſemper debellat. Reſponſionem noſtram confirmat vel ipſemet Janſenius, qui poſtquam ſæpiùs iſtud aſſeruit principium, delectationem unicum pondus eſſe voluntatis, Lib. 6. de Gratia Chriſti c. 5. ſic loquitur: *Ipſum quoque voluntatis apicem ad ſe, ſive in malo, ſive in bono, blandiendo aut aliter afficiendo trahunt aut retrahunt*. Obſerva diligenter hæc verba, *aut aliter afficiendo*: agnoſcit ergo vel ipſemet Janſenius, voluntatem aliquando aliter quàm delectationis ſenſu affici. T. 3. p. 264. col. 2. C.

Objicies 2. ea teſtimonia, quibus idem ſanctus Doctor aſſerit, Chriſti gratiam cœleſtem eſſe ac victricem delectationem.

Lib. 3. de pecc. mer. & rem. cap. 19. *Intelligamus*, ait, *Dominum Deum bonum ideò etiam Sanctis ſuis alicujus operis juſti aliquando non tribuere vel certam ſcientiam, vel victricem delectationem, ut cognoſcant non à ſeipſis, ſed ab illo ſibi eſſe lucem, qua illuminantur tenebræ eorum*. Hanc verò gratiam eſſe contendit, quam Eccleſia à Deo poſtulat: *Cùm autem*, pergit, *ab illo illius adjutorium deprecamur, ad faciendam perficiendamque juſtitiam; quid aliud deprecamur, quàm ut aperiat, quod latebat, & ſuave ſapiat, quod non delectabat*. T. 10. p. 57. A. Ibid. B.

Similia paſſim inculcat ſanctus Doctor, Sermone 154. aliàs 4. de verbis Apoſtoli Lib. 2. ad Bonifac. cap. 9. Enarratione in Pſalm. 84. &c.

Reſp. 1. His & pluribus aliis teſtimoniis, quæ Janſenius operosè congerit, Auguſtini mentem nunquam fuiſſe excludere ab efficaci gratiæ motione, qua Deus hominum corda tangit ac convertit, alia omnia motiva timoris, doloris, turpitudinis peccati &c. *Diverſis enim & innumerabilibus modis Deus homines ad ſe vocat & reformat*, ait ſanctus ille Doctor cap. 5. Lib. de corrept. & gratia. Hoc unum igitur ex citatis teſtimoniis colligi meritò poteſt, quod agnoſcimus, vim & efficaciam gratiæ ut plurimùm duci ex ipſius interna ſuavitate ac dulcedine ſimpliciter & abſolutè ex ſeipſa victrice; ſed non probant T. 10. p. 754. A.

hæc

hæc teſtimonia; ſicut falsò Janſenius docet, efficaciam gratiæ repeti ex delectatione relativa ſeu per gradus victrice.

Rꝫ.2. Delectationem illam victricem, de qua ſanctus Doctor, ut plurimùm apud ipſum eſſe ipſam gratiam habitualem, qua dimittuntur peccata, &c. Ita imprimis Lib. 2. ad Boniſac. Ejuſmodi autem habitualem gratiam ad quodlibet opus pietatis faciendum eſſe neceſſariam non contendent haud dubiè Janſeniani; ergo illa victrix delectatio, quam dicunt ad omne opus pietatis requiri, ea non eſt, de qua citatis locis ut plurimùm loquitur S. Auguſtinus.

Reſp. 3. Delectationem, de qua S. Auguſtinus, ut plurimùm deliberatam eſſe; eo enim ſenſu meritò poteſt intelligi dicere ſanctus Doctor: *Dabit Deus ſuavitatem, Dabit cæleſtem delectationem, Dabit beneficam ſuavitatem, &c.* quaſi diceret, faciet Deus per gratiam ſuam, ut complaceas in ſua lege, ut delecteris in ipſa: è contrà Janſenius agit de indeliberata delectatione; ergo Janſenius ſenſu non concordat cum Auguſtino. Reſponſio hæc ex mox dicendis magis patebit.

Objicies 3. Ea S. Auguſtini teſtimonia, quibus docet, delectationem gratiæ idcircò victricem eſſe, quia gradibus ſeu viribus ſuperior eſt oppoſita delectatione concupiſcentiæ; ita ut in conflictu duplicis illius delectationis, cœleſtis ac terrenæ, neceſſe ſit, eam, quæ alteri viribus, prævalet, vincere, ac voluntatem ſecundùm id operari, quod eam magis delectaverit.

T. 6. p. 301. C. D. Libro de continentia cap. 3. *Contra ſuavitatem noxiam, qua vincebat concupiſcentia, Dominus dat ſuavitatem beneficam, qua delectet ampliùs continentia.* Et cap. 8. *Bonum ſit, cùm id quod malè libet, vincente bona delectatione non ſit.*

Ibid. p. 308. F. T. 10. p. 114. B. Ibid. p. 122. C. Lib. de ſpiritu & littera cap. 29. *Per fidem confugiat ad miſericordiam Dei, ut det quod jubet, atque inſpirata gratiæ ſuavitate per Spiritum ſanctum faciat plùs delectare quod præcipit, quam delectat quod impedit.* Et cap. 35. *Fieret* (juſtitia) *ſi tanta voluntas adhiberetur, quanta ſufficit tantæ rei. Eſſet autem tanta; ſi & nihil eorum, quæ pertinent ad juſtitiam, nos lateret, & ea ſic delectarent animum, ut quidquid aliud voluptatis doloriſve impedit, delectatio illa ſuperet.*

Ibid. p. 54. E. Libro 2. de pecc. merit. & remiſſ. cap. 17. *Noluit homines facere, quod juſtum eſt, ſive quia latet an juſtum ſit, ſive quia non delectat. Tantò enim quidque vehementiùs volumus, quantò certiùs quàm bonum ſit, novimus, eoque delectamur ardentiùs. Ignorantia igitur & infirmitas vitia ſunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abſtinendum. Ut autem innoteſcat, quod latebat, & ſuave fiat, quod non delectabat, gratiæ Dei eſt, quæ hominum adjuvat voluntates: qua ut non adjuventur, in ipſis itidem cauſa eſt, non in Deo.*

T. 1. p. 149. A. Lib. 8. Confeſſ. cap. 5. *Voluntas nova,* inquit, *quæ mihi eſſe cœperat, ut te gratis colerem, fruique te vellem, Deus, ſola certa jucunditas, nondum erat idonea ad ſuperandam priorem vetuſtate roboratam.*

T. 3. p. 175. col. 1. D. T. 3. p. 2. p. 972. F. Denique extat in Expoſitione Epiſtolæ ad Galatas unus locus clariſſimus & præclariſſimus, *qui,* ait Janſenius Lib. 4. de Gratia Chriſti cap. 6. *aureis merentur ſcribi caracteribus. Regnant ergo,* ait Auguſtinus, *ſpirituales iſti fructus in homine, in quo peccata non regnant. Regnant autem iſta bona, ſi tantùm delectant, ut ipſa teneant animum in tentationibus, ne in peccati conſenſionem ruat. Quod enim amplius nos delectat, ſecundùm id operemur neceſſe eſt. V. g. occurrit forma ſpecioſæ fœminæ, & movet ad delectationem fornicationis: ſed ſi plùs delectat pulchritudo*

illa

illa intima & ſincera ſpecies caſtitatis, per gratiam, quæ eſt in fide Chriſti, ſecundùm hanc vivimus, & ſecundùm hanc operamur; ut non regnante in nobis peccato ad obediendum deſideriis ejus, ſed regnante juſtitia per charitatem, cum magna delectatione faciamus, quidquid in ea Deo placere cognoſcimus.

Reſp. S. Auguſtinum his in locis à mente Janſenii alienum omninò eſſe. Loquitur quippe S. Doctor aut de habituali delectatione gratiæ, aut de delectatione deliberata voluntatis: Janſenius è contra de delectatione actuali ac indeliberata. Neque enim quemquam ex diſcipulis ipſius fore arbitror, qui velit Magiſtrum de habituali delectatione loqui, cùm toties repetit, neceſſe eſſe, ut ſecundùm id operemur, quod magis delectat: aliàs juſtus, in quo dominatur habitualis gratiæ delectatio, peccare amplius non poſſet, utpote qui ſemper ac neceſſariò hujus delectationis motum ſequeretur; ergo loquitur de motione delectationis ſuperioris actualis, quam indeliberatam eſſe docet Lib. 4. de Gratia Chriſti cap. 11.

Porrò his duobus capitibus toto cœlo diſtat Janſenius ab Auguſtino citatis in locis.

I. Loquitur ſanctus Doctor de habituali delectatione gratiæ ſanctificantis, citato cap. 3. Libri de continentia: non enim ibi continentiam pro actu quodam fluente ac tranſeunte uſurpat, ſed pro ipſa virtute; nec gratiam pro ſola motione actuali tranſeunte, ſed pro ipſa charitate diffuſa in cordibus. Patet manifeſtè ex oppoſitione, quam refert inter ſtatum Legis ſub Moyſe, & ſtatum Chriſti ſub gratia; inter ſtatum peccati, & ſtatum gratiæ: quem in finem laudat hæc Apoſtoli verba, Rom. 6. v. 12. *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore ad obediendum deſideriis ejus ....non enim eſtis ſub lege, ſed ſub gratia.* Et iſta ex cap. 8. *Ergo debitores ſumus non carni, ut ſecundùm carnem vivamus. Si enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini: Si autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii Dei ſunt.* Filii autem Dei propriè non vocantur, niſi qui inhabitantem in ſe habent charitatem diffuſam per Spiritum ſanctum, qui datus eſt eis.

Evidentiùs id adhuc manifeſtum eſt ex citato cap. 29. Lib. de ſpir. & litt. ſtatim enim poſt verba in objectione relata, hæc addit ſanctus Doctor: *Ita multa multitudo dulcedinis ejus, hoc eſt, lex fidei, charitas ejus conſcripta in cordibus* T. 10 p.
atque diffuſa, perficitur ſperantibus in eum, ut anima ſanata non timore pœnæ, ſed 114. B.
amore juſtitiæ operetur. Et capite 35. quod etiam Janſenius opponit, poſt verba relata ſic habet ſanctus Doctor: *Quod ut non ſit, non ad impoſſibilitatem, ſed ad judicium Dei pertinet. Quis enim neſciat, non eſſe in hominis poteſtate, quid* Ibid. p. 122. C.
ſciat; nec eſſe conſequens, ut quod appetendum cognitum fuerit, appetatur, niſi D.
tantum delectet, quantum diligendum eſt? Hoc autem ſanitatis eſt animæ. Hæc porrò ſanitas nonne oritur ex charitate diffuſa in cordibus, ſeu dominante gratiæ habitualis delectatione?

Apertiſſimè in hoc ipſo Libro cap. 3. id declarat ſanctus Doctor: *Accipit* Ibid. p.
homo, inquit, *Spiritum ſanctum, quo fit in animo ejus delectatio, dilectioque ſummi* 87. D.
illius ac incommutabilis Boni. Et cap. 4. *Neque ullum peccatum niſi concupiſcendo* Ibid. p.
committitur. Sed ubi ſanctus non adjuvat Spiritus, inſpirans pro concupiſcentia ma- 88. B.
la concupiſcentiam bonam, hoc eſt charitatem diffundens in cordibus noſtris, profectò lex illa, (Non concupiſces) *quamvis bona, auget prohibendo deſiderium malum.*

II. S. Auguſtinus loquitur de delectatione, non illa indeliberata, quæ ex obje-

objecto naſcitur, omnemque antevertit rationis advertentiam & voluntatis libertatem, qualem Janſenius intelligit; ſed de illa deliberata, quæ oritur ex libera voluntatis electione ac determinatione, ſecundùm quam ſanctus Doctor ait, neceſse eſſe, ut operemur; neceſſitate ſcilicet conſequente liberam voluntatis determinationem, quæ in objecto propoſito ſibi complacet, eique adhæreſcit, cui ſi vellet, non adhæreſceret. Neque enim, ut oſtendimus, docuit unquam ſanctus Auguſtinus, majorem objecti delectationem neceſſariam eſſe regulam ac menſuram delectationis ſeu complacentiæ voluntatis, quaſi hæc libera non foret, ut objectivam illam majorem ſuavitatem ſequeretur, vel non ſequeretur. Hanc eſſe ſancti Doctoris mentem, patet ex iis ipſis locis, quæ Janſenius objicit. Lib. 2. de pecc. mer. & rem. cap. 17. *Cùm*, inquit initio capitis, ***voluntatem humanam gratia adjuvante divina***, *ſine*
Ibid. p. 54 D. *peccato in hac vita poſſit homo eſſe, cur non ſit, poſſem facillimè ac veraciſſimè reſpondere, quia homines nolunt: ſed ſi ex me quæritur: quare nolunt, imus in longum*. Igitur major illa delectatio, de qua ſequentibus verbis loquitur ſanctus Doctor, & ſecundùm quam hominem operari ait, deliberata eſt, profluens ex libera ipſius determinatione; agit enim, quia vult, non agit, quia non vult. Neceſse verò non eſſe, ut voluntas ſemper ac neceſſariò tendat, quò major objecti delectatio invitat & trahit, manifeſtum eſt exemplo Angelorum & Adami, in quibus dominabatur haud dubiè gratiæ tum habitualis tum actualis delectatio, cui nulla oppoſita reſiſtebat carnis delectatio; & tamen
T. 8. p. 379. E. victrix in Adamo & Angelis nonnullis non fuit hæc delectatio. *Erat enim in eis*, ait S. Aug. L. 2. contra Fauſtum cap. 28. *poſſibilitas frænandi delectationem ab illicito, quam non frænando peccarunt*.

Mens ſancti Doctoris evidentiùs adhuc clareſcit ex loco, quem Janſenius perpetuò repetit, Expoſitione ſcilicet in Epiſtolam ad Galatas. Manifeſtum quippe eſt, eum hìc loqui de actione externa, quæ neceſſariò fit ſecundùm id, quod per electionem & deliberatum voluntatis actum magis amamus: quæ neceſſitas conſequens eſt, ac ipſum libertatis uſum & exercitium demonſtrat. Probat id apertè exemplum ſeu hypotheſis, quam ſtatuit S. Auguſtinus, hominis ſcilicet, cui occurrit forma ſpecioſæ mulieris, qua movetur ad delectationem fornicationis; qui tamen ſi plus delectatur interna pulchritudine caſtitatis, ſecundùm majorem illam delectationem vivit & operatur. Delectatio porrò illa, ſecundùm quam neceſſariò exteriùs operatur, non eſt indeliberata & objectiva, ſed deliberata & ſubjectiva: operatio quippe ex-
T. 3. p. 2. p. 974. C. terior fluit ex interiori determinatione libera voluntatis. *Manifeſtum eſt certè*, ait ſanctus Doctor nu. 54. *ſecundùm id nos vivere, quod ſectati fuerimus, ſectabimur autem, quod dilexerimus*.

Et verò hortatur ibidem nu. 50. ut illicitas delectationes non ſectemur: atqui de majori objectiva & indeliberata delectatione id fruſtrà diceret, quæ arbitrio voluntatis non ſubjacet, imò ſecundùm quam ex Janſenio neceſse eſt, voluntatem ſemper operari; ergo loquitur de delectatione deliberata, cui voluntas propria ſua electione adhæreſcit, & cui, ſi mala & illicita
T. 10. p. 722. D. E. fuerit, ut non adhæreat, hortatur & præcipit. *Numquid*, ait ſanctus Doctor Libro de Gratia & libero arbitrio cap. 4. *tam multa, quæ præcipiuntur in lege Dei, ne fornicationes & adulteria committantur, indicant aliud quàm liberum arbitrium? Neque enim præciperentur, niſi homo haberet propriam voluntatem*,
qua

qua divinis præceptis obediret. Et Sermone 159. aliàs 17. de verbis Apoſtoli: *Inter omnia*, inquit, *quæ delectant, plus te delectet ipſa juſtitia.... Juſtitia ſic te* T. 5. p. *delectet, ut vincat etiam licitas delectationes*. Non poterat clariùs ac diſertiùs 766. B. oſtendere Auguſtinus hæc duo capitalia; 1. Se ſæpiſſimè loqui de delectatione deliberata. Ibid. E. 2. Delectationem indeliberatam neceſſariò voluntatem non trahere.

Inſtabis 1. S. Auguſtinus loquitur de delectatione gratiæ prævenientis, de qua dicit citato Lib. de ſpir. & litt. cap. 35. *Quis neſciat, non eſſe in hominis po-* T. 10. p. *teſtate, quid ſciat; nec eſſe conſequens, ut quod appetendum cognitum fuerit, ap-* 122. C. *petatur, niſi tantum delectet, quantum diligendum eſt?* Et Lib. 1. de div. quæſt. D. ad Simplic. qu. 2. *Voluntas ipſa*, inquit, *niſi aliquid occurrerit, quod delectet at-* T. 6. p. *que invitet animum, moveri nullo modo poteſt. Hoc autem ut occurrat, non eſt in* 104. A. *hominis poteſtate*. Quapropter Lib. 2. de pecc. mer. & rem. cap. 17. citato, T. 10. p. ait: *Ut autem innoteſcat, quod latebat, & ſuave fiat, quod non delectabat, gra-* 54. E. F. *tiæ Dei eſt, quæ hominum adjuvat voluntates*. Ergo loquitur ſanctus Doctor de delectatione objectiva indeliberata, quæ ſi ſuperior fuerit, voluntatem neceſſariò ad ſe pertrahit.

Reſp. Diſtinguo ant. Sanctus Doctor loquitur aliquando de delectatione gratiæ prævenientis indeliberata, quam voluntas pro arbitrio ſuo ſequitur vel non ſequitur, concedo: quam voluntas neceſſariò, ut Janſenio placet, ſequitur, nego. Unde effatum iſtud: *Secundùm id operemur, neceſſe eſt, quod amplius delectat*, non accommodat delectationi ſuperiori objectivæ ac indeliberatæ, quaſi neceſse prorſus foret, voluntatem eò ſemper ferri, quò major invitat & allicit objecti delectatio: ipſe ſiquidem fatetur ſanctus Doctor, ſe non ſemper feciſſe, quod incomparabili affectu magis placebat; atque voluntas pro innata ſua libertate & activa indifferentia, cuicunque gratiæ obtemperare vel reſiſtere ſemper poteſt. Effatum ergo iſtud: *Secundùm id operemur, neceſſe eſt, quod ampliùs delectat*, Auguſtinus intelligit de delectatione deliberata ſubſequente liberam voluntatis electionem ac determinationem. Pariter, neceſſitatem illam non eſſe conſequentis, ſed conſequentiæ; non antecedentem, ſed conſequentem, declaravit: ſolet enim ſanctus Doctor verbum iſtud, *neceſſe*, uſurpare ad ſignificandam neceſſitatem conſequentiæ; ut Lib. 5. contra Julianum cap. 16. Lib. 1. de nuptiis & concupiſcentia cap. 12. Lib. 1. de conſenſu Evangeliſtarum c. 24. In Pſalm. 37. 51. &c.

Inſtabis 2. Non ſolùm ex Auguſtini teſtimonio, ſed ex quotidiana experientia certum ac exploratum eſt, nos tantò vehementiùs aliquid velle, quantò eo delectamur ardentiùs; ita ut major delectatio ſemper vincat minorem.

Reſp. Non in eo præcisè poſitum eſſe errorem Janſenii, quòd velit actionem certò fieri ex delectatione victrice; id enim pariter aſſerunt, quotquot gratiam ab interna ſuavitate ac delectatione ſimpliciter efficacem eſſe tuentur: ſed in eo maximè, quòd contendat, delectationem pro ſuperioritate graduum eſſe pondus unicum, quo voluntas ad actum perfectum invincibiliter determinatur; ita ut ex eo præcisè delectatio gratiæ ſit victrix, quia ſuperior eſt & major oppoſita delectatione concupiſcentiæ; & delectatio gratiæ parvæ idcircò ſufficiens non ſit, quia minor actu concurrente concupiſcentia.

Inſtabis 3. In conflictu duplicis delectationis præviæ & indeliberatæ, minor

nor non poteſt ſuperare majorem; aliàs iſthæc eo ipſo major eſſe deſineret: quemadmodum minus pondus nunquam poteſt majus ad ſe trahere; ergo delectatio eo ipſo præcisè voluntatis conſenſum exprimit, quo viribus oppoſita ſuperior eſt.

Reſp. Nego ant. Quod eſt de falſo ſupponente. Nam minima gratia non eſt minor ſeu inferior concupiſcentia, cùm poſſit ex S. Thoma reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ. Inſtantia hæc ipſamet objectio eſt, quam contra ſyſtema delectationis ſuperioris maximè urgemus: ideò enim maximè contendimus, in eo ſyſtemate gratiam efficacem neceſſitatem voluntatis inferre; & gratiam parvam veram & expeditam non dare potentiam, quia in eo ſyſtemate gratia efficax eſt delectatio ſuperior, gratia verò ſufficiens ac debilior eſt delectatio inferior.

Inſtabis 4. Cùm S. Thomas 3. parte qu. 62. art. 6. & qu. 70. art. 4. dixit, minimam gratiam poſſe reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, & vitare omne peccatum mortale, loquitur de gratia habituali, nos verò hìc agimus de gratia actuali; ergo præſenti cauſæ accommodata non eſt iſta D. Thomæ ſententia.

Reſp. 1. Etiamſi demonſtrarent adverſarii, S. Doctorem de ſola habituali gratia citaris in locis agere; imò etiamſi oſtenderent in re præſenti, recedendum eſſe (quod abſit) à ſententia D. Thomæ, ſi conſtaret eum loqui de gratia actuali, parum adhuc proficerent: ſemper etenim firmum & inconcuſſum maneret, Eccleſiam, damnando Janſenii doctrinam, poſtulare, ut Catholici fateantur dari juſtis, urgente præcepto, gratias ſufficientes, quæ vires pares & æquales conferant ſaltem ad orandum, impetrandumque uberius auxilium pro actuali ſuperanda concupiſcentia; & conſequenter Deum, urgente præcepto, non concedere juſtis gratias inferiores & minores actuali concupiſcentia; ſed ſuccreſcente tentatione, ſuccreſcens ſubminiſtrare gratiæ auxilium.

Reſp. 2. Equidem S. Thomam citatis in locis loqui de gratia habituali: verùm ex eodem ſancto Doctore 1. 2. q. 109. art. 9. gratia illa habitualis comitem habet actualem, qua homo juſtus ſemper indiget, ut bonum operetur. *Sicut enim*, ait ſanctus Auguſtinus hìc à S. Thoma laudatus, *oculus corporis pleniſſimè ſanus, niſi candore lucis adjutus non poteſt cernere, ſic homo perfectiſſimè etiam juſtificatus, niſi æterna luce juſtitiæ divinitùs adjuvetur, rectè non poteſt vivere.* Ergo in homine juſto, urgente præcepto, adeſt non tantùm gratia habitualis, ſed etiam actualis, ſufficiens ac neceſſaria, ut poſſit adimplere præceptum, ſeu immediatè, ſeu mediatè uberius impetrando Dei auxilium; ergo licèt minima ſupponatur in eo juſto gratia, ſufficientes tamen ex ea vires habet relativè ad oppoſitam quamlibet cupiditatem ſuperandam, & ad præceptum ſeu immediatè ſeu mediatè obſervandum. *Minima enim gratia*, inquit Franciſcus Carthagena Salmanticenſis Theologus ac Profeſſor, Diſcurſu 10. pag. 325. & 329. Editionis Romanæ, *quæ etiam non datur minor, ſufficientiſſima eſt ad tuendum hominem, non ſolùm contra carnem, quæ quidem interior inimicus eſt, ſed etiam contra omnes dæmones & obſtruſiſſimas eorum inſidias. Et hoc non ſolùm verum habet de gratia ſecundùm ſe, ſed de gratia, ut afficit quodlibet ſubjectum: quia ea reddit illud potiſſimum; ut ſi velit, poſſit profligare omnes dæmonum incurſus, & adversùs omnem inferorum cœtum ſine caſu perſiſtere.* Non poterat au-

L. de natura & grat. c. 26.

auctor ille clariùs exprimere potentiam illam relativè ſufficientem, quam minima etiam gratia ad quoſcumque tentationum inſultus, ac quamlibet concupiſcentiam debellandam ſubminiſtrat.

Objicies 4. Tritum iſtud eſt Philoſophorum effatum: Omnes actiones humanas eſſe ab amore boni, tanquam à cauſa & principio. Omne quippe odium, inquiunt, in amore fundatur: amor verò ſemper includit ſuavitatem ac delectationem; ergo delectatio unicum eſt pondus ſeu principium noſtrarum actionum: unde Auguſtinns pronuntiat, nihil ab homine fieri, niſi delectet: *Niſi delectet*, inquit, *non ſuſcipitur. Quod enim amplius delectat, ſecundùm id operemur neceſſe eſt*. In Caput 5. Epiſt. ad Galatas.

℞. Diſtinguo ant. Omnes actiones humanæ ſunt ab amore deliberato, ſeu conſequente liberam voluntatis electionem ac determinationem, concedo: omnes actiones ſeu motus indeliberati ſunt ab amore, quaſi amor unicum ſit pondus, quo voluntas impulſu prævio & indeliberato determinatur ad agendum, nego. Verum equidem eſt, omnem voluntatis motum deliberatum eſſe ab amore, aut ad ipſum tendere; quo ſenſu quidquid homo facit, ex delectatione facere dicitur, quia illud facit, quia vult & ipſi placet; & quidquid placet, quodammodo delectat, licèt aliunde durum ac grave ipſi fuerit: at falſum prorſus eſt, omnes indeliberatos motus ſic eſſe ab amore, ut amor delectans unicum ſit omnium noſtrarum actionum principium. Amor enim multiformis eſt: aliquando delectationis, aliquando verò timoris vel triſtitiæ ſenſum adjunctum habet. Ita S. Auguſtinus Lib. 14. de civitate Dei cap. 7. *Amor*, inquit, *inhians habere quod amatur, cupiditas eſt; id autem habens, eoque fruens, lætitia eſt: fugiens quod ei adverſatur, timor eſt; idque ſi acciderit ſentiens, triſtitia eſt*. Cùm autem dixit idem ſanctus Doctor: *Quod amplius delectat, ſecundùm id operemur neceſſe eſt*, non de indeliberata, ſed de deliberata delectatione exponendum eſſe antea oſtendimus. T. 7. p. 355. G.

Objicies 5. Syſtema gratiæ victricis per delectationem relativè ſuperiorem purum ex ſeſe ab omni errore debet æſtimari, ſi ſub delectatione ſuperiori concipi poſſit adeſſe in voluntate æqualitas virium ad reſiſtendum: atqui id concipi facilè poteſt, quemadmodum in ſyſtemate delectationis abſolutè victricis; ergo, &c.

Reſp. Nego min. Diſparitatis ratio evidens eſt: quia delectatio ſuperior ideo præcisè victrix eſt, quia ſuperior; ergo oppoſitam delectationem inferiorem, adeòque & in ipſa voluntate virium inæqualitatem eſſe ad reſiſtendum ſupponit: non ita porrò eſt in delectatione abſolutè victrici.

Inſtabis 1. Quamvis voluntas inferiori dumtaxat delectatione inſtructa ſupponatur, nihilominus pares & æquales vires habere concipi poteſt ad debellandam ſuperiorem delectationem, ſi aliunde quàm ex delectatione vires illas habere poſſit: atqui de facto poteſt voluntas pares ad reſiſtendum vires aliunde habere, quàm ex delectatione.

Reſp. In ſyſtemate gratiæ efficacis per delectationem relativè victricem, voluntatem ex ſola delectatione vires accipere: unde ſi delectatio inferior ſit, voluntas quoque inferioribus imparibuſque tantùm inſtructa erit viribus; ac conſequenter non poterit reſiſtere delectationi ſuperiori oppoſitæ. In hoc porrò ſyſtemate, voluntatem ex una delectatione vires habere, ex eo eviden-

ter oſtenditur, quòd ſi aliunde eas acciperet, ſupponi poſſet, præſente delectatione ſuperiori adeſſe in voluntate virium æqualitas ad reſiſtendum: quod ſi ſupponi poſſit, poterit & meritò pariter ſupponi, delectationem ſuperiorem aliquando privari ſuo effectu perfecto: quandoquidem ipſa delectatio ex natura ſua certam non habet connexionem cum effectu perfecto certiſſimè obtinendo. At in ſyſtemate delectationis ſuperioris ac relativè victricis nullatenus id ſupponi poteſt: delectatio enim ſuperior eo ipſo, quo ſuperior eſt, effectum perfectum certiſſimè producit.

Præterea illud diſtinctum à delectatione, ex quo ſupponi poſſet, voluntas vires habere pares ad reſiſtendum, vel gradibus ſuperaret ipſam delectationem, vel non: ſi poſterius, quomodo vires ad ei reſiſtendum pares conferret? Si prius, ea ipſa omnia recurrerent argumenta, quæ adversùs ipſam ſuperiorem delectationem propoſuimus.

Inſtabis 2. Ergo Janſeniſmi ſuſpectus meritò habendus erit, quicumque dixerit, gratiam actualem ſufficientem juſto conceſſam, urgente præcepto, de quo in prima Propoſitione, poſitam eſſe in delectatione dumtaxat inferiore; ac conſequenter ex ea vires inæquales dumtaxat accipere ad vincendam concupiſcentiam oppoſitam.

℟. Ita eſſe. Quandoquidem error Janſenii circa gratiam ſufficientem juſtorum, de quibus in prima Propoſitione, in eo præcisè poſitus eſt, quòd in illis inferiorem dumtaxat gratiæ delectationem agnoverit. Non enim omnem ipſis denegat delectationem, non omnem potentiam; ſed illam dumtaxat, quæ vires pares & æquales conferat ad oppoſitam cupiditatem debellandam, ac præceptum ſeu immediatè ſeu mediatè obſervandum. Et quidem cap. 13, Lib. 3. de Gratia, unde prima Propoſitio educta eſt, non dicit juſtos conantes nullas habere vires ad præceptum implendum, nullo modo iſtud implere
T. 3. p. 136. & ſeq. velle: verùm ait tantùm, *voluntatis ipſorum vires infirmas eſſe. Non tota voluntate ipſos velle. Non plenè velle. Non integrè velle. Nondum poſſe tantum*
Ibid. p. 176. col. 1. E. *velle, quantum ſufficit, ut volendo faciant.* Et Libro 4. capite 7. *Voluntas*, ait, *tam magnas volendi vires adhibere non poteſt; ſeu, ut Schola loquitur, tam fortiter ac intensè velle non poteſt.* Unde auctor Libelli, cui titulus gallicè: *La tradition de l'Egliſe Romaine*, Tom. 3. parte 2. cap. 4. art. 2. pag. 332. ait, impotentiam illam eſſe dumtaxat partialem. Et certè Janſenius non negat potentiam ligatam: agnovit enim pluries à ſuperiori delectatione veluti quodam vinculo voluntatem quodammodò ligari.

Objicies 6. Syſtema duplicis delectationis ſuperioris ac relativè victricis innoxiè ac tutò in Scholis Catholicis propugnatur, maximè verò à Schola Auguſtinianorum; atque inter Profeſſores Sorbonicos, quorum Opera typis edita ſunt, Yſambertus vim & efficaciam gratiæ ex interna ipſius ſuavitate ac delectatione colligit.

Reſp. 1. Nego ant. Hujus quippe ſyſtematis primus auctor & inventor eſt Janſenius, quod nullus ante ipſum aut defendiſſe aut impugnaſſe legitur. Quare Janſenius ipſe Lib. 4. de Gratia Chriſti cap. 2. & 10. Et Lib. 2. cap. 25. inopinatam appellat, novam ac recenter excogitatam ſententiam. Quæ porrò ſit illa Catholica Auguſtinianorum Schola diſtincta à Thomiſtica & aliis, quæ gratiam à ſe propriaque virtute interna efficacem admittunt, fatemur

nos

Digitized by Google

nos planè ignorare. Novimus quidem Orthodoxos Theologos, qui vim gratiæ efficacem colligunt ex ipſius interna ſuavitate, ſeu delectatione abſolutè ac ſimpliciter victrice; quique in gratia ſufficiente pares & æquales vires agnoſcunt, ad oppoſitam actualem cupiditatem ſuperandam: verùm qui gratiam velint eſſe victricem relativè ſeu ex ſuperioritate graduum, quippe non aliam ſufficientem admittunt gratiam, quàm viribus inferiorem oppoſitæ ſuperiori concupiſcentiæ, non alios, quàm Janſeniani ſyſtematis defenſores novimus. Nullum ex iis, qui pro defenſione Janſenii hactenus ſcripſerunt, reperies, qui pro illa ſuperiori delectatione tanquam baſi ac fundamento totius Magiſtri ſui ſyſtematis acriter non pugnaverit; quo ſalvo, ſibi omnia ſalva eſſe arbitrati, propoſitiones quinque famoſas verbo, quantum P. 211.
volueris, damnabunt. *Nobis enim ſufficit*, inquiebat Abbas de Bourzeis Collatione 4. cap. 30. *quòd hæc ſola nobis veritas concedatur: nimirum quoties gratiæ Dei conſentimus, id oriri ſemper ex eo, quòd rectus amor, quem Deus nobis inſpirat, viribus ſuperior eſt perverſo amori; & quia viribus ſuperior eſt, idcircò eum certiſſimè ſuperare*. En veritas, quæ Janſenianis omnibus oculorum pupilla carior ſemper extitit, quam in eorum Scriptis millies recoctam reperies. An non, quæſo, vel hoc ipſo nomine ſuſpecta maximè debet haberi ea ſententia, ad cujus defenſionem Janſeniani omnes tanta conſenſione omnia ſua ſtudia vireſque convertunt? Quantum porrò diſcriminis ſit inter ſententiam delectationis abſolutè vel relativè victricis, abundè expoſuimus, ubi de Syſtemate Janſenii.

Reſp. 2. Immeritò prorſus Yſambertum noſtrum appellari, quaſi faveret ſyſtemati Janſeniano circa delectationem ſuperiorem, cui totus repugnat ac contradicit.

Docet Janſenius, delectationem unicum eſſe actionum voluntatis principium: non ita Yſambertus. *Gratia efficax*, inquit in 1. 2. S. Th. q. 111. diſput. 8. art. 1. *conſiſtit formaliter in actibus ſubitis ſeu indeliberatis intellectus & voluntatis, & proinde in ſuaſionibus, delectationibus, terroribus, vel aliis hujuſmodi affectibus*. T. 2. p. 430 col. 1. A.

Docet Janſenius, paradoxum eſſe in doctrina S. Auguſtini, quòd minima gratia ſuperare poſſit fortiorem concupiſcentiam: E contrà Yſambertus ibid. art. 4. *Animadvertendum*, ait, *quemlibet minimum gradum gratiæ eſſe longè fortiorem qualibet gravi tentatione*. Ibid. p. 433. col. 2. B.

Docet Janſenius, relativam gratiæ delectationem ſua ſuperioritate voluntatem ad opus perfectum determinare; imò & prædeterminare, non tantùm moraliter, ſed vera, reali & phyſica determinatione: *Quia*, inquit Lib. 8. de Gratia Chriſti cap. 3. *moralis prædeterminatio ſe habet ex parte objecti, quemadmodum facit ille qui conſulit, ſuadet, præcipit, rogat, blanditur*. Determinatio verò gratiæ victricis *ſe habet in ipſa potentia voluntatis, quam propriè ſuæ ſuavitatis magnitudine ad volendum applicat, & applicando determinat, utpote cauſans in ea hoc ipſum ut ſe determinet, ideoque prædeterminat. Impoſſibile enim eſt*, addit ibid. *ut adjutorium illud cœleſtis delectationis non determinet, imò prædeterminet voluntatem; quia facit, ut velis, & ſine illa velle non poſſis*. T. 3. p. 346. col. 1. E. Ibid col. 2. D.

Immane quantùm ab hac doctrina recedat Yſambertus, apud quem ne vel leviſſimum quidem extat veſtigium delectationis, quæ ſua ſuperioritate

relativa voluntatem ad unum invincibiliter ac phyſicè determinet: imò vim totam gratiæ efficacis reponit in ſuaſione quadam morali, ſeu congrua ipſius attemperatione cum voluntate hominis, in qua nihil ponit, unde ad unum invincibiliter actu applicetur. Audiatur ipſemet Yſambertus. In 1. 2. q. 111. [T. 2. p. 429. col. 2. D.] diſput. 8. Art. 1. hanc ſtatuit Concluſionem: *Singularis efficacia gratiæ prævenientis ſumpta & conſiderata in actu primo, conſiſtit præcisè & formaliter in ſpeciali aptatione & contemperatione vocationis cum voluntate vocati, ejuſque circumſtantiis, &c.* [Ibid. p. 431. col. 2. C.] Articulo 2. *Gratia actualis eſt illuſtratio intellectus, & pia affectio voluntatis inducens & alliciens ad bonum..... quæ ſunt tantùm in genere motionis moralis, quia ſolummodò excitant, provocant, impellunt ſuaſione, ipſa manifeſtatione boni & mali, delectatione boni, vel fuga mali propoſiti per intellectum.* [Ibid. p. 437. col. 2. D.] Et Articulo 5. *Cauſa*, inquit, *& ratio infallibilitatis ad hanc gratiam ſic vocantem, eſt ipſa ejus ſingularis ſuavitas & dulcedo proveniens ab ejus contemperatione & aptatione ad voluntatem vocati, quæ ſuavitas compatitur ſecum indifferentiam actuum voluntatis ſic tactæ, ad id, quod eſt ſibi oppoſitum, cùm non tantùm relinquat propoſitionem variarum convenientiarum objecti ſecundùm rationem boni delectabilis, appetitivi, utilis & honeſti, ſed etiam nihil ponat in voluntate ipſius vocati, quo ſeipſo determinetur ad unum.* Audis infallibilitatem ſuavitatis ac dulcedinis, quæ eſt in gratia efficaci, provenire, in mente Yſamberti, ab ejus contemperatione & aptatione ad voluntatem vocati; non ergo provenit ex ſuperioritate ipſius relativa, ut volunt Janſeniani. Audis rurſus, illam ſuavitatem nihil ponere in voluntate, quo ſeipſa determinetur infallibiliter ad unum. Et quæſt. 109. diſput. 5. art. 5. jam [Ibid. p. 324. col. 2. C.] dixerat, *Gratiam efficacem importare tantùm efficacem ſuaſionem & allectionem voluntatis in tale objectum per motiva illi valdè ſuavia, eam tamen non determinantia, ſed provocantia tantùm ad eliciendum conſenſum in tale objectum.* Non magis profectò diſtat Cœlum à terra, quam hæc Yſamberti doctrina à Janſeniana.

Docet Janſenius, abſente gratia efficaci, non poſſe hominem hìc & nunc ex gratia parva ſeu inferiori, *propter defectum virium*, ſuperare majorem actualem concupiſcentiam: E contrà Yſambertus eadem diſput. 8. [Ibid. p. 437. col. 1. D.] art. 5. *Reſpondebitur*, inquit, *non propterea eos, quibus illa* (gratia efficax ſeu victrix) *non datur, carere aliquo ſibi neceſſario ad operandum ſupernaturaliter; quia ſemper habent ſufficiens auxilium, ex quo, ſi velint, poſſunt operari ſupernaturaliter, licèt non inſuperabiliter & indeclinabiliter: non enim ad de facto operandum ſupernaturaliter requiritur ſemper, ut ipſe operans agat cum tanta indeclinabilitate, inſuperabilitate & infallibilitate, ad habendum effectum ſuæ virtuti & operationi correſpondentem.* Nullus, opinor, ita ſentit & loquitur Janſeniani Syſtematis defenſor: ergo à ſyſtemate delectationis ſuperioris omninò alienus eſt Yſambertus, ejuſque patrocinio immeritò Janſeniani gloriantur.

Objicies 7. Syſtema delectationis ſuperioris ſeu relativè victricis tutò ac innoxiè defendi poteſt, modò, qui apud Janſenium inde conſequuntur V. Propoſitionum errores, rejiciantur ac damnentur: neque enim æquum videtur iis erroneis conſectariis ſyſtema ipſum invidiosè onerare, quando negantur à defenſoribus ſyſtematis.

Reſp.

Reſp. I. Si bona fide & animo Catholico conſectaria illa negentur, ab errore quidem abſolvi eos, qui admiſſo principio conſecutiones negant: at non propterea ipſum abſolvitur principium, quod erroneum eſt, ac idem ſemper remanet.

II. Sic ambiguis ac variis in ſenſum flecti facilibus verbis conſecutiones illas negant Janſenii defenſores, ut graviſſimam profectò malæ fidei ac retenti erroris ſuſpicionem ingerant, v.g. generatim negant, per gratiam efficacem voluntati neceſſitatem inferri ad agendum: at Quenellius ipſe in Libro, cui titulus gallicè: *La paix de Clement IX. pag.* 50. monet, neceſſitatis nomine ſolitariè ſumpto ac ſenſu proprio & naturali, abſolutam & omnimodam neceſſitatem denotari; qualem profectò Janſenius nunquam excogitavit. Pariter generatim aſſerunt, gratiæ ſufficienti ineſſe potentiam ad bonum: ſed quam intelligunt? Phyſicam & implicatam, qualem Janſenius reverà propugnavit.

III. Cùm aliqua erronea concluſio per neceſſariam & intimam connexionem ex certo principio deducitur, non tantùm concluſio, ſed & ipſum principium, unde neceſſariò fluit, negari debet; niſi clarè demonſtretur, malè ac diſtortè concluſionem illam à principio derivari, nec ullam cum eo habere connexionem. Atqui famoſas quinque Propoſitiones ex principio delectationis ſuperioris neceſſaria conſecutionis lege deduci, ac Janſenium eas inde derivaſſe, adductis propriis ipſius verbis aliàs fusè oſtendimus: neque ullus eſt qui hactenus probaverit, peccaſſe Janſenium contra rectas diſcurrendi leges, quando ſuas illas quinque Propoſitiones veluti totidem concluſiones deduxit ex princio delectationis relativè victricis. Quapropter qui eum à cenſura Eccleſiæ defendere tentarunt, ſuppoſititium planè ac fictitium, tum Libro ipſius, tum quinque damnatis Propoſitionibus ex illo excerptis, ſenſum affingere coacti ſunt.

IV. Eccleſia intimam illam connexionem quinque Propoſitionum cum principio delectationis ſuperioris agnovit, cùm illas quinque Propoſitiones damnavit in ſenſu proprio Janſenii: neque enim alius aſſignari poteſt illarum ſenſus, quàm qui ex delectatione ſuperiori oritur & cum ea connectitur; & quicumque ex diſcipulis Janſenii alium aſſignare hactenus voluerunt, nonniſi vanum erroris ſimulacrum ac phantaſma prorſus à mente Janſenii abhorrens, nobis exhibuerunt.

V. Janſeniani omnes hactenus pro delectatione relativè victrici, tanquam pro aris & focis decertarunt; quòd rectè intelligerent totius ſyſtematis medullam in ea contineri, eamque fontem eſſe, unde quinque Propoſitionum doctrina ſponte ſua profluit.

VI. Multi extant Janſenianorum Libri, in quibus ea ipſa conſectaria delectationis ſuperioris negantur, qui tamen proſcripti ſunt, non alia certè de cauſa, quàm quòd ſyſtema delectationis Janſenianæ contineant, quo retento, conſectaria illa nonniſi ad fraudem ac verbo tenus negantur: tales ſunt Libri Arnaldi, Pauli Irenæi, Vvendrochii, Expoſitio fidei Catholicæ, Speculum pietatis &c.

Inſtabis: Eſtò quòd doctrina erronea V. Propoſitionum dicatur neceſſariò fluere ex ſyſtemate delectationis relativè ſuperioris, ſi phyſicè agere dicatur in voluntatem; at ſi moraliter dumtaxat dicatur agere, ut multi reverà di-

dicunt, non ampliùs ſequitur erronea illa doctrina, nec imputanda iis, qui docent, ſuperiorem delectationem in voluntatem moraliter dumtaxat agere.

T 3 pag. 176. col. 2. A. ℞. 1. Cum Goneto diſput. 6. art. 2. paragr. 12. eos, qui gratiam ex ſe & ex natura ſua efficacem admittunt, & negant eam phyſicè prædeterminare liberum arbitrium, non loqui conſequenter, ſed pugnantia ſcribere. 2. Vvendrochium Dialogo in Epiſtolam 18. Montaltii ſic habere: *Jam verò infallibilem illum dominantis in corde amoris effectum quis vetat etiam phyſicum appellare? Nec veto ut etiam moralem appelles, dummodo hoc verbo nihil effectus infallibilitati deroges.* Ed. Colon. pag. 541. 3. Nihil effectus infallibilitati eos derogare, qui ideo moraliter conſenſum operari delectationem ſuperiorem aſſerunt, quòd delectando operatur. 4. Janſenium, qui L. 8. c. 3. docet, non ſolùm moraliter, ſed etiam phyſicè delectationem ſuperiorem operari conſenſum, non recuſaturum fuiſſe determinationem delectationis eo ſenſu moralem appellare: unde auctor Inſtitutionum Theologicarum Editionis primæ Lugdunenſis Tom. 2. parte 5. (pag. 25.) ſic loquitur: *Utrùm autem illa determinatio dicenda ſit phyſica, an verò moralis definiri, non magni intereſt.* Vides, quàm benè palato Janſenianorum ſapiat infallibilitas illa moralis, quæ delectando operatur; quàmque parum interſit, utrùm phyſica vel moralis illa dicatur, modò iſtud ſtet inconcuſſum, hujuſmodi infallibilitatem effectus oriri ex delectatione ſuperiori.

Objicies denique: Innoxium exiſtimari debet delectationis relativè victricis ſyſtema, modò non aſſeratur delectationem ſuperiorem neceſſitatem inducere, ac tollere veram ad oppoſitum potentiam.

℞. Non ſatis eſſe id verbo aſſerere, ſed reipſa omnis neceſſitas excludi debet, ac vera & relativa agnoſci ſub delectatione ſuperiori ad oppoſitum potentia. Si enim ſufficeret ad omnem erroris Janſeniani labem eluendam, & ad tutò defendendum ſyſtema delectationis ſuperioris, hæc duo affirmare, nullus eſſet Janſenianus, qui jure reprehendi ac damnari poſſet; omnes enim iſta duo verbo tenus profitentur, ac calumniæ reos agunt, quicumque oppoſitam ſibi vel Magiſtro affingunt ſententiam. Neceſſe igitur erit, ab omni errore puros & immunes pronuntiare Ludovicum de Saint-Amour, Paulum Irenæum, Arnaldum, Vvendrochium, &c. imò & ipſummet Janſenium. Ludovicus de Saint-Amour in Diario parte 6. cap. 21. ſcribit: *Auguſtinianis nunquam in animo fuiſſe, ridiculum illud ac inſulſum gratiæ neceſſitantis, qua indifferentia voluntatis penitùs tollitur, phantaſma defendere.* Diar. p. 457. col. 2.

Inter Collect. pag. 216. col. 2. Paulus Irenæus Diſq. 4. Art. 7. ait: *Auguſtinianos neceſſitatis nomine raro admodum, nec ferè unquam ſine explicatione ſubiecta uti. Neceſſitantis enim gratiæ voce, quæ malo animo conficta eſt & compoſita, nuſquam illos uſos eſſe reperies.*

Pag. 119 Abbas de Bourzeis Collatione 1. cap. 26. aſſerit: *Auguſtinianos facilè conſentire ac dare adverſariis reticendum eſſe nomen neceſſitatis.*

P. 101. Dionyſius Raymundus 1. parte cap. 2. affirmat pariter: *Eos planè ignorare ac pervertere Janſenii mentem, qui exiſtimant, eum docuiſſe, præcepta Dei abſolutè impoſſibilia eſſe aliquibus juſtis; aut eſſe in eis phyſicam & abſolutam impotentiam ad illa obſervanda.*

Auctor Libri, cui titulus gallicè: *Hiſtoire du Cas de conſcience, Tom. 3. pag. 373. & 376.*

Digitized by Google

& 376. Item auctor Lib. qui inſcribitur: *Reponſe aux Remarques ſur les declarations de Mr. Couet pag. 599. & 600.* ut refertur ab auctore citatæ hiſtoriæ: pariter auctor Libri, qui dicitur: *De l'injuſte accuſation du Janſeniſme, pag.* 78. 81. 91. 96. 105. Auctor etiam Epiſtolarum Theologicarum adversùs Documentum Paſtorale Illuſtriſſimi Epiſcopi Meldenſis Eminentiſſimi Cardinalis de Biſſy, pag. 226. 227. 230. Ipſe denique, ſi quis alius projectæ audaciæ Janſenii defenſor, D. de Vvite, ſumma conſenſione declarant, ſe impotentiam phyſicam ac propriè dictam rejicere, & admittere tantùm neceſſitatem impropriè dictam & moralem. *Hæc*, inquit D. de Vvite in ſuo Auguſtino Ypreſi vindicato parte 1. cap. 16. *juſtitiæ in damnata Adami ſtir-* [Pag. 64.] *pe impoſſibilitas, atque ad reſiſtendum peccato languor & imbecillitas vera ac propria juſtitiæ impoſſibilitas aut ad peccandum neceſſitas dici non poteſt nec debet.* Et parte 3. cap. 4. pluries eam vocat *impoſſibilitatem ſecundùm quid*. Et Au- [pag. 484. & ſeq.] ctor jam citatus Libri, cui titulus: *La Tradition de l'Egliſe Romaine* Tom. 3. p. 2. art. 2. ait, impotentiam illam *eſſe dumtaxat partialem*. An, quæſo pro- [Pag. 332.] propter iſtas verborum mitigationes, ab errore Janſeniano purgandi & excuſandi erunt illorum auctorum Libri? Quaſi de verbis, & non de re ipſa controverſia foret; aut eam ipſam de facto non admitterent, ac ſuo in ſyſtemate delectationis ſuperioris admittere non tenerentur phyſicam & propriè dictam neceſſitatem, quam verbo tenus dumtaxat rejiciunt.

Quòd ſi hujuſmodi verborum mitigationes, meliùs dicam, fallaciæ, ſufficiant, ut defenſores Janſenii ab errore purgentur, ac Eccleſiæ cenſuris ſubducantur, vel ipſe erroris parens & auctor Janſenius abſolvi pariter ac purgari poterit; cùm iiſdem verborum lenimentis utatur, ut quod duriùs ſcripſit, temperet ac emolliat. Nonne Lib. 3. de Gratia cap. 13. impoſſibilitatem mandatorum in quibuſdam juſtis *difficultatem* appellat, in ea ipſa perio- [T. 3. pag. 139. col. 1. A.] do, unde textus primæ Propoſitionis eductus eſt? Nonne Lib. 8. cap. 21. aſſerit, in eo ſuam à Calviniana ſententiam differre, *quòd Calvinus doceat, gratiam ita movere hominem, ut non ſit ei liberum reſiſtere. Auguſtinus verò, Do-* [Ib. pag. 371. col. 1. A.] *minum ita movere voluntatem, ut quamvis infallibiliter convertatur & operetur; poſſit tamen motioni Dei refragari .... Potentia quippe diſſentiendi non repugnat actuali gratiæ motioni.* Et cap. 20. nonne dixerat perfectiſſimam etiam ſub gratia *efficaci remanere ad peccandum potentiam*? Nonne eodem Lib. cap. [Ib. pag. 367. & 368.] 4. aſſerit, id omne, quod Thomiſtæ de concordia ſuæ prædeterminationis phyſicæ cum libertate aſſerunt, ſe pariter dictum velle de concordia ejuſ- [Ibid. p. 447. col. 1.] dem libertatis cum ſuperiore delectatione? Nonne Lib. 3. cap. 1. profitetur, nolle ſe impugnare gratiam ſufficientem Thomiſticam, ſed tantùm verſatilem illam Molinæ aut Suareſianam? Denique nonne Libro 6. c. 10. impo- [Ibid. p. 102. col. 2.] tentiam, quæ eſt in Beatis ſuſpendendi actum amoris Dei, impropriam appellat? *Hoc*, inquit, *propriè non arguit defectum poteſtatis, ſed voluntatis.* Jam verò ſi in mente Janſenii ipſi Beati non laborant impotentia propriè dicta amoris ſui ſuſpendendi, quantò minùs erit impotentia propriè dicta ea, quam invehet hujuſce ſtatus delectatio ſuperior, quæ, ut meritò [Ib. pag. 274. col. 1. B.] Janſenius obſervat, Lib. 7. c. 14. *eſt tantùm veluti ros quidam delectationis, quo aſpergimur, comparatè ad torrentem illum deliciarum, quo inebriantur.* Non [Ibid. p. 335. col. 2. A.] puto quemquam Catholicùm fore, qui propter illas verborum mitigationes, quibus in ſpeciem error tolli videtur, Janſenium velit à damnatis erro-

erroribus purum dimittere; ergo nec abſolvendi ipſius diſcipuli, cùm retento eodem delectationis ſuperioris principio, iiſdem verborum lenimentis errorem non tollunt, ſed tegunt ac diſſimulant: neque enim in Janſenio damnari, in aliis verò abſolvi poteſt iſtud principium, cùm idem planè ſit, iiſdemque utrobique momentis ſtet ac probetur; atque adeò delectatio ſuperior vel utrobique veram ac propriè dictam agendi neceſſitatem pariter ex ſeſe importare dicenda ſit, adeòque proſcribenda; vel non importare, ac conſequenter abſolvenda. Nullus porrò Catholicus iſtud poſtremum aſſeruerit, ex quo totus in fumos abit & evaneſcit error Janſenii, omneſque circa ipſum Eccleſiæ definitiones illuſoriæ & velut inanes exſufflantur.

Atque hæc de Gratia Chriſti dicta ſufficiant, in quibus ſi quid nobis incautis minùs ſanum ac rectum excidiſſe deprehendatur, pro non dicto ac revocato habemus.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google